IACOBI PONTANI DE SOCIETATE IESV

IN P. OVIDII NASONIS POETARVM INGENIOSISSIMI, TRISTIVM, ET DE PONTO LIBROS NOVI COMMENTARII.

ITEM

HORTVLI OVIDIANI, id est, SENTENTIAE ET PROVERBIA, EX QVOTQVOT POETÆ MONVMENTIS AB EODEM CONQVISITA, IN LOCOS COMMVNES REDACTA, ET COMMENTATIONIBVS EXPLICATA.

Cum INDICE rerum & verborum copiosissimo.



Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII, Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

ANNO DOMINI M. DC. X.





SERENISSIMO PRINCIPI WLADISLAO, SIGISMVNDI III. POLONORVM, SVECORVM, &c. REGIS FILIO, REGNORVM SVECIÆ, GOTTHIÆ, VANDALIÆ HÆREDI,

JACOBVS PONTANVS E SOCIETATE IESV S. P. D.

INGRESSVM te pronuper annum ętatis sextumdecimum, VVladislae Princeps, florentemq; doctrinis liberalissimis: nec illis modò communibus, atq; mediocribus, verumetiam maximis, quæq; reconditis, abditisque è fontibus hauriuntur (id quod in regia progenie, & in prima iuuentute quomodo perrarum est, ita permirum videri solet) & ordinis nostri inde vsque à teneris amantissimum affari cōstitui, ac simul donare, dedicare, consecrare tibi munus quoddam litterarium, cultu exteriore haud sumptuosum sanè, argumento mœstum ac lugubre: quippe lamentationibus, & lacrymis refertum, ob auctoris sui exilium, à dulci patria remotissimum ac durissimum: in quo tamen iucunditatē, intermistamq; tantæ mœstitudini dulcedinem multis locis minimè desideres: eruditione præclarum: ingenio, orationis vbertate, copia singulare. Quod quidem tu, cui cum tot regalibus à Deo in te profectis ornamentis, præstantis quoque iudicij maturitas adeò maturè concessa est, cum iudicasti antea, tum ex hisce nostris

qualibuſcunque tandem explanationibus amplius iudicabis. Etenim de ingenij tui celeritate incredibili, de memoria tenaciſsima, de ardore diſcendi pręcipuo quid ego memorē, quando qui tibi ab inſtitutionibus artium ſunt, aut fuerunt, iſtæc in te admiratione ſumma, luculentisque teſtimoniis proſequuntur? Iam illa virtutis indoles, illa de te exſpectatio, quam apud ciuitates ac populos concitaſti quanta eſt? Quæ virtus in Principe Chriſtiano prima, cæterarumque baſis, ac fundamentum definitur, inſignis, puta, aduerſus ſanctiſsimum Numen, & beatos cælites religio, hanc tu ceu ſponſam auguſtiſsimam, *illius æterno deuinctus vulnere amoris* aſſumpſiſti, pedem vtique ponens in veſtigiis Parentis religioſiſsimi, cuius conſilia, & cogitationes omnes domi bellique vni Deo complacendi voluntate atq; ſtudio diriguntur. Eiuſdem beneficentiam egentes; lenitatem commendant ſontes: manſuetudinem victi diligūt: moderationem, ſapientiam, in aſperis æqua mente perpetiendis tolerantiam, in arduis, ac periculoſis aggrediundis fortitudinem, in dictis factiſque conſtantiam vniuerſi ſuſpiciunt. Quem horribilibus licet fluctibus, & procellis iactatum diuina prouidentia tutatur, & regit, ſemperq; propemodum ſecūdiſsimo flatu ad optatos exitus prouehit. Ego vero nihil illum ſic delectare, conſolariq; exiſtimo, vt quod te, VVladiſlae, filium iure chariſsimum partim iam intuetur, partim aliquando, cum nimirum ætas confirmata virum te reddiderit, perſimilem ſibi futurum rectè auguratur: idemque nos maiorem in modum confidimus, quandoquidem de tua mirifica pietate, de elegantia, & ſuauitate morum, de induſtria, grauitate, prudentia, comitate, & affabilitate ſermonis, de ingenuitate, candoreque didicimus. Et profectò, candoris, quem dixi, haud fallax indicium, quod à quopiam fortè offenſus, non diſsimulas: cauſſam quodā tempore ſciſcitantibus confeſſus; quoniam exprobrata ſtatim culpa, ſtatim quoque iram & dolorem eiicere ſoleas potius, quàm eo diu in præcordiis coquendo, nec concoquendo, eius puniendi occaſionem exſpectare. O vocem excelſi, & vindictæ contemptoris animi, qua quidem apud homines non reperitur vlla res difficilior; cum ſit ita natura comparatum, quod ſcripſit Seneca, vt altius iniuriæ

quàm

quàm merita descendant: & hæc citò defluant: illas tenax memoria custodiat. Vocem omnino regiam, tametsi à quorundam regum consuetudine abhorrentem; illorum nempe, quos apud Homerum Calchas vates ait læsos tacere, perinde quasi iram & furorem eo ipso die posuerint: sed interim vlciscēdi cupidinem fouere in sinu, dum eam per opportunitatem satiare queant. Huiuscemodi ἀμνησικακία iniuriarumque voluntaria obliuio, quantopere ad ciuium beneuolentiam alliciendam, atque ad regna constabilienda proficiat, nuntia vetustatis historia, te satis, opinor, docere potuit: ex cuius frequēti tractatione conceptum tibi censuerim hunc, quem præ te fers, militarem spiritū. Quam enim cupidè cum militibus de castris, aciebus, conflictibus, obsidionibus colloquia instituis? Ac nisi te Patris reuerentia, & auctoritas abstineret, vt ipsemet testificatus es, nequaquam dubitares correptis armis, expeditus in equo medium in certamen ruere, & quamuis adolescens virilis audaciæ facinora perpetrare. Macte virtute. Interea te artibus pacis ac togæ sociabus imbuendum, expoliendumq; committe, dum ad Rempublicam accedas, & quæ Deus voluerit gubernacula capessas: atque ad remittendum & recreandum animum studiis defessum, nonnunquam in Hortulos Ouidianos, à me hisce Commentariis subiunctos descende, eorumq; puluinulos florum pulcherrimorū, herbarumque bellè virentium, ac mirè fragrantium diuersitate consitos contemplare, indeque quod potissimùm arriserit, ad vsum iucundum decerpe. Sed nihilominus identidem memento, quorum Regum, ac Principum nepos, & pronepos sis: qui cum omni virtutis genere, tum bellicis quoque laudibus familias suas illustrarunt, & de hostibus, ac gentibus à vera pietate alienis, duce & auspice Christo trophæa plurima statuerunt. Quod reliquum est, SOCIETATEM IESV, quam Parens optimus ac benignissimus vnicè charam habet, quamq; plurimi pendit, & beneficiis ac prærogatiuis cumulare non desistit, tu similiter, vt hactenus, diligere & amplexari ne desine.

Sic te intacta Parens, & diuorum Induperatrix,
Spes nostri generis, decus, & fidissima custos
Aspiciens, tua vota pias demittat in aures:

Quemq́ suo fudit latitantem in corpore sancto
Rerum effectorem tribuat tibi semper amicum.
Sic vbi fatales Genitor transmiserit annos,
Et meritis grauis ætherium penetrarit olympum,
Sponte sua dedat tibi sceptra Polonicus orbis,
Aurataq́ caput cingat regale corona,
Promptus & accipiat quæ non dabis aspera iura.
Sic sub te redeant priscum tua sæcula in aurum.
Terrarum domini sic te venerentur, amentq́ue;
Moribus & vita sic consectentur euntem.
Sic hominum armatas ducentem forte cateruas,
Iustaq́ non timida miscentem prælia dextra,
Siderei fratres, pictis exercitus alis
Vallatum seruent, & apertis funera campis
Edentes, faciant lætos agitare triumphos.
Sic tibi Mæonidæ, sic dentur mille Marones,
Qui magno ore sonent magnum tua facta per orbem,
Facta quibus regum priscorum inuiderit ætas.
Post, vbi longinqui confractum viribus æui,
Et captum letho soluet sua debita corpus,
Cælestûm fælix numerum, cælestibus ipsis
Cultori bona parta suo gratantibus, auge.

Augustæ Vindel. Anno M. DC. X.
Idib. Iulij.



AD SERENISSIMVM REGEM SIGISMVNDVM.

QVis, SIGMVNDE, tibi Superos neget esse propinquos,
Omnia contulerint cum sua dona tibi?
Si spectem pectus, sapientia regnat in illo,
Iessaeus nobis vt videare nepos.
Si spectem frontem, maiestas possidet illam,
Qualis in Atridis, atque in Achille fuit.
Æqua tibi mentem cum Religione, Fidéque
Occupat, aeterno iure beatq; Themis.
Larga manus largis implet tot messibus Iros,
Vt nequeant, quid sit scire, maligna fames.
Mille calent arae, monimentáque regia mille,
Ad Diuûm mittant quae tua vota patrem.
Publica cùm tristes iugulat sententia sontes,
Arbiter es miseris tristior ipse reis.
Acceptum vicisse refers, & vincere Christo,
Cuius ab experta spes tua pendet ope.
Numen adest sese reuerentibus: omnia possunt,
Numine qui norunt se sine posse nihil.

MATT. RADER. S. IESV.

DE SERENISSIMO PRINCIPE VVLADISLAO.

PHœbus & Alcides Gemini duo sidera Diui
Alcides armis, Phœbus at arte potens
(Jlle senescentis veris, subeuntis at iste
Æstatis pars est, finis hic, iste caput)
Dum WLADISLAI ter fausta genethlia cernunt,
Amphitryoniades, hic meus insit, erit.
Contrà, cum Gemini simus Latoius inquit,
Tam meus hic flos est regius, atque tuus.
Vota valent: iuuenem Musa Phœbo artibus aequant:
Alcidae aequabit non ita longa dies. Idem.

In eundem.

Si vates exul superas remearet ad auras,
Et noua magnanimi cerneret ora Ducis,

Diceret,

Diceret, ô dominam qui rexti legibus vrbem,
Dure vale Octaui, Romáque tota vale.
Me tenet augusta modo WLADISLAVS *in aula,*
Ista mihi patrio dulcior aula solo.

Idem.

OVIDIANÆ LACRYMÆ.

Tam claras Phaëtontiæ sorores
Non flerunt lacrymas, nurus Latinæ
Quas ornatibus addidisse gaudent.
Nec tales Saba turis ipsa guttas
Stillauit, neque balsami liquores
Sudarunt Syrij vireta campi:
Quales in Scythicis iacens pruinis
Effudit sine fine lacrumando
Infelix nimium poëta noster.
Nec tam dulce Charis venusta risit,
Quam Peligna Camœna dulcè luxit.
Hi luctus genuere mille Phœbos:
Hi fletus peperere mille fontes,
E queis pocula totus hausit orbis.
Plus Euxina tibi dat ora Naso,
Quam mundi caput, vrbiumq́ Roma.
Hic te prospera sors ad ima mersit:
Illic ferrea sors ad astra vexit.

Idem.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Commentarios nouos IACOBI PONTANI nostri, in Ouidij libros Tristium, & de Ponto; item eiusdem Hortulos Ouidianos cum commentationibus, ab aliquot Patribus Societatis nostræ lectos, & probatos, ego THEODORVS BVSAEVS, Societatis IESV per Germaniam superiorem Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi à R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVA Societatis Præposito Generali concessa, excudi permitto: & ad fidem rei faciendam subsigno, & subscribo. Actum Ingolstadij, die Iunij 27. M. DC. X.

THEODORVS BVSAEVS.

LECTORIBVS.

CVM in omnibus pæne rebus magna sit antiquitatis auctoritas, magna veneratio, magna sæpe vtilitas, magna in multis commoditas, id maximè in vniuersitate litterarum elucet. Cuius si genera singula seorsum, & vnà eos qui in iisdem elaborarunt, considerare voluerimus, semper ab ætatis nostræ memoria remotiores nesciò quomodo, si non scriptorum mole, ac librorum numero (quanquam & his interdum) at certè eorundē singulari quadam vi, ac virtute, & efficacitate, quasi in radice, ac semine posterioribus præstitisse ac præluxisse iudicabimus. Quid enim in his aut ingenio tam exquisitū, aut eruditione tam perfectū, aut sermone tam quadratum, & politum, aut vlla ratione tam admirandum, vt non à veteribus multò antea occupatum, & vel plenè pertractatum, vel saltem inchoatum, & lineis suis deformatum, & quodammodo præpictum videatur? Longum nimis sit ire per exempla. Hoc vtique citra cuiusquam inficiationem statuere possumus, ab illorum fontibus nostros dimanasse riuulos. Illos pomiferas conseuisse arbores: nos earum fructus decerpsisse. Illos seminasse, nos messuisse. Quod cum ita sit, haud scio an vni omnium optimè de artibus, & scientiis, deq; earum studiosis, & alumnis mereantur, qui auctores antiquos recensere, emendare, scholiis, notis, obseruationibus perpetuis declarare, commentariis exponere, collationibus locorum aliùnde petitorum, & modis denique quibuscunque illustrare, quàm ipsi sua procudere, palamq; proferre, (quod sine illorum opibus nequeunt, è quorum officinis extiterunt) potius aggrediuntur. In quo curriculo cum superioribus temporibus sat multos, tum verò hisce nostris plurimos cum excellentia desudasse videmus. Mitto alios, & ad institutum meum descendo. Poëtas latinos, si nondum omnes, primores tamen explicatos, & illustratos habemus, inprimisq; omnium velut dictatores, & archistrategos Horatium & Virgilium; in quem nos quoque annis abhinc XIV. ex lectissimis cuiusque ordinis scriptoribus explanandum, immo etiam illustrandum, & nostris item adiumentis, ac paraphrasibus ornandum non segniter studium impendimus. Quos quidem labores meos nimiopere vellem à me recognitos, pluribusq; locis meliores effectos in Germania, atque adeo Augustæ rursum edere datum fuisset. Nam

in Gallicana editione nihil additum est, prater errata, vt audio. Longo interuallo postea cum recogitarem mecum, quod nemo ignorat, nihil ferri Commentariorum in libros P. Ouidij de Tristibus, & de Ponto, prater Merulæ, & Amerpachij (de quibus suum cuique iudicium esto) cum, inquam, istuc mecum recogitarem, caussamq; indagarem, inuenisse hanc potissimùm visus sum, quod aperti admodum, & cuiuis ludimoderatori ad explicandum faciles putarentur: eruditi autem, & elegantioribus litteris imbuti homines in obscurioribus, & difficilioribus ingenia sua exercere, indeq; laudem sibi comparare praoptarent; vt in Plauto, Terentio, Virgilio, Horatio, Catullo, Tibullo, Propertio, Statio, Martiale exercuerunt, & compararunt. Veruntamen nostra legentibus constabit, vt arbitror, nec tam plana, & obuia in hisce poëmatis reperiri omnia; & inesse locos propemodum infinitos eiusmodi, vt ad eos interpretandos, & illuminandos quantumuis à doctrina instructum operam, & industriam suam applicare non dedecuerit. Id quod non pauci separatim in Variis, subsecivis lectionibus, Miscellaneis, Annotationibus, Criticis, Racemationibus, & quocunque tandem vocabulo genus illud lucubrationum suarum inscripserunt, egregiè præstiterunt: quorum diligentia nobis quoque suppetias venit. Sed cum hodie in auctoribus ad nostra hæc mitiora studia pertinentibus interpretandis alij soleant esse curti, ac perbreues, nec tam verbis, quam nutibus quasi, & signis rem explanare, & admonere magis iam intelligentes, quam docere nescientes: alij admodum prodigi, corradentes omnia, non quacunque dici debent: sed quæ propter rei affinitatem dici possunt, & cornucopias conficientes, lectoremq; defatigantes: ego sic me institui, vt neque immodicam breuitatem consectando mancus, & obscurus: neque immoderatam longitudinem affectando, & permulta non necessaria inculcando onerosus, & molestus fierem, & illud Callimachi audirem. τὸ μέγα βιβλίον ἶσον τῷ μεγάλῳ κακῷ, magnum librum esse velut magnum malum. In symbolis prudens lector quid spectauerim videt, & ideo longitudini facilè ignoscit. Etsi persæpe hìc aspersi, quæ ad doctrinam cumulatiorem faciunt, etiamsi ad sententiam poëtæ percipiendam præcisè non requirantur. Et id boni interpretis officium esse sentio, vitare siccitatem, & ieiunitatem, ne glossas duntaxat scribere, & Hecates cœnam potius vt pauper caupo apponere, quam aliquanto instructioribus epulis, vt liberalis conuiuator, conuiuam suum accipere existimetur. Hæc in hosce Commentarios præfationis loco dicenda mihi putaui. Cum porrò ex tot scriptis Ouidianis tres sint partes potissimæ, studiisq; humanioribus vtilissimæ, ac necessariæ, Tristes, & de Ponto (quam vnam partem facio, materia enim nihil differunt) Fasti, Metamorphoses, iampridem mecum voluto, qua via, quæ vtrobique honesta, meo labore explanata cum studiosis communicare queam. Tu bone, & hone-

statis

statis cupide lector vota facito, vt cogitata nostra procedant, & ELECTA ista FASTORVM, ac METAMORPHOSEWN, numine aspirante, videre cum tuo fructu aliquando possis: hunc pulcherrimum, inquam, omnisque eruditionis, & iucunditatis plenissimum ternarium,

Cui par est nihil, & nihil secundum,
Nec posthac alios erit per annos.

Vt absoluam. Si quis consilium meum in Ouidij tanquam tutela, & patrocinio suscipiendo, & curas tantas in eo cum honore, & copiis in publicum producendo fortasse culpauerit (quod futurum vix est vt credere possim) is videat, ne à magistris scholasticis, & iuuentute litteraria iniuriarum postuletur. Deinde sibi quoque à me dictum tollat, quod ait apud Athenæum, & Stobæum Euenus Parius, epigrammate lepidissimo, vt quidem Theodorus Canterus ex deprauato, & lacunoso restituit, ac suppleuit.

Πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως·
Ὀρθῶς δ᾽ ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ᾽ ἐν ἔθει.
Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος ὡς ὁ παλαιός,
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ᾽ ἐστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε.
Τοὺς ξυνετοὺς δ᾽ ἄν τις πείσειε τάχιστα λέγων εὖ,
Οἵπερ καὶ ῥᾴστης εἰσὶ διδασκαλίας.

Latinè sic à quodam mei cupido.

More sciunt multi de cunctis dicere contra:
Sed rectè contra dicere rarus amat.
His satis esse puto vetus hoc impingere verbum:
Sunt tua grata tibi, sunt mea grata mihi.
Vir prudens facilem veris mox commodat aurem,
Quem nullus planè est erudiisse labor.



IN P. OVIDIVM NASONEM PRODIDAGMATA.

SERVANDVM est nobis quoque sollemne, auctores, ac poëtas præsertim, interpretantium; qui in vestibulo Commentariorum suorum de vita Poëtæ disserunt. Cùm autem à diuersis iam de Ouidij vita, & moribus, carminibusque, ex poësi eiusdem ad testificationem productis explicatum sit, inde quantum videbitur assumemus, & à nobis aliquot locis aucta, nostro arbitratu per locos communes distribuemus. Hoc amplius, etiam alia Prolegomena, seu Prodidagmata adiiciemus, quibus Lectori quasi viam muniamus, eumque tantò libentiorem, & ad hæc, quæ in publicum damus, vtilius euoluenda instructiorem efficiamus.

INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

Vita Poëtæ.

Patria, genus, tempus natalitium.

ORTVS est Sulmone (cui oppido Solymus, vnus de Æneæ Troiani comitibus nomen dedit) in Pelignis, quorum hæc tertia fuit vrbs. Peligni siquidem in Confinienses, Superequanos, Sulmonenses secernebantur. Testatur hæc ipse: prius quidem hoc distichô.

Mantua Virgilio, gaudet Verona Catullo:
Peligna gentis gloria dicar ego.

Posterius illo:

Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris:
Parua, sed irriguis ora salubris aquis.

Est autem prognatus loco equestri, in familia vetustissima Nasonum (quorum principes, & caput à magnitudine nasi, sicut alij ab aliis membrorum vitiis Romano more nuncupati sunt, vt Labeones, Frontones, Valgi, Vari, &c. qua de re Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9.) XIII. Kal. Apriles, quinquatriis, quibus diebus Mineruæ sacra Romæ celebrabantur, Hirtio & Pansa Coss. anno nimirum ab V. C. decimo supra septingentesimum. De domus suæ nobilitate, censuque mediocri gloriatur lib. 4. Trist. his verbis.

Illa nostra die, qua me malus abstulit error,
Parua quidem periit, sed sine labe domus:
Sic quoque parua tamen, patrio dicatur vt auo
Clara, nec vllius nobilitate minor.
Et neque diuitiis, nec paupertate notanda est:
Vnde sit in neutrum conspiciendus eques.

Vna & eadem luce Tibullum, similiter equestris ordinis, & poëtam, & elegiacum poëtam esse genitum literis proditur. Fratrem habuit se grandiorē natu mensibus duodecim: qui forensem sectatus eloquentiam, confectô ætatis anno vicesimo ex humanis concessit.

Studia, honores, corporis habitudo.

Romæ simul cum fratre Grammaticis, & Rhetoricis doctoribus operam adolescens dedit. Sed ei nihil tam in desideriis, & amoribus fuit, quàm pangendorum carminum suauitates, atque deliciæ. Hæc enim erant eius naturæ semina, quæ, vt ait Propertius, quisque sequitur. Ipsum, si placet, istuc testificantem audiamus 4. Trist. eleg. 10.

At mihi iam puero cœlestia sacra placebant,
Inq; suum furtim Musa trahebat opus.
Sæpe pater dixit: studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis, totoq; Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam scribere, versus erat.

Fecit tamē importunitas patris, studia ista leuiora, & altiora vilipendentis, magnumque potius quæstum spectantis, vt discendis legibus se daret: vnde postea publicis, priuatisque caussis cognoscendis, ac disceptandis præsedit. Athenis quoque litterarum, & animi gratia in Asia versatus est. Sic enim ipsemet scribit 1. Trist. eleg. 2.

Non peto, quas quondam petij studiosus, Athenas:
Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.

Non autem militiæ caussa in Asia, vt quidam falsò notarunt, cum arma semper fugerit, quod confitetur lib. 4. Trist. eleg 1. hoc disticho.

Aspera militia iuuenis certamina fugi,
Nec nisi lusura mouimus arma manu.

In Sicilia quoq; magnam anni partem transegisse narrat eleg. 10, lib. 2. de Ponto. Versus hi sunt,

Te duce magnificas Asiæ perspeximus vrbes,
Trinacris est oculis te duce visa meis.
Vidimus Aetnæa cælum splendescere flamma,
Suppositus monti quam vomit ore gigas.

Patre defuncto, naturæ, & ingenio suo liberrimè obsecutus, retulit se ad studia poëtica, quæ retenta animo, remissa temporibus, longo interuallo intermissa reuocauit, vt aliquid de Cicerone in re simili vsurpemus. Inde paulatim tam dulces Musarum exprompti fœtus, quos omnis posteritas amplexari, & admirari nunquam desinet: quod ipse sibi vaticinatus est, eleg. 9, lib. 4. Trist. Corpore fuit gracili, ac tenui, neruoso tamen. Hinc illud. *Pandere, non neruis corpora nostra carent.* Et alibi de natura. *Aptaq; subducto corpore membra dedit.* In primo item Trist. eleg. 4. vbi se cum Vlysse componit,

Illi corpus erat durum, patiensq; laborum:
Inualidæ vires, ingenuæq; mihi.

Mores, amici, domus, horti.

Ex scriptis eius animaduertere quiuis potest, fuisse moribus mitissimis, & humanissimis, atque ad conciliandas sibi hominum voluntates aptissimis. Vinum ita dilutum bibebat, vt pæne aquam puram biberet. Vsus est summa familiaritate C. Iulij Hygini Grammatici. Is fuit Augusti libertus, palatinæ bibliothecæ præfectus. Dilexit item poëtas sui sæculi, Macrum, Propertium, Bassum, Horatium. Studiosus fuit Cornelij Seueri, Sexti Pompeij, Græcini, Flacci virorum consularium, Messaliæ, Albinouani, Æmilij Macri, Maximi, & aliorum, quos in libris de Ponto nominat. Habitauit prope Capitolium. Horti eius inter viam Flamminiam, & Claudiam visebantur: in quibus eum frequenter versari, & carmina facere solitum, declarat illud 1. Trist. eleg. vlt. *Non hæc in nostris, vt quondam, scribimus hortis.*

Vxores, liberi.

Tres vxores subinde duxit, id quod liquet ex eleg. 10. lib 4. Trist. Cum duabus prioribus diuortium fecit: postremam habuit charissimam. Patet ex eleg. 5. lib. 1. & ex 3. lib. 3 & ex

3.lib.4.Trist.quæ vicissim maritum amauit ardentissimè, exulique fidem seruauit constantissimè; quod cùm ex iisdem, tum ex aliis deinceps elegiis perspicitur. Perillam poëtriam ex hac tertia vxore filiam habuit. Ad quam extat eleg.7.lib.3. Altera an ex prima, an ex secunda, cum in exilium traderetur, in Africa erat. Ex filia se bis auum factum alicubi narrat. Genuisse plures liberos, videntur probare quæ sunt in 1.Tristium eleg.3, nisi (quod probabilius est) nepotes intelligat.

Sæpe eadem mandata dedi, meq́; ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora chara meis.
Et in 3.eleg.11.
Vtq́; sit exiguum pœnæ, quod coniuge chara,
Quod careo patria, pignoribusq́; meis.

Exilium, obitus, sepulcrum.

Dum ageret annum quinquagesimum, mensem sextum, IV.Id. Decembris, siue egressus annum ætatis LII. vt docet Illustrator Eusebij, anno imperij Augusti circiter altero, & quinquagesimo, ab eodem Principe in Pontum, siue Scythiam Europæam, Tomos oppidum (castellum ipse nominat) relegatus est. Eius relegationis, siue exilij duas fuisse caussas, ipsemet pluribus locis affirmat; carmen, id est, libros de arte amandi; & errorem, id est, visum à se aliquid per imprudentiam, & casu, seu fortuitò. Quippiam obscœnum vidisse, omnes docti consentiunt. Quid illud fuerit, adhuc sub iudice lis est, & in eo disputare, est otio abuti. Augustus sanè, ab Ouidio illud turpitudinis, quidquid tandem fuit, ab Augusto ipso, vt creditur, perpetratum, quanquam nō dedita opera visum, tam acerbè tulit, vt miserum, & insontem (licet ipse, quò facilius exilium tolerabilius consequatur, sæpe reum semet faciat) in remotissimas terras eiiciendum putauerit. Et hanc veram, atque vnicam exilij caussam extitisse, illam aliam de libris amatoriis prætextam duntaxat, sunt qui existiment. Sæpe tamen admiratio me incessit, eur nam, si visum illud diuulgari ab homine metuebat, vt apparet, non cum vita magis, quàm exilio mulctare voluerit. An id eius humanitas, quæ summa fuit, & æquitas non est passa? Credo equidem. Quare eleg.3, lib.1, de Ponto hunc in modum scribit.

Sed neque cur morerer, quidquam mihi comperit actum,
Nec minus infestus, quam fuit, esse potest.

Contrà, fuisse plus, quàm errorem, seu erroris nomine tantum velari illud alterum crimen, facit ipse affirmantem Amorem 3.de Ponto eleg.3. his versibus.

Vtq́; hoc, sic vtinam defendere cætera posses,
Scis aliud, quod te læserit, esse magis.
Quidquid id est (neque enim debet dolor ipse referri)
Non potes à culpa dicere abesse tua.
Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres,
Non grauior merito iudicis ira fuit.

Et hanc esse caussam reor, quod nonnunquam etiam ipsam mortem se commeruisse confitetur: nisi quis & hoc permouendi Augusti, & adulatoriè magis dictum existimabit. Quam infælici, horrida, & inhospita regione exularit, ex Tristium, & de Ponto libris non vno loco videre licet. Vnde non semel meliorem, minusq́ue infestum locum rogat, nec impetrat. Tomitani, quibuscum vixit annos VIII. potius, & dies aliquot, vt Eusebianus Corrector ostendit, tametsi barbari, & immanes, singulari illum amore, ob candorem vitę, & ingenium dilexerunt, atque renitentem etiam publicitus coronarunt. Vide eleg. 9.lib.4. de Ponto. Diem postremum expleuit anno ætatis septimo & quinquagesimo, mense nono Kalend.Ianuarij, quo die & T.Liuium Romanæ historiæ principem vita defecisse quidam auctores sunt (quod pro falso ducit quem supra bis nominaui, nam, vt ille ratiocinatur, sexagenarium obiisse oportet) anno Tiberij Augusti septimo. Funus ei Tomitæ complorantes fecerunt, locoque honoratissimo corpus condiderunt. Qua de re apud Iouianum Pontanum libro de Magnificentia scriptum est in hunc modum. *Georgius Trapezuntius, rerum vetustarum vir abundè studiosus, audientibus nobis, adolescentes cum essemus, non semel retulit, le-*

gisse,

gisse se apud bonum auctorem, Tamitanas ciues Ouidio poetæ, qui apud eos diem obiisset, ecallata è publico pecunia propter ingenij nobilitatem tymban (græco enim verbo vtebatur) magnificè struxisse, ante oppidi portam, in loco maximè celebri, quamuis Ouidius & peregrinus esset, & ab Imperatore Romano præscriptus. Lego prætetea, annoà Seruatore nato M. D. VIII. repertum hoc eius sepulcrum, testudine magnificum, cum istoc epitaphio non inuenusto.

FATVM. NECESSITATIS. LEX.

Hic situs est vates, quem diui Cæsaris ira
Augusti patria cedere iussit humò.
Sæpe miser voluit patriis aecumbere terris,
Sed frustra; hunc illi fata dedere locum.

Epitaphium hoc ab homine barbaro, & omnis elegantiæ latinæ imperito prodiisse autumauit Eusebianus Corrector: cuius effato quisque quantum volet astipuletur. Hæc more, & instituto poëtas explicantium de vita Nasonis breuiter præfanda statui, quæ pæne omnia versibus ex eodem productis confirmari possunt: quod ego, ne longior essem, aliquoties duntaxat faciendum duxi. Claudam caput, si prius Angeli Politiani de exilio, & morte Ouidij querimoniam haud inelegantem, tametsi longiusculam, & repertu facilem, atq; obuiam, ad cumulandam vatis nostri gloriam adiecero: qua illius manibus, omnium poëticæ studiosorum nomine quodammodo parentauit.

Et tacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem, teneros qui lusit amores,
Barbara quam gelidis alluit Ister aquis.
Nec te Roma pudet, quæ tanto immitis alumno
Pectora habes ipsis barbariora Getis?
Ecquis, iô Musa, Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeres, vllus erat?
Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,
Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret salientis tempora venæ,
Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos media iam morte natantes?
Aut legeret summam qui pius ore animam?
Nullus erat: nullus. veteres tu dura sodales
Heu procul à Ponto, Martia Roma tenes.
Nullus erat: procul ab coniux, paruiq; nepotes:
Nec fuerat profugum nata secuta patrem.
Scilicet immanes Bessi, flauiq; Coralli,
Aut vos pelliti saxea corda Getæ:
Scilicet horribili dederit solamina vultu
Sarmata ab epoto sæpe vehendus equo:
Sarmata, cui rigidam demissa in lumina frontem
Mota pruinosa tempora crine sonant.
Sed tamen & Bessi extinctum, & fleuêre Coralli,
Sarmataq; & durus contudit ora Getes,
Extinctum & montes flebant, & silua, feræq;
Et flesse in mediis dicitur Ister aquis.
Quin etiam pigro concretum frigore pontum
Nereidum lacrymis immaduisse ferunt.
Accurrere leues Paphia cum matre volucres:
Arsuraq; faces supposuere rogo.
Quem simul absumpsit rapida violentia flammæ,
Relliquias tecto composuere cado.

 Impasi-

Impositumque breui signarunt carmine saxum:
Qui iacet hic, seueri doctor amoris erat.
Ipsa locum latè sancto Cytherea liquore
Irrorat niuea terque quaterque manu.
Vos quoque Pierides vati libastis adempto
Carmina, sed nostro non referenda sono.

CAPVT SECVNDVM.

Libri germani, amißi, supposititij.

POETARVM nemo vel Græcorum, vel Latinorũ aut plura, aut æquè varia scripta reliquit. Eorum partim antè partim in ipso exilio nata sunt. Ante exilium XV. libri Metamorphoseωn, quos nondum ab se emendatos, relegandus concremauit. Veruntamen quia pluribus iam exẽplis amici eos descripserant, non potuerunt interire. Amatoria, id est, Epistolæ heroidũ. Amorum V. quos accuratius recognitos, postmodum ad tres redegit. De arte amandi III. quos nuper quidam eruditiores lepidè, & verè *ματαιοτεχνίαν*, & *κακοτεχνίαν* nuncupare instituerunt. Quanquã ipsemet prius de eadem ita scripsit 2. de Ponto eleg. 2 & alibi. *Neue roges quæ sit stultam quam scripsimus artem.* Quid enim artibus huiusmodi vanius, inanius, impurius, stultius, ineptius? De Remedio amoris II. Fastorum XII. Testis ipsemet, totidem à se compositos 2. Trist. in calce.

Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos,
Cumque suo finem mense volumen habet.

Eosdem tamen, perinde vt Transmutationum libros ab se sine lima relictos; ibidem mox testatur his versibus,

Idque tuo nuper scriptum sub nomine Cæsar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Phænomena Lactantius, & Priscianus citant. Scripsit etiam librum in malos poëtas vt quidem ex Fabio coniicimus, Vaticinia, Medeam Tragœdiam, quam commẽdant Cornelius Tacitus, & Quintilianus, qui hunc ex ea versiculum producit. *Seruare potui, perdere an possim rogas?* Medeam illum ex Virgilio expreßisse, & tanquam centonem inde consuisse, auctor est Tertullianus. Quæ num eadem fuerit, dubitamus. Adductum à me versum fortaßis ex illo Virgiliano in Ciri confecit. *Vt me si seruare potes, ne perdere malis.* Codices quidam Tertulliani pro Ouidio Osidium Getam legunt. Epigrammata præterea fecit. De Nuce, & Medicamine faciei puer scripsisse creditur. Ciofanus contra sentit, elegias illas ita factas, vt nõ nisi matura ferè ætate, & iudicio acri ab eo editæ fuisse videantur. In exilio composuit libros Tristium V. de Ponto IV. In Ibin, Consolationem ad Liuiam de morte Drusi (quem quidam falsò C. Pedoni Albinouano, Drusorum clienti adscripserunt.) Laudes Augusti Cæsaris. Halieuticôn, siue de piscibus volumen ibidem eum inchoasse, supremis suis temporibus, in quo mira de piscium ingeniis, & eorum nomina, quæ apud aliorum neminem reperiantur, prodiderit, testificatur Plinius lib. 32. cap. 2. & vlt. Extant fragmenta aliquot. Principium ex vetustißimo codice ab amico descriptum, sibique donatum, Commentar. in reliquias Phageticorum Ennij, studiosis antiquitatis exhibet genere, & eruditione clarißimus Hieronymus Columna. De bello Actiaco lib. II. exorsus est, quos Tiberio destinauerat. Libellum denique sermone Getico, & poëticis numeris. Plures elucubrasse, & quia non probaret, ignibus dedisse, narrat ipse Trist. 5. eleg. 13.

Scribimus, & scriptos absumimus igne libellos:
Exitus est studij parua fauilla mei.
Nec possum, & cupio non vllos ducere versus:
Ponitur idcirco noster in igne labor.
Nec nisi pars casu flammis erepta, dolóue
Ad vos ingenij peruenit vlla mei.

Dicendum est nunc, qui penitus perierint. Periere Fastorum VI. damnum irreparabile apud eos, qui ex prioribus VI. iudicium facere poßunt, Phænomena, Aratea nimirum

quæ post M. Tullium ipse, vt post ipsum Germanicus conuertit: sic enim putat Scaliger. In malos poëtas; cuius meminit Fabius lib. 6. & ex tetrasticho Macri compositum ait. Vaticinia, Medea, Epigrammata, Laudes Augusti, Bellum Actiacum, Gerici illius libelli iacturam nos, qui Geticè, Sarmaticeque loqui non didicimus, nihil est quod dolenter feramus: cæterorum si non ferimus, ipsi profectò ferendi non sumus.

Adulterina, minimeque γνήσια sunt. Ad Pisonem, cuius auctor Lucanus. Vide Animaduers. Iunij lib. 6. cap. 1. De vetula. De pulice, De somno, De cuculo, De aurora, De philomela, De limace, De quatuor humoribus, De ludo latrunculorum. Omnia nimirum nugatoria, & tam præstanti ingenio indigna. De medicamine faciei cum se scripsisse ipsemet in Arte affirmet, non desunt tamen, qui, quod de eo argumento poëmatium fertur, haud legitimum arbitrentur. Quod porrò Angelus Politianus Miscellan. cap. 69. nefaria illa, & βδελυρώτατα epigrammata, à Deo quodam hortensi indigitata, Ouidio adscribit, commotus versiculo inde apud Senecam in Suasoriis recitato, & Ouidio ibidem expressè attributo: & addit, stylum, germanamque illorum versuum lasciuiam id confirmare, melius eo iudicant, qui ex plurium, veterumq; poëtarum lusibus conflata sentiunt. In his, vt aliquid etiam Ouidij, sicut Catulli, sicut Tibulli, sicut Petronij, & aliorum legi concesserim, ita omnium parentem, & auctorem esse pernegatim. Bene igitur Politianus, quòd libellum spurcissimum à Virgilio (quem propter mores verecundos Parthenium cognominatum constat) remouendum putauit: non bene, quod leuicula impulsus ratione, Nasonianis monumentis eundem annumerauit. Quasi videlicet illo sæculo in summa vitæ, morumque corruptela præter illum nemo poëtarum petulans, & obscænus reperiri potuerit. Malo tamen asseuerare, quod verius opinor, non modò totum non esse Ouidij, verumetiam nihil in illis execrabilibus nugis extare Ouidij, quem à præpostera Venere abhorruisse plurimum, ex ipsiusmet verbis quodam loco certum est. Paucis abhinc annis Martialis exiit cum notis Iani Gruterij, vbi aliquot argumentis haud improbabilibus, quidquid illud est libelli, totum ad vnum, & vnicum Martialem auctorem refertur: in quibus vel præcipuum est, styli, & dictionis per omnia similitudo, vt à diuersis scribi non potuisse videatur, quorum in eo, in quo maximè debuit, nulla animaduertitur diuersitas. Nos huic iudicio, & sententiæ non valde repugnamus, scriptorique alioqui maiorem partem leuissimo, variisque libidinibus referto gloriam istam non inuidemus: & dummodo Nasonis non sit, cuiussuis potius esse, haberique patiemur.

CAPVT TERTIVM.

Vitium Nasoni obiectum.

QVINTILIANVS lib. 10. cap. 1. & in heroicis lasciuum, & in elegia vtroque, Tibullo inquam, & Propertio lasciuiorem asserit. Vbi tres elegiacos, quoad præstantiam inter se comparans, non ita sumit aptè verbum *lasciuior*, vt vulgus putat, pro impurior, libidinosior; non enim aptè subiiceret, sicut vtroque, C. Tibullo nempe, & Propertio, durior Gallus. Lasciuit igitur illis duobus magis Ouidius, id est, ingenio suo plus indulget: quam alij ex eruditis vel negligentiam, vel licentiam nominant. Hinc adeò sua limare, castigare, elaborare, polire, ac perpolire, & quasi in trutina appendere, laboris huius impatiens, ac fastidiosus noluit. Censuræ huic ita occurrit homo bene litteratus Ioannes Passeratius, præfat. in Iudicium armorum, quod legimus 13. Metamorph. Amat ingenium suum Ouidius: magnum crimen, & ad tribunal L. Cassij Quæsitoris deferendum. Mirum, ni oderit: more hominum facit, & præcipuè poëtarum, qui omnes Suffeni sunt, & Aquinij. Indulget Ouidius ingenio suo: aduectum est, credo, aliquid ex Africa noui. An si genio suo indulgeret, sapere multorum iudicio diceretur, Fabij sententia diceretur insanire, quod suo indulget ingenio? Bonis nostris benignius, & liberalius, citra reprehensionem nobis vti conceditur. Nostris ingeniis tanquam equis; quo libitum est cumque vehimur campumque, & planitiem nacti, non tam iis adducimus habenas, quàm laxamus, & immittimus. Lasciuit Ouidius, & luxuriat. hoc ego laudi duco, quod tu vitio vertis: quod tu obesse putas, id ego prodesse adolescentulorum studiis existimo. Et vero peruincam, eo si certemus iudice,

quem tu iniquum eiurare non audeas. Volo, inquit M. Tullius de Oratore, se efferat in adolescente fœcunditas. Nam facilius, sicut in vitibus reuocantur, quæ se nimium profuderunt, quàm si nihil valet materies, noua sarmenta cultura excitantur: ita volo esse in adolescente, vnde aliquid amputetur. Non enim potest in eo succus esse diutinus, quod nimis celeriter est maturitatem adeptum. Sed quid ego M. Tullium appello? te tibi iudicem fero, te tuis damnabo tabulis, qui longè plura in eam sententiam disputasti cap. 4. lib. 2. quæ breuitatis caussâ prætereo. Hactenus Passeratius. Ad Senecam veniendum est; illum dico Senecam Rhetorem, seu declamatorem, cuius sunt Controuersiæ, & Suasoriæ, Senecæ magni illius & Philosophi Stoici parentem, quod argumentis probant Lipsius Elect. 1. cap. 1. & Delrius noster in vita Senecæ Tragici, quem vtrumque eundem eum Philosopho contendit esse. Rhetoris igitur hæc sunt verba, Controuers. lib. 2. Controuersia 3. *Declamabat Naso controuersias, sed non nisi ethicas; libentius dicebat suasorias: molesta illi erat omnis argumentatio: verbis minimè licenter vsus, nisi in carminibus, in quibus non ignorauit vitia sua, sed amauit. Manifestum potest esse, quod rogatus aliquando ab amicis, vt tolleret tres versus, inuicem petiit, vt ipse tres exciperet, in quibus nihil illis liceret. De vtrisque codicillis iidem versus erant; in quibus primum fuisse narrabat Albinouanus Rhetor qui inter arbitros fuit; Semibouemque virum, semiuirumque bouem. Alterum, Egelidum Borean, egelidumque Notum.* De quo versiculo, vide si vacas, Achillem Statium in epigramma Catulli XLVIII. Iam ver egelidos refert tepores. Tertius autem versus ab amicis notatus intercidit. *Ex quo apparet, summi ingenij viro iudicium non defuisse ad compescendam carminum suorum licentiam, sed animum. Aiebat interim, decentiorem faciem esse in qua naeuus aliquis inesset.* Purgauimus ista, inquit Passeratius, ferè suprà in defensione lasciuiæ, & luxuriæ quæ obiicitur à Fabio. Quod autem ad næuum attinet, assentiretur Ouidio grauissimus auctor Alcæus, quem næuo in articulo pueri impensius delectatum esse accepimus. Hæc ille. Veruntamen, quoniam culpa negligentiæ, & licentiæ coneoditer à doctis ei obiectatur, & ipse eam lib. 1. De Ponto, eleg. 6. eandidè confitetur, nos de ea purganda non sumus solliciti. Ibidem caussam detrectatæ emendationis, tanquam onerosæ, in miserias exilij sui confert; quæ ipsi plus satis onerosæ sint. Amasse autem illum sua vitia falsum est, & ex pluribus eius locis confutari potest. Quis enim amat, de quo se toties excusat, quodque sublatum se velle, & cuius se pudere testatur? Cæterùm hoc qualecunque peccatum multis ornamentis compensatum, ac pœne obrutum, dicerumque nisi confiteamur, poëticæ vim, & naturam non satis intelligere, ipsumque Ouidium nunquam legisse videbimur.

CAPVT QVARTVM.

De elegiaca poësi, & tribus poëtis elegiacis.

HEXAMETRO versui, quem Cicero longiusculum, alij longum vocant, subiectus pentameter, elegiacum genus creat: quæ poësis, quondam tristibus, & lugubribus rebus peraccommoda, & idonea iudicabatur, factum est, vt principio non nisi mœstæ ei mandarentur. Idipsum ex eius appellatione cognoscitur. Elegia siquidem (vnde elegiaca poëmata) ἀπὸ τοῦ ἒ λέγειν, siue ab ἒ ἒ λέγειν quod idem est, ac αἲ αἲ λέγειν (& vtuntur ambabus hisce interiectionibus Tragici) nomen accepit. Non malè igitur Horatius miserabiles elegos nominauit, cum ad Tibullum elegiographum scriberet. Paulatim deinde quidquid liberet, elegiaco includi cœptum est. Horatius ad Pisones.

Versibus impariter iunctis querimonia primùm,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Ac satis vel vnus Ouidius docet, quam multiplex sit materia istius carminis, quo maior pars librorum illius constat. Tractat eo amores, funebria, tristia (& quidem totis libris 9. Nam qui sunt de Ponto, non argumento, sed titulo à libris Tristium differunt) maledicta, res Romanas. Omittam dicere, quemadmodum eodem genere Solon leges, Tyrtæus res bellicas, Theognis morum præcepta complexus sit. Ac licet ipsemet Ouidius sibi iure in hac poësi principatum deberi existimet, vt in heroica Maroni; tamen eruditi palmam pars ad Tibullum, pars maior ad Propertium deferendam potius censent. Cuius laudibus tot, & tam præclara iudicia, atque testimonia à doctissimis Ouidio nostro impertita opponimus,

quem à pluribus tum antiquis, tum recentibus solum, quam Catullum, Tibullum, Propertium simul mirificè laudatum inuenimus. Ex quibus, si amationes sustuleris, toti propemodum libri eis vacui relinquentur. Quod quidem de hisce nostris, atque etiam de Fastis, & de Metamorphosi neutiquam dici potest. Ingenium Elegiæ, cuius præcipua materia tenuis atque humilis & amatoria, dicendi genus summissum, genus carminis inæquale, describit bellissimè noster 3. Amor. eleg. 1. vbi eam cum Tragœdia sibi apparere ac de se, vt ei in scribendo pareat, contendere fingit.

Venit odoratos Elegeia nexa capillos:
Et puto pes illi longior alter erat.
Forma decens, vestis tenuissima, vultus amantis:
Inpedibus vitium caussa decoris erat.

CAPVT QVINTVM.

Testimonia, & elogia à doctis, & Principibus Ouidio tributa.

QVÆ in medium adducemus testimonia de Nasone, eorum quædam vniuersè ad laudem illius, & gloriam: quædam ad certas partes poëmatum eiusdem pertinent, quæ iis ipsis partibus præfigere distinctè poteramus, nisi consultius putassemus, quo insignior eius commendatio appareret, & omnes ad eum studiosè legendum magis incitarentur, omnia eodem loco simul poni. Post Maronem ex latinis vatibus profectò neminem tam variè, & copiosè laudatum vidisti; vt si de poëta absolutè quæramus, non de eo qui sæpe caput scabere solitus est, & demorsos sapit vngues, (quod ipsum quidem magnum, sed neque solum, neque summum est) secundas auferre videatur. Primum igitur, quid de eo solutæ orationis scriptores; deinde quid poëtæ senserint audiamus. Sed quasi quandam hypothesin, siue argumentum hisce testimoniis ipsius poëtæ de se verba, velut oraculum accipienda, & vaticinij loco habenda prætexamus. Ex 2. Tristium.

Sit quoque nostra domus vel censu parua, vel ortu:
Ingenio certè non latet illa meo.
Quo videar quamuis nimium iuueniliter vsus:
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbaq; doctorum Nasonem nouit; & audet
Non fastiditis annumerare viris.

Ex 4. Trist. eleg. 10.

Nam tulerint magnos cùm secula nostra poëtas,
Non fuit ingenio fama maligna meo.
Cumq; ego præponam multos mihi, non minor illis
Dicor: & in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præsagia veri,
Protinus vt moriar, non ero, terra, tuus.

SENECA *Philosophus in Quæst. natural. lib. lib. 3. cap. 27.* poëtarum ingeniosissimum *vocat. Maxima vtique & inuidenda laus, profecta ab homine acutissimo. Atque hinc tam diligens eius imitandi studium in tragœdiis, si earum ipse quoque auctor est, quod eruditissimis hominibus non temerè placuit.*

VELLEIVS PATERCVLVS lib. 2. Pœnè stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quæ maximè nostri æui eminent princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, & consecutus Sallustium Liuius, Tibullusque, & Naso, perfectissimi in forma operis sui.

LACTANTIVS *lib. 1. de falsa religione.* Ouidius quoque in principio præclari operis sui sine vlla nominis dissimulatione à Deo, quem fabricatorem mundi, quem rerum opificem vocat, mundum fatetur instructum. Et lib. 2. cap. 1. quod optimè ingeniosus poëta signauit. Et lib. de ira Dei, poëta non insuauis.

B. HIERONYMVS *in 11. caput Oseæ scribens,* insignem poëtam *nominat. Eodem epitheto illum D. Augustinus ornat.*

IOANNES BAPTISTA PIVS, *Annotat. priarib. cap. 12.* Ouidium, inquit, poëtam ingeniosum vocant eruditi. At ego artificis industriæ vatem eruditissimum, refertumque multiplicis doctrinæ, & reconditæ quoque.

IVLIVS SCALIGER *Poët. lib. 6. de Ouidio iudicium suum expositurus, ad eum locum se peruenisse dicit*, vbi & ingenij magnitudo, & acumen iudicij exercenda sint. Quis enim, inquit, de Ouidio satis dignè dicere possit, nedum vt eum audeat reprehendere? Dicendum tamen, non obtrectationis caussa: sed vt illius magnitudine, nos quoq; crescere valeamus. *Non potuit melius laudare Scaliger, quam confitendo, se ex ipsius castigatione gloriam sperare. Cum illustribus enim, non cum obscuris, & infimis certare, easq; corrigere gloriosum est. Verùm quæ is in reprehensionem adducit, ea nimis multa sunt, quædam etiam leuia planè, quorum in magnis poëtis similia: quædam ad poëticam nihil attinentia: cuius generis peccata in aliis item poëtis curiosius indagat, & sanè* ὑπερκριτικῶς, *vt ipse librum suum appellauit. Hoc verò est in alieno choro pedem ponere. Nunc quas ille præterea in eodem libro huic poëtæ laudes impertiat, accipe.*

Fastorum stylus facilis, candidus, eruditio prisca, & multa. Ac tametsi materia non semper admittat cultum, ingenium autem viri non sæpe, multis tamen in locis seipso limatior, ac tersior est. Quæ verò aut in hisce, aut alibi acutè dixerit, pœnè sunt infinita. Versus multi diuinæ rotunditatis. Epistolæ omnium illius librorum politissimæ. Nam sententiæ sunt illustres, & facilitas composita, & numeri poëtici. Quæsitus quoque splendor ex imitatione simulatæ veteris simplicitatis. Multùm tamē sibi pepercit, cum interdum multo meliora posset. Inter heroidas Dido artificiosissimè, scitissimè, elegantissimè, compositissimè loquitur.

Metamorphoseωn libri sanè digni, quos felicior fortuna secuta esset, vt essent emendatiores, id quod & ipse conqueritur versibus luculentis, inter quos ille diuinus, *Sed quasi de domini funere rapta sui.* Sunt tamen in ipsis prope infinita, quę alius viri ingenio nunquam meliora effici posse putem.

M. ANTONIVS MVRETVS *orat. 3. vol. 2.* Ouidium etiam, CVI PRÆTER VNVM VIRGIL. LATINORVM NEMO PAR. contemnere audent, seq; ei anteponere non verentur. Vnus etiam, ceteroqui homo eruditissimus, sed illo errore imbutus, *Ouidij Metamorphosin*, DIVINVM POEMA, ET OMNIBVS INGENII, OMNIBVS ELOQVENTIAE LVMINIBVS OMNI EX PARTE COLLVCENS, cum in sermonem quo vulgo vtimur, sibi conuertendam curauit: ne si eam latinè scriptam attingeret, sinceritatem latini sermonis, quam ex aliis poëtis hauserat, contaminaret, &c. Idem Variar. lib. 10. cap. 4. Eodem modo locutus est OPTIMVS ET IPSE LATINITATIS AVCTOR OVIDIVS. *Et lib. 17. cap. 11. doctè, & prudenter pro veteribus, & inprimis pro Ouidio aduersus scialos.* Et tamen quod mihi interdum risum, interdum stomachum mouet, obscuri homunciones reperiuntur, qui nobilissimos quosque scriptores, quosque tanquam in cælo, vt ita dicam, merita collocarunt, in ordinem cogere, & de eis aduersus tot sæculorum sententiam iudicare audeant. Alius Homerum damnat, alius in Virgilio multa reprehendit, alius præcepta Horatij de arte poëtica irridet, alius OVIDIVM ait NESCISSE LATINE LOQVI: quasi nos hodie quid sit latinè loqui sciamus: alius alia, quorum me pudet, pigetque. Miseri, quanto melius facerent, si ad res intelligendas, & ad virtutes eorum penitus cognoscendas, & quantum cuiusque vires ferunt imitandos studium conferrent, quam nunc, cum canum lunam allatrantium more, ad quos aspicere non possunt, eorum famam lacerare contendunt. Neque negauerim, esse & in veteribus quæ culpari possint: homines enim fuerunt: sed vt in formosis corporibus næuos notamus, non propterea totam formam despicimus: sic & in illis, si qua nō placent, modestè notanda, non ipsos tribu monendos censeo. Modesta iudicia fero: impudentiam, & arrogantiam non fero. *Hoc iudicium à sinistris iudicibus legi, ac perpendi nimium quantum desidero. Est enim eiusmodi, opinor, vt à nemine, quantuscunque is in litteris nostris fuerit, contemni possit. Fremant omnes licet, dicam iterum, M. Antonij Mureti summi viri, & studiorum nostrorum Antistitis iudicium de Nasone contemni profectò neutiquam potest. Adde pro auctario Notam eiusdem ad cap. 26. lib. 3. Q. Natural. Senecæ, vbi poëtarum ingeniosissimus dicitur.* Notanda, inquit, eximia, eademque verissima laus Ouidij, quem hodie nonnulli INEPTE FASTIDIOSI contemnere audent.

IOACHIMVS CAMERARIVS *in Elementis Rhetoricæ.* Quid autem in Ouidio quæ-ue laus eminet? Primùm ingenij tanta vis, ac tam agiles, tamque celeres motus, tam prom pta facultas, tanta bonitas in hac parte naturæ, vt in facili, & extemporali genere quodam nihil reperias, non solum quod scriptis illius anteferre, sed ne conferre quidem possis. Nihil in illis sollicitum, nihil quæsitum, nihil anxium. Sententiis verba vrgentur, verba sen tentias incitant. Nulla copia, nullum ornamentum, nulla insignia sunt orationis, quæ, non inuestigata quidem, aut conquisita fuerint ab hoc poëta; sed quæ non illi vitro occurre rint, & suppetierint: vt iam aliquibus, fastidiosis scilicet, offensioni magis, quam delecta tioni hæc esse soleant, & dolori inuidis; ex quo obtrectatio alienas quasi diuitias infectans nascitur.

GEORGIVS FABRICIVS. In Pub. Ouidio præter mirificam naturæ vim, & ingenij facilitatem, inest verborum, sententiarum, tractationis maxima copia, & felicissima varietas. Ideoque hi libri (de Ponto) in adolescentum manibus vtiliter versantur.

HENRICVS STEPHANVS *Schediasf. lib. 3. cap. 10.* Nasonis ingenium magis, quam cuiusquam eorum, qui ad nostram ætatem peruenerunt, poëtarum, fuisse fæcundum puto. Itaque non mirum, si quædam ab eo excellenter dicta, natina tamen, & *εὐφυῆ* esse existimantur. *Idem lib. 3. cap. 14.* Ouidius omnium poëtarum ingeniosissimus. *Lege etiam quæ ab eodem aduersus Iulium Scaligerum, versum è principio artis, & initium Metamorphoseωn carpentem, in præfatione super Quæsitis epistolicis Iani Parrhasij disseruntur, & à nobis suo loco ac tempore, si Deo placitum fuerit, in medium proferentur. Idem in dissertatione de Criticis.* Multò plus valuit iudicio, quàm vulgus credit. Et quidem adeo valuit, vt tutum se fortasse à Criticorum reprehensionibus præstare potuerit, si ingenio temperare, quàm indulgere maluisset, vt Fabius scribit. *Collationes insuper tot locorum ex epistolis Tullianis, cum locis penè trecentis elegiarum, seu epistolarum Ouidianarum, in Commentariolo, quem de generibus epistolarum Cicero, & varia earum scriptione reliquit, quid nisi commendationes poëta sunt, qui tam principe oratorum toties tam pulchrè conspirat?*

HERCVLES CIOFANVS *Præfat. Obseruationum suarum in Fastos.* Ex omnibus veterum poëtarum monumentis nullum hodierno die extat opus, quod aut eruditione, aut rebus, quæ ad Romanam antiquitatem cognoscendam pertineant, hos Ouidij Fastorum libros antecellat. De Ouidio autem ipso, qui à sapientissimo Philosopho Seneca Poëtarum ingeniosissimus non immeritò indicatur, quid hîc dicam? quid de eius in quacunque disciplina, quæ eius ipsius ætatis hominibus nota erat, præstantia? Nonne his, carminibus, quibus persecutus est, quæ ad veteres Romanorum ritus pertinent, quæque (hac quidem in re) exilia, nuda, ieiunaque erant (sic enim iis, qui materia proposita aliquid scribendum susceperint, in quo, veluti spatioso campo vagari nequeant, accidere solet) grauiter, ornatè, copioseque tractauit? Quid de eloquentia, qua alios latinos poëtas, vt Galielmus Sirletus Cardinalis amplissimus, Hippolytus Capilupus Episcopus, M. Antonius Muretus, Petrus Ciacconus, aliique viri doctissimi sentiunt, longè lateque superauit? In qua eum, vt de altera loquar facultate, Cicerone, & Liuio, quibus apud Latinos copiosius nemo scripsit, inferiorem, si quis verè, atque incorruptè iudicabit, minimè reperiet, sed eis meritò comparari posse, ac debere constituet.

Idem præfat. Obseruationum in libros de Ponto. De Ouidio autem ipso, deque eius in pangendis carminibus fœlicitate, quæ in eo Natura rerum omnium magistra adiutrice mirificè eluxit, quid hic commemorem? quid de facilitate, qua quidquid dicere tentauit, dilucidè, purè, ornatè, copioseque expressit, enunciauit, & quò voluit, inflexit? quid de pathetico genere, in quo omnium maximè excelluit? quid de crebris, quibus vsus est, sententiis, quas summa cum dexteritate, & elegantia explicauit? Hos verò libros, in quibus nihil turpe, nihil obscœnum deprehendes (qua vtinam labe aliorum auctorum opera carerent) studiosè si leges, confide fore, vt breui non paruos in poëtica facultate processus sis facturus.

Idem præfat. Obseruationum in Epistolas heroidum. Quantum doctrinæ, & elegantiæ in his epistolis adhibuerit Ouidius, non inuitus, si mihi per occupationes liceret, ostenderem, & nî doctissimis quibusque perspectum, atque exploratum esset. Quid de artis poëticæ præ-

ceptis dicam, quæ in his inſunt, vnà cum variis affectibus, quibus, qui amant, excruciantur, optimè & prudentiſſimè expreſſis? In quibus hæc omnia ita efficta, & expreſſa leguntur, vix vt apud nos liber ſit, qui cum his meritò conferatur. *Paulò infrà:* His epiſtolis ab hoc noſtro cive, nullum elaboratius, & limatius fortaſſe opus editum fuiſſe iudico.

Idem præfat. Obſeruat. in Metamorph. Metamorphoſis opus tum ingenioſum, tum ſolidæ, multiplicisque eruditionis plenum. *Idem aduerſus quoſdam arrogantes Ouidianæ latinitatis contemptores ita diſſerit.* Quidam, cum ſciret poëtam hunc noſtrum eſſe fabularum ſcriptorem facundiſſimum, ac facile principem, eius carmina in Italicum ſermonem ſibi conuerti iuſſit, arbitratus eum latinè non locutum eſſe: ac quoties de eo ſermo inciderat, ita de eo, vt barbaro aliquo, & latinæ linguæ imperito loquebatur. Quem alij quidam ſecuti, in grauiſſimorum, doctiſſimorumque hominum aculeos meritò inciderunt. Qui enim, quæſo, ſumus nos, vt cum de latini ſermonis integritate, & elegantia agitur, tam ſuperbè iudicium de antiquis ſcriptoribus facere audeamus? Multa, inquiunt, innouauit Ouidius, multas voces confinxit, quibus ſuperiores vſi non erant. Vnde ſcis, quiſquis es, innouarit ea, an è vetuſtiſſimis, quos nunc non habemus, ipſe habebat, acceperit? Quiſquámne veterum Criticorum Ouidium vnquam tanquam parum latinè locutum notauit? At iſti delicias faciunt, & vocem vllam negant ſe ferre poſſe, quæ non in Catulli, Lucretij, Virgilij, Tibulli, & paucorum prætcrea verſibus reperiatur. Quanto ſatius eſſet μὴ μάχεσθαι, vt ait Thucydides, τῷ πολλῷ χείρω, & eorum auctoritati acquieſcere, quorum muliones meliùs, ac certiùs, quàm nos, de latino ſermone iudicare poterant? Sane vel vno Paterculi teſtimonio *(quod ſuprà recitauimus)* eos, qui ita acerbè, ac petulanter in ipſum inuecti ſunt, neque verè, neque ſincerè, ſed ex affectu, & libidine locutos eſſe, ſimulque inſcitiam pateſeciſſe ſuam, facile intelligere eſt. Si quis verò opus hoc diligenter inſpiciat, reperiet profectò tantam, tamque admirabilem dicendi copiam atque vbertatem, ſimulque ſententiarum, verborumq; grauitatem, vix vt alius ſit apud latinos poëta, qui in hac re ipſi præferri iure poſſit. Quid dicam de modo illo ſingulari, ac propè diuino connectendi fabulam cum fabula? in quo ita excelluit, vt nihil artificioſius, nihil præſtantius, nihil denique ornatius aut dici, aut fieri poſſit: quo res diuerſiſſimas tractans, adeo ingenioſè eas connexuit, vt vna materia plane videatur. Maximus Planudes, cum nôſſet græcam linguam poëma non habere, quod tanta gratia, ac venuſtate, quanta hoc, flueret, è latino in græcum id tranſtulit. Quid multa? artes omnes, quæ antiquitus notæ erant, cum in aliis, quæ conſcripſit operibus, tum maximè in hoc ita declarauit, vt id quam plurimi viri vtriuſque linguæ, quæ in pretio ſunt, intelligentia, atque acerrimo iudicio præſtantes, ſupra quam dici poteſt admirentur.

Idem elegias de medicamine faciei, & de nuce venuſtiſſimas cenſet, & in eis plurima, quæ ad ornanda poëmata inprimis neceſſaria iudicantur, lumina reperiri, itaque facta, vt non niſi matura fere ætate, & iudicio acri ab eo edita fuiſſe videantur.

Idem Præfat. Obſeruat. in Halieuticon, Opus cum ad latinum ſermonem, tum ad piſcium naturas, atque ingenia cognoſcenda valdè vtile.

Iacobvs Micyllvs. Deſcribit his libris Ouidius pleraſque tranſformationes cùm rerum, tum perſonarum, quæ iam inde ab initio mundi vſque ad tempora ipſius accidiſſe fabulis traduntur. Tanta autem huius operis gratia etiam apud Græcos fuit, vt idem ex latino ſermone in ſuum verſibus tranſtulerint. Neque vllum ferme poëma inuenias, quod tanta facilitate fluat. Nam de eruditione quid attinet dicere? quæ tanta, tamque varia, & abſtruſa in his libris eſt, vt multa in iiſdē loca ne à doctiſſimis quidem explicata, aut etiam intellecta ſatis fuerint, omninoque Delio quodam, vt prouerbio dicitur, natatore indigeant.

Bernardvs Martini *variarum lect. lib. 2. cap. 18.* Zeuxis induſtriam, & conſilium ſecutum opinor poëtam Sulmonenſem in præclaro opere conficiendo, quod μεταμόρφωσιν appellauit: vt quemadmodum inſignis artifex, in effingenda Helenæ pictura, virginibus, quarum ſingularis eſſet, & non quotidiana formæ pulchritudo, vndecunque ex tota Græcia conuocatis, ex vniuſcuiuſque aſpectu, quod in ſingulis præſtantius, ac eximius attentè delibaret, penicilloq; exprimeret: ſic ille ex innumeris Græcorum poëtarum libris primo quidem ingētem fabularum vim, & copiam erueret, ac variis locis diffuſam, diſper-

ſamque

ſamque in vnum corpus cogeret: tum verò ex vno quoque auctore, vti quidque pulchrum, & elegans eſſet, diligenter annotaret, atque in vſum ſuum transferret, quo nihil ad ornatum, & venuſtatem diuini operis poſſet requiri.

Idem lib.4.cap.15. Monuimus, Naſonem in conſcribenda Metamorphoſi Græcorum poëtarum ope, & auxilio frequenter, fæliciterq; vſum fuiſſe. Ne verò quis arbitretur, illum ſuos homines planè neglexiſſe, & eorum libros indignos exiſtimaſſe, quibus euoluendis, ac imitandis aliquid operę, & laboris impenderetur, reſtat, vt ne quidem veterum illorum, qui lutulenti, ac turbidi fluebant, vt loquitur Horatius; monimenta, licet aranearum plena, & tetricæ dictionis ſqualore obſoleta, dedignatum fuiſſe oſtendamus: ſed potius ex iis multa decerpſiſſe, quæ tam aptè, tamque accommodatè in ſuos vſus vertit, vt ſua tantum afferre, non aliena vſurpare meritò videatur. Ac ne huc illuc vagemur incerti, vnicam tantum teſſelati illius operis particulam ſumemus in manus, qua & nobis fidem faciamus, & ingenioſiſſimi poëtæ induſtriam admiratione non minus, quam imitatione digniſſimam ſpectandam omnibus præbeamus, &c.

RAPHAEL REGIVS, *huius operis interpres, in Præfat.* Nihil eſt enim, quod ad rei militaris peritiam, gloriamq; pertineat, cuius illuſtria exempla in Ouidij Metamorphoſi non habeantur. Nam clariſſima quæque non bella modò, verùm etiam prælia (vt ſtrategemata, vt ducum colloquia prætermittam) illo verborum lepore, illa elegantia deſcribuntur, vt plerisque tibi inter legendum intereſſe videaris. Iam ciuiliter viuendi rationes, vnde facilius ſumamus, auctorem inuenies neminem, &c. *Quia longior eſt iſta apud Raphaëlem laudatio huius operis, nolo totam adſcribere: legat ſi quis voluerit: lectu enim digniſſimam cenſeo. Ex eodem, Præfat. in 11. edit. Commentariorum ſuorum, quanti fieret ab eruditis hoc opus, cognoſcas. Ait enim,* poſtquam enarrationibus noſtris fuit illuſtrata Metamorphoſis, ſic, vbicunque eſt in vſu Romana lingua, lectitatur, vt in L. millia exemplarium, & ampliùs, iam dicatur fuiſſe deſcripta.

IOANNES PASSERATIVS *Præfat. in Armorum iudicium,* Ouidium ſæpe exiſtimaui perbonum, & perutilem ſtylo inuenturis. *Et Præfat. in Conſolat. ad Liuiam.* Inueterauit opinio, vulgique fama percrebuit, Ouidium poëtam eſſe non multæ doctrinæ, humilisque, & nimium luxuriantis ſtyli, atque etiam, ſi diis placet, latinæ linguæ elegantiam, nitoremq; in eo nullum: adeo vt Italus quidam, vel hac re inprimis nobilis, eum humanioribus litteris voleum gnatum imbueret, illa miro artificio contexta mutatæ ter quinque volumina formæ in patrium ſermonem conuerterit, ne ſi latinè legeret, ex Ouidii ſcriptis ſordes, & barbariem colligeret beata pueri vena, quæ iam tum ad exemplum Maronis properabat, vt pleriq; Italorum propè ab incunabulis meri exiſtunt in dielo ſuo Marones. Delicias hominis: quas an gens ſua riſerit, neſcio: Muſas profectò ipſas, quamlibet nunc triſtes, arbitror riſum non tenuiſſe in tam delicato, & Sybaritico faſtidio.

Quid igitur aduerſus nauſeabundum hunc, atque adeo febricitantem Criticum dici poſſit, cum ex hoc, tum ſupra ex Mureto, & Ciofano videre potes. Cuius nomen quia ſupprimunt, nec ego edam; etſi quis Italus ille fuerit, me coniectura certa aſſecutum putem, Ex verbis tamen Mureti Gallum, non Italum fuiſſe iudico. Et ſanè quoties latinitatis auctores nominat Gallus ille, eorum ordine, ac numero Ouidium noſtrum haud dignatur. Tantum eſt hominis, tamq; inſolens faſtidium: Et obſerua, Muretum ſcribere, non filio puero, ſed ſibi in patrium ſermonem conuertendam Metamorphoſin curauiſſe: quia ſcilicet cum poëtas explicaret, carere huius monumenti lectione penitus non poterat. Habes ergo à tribus eruditiſſimis viris poſteritati proditam, & iuſta cenſura caſtigatam huius Palamonis confidentiam, faſtumq; non ferendum.

IOSEPHVS CASTALIO *Obſeruat. Decad. 1. cap. 5.* Quos libros de ſuo exilio ſumma triſtitia affectus Ouidius ſcripſit, eos propter ſententiarum, verborumque illuſtrium incredibilem copiam, & miram varietatem dignos eſſe, qui ab adoleſcentibus ſine vllo morum detrimento legātur, nemo ex eruditioribus non cenſuit. Vtinam Ouidius fortitus eſſet interpretes, qui aut inepta non attuliſſent; aut certè libros manuſcriptos diligenter adiiſſent, atq; ex eorum fide vel impreſſos caſtigaſſent; vel variantes lectiones adnotaſſent, quod aliquando vt contingat, non deſpero. *Tamen hoc in editione Lipſienſi, anni M.D.LXXXII. quam in Caſtalionis manus incidiſſe non puto, ſatis id accuratè præſtitum apparet.*

POETARVM TESTIMONIA.

STATIVS lib.1.Syluar. Inter optimos poëtas recenset Ouidium.

——hunc ipse choro plaudente Philetas,
Callimachusque senex, vmbroque Propertius antro
Ambissent celebrare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis, diuesque foco lucente Tibullus.

Et lib.2.

Cedat Musa rudis ferocis Enni
Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui freta per duxit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.

MARTIALIS libro primo.

Verona docti syllabas amat vatis,
Marone felix Mantua est.
Censetur Apona Liuio suo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
Nasone Peligni sonant.

Et lib.6. ad Sextum.

Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis,
Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis, omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt tibi, Nasones, Virgiliosque, vides.

Et hisce versibus Martialis perspicuè constat, Ouidium inter poëtas secundum tenere locum. quandoquidem ipsum eum Virgilio, tanquam ab eo secundum collocat. In quo eius de se semet sententiam secutus videtur.

Tantum se nobis elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

Sed vt vt sit. de ista re supra à nobis breuiter dictum est.

IVLIVS SCALIGER in persona Ouidij ad Augustum.

A me vtinam inexperes ferus esse, cruente, nec atras
Per eades faceres ad mea fata gradum.
Si meq te monit tetricum lasciua iuuentus;
Te iuuenem damnas perditus; exul abi.
Impia flagitiis squalent penetralia diris:
Damnati superant nomina fœda rei.
Non te diuinum ingenium, non candida cogunt
Pectora, non Clario lingua fecunda Deo.
Lactea molliuit veteres mea vena poëtas,
Et rerum docuit pondera certa nouos.
Cum te laudarem, tunc sum mentitus, ob vnum hoc
Exilij fuerat debita pœna mihi.

HENRICVS STEPHANVS Dissertatione de Criticis.

Naso, præsertim si eum Marone conferatur, habet nonnulla, quæ detrahi posse videantur: sicut aliqua sunt, quæ huic non immeritò forsitan adiici posse quispiam dixerit. Qua de re habes epigrammata posteriori meæ editioni Virgilianæ præfixa: quorum primum est illud.

Grandiloquum vt nulla ars potis est minuisse Maronem,
Auctior vt tu sis, ars dare, Naso, nequit.

Vltimum est hoc.

Amni vt pulchrifluo Nasonis comparo Musam;
Sic etiam Musam comparo Virgilij.

Sed supra ripas sæpe ille extenditur amnis,
Sese intra ripas continet iste suas.

GEORGIVS FABRICIVS de tribus poëtis elegiacis.

Et grauis, & cultus, puroq; simillimus amni,
Dulciaq; eloquio verba Tibullus habet.
Mollis, & abstrusus, teneriq; Propertius oris,
Interdum Baccho sed trahit ille pedem.
At facilis Naso, sulcans pleno æquora velo,
Pectore Castalias diuite fundit opes.
Hos celebrat blandos elegeia docta poëtas:
Diuersi quamuis, laus sua quemq; manet.

PRINCIPVM TESTIMONIA.

ALPHONSVS SENIOR, Rex Neapolitanus, & Calabriæ Dux, cum exercitu in Pelignos profectus, vbi peruenit in locum, vnde Sulmo poterat despici, percunctatus, an ea, vt ferretur, Ouidij esset patria, & qui aderant, affirmassent, vrbem salutauit, gratiasque genio loci egit, in quo tantus olim poëta genitus esset. De cuius laudibus cum non pauca disseruisset, tandem famæ eius magnitudine commotus, ego, inquit, hac regione, quæ non parua regni Neapolitani, nec contemnenda pars est, libenter caruerim, si temporibus meis datum esset, hunc poëtam vt haberent, quem mortuum pluris ipse facio, quam omnis Aprutij dominatum. *Iouin. Pont. lib. de Principe.*

ISABELLA PANNONIÆ REGINA circiter annum M. D. XL. Ouidij calamum ex argento Taurini, quæ est vrbs inferioris Pannoniæ, ostendit Petro Angelio Bargeo, qui hoc ipsum mihi narrauit, cum hac inscriptione, OVIDII NASONIS CALAMVS, qui non multo ante id tempus sub quibusdam antiquis ruinis fuerat repertus. Eum regina ipsa plurimi faciebat, & veluti rem sacram eharum habebat: Ciofanus.

CAPVT SEXTVM.

Apologia cum epilogo.

RELIQVVM est, nos insuper pro tenuitate vsus, atque iudicij nostri ad commendandum, tuendumque poëtam præclarissimum aliquid disserere, quò eius exponendi, ornandi, & illustrandi conatum, ac laborem tanto consideratius, & ad discendi cupidorum fructum vtilius suscepisse videamur. Propertio vndequaque illum non præferemus: haud enim ita desipimus: docere autem enitemur: neque nostrum tam abiiciendum; neq; illum adeo super sidera ipsa euehendum: sed suam vtrique præstantiam candidè tribuendam. Vterque sanè sibi adscribit elegiæ principatum, Ille,

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Noster.

Tantum se nobis elegi debere fatentur,
Virgilio quantum nobile debet opus.

Videndum itaq; quid ad componendam litem de vtroque dici possit. Ouidiana poësis rerum grauium, & honestarum (ἐρωτικὰ illius missa facimus) refertissima est. Loci in ea communes non communiter tractati quamplurimi, seu innumerabiles potius; quod idem de prouerbiis, & quæ speciem prouerbiorum habent, dictum volo. Descriptiones, fictiones, prosopopœiæ, verborum, sententiarumque figuræ, amplificationes, vtriusque generis affectus, antiquitates eiusque modi, historiæ, (quid enim dicam fabulæ?) doctrinæ ingens copia, omnia lumina, & ornamenta poëtica. Orationis vbertas longè maxima: cui non deesse munditiem, ac nitorem suum, imperitioribus satis ostendere potest, quod optimi quique latinitatis auctores vel iisdem omnino, vel similibus, & simillimis modis locuti reperiuntur, Quos quidem nos, quantum memoria suggessit, crebettimè tanquam ad testimonium dicendum aduocauimus. Eadem oratio in eodem argumento mire varia, argumen-

ictionibus, exemplis, maiorum, minorum, contrariorum
tosa, plena enrhyme
comparationibus: ple a grauibus, & ad vitam conformandam vtilissimis sententiis. Ea-
dem fabulæ, & historiæ, κ ἔννοιαι in aliis atque aliis libris tractatæ aliter atque aliter. Ob hæc
omnia, & quæ suprà in te :imoniorum, & elogiorum aceruo ab eruditissimis viris comme-
morata sunt, multo sæpius scriptoribus priscis, & recentioribus in ore est, quam alij duo e-
legiographi: quod obtrectatores non animaduertere permirum est. Quod iidem dictitant,
In Vmbro longe maiorem, & reconditiorem doctrinam inueniri, si eum cum Tibullo con-
feras, concedam. Cum enim Propertiana poësis pœne tota sit amatoria, & nugatoria, cui
rei pro teste est etiam Martialis, cui dicitur lasciuus, & Ouid. 2. Remed.

Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia sola fuit?

quis inde, quæso, tam magnam, & reconditam eruditionem exspectet? Fabulas quidem in-
culcat quantum potest. Sed vt largiamur quod dicitur, ea eruditio Nasoni ne in iuuenili-
bus quidem deest, vt norunt qui legerunt. Libro quarto ad bonam mentem redit quidem
Vmber ille, & gurgite libidinis emersus, res grauiores persequitur. Rursum tamen lasciuit
toties, canis ad vomitum, vt aiunt. In exprimendis vero animantium, & animorum pertur-
bationibus, voluptate, mœrore, cupiditate, metu, discordia, gratia, blanditiis, querimoniis
(in metamorphosi potissimùm, & epistolis heroidum) qui Nasonis non peruidet ingeni-
um, vereor ne illi desit ingenium, certè iudicium. Tantùm esset impiger quispiam, qui la-
borem locorum colligendorum subiret, & sub vnum aspectum eos subiiceret. Nam quod
Propertianus encomiastes, vir vtique doctus liberaliter, & idem nihilominus Ouidij admi-
rator, ac defensor summus, & in eo ad sua explicanda, & illustranda citando longe frequen
tissimus, nullam affirmat ex illius epistolis extare, quæ vel longo interuallo proxima sit illi
Arethusæ ad maritum Lycotam, huic Iulium Scaligerum ceu Dareti Entellum contra sta-
tuo. Fuit quippe in huiusmodi rebus, quod fateri necesse est, oculatissimus: etsi more hu-
mano hallucinatur aliquando. Eo igitur arbitro, Didonis ad Æneam artificiosissimè, ele-
gantissimè, compositissimè loquitur. Quid ad laudem amplius requirimus? Idem produ-
cens locum longiusculum ex illa Hypsipyles ad Iasonem; quæ neque tumida, inquit, neque
vulgaria, ac tam rotunda sunt. vt tam breui gyro tam composita apud multos excellentes
etiam possimus desiderare. Hoc ipsum nos de locis pluribus per eas epistolas autumare
non veremur. Recordetur præterea qui hæc legit, quod idem Scalig. supra de eodem libel-
lo epistolarum iudicium fecerit. Expresserit Propertius affectus amorum suorum eximiè:
sed eximiè seruiliter, & abiecte nimis. Toties furores, insaniam, seruitium vocat. Ait se om-
nes sensus deperdidisse, præ æstus illius immensitate; caput sibi à Cupidine pedibus con-
culcatum. At noster, vt vir nobilis, & mente generosior suos amantes tam hominem exu-
entes, & brutos haud facit. In damnatis illis, qui ei exilium pepererunt, aliquoties Proper-
tium sibi præeuntem secutum, non infielor. Sanguinem tamen plorantem, quod de alte-
ro, gloriosè scilicet, dictum legi, non inueni. Sunt in Propertio egregiæ translationes, sy-
necdochæ, antonomasiæ, μειώσεις, emphases, pleonasmi, periphrases, anadiploses, similiter
cadentia, epanaphoræ, eclipses, enallagæ, apostrophæ ad muta, ἀκύρως, hyperbolæ, allegoriæ,
prosopopœiæ prouerbia. Ain' tu? Quasi verò hæc eadem Ouidio non affatim suppeditent,
& sponte occurrant, nascanturque merces istæ vltro domi, cum ab aliis anxiè conquirantur
foris. In re tenui multa exempla artificij, & laboris proferre licet ex Propertio. Licet, mi ho-
mo, etiam ex Ouidio, ex Metamorphosibus inprimis, quod voiumen docti certatim suspi-
ciunt, cui par facere, credo, non potuisset cum omni ingenio suo Propertius. Quanquam,
quod illi, Ouidio inquam, præ aliis proprium contigit, sæpe sine artificio artificiosus, & sine
labore laboriosus est: ad cuius iudicium ipsum quoque Propertium multa correxisse haud
dubitandum: neque enim sine caussa versus suos ille lectitabat. Ac mihi non semel visum
est, nisi poëta noster per se, tam nihil cogitans mali, & tam sincerè peccata sua aperuisset,
suisque carminibus deesse limam confessus esset, & à lectore veniam petiisset, plerosque
qui nunc eo vilipendendo, &, si Musis placet, etiam irridendo, & acrius censendo nasum
rhinocerotis habent, ea minus animaduersuros fuisse. Nunc obsignatis tabulis cum eo a-
gunt audacter, & in choro poëtarum consistere vix patiuntur. Atqui tempus quando, &

locum in quo scribebat, & solitudinem à libris, atque ab amicorum iudiciis, quibus Romæ scripta recitabantur, perpendere oportebat, quæ & ipse sui excusandi in medium adducit. Quarum omnium rerum opportunitates illi ocello, & Smaragdo poëtarum (vt eum cuidam nominare complacitum est) nòn defuerunt. Quo, si studio imitationis, venustate, & cultu, accuratione, & delectu verborum, & scribendi genere presso, atque à consuetudine, sensuque populari remoto noster est inferior, multis tamen alius socius ac par, ingenio autem, (nisi fallitur perspicacissimus Seneca, & cum eo complures; maiorum gentium philologi) & doctrinæ varietate, & fictionum dexteritate, in quo vno regnant poëtæ, & amœnitate, quamuis in rebus mœstis, & argumentis, & differendi facultate, ac facilitate superior est. Quasi duæ puellæ sunt ambòrum poëses. Propertiana formosior, comptior, delicatior: Nasoniana nobilior, ditior, habitior est. Illa se prostituit: hæc (in his quidem libris, quas in manibus habemus) incorrupta virgo est. Non emendauit Æneidem suam Virgilius, & poëta est. Quid? poëta poëtarum latinorum est. Ennius dicitur arte rudis. Et hic à Cicerone epicus poëta summus, à M. Varrone Musarum discipulus habetur, *& primus amœno Detulit ex Helicone perenni fronde coronam*, vt de eo cecinit Lucretius. In Homero quæ se prodit recognitio, quæ emendatio? & tamen poëtarum omnium dux, & parens, frustra quibusdam oblatrantibus, iure nominatur. Ne igitur, quæso, Nasoni ad claritatem tantopere obesse velimus eius vel fastidium, vel negligentiam, vel indulgentiam, quando alia quædam, & potiora sunt, vnde poëtis nomen venit: nostrumque & veteres, & recentiores, quod ante dicebam, non rarò proferunt: alterum illum è veteribus, præter Quintilianum & Plinium iuniorē vix quisquam. In caussa fuit eius Cynthia, vt de ingenio, & bonitate scripturæ ipsius non multum laboraretur. Non hortatur ille ad amores, & libidinem, dum suas in his miserias enarrat, ac deplorat. Ita est. Sed aliis tam multis hortatur tacitè, & incitat, quibus tanquam auceps auibus capiendis cibum offundit. Illa illa sunt tela, quibus sauciat imbecilles ad resistendum animos, *contactos nullis ante cupidinibus*. Et sic amantium affectus effingit, & expingit, vt & ἀκρασίαν, & ἀπειροκαλίαν suam effingat, ac prodat liberrimè. *Ingenium nobis*, inquit, *ipsa puella facit*. Et potitus quod adeo sitiebat, vt impudenter exclamat. *Nocte vna quiuis vel Deus esse potest*. Vbi lepidè Gulielmus Canterus in margine adscripsit, *vel diabolus etiam*. Dicit maius sibi fuisse, & maiori lætitiæ vnum concubitum, quam Agamemnoni & Menelao Troiam decennio obsessam in potestatem adduxisse: seque immortalem futurum, si quid iterum tale. Omitto Vlyssem in Ithacam reducem, Electram recepto fratre, Ariadnam Theseo à Minotauro incolumi, cum quorum ingentibus gaudiis ibidem suum illum ludum, & lutum tam inconsideratè confert. Quam longe absunt isti ab eo quod 1 Off scriptum à M. Tullio? Quin etiam si quis est ad voluptates propensior, modò ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam, &c. οὐκ ἔχω ὕτος ὁ μετάθλιος τὴν λαΐδα, ἀλλ' ὑπὸ τῆς λαΐδος ἔχεται. Verè, *insano nemo in amore videt*, vt ipsemet ait. Et huiusmodi impuros, ac meretricios affectus excellenter expressos Christiani adhuc velut palmatium quiddam admirabimur; & dilaudabimus? Et similiter in illis incestis doloribus declarandis Tibullum lacrymas, hunc sanguinem fundere non absque voluptate animorum nostrorum testabimur? Dictum satis. Cur porrò facilem Scaliger pronuntiarit, qui in eo excutiendo, & prædicando præparcus est, non assequor. An quia facile capitur? μηδαμῇ μηδαμῶς. Amatur quidem à multis, intelligitur totus & vbiq; à paucis, ἐκδιδόμενος καὶ μὴ ἐκδιδόμενος editus ineditus quodammodo. An quia fluit, nihilque in eo duriusculum, & contortum: sed sponte sua carmen ad numeros aptos venit? Hæc Ouidij laus est, & communis cum nemine. Quod idem Scaliger vnicam elegiam à Balthasare Castilioneo compositam anteponit ingenti numero Propertianarum, nos alia sentimus omnia, & Smaragdū istum longè pluris æstimamus. Notat idem, nec malè, ambitionem quandam eius, claudendi pentametrum polysyllabis, puta trium, quatuor, quinq; etiam, id quod adolescentibus adhuc nobis, vt memini, elegans, & medio de fonte Charitum videbatur. Quocirca voces conquisiuisse, & corrogasse, quibus obnoxias efficeret sententias, hoc est, vt ego interpretor, vt non verba rebus, quod decet, & oportet; sed, quod non oportet, limatissimumque, & elegantiarum alioqui plenum, & tenerrimi oris poëtam

minime decuit. ὕστερον πρότερον res verbis accommodaret. Et hoc maximè lib. 1. vbi in quatuor statim primis elegiis, iisque non longis istam πολυσυλλαβίας in extremo pentametro numerabis tricies. Nam in sequentibus, quasi à simili desertus materia, aut ab amico forsitan admonitus, aut à sæculi iudicio limatiore correctus, quòd Ouidium, & Tibullum magis probarat, qui dissyllabis pœne semper pentametrum finiunt, temperauit, vt à Scaligero animaduersum est. Hæc ad poëtam nostrum à calumniis, & despicientia quadam asserendum habui quæ dissererem: in quo officio meo, Commentatoris, inquam, fungi me oportuisse, etiam atque etiam opinor.

Iam ex quàm plurimis auctoritatibus etiam tantorum virorum, adeoque splendidis approbationibus, vt vidisti, tutò affirmabimus Nasonem esse

INGENIOSISSIMVM.

ERVDITISSIMVM.

ELOQVENTISSIMVM.

ΗΘΙΚΩΤΑΤΟΝ, docendis moribus aptissimum, moralissimum, vt sic dicam.

ΠΑΘΗΤΙΚΩΤΑΤΟΝ, seu miscendorum affectum scientissimum.

FACILLIMVM, quod ad venam, & facultatem attinet. Nec enim omnia in eius scriptis facilem habent, & cuiuis obuiam intelligentiam.

FÆLICISSIMVM.

PLANISSIMVM, puta collatum cum cæteris vatibus.

COPIOSISSIMVM.

SENTENTIOSISSIMVM. Et, quod hinc sequitur ἀποδεικτικῶς.

VTILISSIMVM: & in quo legendo, ac volutando litteratum alumni bonas horas consumant, vnum omnium

DIGNISSIMVM.

PRODIDAGMATVM FINIS.

LEMMATA ELEGIARVM PER SINGVLOS LIBROS TRISTIVM.

LIBRI PRIMI.

I. *Libro Romam eunti mandata.*
II. *Ad Deos in tempestate supplicatio.*
III. *Lachrymosus ex vrbe discessus.*
IV. *Constans amicus, & calamitates sua.*
V. *Coniugis ἐπικηδειακῶς.*
VI. *Vera sui imago.*
VII. *Perfidia reprehensio.*
VIII. *Vulgi leuitas in amicitia. Patrocinium oratoris imploratum.*
IX. *Laus noui. ἰδυμεαιῶν. Votum.*
X. *Vbi scriptus hic liber. Petitio venia.*

LIBRI SECVNDI.

Vnicā complectitur elegiam, poteſtq́; Apologia, seu Apologeticus nuncupari.

LIBRI TERTII.

I. *Hospitij inquisitio.*
II. *Querimonia flebilis de exilio.*
III. *Malorum series. Vxoris amor. In patrio sepulchrum.*
IV. *Periculosa potētum amicitia. Suorum memoria.*
V. *Amici merita: Spes Cæsaris leniendi.*
VI. *Familioritas. Culpa extenuatio.*
VII. *Ad immortalitatem comparandam hortatio.*
VIII. *Desideriū patria, aut certè lenioris exilij.*
IX. *Veriloquium Tomi.*
X. *Exilij sui diritas.*
XI. *Maledici inhumanitas.*
XII. *Veris gaudia.*
XIII. *Natalis abdicatio.*
XIV. *Tutela imploratio cum execratione.*

LIBRI QVARTI.

I. *Vnicum ex Musis solatium.*
II. *Augurium Germania triumphata.*
III. *Cōiugi se dolori esse gaudet, pudori esse vetat.*

IV. *In-*

IV.	*Iusta caussa scribendi. Atrocitas exilij sui. Historia Orestea in regione Taurica.*	IV.	*A Baccho quæsitum auxilium.*
V.	*Εὐγνωμοσύνη cum hortatione.*	V.	*Amor ingens, cum memoria meritorum.*
VI.	*Diem sibi augere miseriam.*	VI.	*Vxoris natalitia.*
VII.	*Exprobratio. Excusatio. Cohortatio.*	VII.	*Condonandum aliquid miseris.*
VIII.	*Ereptum senectuti otium.*	VIII.	*Feritas Getarum. Ex Musis solamen.*
IX.	*Comminatio ignominia sempiterna.*	IX.	*Fortunam metuendam.*
X.	*Vita Ouidij.*	X.	*Animus gratissimus.*

LIBRI QVINTI.

I.	*Apologia librorum de Tristibus.*	XI.	*Truculenti barbarorum mores.*
II.	*A corpore valet. Vxoris fidem poscit.*	XII.	*Negat se vocandum exulem.*
III.	*Supplicatio ad Augustum.*	XIII.	*Difficultas scribendi in exilio.*
		XIV.	*Expostulatio de silentio.*
		XV.	*Virtus bona coniugis immortalis.*

LEMMATA ELEGIARVM PER SINGVLOS LIBROS DE PONTO.

LIBRI PRIMI.

I. *Petitum libellis hospitium.*
II. *Recensio miseriarum.*
III. *Expetitum patrocinium.*
IV. *Insanabile vulnus.*
V. *Vtriusque ex malis senectus.*
VI. *Nondimata scriptionis excusatio.*
VII. *Spes in veteri amico.*
VIII. *Amicitia desideratio.*
IX. *Suorum dulcis memoria, & rusticandi cupiditas.*
X. *Celso amicissimo lessus.*
XI. *Cibi fastidium, insomnia, pallor, macies.*

LIBRI SECVNDI.

I. *Lætitia triumphalis.*
II. *Imploratio patrocinij.*
III. *Constans amicitia in aduersis.*
IV. *Iucunda summa familiaritatis recordatio.*
V. *Extenuatio sui, cum laudibus Solani, & Germanici Oratorum.*
VI. *Inanitas reprehensionis cum admonitione.*
VII. *Carere se allenamentis omnibus.*
VIII. *Exultatio de tribus imaginib⁹, cum supplicatione trigemina.*
IX. *Argumentosa auxilij flagitatio.*
X. *Iucũda peregrinationis commemoratio.*
XI. *Gratus animus.*

LIBRI TERTII.

I. *Sollicitudo vxoris pro se.*
II. *Laus amicitia, cum historia Pyladis, & Orestis.*
III. *Cum amore colloquium per quietem.*
IV. *Libello de triumpho Tiberij petita venia.*
V. *Voluptas ex eius oratione, congressúsque imaginario.*
VI. *Reprehensio consilij de tacitis ante amicorum nominibus.*
VII. *Mitioris exilij desperatio.*
VIII. *Apologia de erratis.*

LIBRI QVARTI.

I. *Nominandi bene meritum mira cupido.*
II. *Exaruisse venam suam.*
III. *Exprobratio inconstantia, & fortunæ mutabilitas.*
IV. *Gaudium de futuro eius consulatu.*
V. *Bella prosopopœia cum gratiarũ actione.*
VI. *Priuatus patrono veteri, in nouo spem figit.*
VII. *Militis fortissimi laus.*
VIII. *Promissio, & laus carminum.*
IX. *Futurum sibi de eius, & fratris consulatu gaudium, & barbarorum in se beneuolentia.*
X. *Querimonia. Caussa glacieti maris.*
XI. *Cur eum de obitu vxoris non consoletur.*
XII. *Caussa taciti nominis, & longaua amicitia.*
XIII. *Τιμωρούμενος vtriusque, & libellus Geticus de Augusto.*
XIV. *Purgat se Tomitis, quos querelis suis offenderat.*
XV. *Meritorum agnitio, & memoria perennis.*
XVI. *Poëtas post mortem magis viuere.*

FINIS LEMMATVM.

IN TRISTIVM LIBRVM PRIMVM.

DE INSCRIPTIONE HORVM LIBRORVM, ET PRAEFIXIS ELEGIARVM SVMMVLIS, SIVE LEMMATIS, SIVE PERIOCHIS.

NON indoctè, & sanè quam accuratè Iulius Scaliger de inscriptione librorum, poëmatumq́; disseruit lib. 3. Poëtices, cap. 127. & ex iis quas sanciuit legibus tum alios quosdam auctores, nec eos parui census, tum Ouidium nostrum castigauit: & hosce libros non de TRISTIBVS, sed TRISTIVM appellādos fuisse demonstrare instituit. Præpositionem DE ad didascalica pertinere, & tum quidem sexto casu inscriptionem concipiendam: qua significemus videlicet, nos circa rem ipsam versari, ac docere, quid, qualis, vnde, & ad quem finem, eam definientes, eius affectus à definitione ostendentes. DE RERVM NATVRA. DE VI. DE LEGATIS, &c. Aliam esserationem, cùm res sic narrantur, quasi repræsententur, non quasi de iis agatur. Tum in recto faciendam, vt, ANDRIA, ADELPHI, &c. Dantur siquidem spectatoribus contemplandæ. Quoniam igitur agit ista tristia Ouidius, libros hosce non DE TRISTIBVS, sed TRISTIVM inscribi oportuisse. Hæc ille in hanc sententiam disputat. Nobis pro comperto non est, ecquid ipsemet Poëta huius tituli pater sit. Et dubitandi caussam affert ille alter, DE PONTO, quem, vt alienum, nos quoque reiicimus. Cognouimus etiam, vetustorum scriptorum plerosque monimenta sua aliis post se inscribenda, & appellanda reliquisse, & de hoc negotio non ita vehementer laborasse. Adhac, librorum veterum non pauci ad nostra tempora aut sine, aut cum falsis, parumqúe consentientibus titulis, & inscriptionibus peruenerunt, quod minio conscribebantur, & exornabantur: vti ex Ouidio item prima statim elegia colligitur: & à scribis, ac librariis spatium miniatoribus relinquebatur. Qua de re Hieronymus, Magius Miscellan. lib. 1. cap. 14. Miniatores autem illi, itemq́; statuarij, & lapicidæ (à quibus nos quidam perfectam orthographiam volunt discere) sæpe indocti erant. Præterea, cogimur aliquando magis plurium, eruditorum tamen, æmulari, & amplecti inueteratam negligentiam, quam

vnius alicuius, quanquam doctißimi, & nasutißimi, non omnibus adhuc notam, nec aliquo senatusconsulto, aut edicto capitali promulgatam diligentiam. De bello Gallico. De dictis & factis Alexandri Magni, & similes inscriptiones tolerantur. Atqui non definitur ibi bellum Gallicum, nec dicta, aut facta Alexandri, &c. sunt enim puraputa narrationes. Quamobrem particula De cum sexto casu non semper modum illum tractandæ rei methodicum, verum tractationem tantum, & πραγματείαν præcisè significabit. Vtraque igitur inscriptio valere poterit: etsi nos quoque genitiui casu expressam, & libros TRISTIVM nominare maluimus.

Monitum insuper cupimus lectorem, nos loco vulgarium, & breuium argumentorum per singulas elegias perbreues summas posuisse: quòd illa sæpe vel vitiosa, vel inepta, vel nimis imperfecta reperiremus. (Alloquitur vtramque vrsam. Mandat epistolæ Perillam adeat, &c.) & ex ipsa verborum nostrorum paucitate diuersitatem rerum per libros, & elegias tractatarum facilius perspici, ac deprehendi posse videremus. Eiusmodi consilium & in libris de Ponto, seu Ponticis tenuimus, de quorum epigraphe suo item loco quæremus. Nihilominus argumentum cuiusq. elegiæ paulò etiam latius, Commentariorum recepto more, prætexuimus.

Atque hæc hactenus.



ELE-

Si quis, ut in populo nostri non immemor illo,
Si quis, qui, quid agam, fortè requiret, erit:
Viuere me dices, saluum tamen esse negabis:
Id quoque quòd viuam, munus habere Dei.
Atque ita tu tacitus, quærenti plura legendum,
Ne, quæ non opus est, fortè loquare, caue.
Protinus admonitus repetet mea crimina lector:
Et peragar populi publicus ore reus.
Tu caue defendas, quamuis mordebere dictis:
Causa patrocinio non bona maior erit.
Inuenies aliquem, qui me suspiret ademptum,
Carmina nec siccis perlegat ista genis.
Et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet.
Sit mea lenito Cæsare pœna leuis,
Nos quoq; quisquis erit, ne sit miser ipse, precamur,
Placatos miseris qui volet esse Deos.
Quæque volet rata sint, ablataq; principis ira,
Sedibus in patriis det mihi posse mori.
Ut peragas mandata, liber, culpabere forsan:
Ingeniiq; minor laude ferère mei.
Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quærere: quæsito tempore tutus eris.
CARMINA PROVENIVNT ANIMO DEDVCTA SERENO:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
CARMINA SECESSVM SCRIBENTIS, ET OCIA QVÆRVNT:
Me mare, me venti, me fera iactat hyems.
CARMINIBVS METVS OMNIS ABEST: *ego perditus ensem*
Hæsurum iugulo iam puto, iamq; meo.
Hæc quoque, quæ facio, iudex mirabitur æquus:
Scriptaq; cum venia qualiacunque leget.
Da mihi Mæoniden, & tot circumspice casus:
Ingenium tantis excidet omne malis.
Denique securus famæ, liber, ire memento:
Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.
Non ita se nobis præbet fortuna secundam:
Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore:
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc si non studiumq; quod obfuit, odi,
Sit satis: ingenio sit fuga parta meo.

Luce bona, dominoq; tuo felicior ipso,
Peruenias illuc, & mala nostra leues.
Namque ea, vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.
Tantum ne noceas, dum vis prodesse videto:
Nam spes est animi nostra timore minor.
Quaeq; quiescebat ne mota resauiat ira:
Et pœna tu sis altera causa, caue.
Cùm tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisq; tuam, scrinia parua, domum:
Aspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos euigilauit idem.
Cetera turba palam titulos ostendit apertos;
Et sua detecta nomina fronte gerit.
Tres procul obscura latitantes parte videbis,
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias: vel, si satis oris habebis,
Oedipodas facito Telegenosq; voces.
Déque tribus moneo, si qua est tibi cura parentis,
Ne quenquam, quamuis ipse docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Nuper ab exequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
Fortunæ vultum corpora posse meæ.
Namque ea dissimilis subitò est effecta priori:
Flendáque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam,
Sed vereor tardæ causa fuisse moræ.
Et si, quæ subeunt, tecum liber omnia ferres,
Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via est, propera: nobis habitabitur orbis
Vltimus, à terra terra remota mea.

COMMENTARIVS.


ARVE LIBER] Non de omnibus Tristium libris simul, qui non esset vtique paruus liber, sed de primo duntaxat, quem separatim, vt alios item, misit, rectè dicitur. Affertur ad hoc probandum ex eleg. 1. lib. 5.

Hunc quoq; de Getico nostri studiose libellum
Littore præmissis quatuor adde meis.

Vere autem paruus, cum non nisi X. elegiis con-

A stet: malè enim octaua diuiditur. Catullus quoquè schedam, qua Cæcilium Nouocomo Veronam accersit, quasi sensu auctam, & intelligentem sic affatur, eique mandat.

Poëta tenero meo sodali
Velim Cæcilio papyre dicas,
Veronam veniat, Noui relinquens
Comi mœnia.

Martialis librum suum in pluribus libris com-

pellat: cui similiter, & similia mandat lib.3.epig. 4.& 5.quibus hanc elegiam adumbrat. Illa certè ad verbum hinc transcripta sunt, *Vis commendari sine me cursurus in vrbem Parue liber.&c.*

Nec invideo] Quid enim inuideret patri suo? Et vnà iturum se quo pede licet, infra autumat. Est autem inuidia, seu inuidentia (qua voce Cicero vti mauult, vt ambiguitatem effugiat, inuidia enim tum est, cùm inuidetur, inquit 3.Tuscul. in perpessione quoque videlicet ponitur, non in actione tantum.) Ergo inuidentia est, vt idem Tuscul.4.definit, ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti. Alij breuius, inuidia est dolor de alieno bono, quo ipse careas.

Sine me ibis in vrbem] Romam κατ' ἐξοχὴν. Cic.ep.12.lib.2. Vrbem, mi Rufe, cole, & in ista luce viue. Omnis enim peregrinatio, quod ego ab adolescentia iudicaui, obscura, & sordida est iis, quorum industria Romæ potest illustris esse. Sic Athenas ἄστυ vocabant. Nec vrbs modò, sed etiam vrbs æterna dicta est Roma. Vide annotat. in dialog. meum 6. primæ Tertij.

Qvod domin. n. licet ire tvo] Aptius legas, *quò*: tametsi & illud minimè barbarum. οἴμοι, ὅτι οὐκ ἔξεστι. Heu mihi, quod non est, id est, quia non licet. Et ita locutum Ciceronem obseruanimus. Fuisset autem languidius, *Heu mihi, quod patri non licet ire tuo*: sed verius, & suauius, quoniam libri sunt filij, & fœtus Musarum. Hoc est artium ingenuarum. Catull.ad Mallium. *Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus Mens animi*: & scriptores sunt eorum quasi parentes. Vnde & parere dicũtur. Martialis lib.10.ad librum suum. *Qui pigrum faciunt suum parentem.* Idem voluit Ouidius cum infrà reliquos huius primi fratres nominat. Et iterum,

Deque tribus moneo, si qua est tibi cura parentis,
Ne quenquam, quamuis ipse docebit, ames.

En, se parentem appellat. Et eleg.6. *Orba parente suo quicunque volumina tangis.* Verum enimuero ex trisyllabo vocaliore, ac pleniore sonum, & numerum, vt item aliis locis ex eadem voce quæsiuit. Sæpius namq; suorum carminum dominum sese vocat.

Infelix domini quod fuga rupit opus.
Et:
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Et:
Erubui domino cultior esse meo.

Ad sententiam versus quod attinet, sic libro 5. eleg.5.

Qui mihi flens dixit: tu, cui licet, aspice Romam.
Heu quanto melior sors tua facta mea est.

Vade, sed incvltvs] Quomodo coleretur, & ornaretur, mox subiungit. *Nec te purpureo, &c.*

Qvalem decet exvlis esse] In squalore, & sordibus, in luctu & lacrymis iacente domino ac parente, non conuenit seruum, aut filium lautum, comptum, ac nitidum incedere. Profugum aliquando se nominat. Item relegatum.

Infelix, habit. temp. hvivs habe] Quia infælix es, nempe ab infælice profectus, gere habitum cum tempore isto congruentem. Hoc tum temporum meorum diceret orator, hoc est, ærumnę, & calamitatis meę. Tamen & numero singulari Cic. Quod in id reipub. tempus non incideris. Et Ouid. plurali eleg.5.lib.3. *Carmine temporibus conueniente suis.* Scripsit accuratè satis de differentiis verborum libros IV. Ausonius Poppma, cuius operam, quoties commodum videbitur, adhibebimus. Habitus, inquit, intelligitur omnis corporis cultus, ornatusque, vt habitus militaris, religiosus, scenicus. Vestitus nomine sola vestimenta continentur. Vnde M.Cato orationes inscripsit, vnam, De habitu; alteram, De vestitu. Sueton. Caligula. vestitu, calceatuque, & cætero habitu neque patrio, neque ciuili. Idem Nerone, in illo suo scenico habitu.

Nec te pvrpvr. vel. vacinia svcco] De integumento, seu inuolucro libri accipiendum. Solebant illæ membranæ rubro, aut croceo siue colore, siue succo imbui, quod indicat Tib.lib.1.eleg.3. *Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.* Atrum integumentum, vt luctui accommodatum, mauult. Vacinia nigra vocat Virgil. eclog.2. *Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur*; vbi ferrugineum hyacinthi genus poëtam intellexisse annotat Rhodig. lib.27. cap.26. quia ferrugineus color ad nigrum accedat. Expetebatur autem tingendo purpureo colori vacinium, ait Turneb.lib.12. cap.7. Prodæus lib.4. cap.18. vacinia dicit esse mora agrestia, quæ à rubo sentis producta, ad tingendas seruorum, plebisque vestes olim legebantur. Nec porrò temere quis crediderit, poëtam hoc distichoad mutationem vestium Romanis in luctu sollemnem allusisse.

Non est conven. lvctib. illis color] Quis autem est conueniens? Vtique niger, & lugentium vestes pullæ, siue atræ, quas sumere, induere, ponere, deponere, exuere dicuntur. Semper quippe color hic luctus, vt albus lætitiæ indicium est habitus. Qui porrò etiam extra luctum hoc colore delectantur, in luctu formam vestis aliquantum mutent necesse est, vt lugere intelligantur. Narrat Ioannes Petrus Maffęus historiarum Indicar. lib. 12. apud Iapones tristem colorem haberi album, nigrum lætum: ac proinde hunc in rebus secundis, illum in aduersis, adeoq; in luctibus, & funeribus vsitatum. Quin & dentes quodã artificio, quò pulchriores sint, quam nigerrimos sibi faciunt iidem Iapones, vt Patres Societatis nostræ scribunt. Fuisse tamen variis gẽtibus in vsu colorem album ad luctum, docebit te Alex. ab Alex.lib.3. cap.7. Idem argumentum pertractat noster ἐπανορθωτικώτατος Delrius, comment. in Hercul. Furent pag.269.

Nec

NEC TITVL. MINIO NOTET.] Inscriptiones,& tituli elegantiç caussa fiebant rubrica, hoc est, minio, aut cinabari, vt etiam hodie in libris, & codicibus, præsertim ecclesiasticis, in quibus per totum rubricatorum characterum frequens vsus. Imperatores Constantinopolitani eo colore nomen suum diplomatis subscribebant. Putat Causabon Comment. in 5. Persij sat. non purum minium adhibuisse: sed ceram miniatam, quæ Ciceroni miniatula, Vitruuio cera ex milto. Et in notarij βιβλιοθήκῃ supellectile erat cera alba, & cera miniata. Achilles Statius in Aratum κηρὸν μιλτώδη vocat. Hac cera vtebantur Critici, cum libros recensebant, & notas sibi familiares illis appingebant, quas σημειώματα dixerunt, &c. Veteres Iurecousulti, quod docet Turneb. lib. 4. cap. 5. in publico tantùm, legitimoque iure rubricas ponebant, vt maiestas legibus accresceret, capitibus earum sinopide, aut cinabari notatis, & insigniris, & sanguineum quiddam, & cruentum fortasse etiam minitantibus. Itaque Prud. contra Symb. lib. 2.

——dicant cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos? quod ferrea fata
Cogunt ad facinus.

Lege reliqua, si placet.

NEC CEDRO CHARTA] Eleg. 1. lib. 3. *Quod neq; sum cedro flauus, nec pumice leuis.* Succo, aut oleo cedrino lingbantur chartæ, & diuturnitatis, seu conseruationis à carie, & odoris ergo. Plin. li. 16. ca. 39. cedri oleo perun&ta materies, nec tineam, nec cariem sentit. Et lib. 13. cap. 5. & 16. cap. 39. perunctos hoc oleo Numæ Pompilij libros repertos esse integros post annum D.X X X V. quâ conditi erant. Auson. ad libellum.

Huius in arbitrio est, seu te iuuenescere cedro,
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.

Adi & Vitruuium lib. 2. cap. 9. Cedro digna loqui, est perpetua memoria, & immortalitate digna loqui.

CANDIDA NEC NIG. C. FRONTE OSRAS] Scribebant antiqui non quidem foliis dissectis, & in quaterniones, quos dicimus, consertis: sed in altera tantum paginarum facie, perpetuo ducto, ad extremum vsque folium: in quo firmitudinis gratia cylindrum, seu bacillum teretem cedrinum, eburneum, buxeum, ebeninum agglutinabát, pro modo latitudinis membranæ præcisæ, eundemque nominabant vmbilicum; quod sicut vmbilicus in medio ventre, sic ille libro iam circumuoluto medium esset. Huius bacilli capita supernè, & infernè eminentia argento, aut auro, ebore, interdum etiam gemmis, ornatus caussa præmuniebant: & hæc cornua dicebant. Postea paginas instar spiræ conuolutas complicabant, indeque volumen nominabant, à voluendo. Non vult igitur Ouidius cornua ista, seu vmbilici capitula aut ebore, aut argento, aut nitente aliqua gemma insigniri, cuius

A atrata facies indutum, non lætitiam præ se ferat. Frontem enim ipsum illum bacillum atrum, seu nigrum vocari puto: quamuis & exterior superficies libri inuoluti eo nomine intelligi possit. Quidam hæc ipsa ornamenta cornibus addita, eaq; vel lignea, vel ossea, vel eburnea, vel cornea, vel argentea volunt vmbilicos dici, à similitudine vmbilici humani. Ad vmbilicum autem peruenire, prouerbio est ad finem peruenire. Principium etenim libri est, vbi à titulo explicari incipit: finis, vbi tota reuoluta pagina peruentum est ad vmbilicum. Horum pleraq; ex Pierij Hieroglyph. lib. 34. Vide etiam quæ de his rebus ex eodem sublegit ad lib. 1. Martialis epigram. 67. Ramiresius, & vnde volumina codices appella-

B ta. Cui scriptori bonum apporto nuntium: quoniam dicit, in nostros etiam, quæ vult, breui anditurum contra quæ non vult.

NEC FRAG. OSMINA POLIANT. PVM. FRONT.] Catull. de suo libello, *Arida modo pumice expolitum.* Tibul. eleg. 1. lib. 3. *Pumex & canas tondeat ante comas.* Plinius lib. 36. cap. 21. Sed & ij pumices, qui sunt in vsu corporum leuigandorum fœminis, iam quidem & viris, atque (vt ait Catullus) & libris. Rursus idem poëta ad Varum de Suffeni mali poëtæ libro.

——chartæ regiæ, noui libri,
Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Pro æquare vsus est Ouid. verbo poliendi, quod

C è græco πολεῖν ductum est; quoniam vrbana omnia politiora, & elegantiora esse soleut. Notauit Muret. Comment. Restat nunc, vt quæ sint geminæ frontes, inuestigemus, de quibus & Tibull. lib. 3. eleg. 1.

Atq; inter gemina as pingantur cornua frontes:
Sic etenim comptum mittere oportet opus.

Equidem non aliud, quam vtramque chartæ, seu membranæ planitiem, exteriorem puta, & interiorem accipiendam hoc verbo existimo: quæ ambæ prius pumice raderentur: tum ob elegantism; tum ne asperitas calamum offenderet: ac retardaret paruis illis pilis, quas comas Ouidius vocat, ad reorum, & lugentium habitum alludens, qui comas, & barbam non tondebant: &

D cum vultu, tum vestitu horridi, ac sordidi, & squalidi ambulabant. Hæc omnia diuersis locis habet etiam Martialis, alloquens librum suum. Lib. 2.

Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis,
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index,
Lib. 5.
Quæ cedro decorata, purpuraq;
Vltro purpureum petet libellum.
Lib. 8.
Nondum murice cultus, asperoq;
Morsu pumicis aridi expolitus.

Ista hodie perpaucis cognita, fusius differeuda fnetunt, vt locus poëtæ fieret spertiot.

FELICES LIBELLOS] Felicium libellos. Horst. Ode t. lib. 1. *Me doctarum edera præmia frontium Diis miscent superis*: & alia apud poëras innumerabilia, cum epirheton subiecti adiuncto datur, quam figuram hypallagen nominant.

FORTVNAE MEAS] Sratus, & conditionis meæ perditissimæ, ad quam te accommodare omnino debes. Non sunr fortunæ suæ memores, qni foris bysso cooperti cernnutur, & domi malè cœnaut.

NEVE LITVRAE PVDEAT.] Aliqnid defotmitaris habent lituræ; &, si erebræ sunt, scribentis incogitantiam, ac festinstionem arguunt. De his Horat. sd Pison. *incomptis allinet atrum transuerso calamo signum.*

DE LACRYMIS F. SENTIAT ESSE MEIS] Eleg. 8.

His status. hæc rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat vt lacrymis nullm inesse modus.
Et lib. 3. eleg. 1.
Littera suffusas quod habet maculosa lituras
Læsit opus lacrymis ipse poëta suum.
Propert. eleg. 3. lib. 4.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit è lacrymis facta litura meis.

Cic. ad Terent. lib. 14. non semel, se siue multis lacrymis nequire ad ipsam, & Tulliolam scribere, vt ipse quoque non absque lituris fortasse scripserit.

VERBIS MEIS LOCA. G. SALVTA] Cicer. ep. 14. lib. 7. Salntem enim mihi verbis tuis nuntiauit. Idem quod, à me, abs te, meo, tuo nomine. Ex parte mea, tus, non sunt latina. Iam, poëtæ etiam loca, & slias res anima csrentes salutant, & cum iis fabulantur. Catull. ad Sirmionem peniusulam.

Peninsularum Sirmio, insularumq;
Ocelle. quotcunque in liquentibus stagnis,
Mariq; vasto fert vterq; Neptunus,
Quam te libenter, quamq; latus inuiso, &c.
Salue ô venusta Sirmio, atq; hero gaude:
Gaudete vosq; Lydiæ lacus vnda.
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Quando surem dij salutanrur, ea salutatione venerstio erga illos, vt in his qnas diximus gandium, & amor ostenditur. Diis enim semper adest saius, valentq; pancrsticè, atq; athleticè semper.

QVO LICET PEDE] Carminibus, quæ suum quendsm gressum, sunmq; cnrsum, & ideo snos quoque pcdes hsbent: quibus pedibus multo profectò longius, qusm corpornm pedibus itut. Fortem pedem incertus auctor in obitum Tibulli [Greek] carmen hexametrnm dixit. Epigrsmma scitissimum adscribam.

Te quoq; Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors iuuenem campos misit ad Elysios:
Ne foret aut elego molles qui fleret amores:
Aut caneret forti regia bella pede.

A Item Horat. ad Pison. loquens de versu isvmbico.

Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni.

Quo licet, inquit. Nsm vt ait eleg. 14. lib. 3.

Est fuga dicta mihi. non est fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruere sui.

VT IN POPVLO ILLO] Prouocabulum *illo* hsbet emphasin. In magno illo, & frequentissimo populo, vbi multi andirionum uonarum cupidi, & curiosi, & sliqui mei non immemores. Ele. 5. li. 4. *Siquis, vt in populo. qui sitis, & vnde requiret.*

VIVERE ME D. SAL. T. ESSE NEGAB.] Eleg. 1. lib. 3. *Viuere me dices, sed sic vt viuere nolim.* Vitam haud vitalem, cum licitum est exclamare, occidi, perij. [Greek], ait Hecuba

B Euripidæa: non esse sibi vitsm iucundã amplius in hac luce, cum orbata marito, orbata liberis, orbata regno, caprius in Græciam abducstur.

MVNVS HABERE DEI] Augustum assentatoriè Deum, & Ionem nominat sæpissimè, à quo tsmen inclementissimo Deo non est exauditus; saltem vt sub cęlo clementiore exularet. Pręedicat hoc beneficium eleg. 5. & 8. lib. 5. Et 4. de Ponto, eleg. 5. Seneca de Clem. lib. 1. cap. 5. Seruare proprium est excellẽtis fortunæ, quæ nunqnam magis suspici debet, quam cum ei contingit idem posse quod Dij, quorum beneficio iu lucem edimur tam boni quàm mali.

ITA TV TACITVS Q. PLVRA LEGEND. &c.] Vox *legendum* desiderat aliquid snbauditum, te

C da, offer, ant simile quippiam. Hæc enim est carminum istorum sententia. Quærente plnra de me quopism, caue, ne forte loquare, quod te loqui nihil attinet, quod mihi noceat: sed da te illi legendum: inde enim de me illnm, quæ volet, intelligere mihi tutius fnerit. Ciofsnus contortius explsnat de silentio super libris de Arte. Atqui infrà huius operis ipsemet meminit.

Tres procul obscura latitantes parte videbis,
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.

ADMONIT. ESSE ET MEA CRIM. LECT.] Scripsisse amatoria, & nescio quid vidisse, dno sunt Nasonis peccata: *Perdiderint cum me duo crimina, carmen & error, &c.* Ob hæc damnatus est exilio, non aduersante populo. Horum lector Tri

D stium admonebitur, cum præsertim ipse vtrumque toties expresè confiteatur.

PERAGAR REVS] Liuius lib. 4. Vos autem, si reum perago, quid acturi estis? Paulus Iurisconsnlt. Restitisse autem is videtur, qui intra pręfinitum accusationis à Præside tempus reum suum non peregerit. Peragi antem reus in criminibus, non res peragi dicitur. Et est reum peragere, ita rei accusationem persequi, vt reus tandem damnetnr. Vlpian. ad leg. Iuliam de adult. lib. 2. Peregisse reum nõ aliàs quis videtur nisi & condemnauerit. Bud. in Pand. Hsbẽs quid propriè sit reum peragere. Reum facere, inter reos referre, reum citare, huius quasi prooemia, & initia quædam sunt.

POPVLI ORS] tota vrbe, per compita.

PVBLICVS] vt qui in Rempub. com miserim.

QVAMVIS MORDAABRE DICTIS] A canibus. Mordere est obloqui, detrahere de aliquo, calumniari, incessere conuitiis. Eleg. 14. lib. 4. de Ponto. *Non mordenda mihi turba fidelis erat.* Vide ibidem notata. Terent. Eunucho. *Inuidere omnes mihi, mordere clanculum: ego non flocci pendere.* Horat. Ode 3. lib. 4. *Et iam dente minus mordeor inuido.* Et Od. 4. lib. 1. *Liuidus, & mordax videor tibi?* Consule adag. dente theonino rodi. Et Commentar. ad eleg. 14. lib. 4. de P. ibi. *Nec mordenda mihi turba fidelis erat.*

CAVSSA NON BONA] Facit tamen bonam toto lib. 2. quod quidem ad libros de Arte attinet. Error autem oculorum non est vtiq; maior patrocinio. Sed poëta nunc iure agens, nunc de iure suo remittens, vel potius ius suum dimittens, ac prodens, & misericordiam fontium more implorans, personam commutat.

PATROCINIO MAIOR ERIT] Non poterit defendi, quia non bona. Vel, ipso patrocinio, ac defensione fiet peior, & odiosior.

QVI ME SVSPIRET ADEMPTVM] Eos quidem certè, ad quos scribit libros de Ponto, quorum erga se fidem laudat. Hi eius adempti desiderio tenebantur. Vocem *ademptus* vt etiam *raptus*, aliquoties de se tanquam mortuo vsurpat: in mortuis enim dicuntur.

CARMIN. HAC SICCIS PARBAO. ISTA OAN.] qui lacrymis humectet ora, genasque, vt loquitur Lucret. dum ista tam miserabiliter scripta legit. In audiendis, & cognoscendis rebus amici in fœlicibus, lacrymę magnum sinceri amoris argumentum. Facetè Pseudolus apud Plautum contrà, vbi legisset audiente domino Calidoro epistolam, ad eundem secus scriptã, quam voluisset, & idem subiecisset. *Quin fles Pseudole?* Respondet vafer homo, *pumiceos oculos habeo: non queo lacrymam exorare vt expuant vnam modò.* Hic Calidorus. *Quid ita? Quia,* inquit, *genus nostrum sicceculum semper fuit.*

NE QVIS MALVS AVDIAT] Malum vocat sibi inimicum, aduersarium, & inuidum Catull.

Conturbabimus illa, ne sciamus:
Aut ne quis malus inuidere posit.

SIT MEA POENA LAVIS] Leuius exilium, Cæsare mitescente. Lib. 2.

Mitius exilium si das, propiusq; roganti,
Pars erit è pœna magna leuata mea.

NE SIT MISER IPSE PRECAMVR] Bona optanti, bona vicissim optanda sunt. Obseruatum à Brissonio in Formulis. Quibna ex animo precabantur, & bona optabant omnia, optata, dicebant, bene sit illi.

QVAEQVA VOLAT RATA SINT] Salutanti apud Plautum sæpe respõdetur, dij dent tibi quæ velis. Item, dij tibi omnes omnia optata ferant. Dij te bene ament. Nescio quid maius cuiquam optare possis, quam vt habeat quæ velit. Bonus autè vir neminẽ volet velle, nisi quod honestum est.

SEDIBVS IN PATRIIS POSSA MORI] De patria scripsi Dialog. 23. Volum. 1. & in eius Annotat. Præterea in Symbolis Virgilian. ad illud eclog. 1. *Nos patriam fugimus.* Solatium magnum in patria, & in suorum complexu emori. Vide eleg. 3. lib. 3. *Tam procul ignotis igitur moriemur in oris, &c.* Durior Anaxagoras Clazomenius, qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellétne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, anferri: nihil necesse est, inquit: vndique enim ad inferos tantundem viæ est. Cic. Tuscul. 1.

VT PERAGAS MANDATA] Vt effecta reddas, quæ tibi mando, & hac in re à culpa liber sis.

INGENIIQVE MIN. LAVD. FER. MEI.] Dicèris non respondere ingenio meo, de quo non mediocris est excitata opinio.

IVDICIS OFF. EST VT RES. I. TEMP. RER. QVAER.] Aequus iudex in caussa, in controuersia, in negotio, & lite quæ venit in iudicium multa circumspicit, antequam sententiam pronuntiet. Nouit enim non omnia ab omnibus, nec vbique, nec semper posse fieri: & iudicia humana sæpius labi, errare, decipi. Eleg. 1. lib. 4.

Si qua meis fuerint, vt erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore lector habe.

QVAESITO TEMP. TVTVS ERIS] Tempus hic non est χρόνος, sed καιρός, opportunitas inquã, & commodum tempus. Vt cum dicimus, tempori se accommodare, esse sapientis. Hoc sentit, indicio non lapsurum, qui tempus circumspexerit. Indicant ita esse quæ sequuntur.

CARMINA PROVEN. A. DEDVCTA SEREN. &c.] Ingenium ægritudo vehemens præsertim, & assidua deterit. Casus, & infortunia creant ægritudinem, in quam culpam transfert, si minus quam antehac in scribendo ingeniosus videatur. Lib. 5. eleg. 13. *Carmina lætum sunt opus, & pacem mentis habere volunt.* Horat. epist. 1. lib. 2.

Cum lamentamur non apparere labores
Nostros, & tenui deducta poëmata filo.

Iuuenal. in Persius.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere.

Sunt qui deducere versus, diducta carmina ad subtilitatem referant, & inde commendari aiunt bona carmina, ab operibus Mineruæ translatione facta. Ad vituperationem autem, & extenuationem pertinere, crasso filo composita. Idem velle illud Persianum, quamuis aliunde sumpta metaphora, *aut quantas robusti carminis offas ingerit*, à pistorum, & cocorum operibus. Carmen non deductum, sed ampullatum, turgidum, inelaboratum. Screnus porrò animus est, nullis curarum, mœrorum, sollicitudinum quasi nebulis offusus, aut nubibus obseptus, vt statim subdit.

CARMINA SECASS. SCRIB. ET OTIA QVAER.] Vt serenitati opponit nubila: sic secessui, & otio mare, ventos, hyemem: & securitati, seu vacuitati metum, gladium in iugulum intentum, & mortem ipsam ante oculos. Cicero ad

A Q. F. De versibus quos tibi à me scribi vis, deest mihi quidem opera, quæ non modò tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat Sappho Phaoni. *vacua carmina mentis opus.* De secessu Horat. epist. 2. lib. 2. *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.* Et de vtroque, secessu inquam, & animo vacuo.

Præter cætera Romæ mene poëmata censes
Scribere posse inter tot curas, atque labores?

Adde Quintil. ita scribentem lib. 10. Demosthenes melius, qui se in loco, ex quo nihil perspici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoq; lucubrantes silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen vnum velut tectos maximè teneat.

B HAEC QVOQ. Q. F. IVD. MIRAB. AEQVVS] Aequus rerum æstimator meliores versus à me non requiret. Sequitur, vt qui requiret, iniquus sit. Ille tempus quo facti sint exquiret, & tali tempore tam bonos adhuc à me scriptos mirabitur. Iste ad solam ingenij mei opinionem respiciet, & ad eam quæ legerit exiget. Hoc iniquitatis est.

DA MIHI MAEONIDEN] Homerum. Aristoteles 3. de poëtica, vt testatur Plutarchus, litteris mandauit, Iensem puellam, cum vtero intumescente ignominiam apud ciues suos fugeret, Aeginam petiuisse, & in itinere à latronibus captam, Smyrnam abductam, Mæoni regi in muneris loco datam, & ab eo vxorem sumptã. Fortè

C ad Meletem fluuium ambulantem, partu leuatam esse, & illico mortuam. Mæonem, puerum pro suo educasse. Hinc illi Mæonidę vocabulũ. & ab eo Musę Mæonides. Nonnulla Homeri elogia alibi proferemus: nunc sufficiat, illum omnium principem agnosci, & prædicari: Valeant Homero mastiges.

INGENIVM TANT. EXCID. OMNE MALIS] eleg. 10.

Ipse ego nunc miror, tantis animiq; mariq;
Fluctibus ingenium non cecidisse meum.

Dolorem, quem è magnis miseriis grauissimisque casibus homines capiunt, mentem quoque ipsam sæpe de suo statu conuellere, & adigi ad insaniam, qui antea cati inprimis, sollertesque

D fuerant, exemplo vnius Iugurthę confirmat Muretus lib. 2. cap. 10. Argumentatio est à comparatione maiorum.

SECVRVS FAMAE] De fama, gloria, laude nihil cogitans, famam negligens. Virgil. 1. Aeneid. de Pygmalione fratre Didonis, *Securus amorum Germanæ.* Et lib. 7. *Securi pelagi, atque mei.*

NE TIBI SIT LECTO DISPLIC. PVD.] Nec pudeat te non cuiuis probari. Certè æquus iudex te mirabitur, & qualemcunque cum venia leget. Vnus ergo tibi sit pro populo, & populus pro vno.

NON ITA SECVNDAM] ἰδιωτισμός, quasi aliquam partem secunda sit, & non tota aduersa quam maximè.

VT TIBI SIT RAT. LAVD. HABEND. TVAE] Cogitare de propagatione & celebritate nominis, fælicium, ac beatorum est: infælicium, & miserorum de incolumitate, vita & salute, quæ magis secundùm naturam sunt.

DONEC ERAM SOSPES] Suprà. *Viuere me dices, saluum tamen esse negabis.* Sospes, inquit Festus, significat apud omnes fere auctores saluum. Afran. in epist. Dij te sospitem seruent tuis. Virg. 8. Aeneid. *Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam, &c.*

TITVLI TANGEB. AMORE] & ipse cupidus eram gloriæ. Lib. 5. eleg. 13.

Nominis & famæ quondam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura secunda meas.

QVAERENDIQ. MIHI NOM. ARD. ERAT] Idem sensus. Sollemne huic poëtæ, mutatis verbis idem continenter dicere. Quod ingenij abundantiæ adscribamus licet. Nominant hoc genus figuræ expositionem.

CARMINA NVNC SIMVLO] Quasi diceret, similia carminum potius, quam genuina carmina compono. Cur autem istuc? quia,

STVDIVM QVOD OBFVIT ODI] Diligenda, & amplexanda magnoperè sunt nobis studia nostra, si quidquam egregium, & illis dignum præstare velimus. Quod se minimè facere nunc quidem, ingenuè confitetur, quoniam læsus sit ab illis. Lib. 2. *Si saperem, doctas odissem iure sorores.*

SIT SATIS INGEN. E. F. P. MEO] Sit finis desipiendi, & mihi per carmen de cætero magis nocendi. An non satis malorum habeo, cum ingenio mihi exilium pepererim? Fuga pro exilio, vt φυγὴ, & fugere, in exilium proficisci, vt φεύγειν. elog. 1. *Nos patriam fugimus.* ἁμοῖς πατρίδα φεύγομεν, concedimus in exilium, vertimus solum. Horat. Ode 7. lib. 1. *Teucer Salamina patremq; cum fugeret.* Et lib. 2. Ode 13.

Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis,
Dura fugæ, mala dura belli.

DII FACERENT] Lib. 3. eleg. 12. *Dij facite vt Cæsar non hos penetrale, domumq;. &c.* Ariadna Theseo, *Dij facerent vt me summa de puppe videres.* Cicer. Philipp. 9. Vellem Dij immortales fecissent. P.C. Et in Verrem, Dij faciant, vt rei militaris, vt belli mentionem facere audeas. Plautus. Capt. *Ita Dij, Deæq; faxint.*

POSSEM NVNC, MEVS ESSE LIBER] Ciofanus è codicibus calamo exaratis hanc scripturam profert, *possis non meus esse liber,* hoc sensu. Vtinam non esses liber meus, qui tristia, & mæsta contines: vtinam is liber non esses, quem ego tristis, & exul scribo. Non valde ad mentem poëtæ, qui cum librum ire, & pro se Romam aspicere iussisset, mox sibi hoc bonum contingere, & se in librum suum verti festinè optat. Nemo enim reperitur, qui non malit sibi bene esse, quam alteri. Merula legit, *non meus esse liber,* & interpretationem affert à mente Ouidij alienam.

MAGNAM IN VRBEM] non ambitu modo, sed & rebus omnibus magnam. Videnda oratio Aristidis Sophistæ. Admiranda Lipsij lib. 3. Et quæ attulimus in Symbolis nostris in illud Eclog. 1. *Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes.* Et lib. 7. ad illud, *nunc maxima rerum Roma colit.*

VT TITVLO CAREAS] quo tamen non cares, etsi is minio notatus non est.

IPSO NOSCERA COLORE] Vide suprà. *Nec te purpureo, &c.*

TE LIQVET ESSE MEVM] Ex colore nigro, & versibus quibus conscriptus es, intelligent omnes etiamsi tu dissimulare verum conaris, te meum librum esse, & à me ab exilio missum aduenire.

CLAM TAMEN INTRATO] non liberè, & palàm; sed quasi per postica, & occultè, quia nobis offensa est ciuitas.

NE TE MEA CARMINA LAEDANT] Ne ob priora illa, & amatoria carmina tibi innocenti licet, aliquod malum irrogetur: hæc enim præcipuè intelligit, vel sola potius.

NON SVNT VT QVOND. P. FAVOR. ERANT] Generatim. Fauebatur, & applaudebatur meis carminibus. Lib. 2.

Carmina fecerunt, vt me cognoscere vellent,
Omine non fausto fœmina, virq; meo.

Lib. 4. eleg. 10. vbi de poëtis senioribus agit.

Vtq; ego maiores, sic me coluere minores,
Notaq; non tardè facta Thalia mea est.

QVOD SIS MEVS] Ouidij, illius nugatoris, & *qui docuit vecitos sollicitare toros.*

E GREMIO REIICIATQVE SVO] etiam antequam aperuerit. A te abhorreat, non te probet, quemadmodum quæ è gremio reiiciuntur.

NON SVM PRAECEP. AMORIS] non tracto artem amandi, vt fratres mei tres. Lib. 3. eleg. 3. in epitaphio quod sibimet fecit. *Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum.* Et 2. de Pont. eleg. 10.

Naso parum prudens artem dum tradit amandi,
Doctrina pretium triste magister habet.

Vide eleg. 3. lib. 3. de P. vbi eum Cupidine, seu Amore lepidè expostulat.

POENAS IAM DEDIT ILLVD OPVS] ab ipso auctore suo improbatum, damnatum, & in latebras coniectum. Cur non dedit tardipedi Deo, infælicibus vstulandum lignis? verba sunt Catulli.

IN ALTA PALATIA] Sueton. in August. cap. 72. Habitauit primò iuxta Romanum forum, supra scalas anularias, in domo quæ Calui oratoris fuerat: postea in palatio; sed nihilominus ædibus modicis, &c. Et quoniam Cæsar habitauerit in Palatio, ibiq; ne suos milites habuerit, quamuis alibi habitet Imperator, tamen domus eius (sicut & Cæsaris) palatij nomen habet. Xiphilinus. Vnde Palatium, seu mons Palatinus nomen acceperit, Solin. cap. 2.

IGNOSCANT AVGVSTA. M. LOCA] Ex Munatij Planci sententia Octauius Augusti cognomen assumpsit, non tantùm nouum, sed etiam amplius, quòd loca quæque religiosa, & in quibus augurató quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab auium gestu, gustune. Suet. cap. 7. Ouid. 1. Fast.

A

Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa, sacerdotum ritè dicata manu.

Vide Festum, in Augustus locus.

DIIQVE LOCORVM] non quos Cæsar in ædibus suis colit, & illius loci præsides, ac tutelares, quomodo quis exposuerit, & Merula exponit: sed Augustus ipsemet. Nec te perturbet numerus dij, nam & numina sæpius de vno dicit.

VENIT IN HOC ILLA. F. AB ARCE CAP.] Conuenienter prouerbio, procul à Ioue, procul à fulmine. Iouis appellatione principes, reges, & viri quiuis opibus, auctoritateq; potentes accipiendi sunt. Monemur vitare, & declinare commoda, quæ isti Ioues afferre nobis possint, vt ita simul procul absimus, & effugiamus eorum fulmina, & incommoda grauia, quibus nos multare possunt. Versum hunc, & adagium ipsemet exposuit lib. 3. eleg. 4.

B

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius, siquis obesse potest.

IN HOC CAVVT] in me. Caput pro toto homine συνεκδοχ. Sic dicimus in aliqua vrbe numerati 30. 40. 100. millia capitum. Terent. *O lepidum caput.* Virgil. 4. Aeneid. de Ascanio, *capitiq; iniuria chari.* 12. Metamorph. de Achille, *caput insuperabile bello.* Valet etiam in pecudibus. Virgil. 7. Aeneid. de porca. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit.* Sæpe vitam, & salutem significat. Plaut. Capt.

C

Nam tu me vides pro tuo charo capite
Carum offerre capui meum vilitati.

MITISSIMA NVMINA] li. 5. eleg. 2. ad vxorē.

Quid dubitas, & adire times? accede, rogaq;.
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.

Et aliis præterea locis per multis placabilitatem eius, & clementiam laudat.

TIMEO QVI NOCVERE DEOS] Enallage numeri. Ad hunc Deum vt adeam, hortatur eius lenitas. Sed nescio quomodo inflictum semel ab eo vulnus me terret, & absterret. Ita enim natura comparatum est, vt in posterum timeas, quod semel noxium expertus sis.

D

TERRETVR MIN. PENNAE STRID. COLVMB.] timorem suum adeundi prætorium Augusti gemina comparatione timidorum animāium, columbæ, & ouis declarat. Addit tertiam, Phaëtontis, ex hypothesi, & quartam Græcorum, qui naufragium apud Caphareum effugerant. Latenter Augustum sibi accipitrem, & lupum fuisse, simulque innocentiam suam indicat. Habent παροιμιώδες lib. 6. versiculi de fugiendis malis semel expertis.

VNGVIBVS ACCIP. SAVCIA. P. TVIS] In Metamorph. A

Vt fugere accipitrem penna trepidante columba,
Vt solet accipiter trepidas vrgere columbas.

2. de P. eleg. 2.

Accipitrem veluti pennis trepidantibus ales
Audet in humanos fessa venire sinus.

Accipitres in Thracia ad hanc rationem cum hominibus per paludes societatem aucupandi iuire scribit Aelian. de animal. 2. cap. 42. Homines explicatis retibus quiescere, accipitres autem superuolantes exterrere aues, ac intra retia compellere. Thraces si quas ceperint aues, cum accipitribus partiri, eosque tum ad aucupij societatem fidos habere. Si nil communicauerint, dissociari, atque distrahi. B

EXCVSSA EST AVIDI. D. AGNA LVPI] Eleg. 1. lib. 4.

Vtq; rapax pecudem, quæ se non texit ouili,
Per sata, per syluas fertq; trahitq; lupus.

Summam discordiam, moresque dissimillimos Aegyptij cum significare volunt, agnum, seu ouem, & lupum ponunt. Idem poëtæ faciunt. Horat. Ode 4. Epod.

Lupis, & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Aiunt agnos recẽtes, nondum extra ouile vllum animal intuitos, audito repente luporum vlulatu exanimari, & metu perculsos concidere mortuos. Plura de antipathia lupi, & ouis Pierius hieroglyph. lib. 10. His duabus comparationibus C Menelaum 2. de Arte vt insipientem reprehendit, qui abiens peregre, cum Helena vxore Paridem Troianum iuuenem reliquerit.

Quis stupor hic, Menelae, fuit? tu solus abibas,
Iisdem sub tectis hospes, & vxor erant.
Accipitri timidas credis furiose columbas,
Plenum montano credis ouile lupo.

VITARET CAEL. PHAETHON, &c.] Fabula est 2. Metamorph. quo pacto scilicet adolescẽs temerarius, & inconsideratus à patre Phœbo currus regendi potestatem per vnum diem extorserit, ac pæne cælum, terram, maria exusserit. Monemur hoc figmento ἰδιαῶν, homines arrogantes, & sibi mira supra vires suas tribuentes, plerumque in magnas incidere calamitates. Fabu- D las, quæ in hisce libris, & de Ponto permultæ, interdum præteribimus, quia notæ satis: interdum strictim attingemus. Recentiores quidam Commentatores planè hunc laborem fugiunt, quia leguntur in dictionariis & apud mythographos. Quasi non alia quoque multa, quæ ipsi afferunt apud historicos, & alios bonos scriptores, atque adeo in Calepinis, & thesauris legantur.

IOVIS ARMA] Fulmen, quo & aduersus gigantes pugnauit; & maiestatem suam tuetur. Telum, & tela crebrò vocant poëtæ. Lib. 2.

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

ME REOR, INFESTO CVM TON. IONE, PETI] Quis non videt de quo loquatur, & quid sibi velit? lib. 4. eleg. 3. ad vxorem.

Nec tibi quod saeuis ego sum Iouis ignibus ictus
Purpureus molli fiat in ore rubor.

QVICVNQVE ARGOL. DE CLASSE CAPHAR. FVG.] Græci duces Troia deuastata domum renauigantes, apud Caphareum Eubœæ promontorium grauiter afflicti, & dissipati, & quidam domesticis calamitatib⁹ exagitati sunt. Vide 11. Aeneid. vbi Venulus à Latino rege legatus ad Diomedem pro auxiliis mittitur, & 14. Metamorph. & Q. Smyrnæum, seu Calabrum, vt vulgò appellatur, qui eleganti poëmate res Troianas ab Homero relictas (in morte enim Hectoris desinit) libris XIV. persequitur, ipsum inquam excidium, & vastationem vrbis, & Græcorum reditum cum præda, & captiuis, & inscribit παραλειπόμενα. Eius mali Græcis auctor fuit Nauplius Palamedis pater, qui eos in littus scopulosum & naufragum excitata per noctem pyra in mõte illo summa fraude pellexit. Vide Iun. prouerb. Quasi Nauplius Caphareo rediens. Immo prius Minerua, seu Pallas, quæ ob scelus Aiacis Oilei, de quo in 1. Aeneid. quoque ibidem atrocissimam in eos tempestatem concitauit. Hygin. fab. 116.

ET MEA CYMBA SEMEL, &c.] Hac metaphora pluries vsum de statu, & fortuna sua, obseruat Ciofan.

ERGO CAVE LIB.] propter periculum, ne postea dicas, tibi hoc à me non prædictum.

A MEDIA PLEBE] à quibusuis de plebe. Populi nomine interdum omnes ciuitatis ordines continentur: plebis verò nomine sine patriciis, & senatoribus cæteri ciues, vt Gellius, & Iureconsulti tradunt. Aliquando populus nominantur patricij, plebs autem reliqui ciues. Cicero pro Muræna: populo, plebique Romanę bene ac fæliciter euẽniret. Liuius lib. 2. de Tribunis pleb. non enim populi, sed plebis eum magistratum esse. Rursus, populus ea pars ciuitatis dicitur, in qua sunt ciues Romani honestiores, & opulentiores: plebs verò vilis, & inopa multitudo, in omnes tribus diffusa. Tacitus lib. 1. Historiarum. Neq; populi, aut plebis illa vox. Et non tantùm in populo ac plebe. Idem Annal. 1. & populo, & plebi CCCC. XXXV. dedit, quod dixit Sueton. Augusto, cap. 101. legauit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies HS.

INFIRMIS PENNIS] quia cera tantùm iunctis, nõ ex ipso corpore enatis, quemadmodum auibus ipsis.

ICAR. ICAR. NOM. FACIT AQVAS] Fabulam lege 8. Metamorph. Lib. 2. de Arte.

Icare clamabat (Dædalus pater) pẽnas aspexit in vndis,
Ossa tegit tellus, æquora nomen habent.

Sic Myrtoum mare nomen tulit à Myrtilo auriga, in illud à Pelope præcipitato: & Hellespontus ab Helle Athamantis Thebanorum regis filia, in eo demersa. Sic impurus ille Propert. scor-

to suo blandiens, & somniumde eius naufragio narrans, lib.2. eleg.26.

Quòm timui, ne fortè tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens nauita fleret aqua.

vt diceretur videlicet Cynthium, siue Cynthiacum, quemadmodum Hellespontus & Hellespontiacum. Hodie item fretum Magelanicum, à Ferdinando Magelano nauarcho Caroli V. Imperat.

REMIS VTARIS, AN AVRA] Allegoria. Lenius, & patientius agas, an instes & vrgeas. Sola aura, & velis naues procedunt tardius; velis & remis celerius, & concitatius.

CONSILIVM RESQVE, LOCVSQVE DABVNT] timore seposito, cupit Cæsarem adiri: sed cum magna cautione. Certum à se præscribi nihil posse: consilium è re ipsa, quæ agenda sit, & è loco in quo agenda, capiendum esse.

SI POTERIS VACVO TRADI] De tempore, & occasione aucupanda vide quid ex poëtis vtriusque linguæ depromat Victor. lib.37. cap.16. Missura sororem Annam Dido ad Aeneam, abitum parantem lib.4. *Sola viri molles aditus, & tempora noras.* Ea ipsa tempora mollissima fandi supra vocauerat. Molles isti aditus, & tempora ista sunt apud Dynastas, & Principes cum sunt otiosi, quieti, molestiis vacui, non perturbati, non solliciti; cum bene valent, nō cum minus belle: cum læti, non cum mœsti. In reddendis litteris Cicer. tempus obseruari vult. Lege epist.13. lib.1. Eiusdem diligentem rationem haberi postulat Horatius epist.13. lib.1.

Vt proficiscentem docui te sæpe, diuque,
Augusto reddes signata volumina Vinni:
Si validus, si lætus erit, si denique poscet:
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.

Et epist.1. lib.12.

Multa quidem nobis facimus mala sæpe poëtæ
(Vt vineta egomet cædam mea) cum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso.

De huiusmodi occasionibus item Metam.9.

Forsitan & missi sit quædam culpa ministri.
Non adiit aptè, non legit idonea, credo,
Tempora, nec petiit horamque, animumque vacantem.

SI CVNCTA VIDEBIS MITIA] si nihil vspiam turbarum in repub. aut in ipsa regia.

SI VIRES FREGIT IRA SVAS] si mihi remissius iratum cognoueris. Diuturnitate enim plerumque vt dolor animi, ita ira languescit.

SI QVIS ERIT QVI TE DVBITANTEM, &c.] Si extiterit amicus aliquis; qui te timentem tradere, & præfari pauca ad gratiam tibi conciliandam velit, adi sanè.

LVCE BONA] die fælici, ac fausto. Bene precatur libro suo, commoditatem adeundi nacto.

DOMINOQVE TVO FARE IPSO] Mihi enim ea copia nec est, nec erit fortasse. Vnde suprà, *Heu mihi, quò domino non licet ire tuo.*

A ET MALA NOSTRA LEVES] Leuari, seu mitigari exilium suum, quam tolli, sæpius orat.

NAMQVE EA VEL NEMO, VEL QVI, &c.] Hoc distichon Bernard. Martini triginta sex variis, iisque verbo tantùm tenus diuersis interpretationibus græcè aliquando vertit ἐρρωμένως σοφιζων: ille enim vnum distichon græcum quinquagies latinum fecit.

SOLVS ACHILLEO TOLLERE M. POTEST] Telephum Mysorum regem, Græcos ad Troiam obsidendam per regionem suam proficiscentes prohibere conantem, vulnerauit hasta sua Achilles. Quod vulnus (respondit oraculum) nisi scobe, seu rubigine eius hastæ abrasa, & inspersa sanari non posse. Verba oraculi hæc fue-

B runt: ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. De Remed. amoris lib.1.

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Et 2. Am.6.

Quid? non Æmonius quem cuspide perculit hostis
Cum petiit medica postmodo sanus ope?

Item eleg.2. lib.2. de P. *Profuit & Myso Pelias hasta duci.*

Copiose de Telepho Hygin. fab.101. & vir pariter nobiliss. & elegantiore doctrina politissimus Hieron. Columna, in Fragmenta Ennij, ex tragœd. Telepho.

TANTVM NE NOCEAS DVM VIS PRODESSE] Circumspice prius omnia. Malo ne prosis, quam vt per imprudentiam mihi noceas: ne

C ad cætera mala hoc nouum etiam.

SPES EST TIMORE MINOR] Et spero, & timeo de euentu aditus tui. Attamen timor magis me habet sollicitum, quam spes securum.

QVAEQVE QVIESCEBAT IRA] Suprà dubitabat, *si vires fregerit ira suas.* Et hic etiam particula *forsan* subaudienda est.

ALTERA CAVSSA] ego enim prima fui. Tu, nisi caues, secunda eris, & denuo illum in me irritabis, vt nouis me pœnis afficiat.

IN NOSTRVM PENETRALE] in domum meam intimam, cum qua voce illam coniungit eleg.12. lib.3.

Dij facite vt Cæsar non hoc penetrale, domumque,
Hospitium pœnæ sed velit esse meæ.

D Penetralia, inquit Isidorus, libro 15. dicta ab eo, quod est penitus, hoc est pœne intus. Festus autem, penetralia sunt penatium deorum sacraria.

TVAM SCRINIA PARVA DOMVM] tuam domum, appositio; quæ tibi pro domo erant. Scrinia Isidoro lib.20. sunt vasa capsæ, in quibus seruabantur libri, scripta, vel thesauri. Vnde apud Romanos illi qui libros seruant, scriniarij nuncupantur. Horat. sat.1. lib.1. *Iam satis est, ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes. ad librariorum curam scrinia.* Catull. Et Martial. lib.4. *Plena laboratis habeat vbi scrinia libris.* Scriniarij Iureconsult. Principis, aut magistratus scriniorum Præpositi, & magistri.

POSITOS

Positos ex ordine fratres] Par est fratres vocare, quorum vnus, & idem est parens. Recole quæ diximus versu 2. *Heu mihi, quòd domino non licet ire tuo.* Eleg.14. lib.3. stirpem quoque, & progeniem vocat. Aliquando natos. Alicubi viscera sua.

Quos stud. cunct. evigil. idem] quos eodem omnes studio, vigilia, & cura genui. Nota verbum hoc in actione positum. Alioqui sine casu effertur, nisi cum ablatiuo instrumenti. Cic. ad Brut. epist.15. Messala tanta est industria, tantoque euigilat studio. Participium patiendi est ad Atticum lib.9. Honesta, atque expedita tua consilia, quàm euigilata tuis cogitationibus, &c.

Caetera turba palam, &c.] Quos fratres ex ordine positos dixerat, nunc turbam nominat; & illam apertè præferre inscriptiones suas, vt Fastorum, Metamorph. &c.

Tres procul obscura latit. p. videb.] Si parua scrinia, & hi tres in iisdem scriniis, quo modo procul latitantes videbit? Puto illos extra hæc scrinia iacuisse. Vnde ait, cum contigeris scrinia parua, id est, cum accesseris ingressurus. Non igitur obscura parte scriniorum, sed obscura parte domus: nec tenebrosa, sed abdita, neglecta. Sciendum, principio quinque fuisse, postmodum ad tres redactos. Id testantur ipsi, exordio Amorum.

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus: hoc illi prætulit auctor opus.

Hi quoque amare docent] Quo referatur vò, *quoque*, non dispicio: quasi alios præterea scripserit, qui amare doceant. Contrà de libris Ponticis lib.1. eleg.1. *Certè nil turpe docetis.* Forte hoc vult. Præterquam quod obscura parte iacent, etiam amare docent.

Quod nemo nescit] Hinc suprà, *& peragar populi publicus ore reus.* Verisimile est, hos nimium multis in manibus fuisse. De quarto Aeneid. qui nimium quantum ab istis lusibus discrepat, caussæ suæ inseruiens scribit lib.2. quod omnes quoque sciebant, quia libentius, & præ cæteris eum librum lectitabant.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma, virumque, toros,
Nec legitur pars vlla magis de corpore toto,
Quam non legitimo fœdere iunctus amor.

Hos tu vel fugias] lib.3. eleg.1. loquitur ipse liber.

Quærebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse pater.

Vel si satis oris habebis] os Latinis non rarò valet libertatem, audaciam, impudentiam. Cic. 4. in Verrem. Nostis os hominis, nostis audaciam. Et 1. de orat. Quod tandem est os illius patroni, qui ad illas caussas sine vlla scientia iuris audet accedere? Et pro Quintio. Mihi videtur ore durissimo esse, qui præsente Roscio ge-

A stum agere conetur. Hel. Paridi. *Non tibi plus cordis, sed minus oris inest.*

Oedipodas. f. telegon. voces] Patronymicum pro primitiuo, Oedipodes pro Oedipus, vt Scipiades pro Scipio. Ergo vt Oedipus Laium, Telegonus è Circe natus Vlyssem, vterque patrem suum, quanquam nescientes, interfecerunt: ita illi me auctorem, & parentem suum in exiliū, quod mihi mortis instar, & morte etiam acerbius est, pepulerunt. Hygin. fab.127. De Oedipo, qua occasione patrem occiderit, videndus Diodorus lib.5. & principium Phœnissarum Euripid. & Oedipus Tyrannus Sophoclis, & Senecæ. De Telegono 3. Fastor. Hîc Telegonus, est à recto Telegon.

B Si qua est tibi cura parentis] si parentem me amas, illique, vt debes, gratum facere cupis. Si parens tibi curæ, & cordi est, & illum offendere vereris. Parentes secūdùm Deum maximè honorandi, senes alendi, & officiis omnibus fouendi, & adiuuandi sunt.

Quenquam] ex illo ternario.

Quamvis ipse docebit] Verbum *amare* subaudirum cum futuro *docebit*, aliter sumēdum est, quam *amet* coniunctiuus. Docent quidem amare illi libri, sed non legitimè, ac honestè.

Mutatae ter quinque volum. formae] Libri 15. Metamorph. quos abiens in exilium emendare non potuit. Vide Prolegom. & eleg. huius lib.6. & lib.2. & lib.3. eleg.14. Liber est
C quicunque codex, magnus aut paruus: volumen propriè plurium paginarum, chartarumque inuolutio. Est enim ab inuoluendo, quod veteres libros in cylindri modum circa vmbilicum inuoluere solebant. Vnde inuoluere libros, quasi inuolutos explicare. Interdum hæc duo nihil differunt, & duplex significatum habent. Nam liber & certam operis partem denotat, vt liber primus, liber secundus: & totum opus. Cicer. ad Attic. lib.13. librum de gloria tibi celeriter mittam. Similiter volumen & pro integro opere accipitur. Vlpianus ad Sabinum XXIV. Si cui centum libri sint legati, centum volumina ei dabimus. Et Sueton. de clar. Grammat. C. Octauius Lampadio Næuij Punicum bellum, quod vnico
D volumine, & continenti scriptura expositum diuisit in libros sex. Et pro parte operis. Sic Plinius singulos historiæ suæ libros volumina appellat. Eodem modo hîc Ouid. Ex Ausonio Popma de different. verbor. vt aliâs, quod bis te monuisse sufficiat.

Ab exequiis meis] Illo enim discessu è patria, quasi ad rogum visus est efferri. Et libri illi seruati, velut è rogo domini, flammisque seruati sunt. Quare & lib.3. eleg.14. *Sed quasi de domini funere rapta sui.*

Inter mutata referri corp. &c.] Corporum metamorphosibus à se (vt docti omnes fatentur) ingeniosissimè descriptis, fortunæ quoque suæ transmutationem annumerat:

...lætæ nimirum, ac florentis in afflictam, & flebilem.

SVBITO EST EFFECTA DISSIM.] me nec opinante, improuisò.

VEREOR TARDAE. C. FVISSE MORAE] Quasi cum internuntio agit, cœptamque personæ fictionem ad finem vsque continuat.

QVAE SVBEVNT] Quæ mandarem tibi Romæ efficienda, adhuc multa occurrunt, quæ diceres vxori, quæ domesticis, quæ amicis, ac familiaribus. Subit aliquoties ponit sine casu. pro, in mentem venit. Eleg. 3. *Cum subit illius tristissima noctis imago*, vbi super hoc verbo plura annotauimus.

SARCINA LATVRO MAG. FVT.] Onus vehiculorum, & maius est; sarcina hominum. Cornel. Fronto. Confunduntur sæpe. Vxor ad discessurum eleg. 3. *Accedam profuga sarcina parua rati.*

LONGA VIA EST, PROPERA] Tanquam suis pedibus euntem vrget, cum iam dixerit, laturo fore sarcinam. Properare est citò, & strennè progredi, vt eo quo velis peruenias. Festinare

A morum, & celeritatem maiorem exprimit. Maturare est neq; citius, neq; serius, sed in tempore procedere, vt Gell. & Macrob. tradunt.

ORBIS VLTIMVS] Vltima pars orbis, extimæ terrarum oræ: sicut vltima platea, & similia. Lib. 3. eleg. 4

Vlterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quam vicina est vltima terra mihi!

Lib. 5. eleg. 2.

Barbara me tellus, orbisq; nouissima magni
B *Sustinet, & sæuo cinctus ab hoste locus.*

Et lib. 4. eleg. 9. *Sim licet extremum sicut sum, missus in orbem.* Catul. & Horat. vocant Britannos vltimos, & vltimam Britanniam. Et Virgil. eclog. 1. *toto diuisos orbe Britannos.* Nonnunquam enim latinis scriptoribus orbis est, quod Græcis ἤπειρος, terra continens, seu pars terræ, quæ ab alia parte mari interueniente non separatur. Poëtæ quoque peregrinum orbem remotam aliquam regionem nominant, transmarinam præsertim 1. Metamor.

Nondum cæsa suis, peregrinum vt viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat vndas.

ELEGIA SECVNDA.

AD DEOS IN TEMPESTATE SVPPLICATIO.

ARGVMENTVM.

DVABVS partibus hæc elegia continetur, seu, bipartita est eius materia, tempestas, & deprecatio mortis in mediis fluctibus, ad Deos superos, & marinos: quandoquidem non ad opes corradendas: non ad ingenium studiis excolendum: non ad vrbes ex curiositate lustrandas: non ad delitias perfruendas: sed ad exilium, quod non scelere, sed stultitia, & errore commeruerit, profici scatur. In extremo preces suas exauditas ominatur. Plena, & luculenta est hæc descriptio tempestatis. Qui plures legere cupit, habet Symbolas meas, ad illos versus 1. Æneid. *Eripiunt subitò nubes cælumq;, diemq;, &c.* Perillustris est Senecæ in Agamemnone, & pluribus locis huic Ouidianæ similis. Libenter enim tragicus ille huius nostri vestigiis insistit. *Agitata ventis vnda venturis tumet, &c.* Act. 3.

Dij maris & cæli, (quid enim nisi vota supersunt?)
Soluere quassatæ parcite membra ratis.

Néue, precor, magni subscribite Cæsaris iræ,
Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.
Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam propior Saturnia Turno:
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Vlyssem:
Eripuit patruo sæpe Minerua suo.
Et nobis aliquod (quamuis distamus ab illis)
Quis vetet irato numen adesse Deo?
Verba miser frustra non proficientia perdo:
Ipsa graues spargunt ora loquentis aquæ.
Terribilisq; Notus iactat mea dicta: precesq;
Ad quos mittuntur non sinit ire deos.
Ergo iidem venti, ne caussa lædar in vna,
Veláque nescio quò votáque nostra ferunt.
Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles!
Iam iam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque aspicio, nihil est, nisi pontus & æther:
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter vtrumque fremunt immani murmure venti:
Nescit cui domino pareat vnda maris.
Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu:
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus aduersa prælia fronte gerit.
Rector in incerto est: nec, quid fugiátue petátue,
Inuenit: ambiguis ars stupet ipsa malis:
Scilicet occidimus: nec spes est vlla salutis:
Dumq; loquor, vultus obruit vnda meos.
Opprimet hanc animam fluctus: frustraq; precanti
Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quàm me dolet exule coniux:
Hoc vnum nostri scitq; gemitq; mali.
Nescit in immenso iactari corpora ponto:
Nescit agi ventis: nescit adesse necem.
O bene, quod non sum mecum conscendere passus:
Ne mihi mors misero bis patienda foret.

At

At nunc vt peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certè parte superstes ero.
Hei mihi, quàm celeri micuerunt nubila flamma!
Quantus ab ætherio personat axe fragor!
Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis,
Quàm graue balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit, hic fluctus fluctus super eminet omnes:
Posterior nono est, vndecimoq; prior.
Non lethum timeo, genus est miserabile lethi:
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
EST ALIQVID, FATOVE SVO FERROVE CADENTEM
IN SOLITA MORIENS PONERE CORPVS HVMO:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor: immeritos cur mea pœna trahit?
Prô superi, viridesq; Dei, quibus æquora curæ:
Vtraq; iam vestras sistite turba minas:
Quamq; dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc finite infelix in loca missa feram.
Si, quoniam merui pœnam, me perdere vultis:
Culpa mea est ipso iudice morte minor.
Mittere me Stygias si iam voluisset ad vndas
Cæsar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non inuidiosa cruoris
Copia: quodq; dedit, cùm volet, ipse feret.
Vos modò, quos certè nullo, puto, crimine læsi,
Contenti nostris iam precor, este malis.
Nec tamen, vt cuncti miserum seruare velitis,
Quod periit, saluum iam caput esse potest.
Vt mare subsidat, ventisq; ferentibus vtar:
Vt mihi parcatis: non minus exul ero.
Non ego diuitias auidus sine fine parandi
Latum mutandis mercibus æquor aro:
Nec peto, quas quondam petij studiosus, Athenas:
Oppida non Asiæ: non mihi visa prius:
Non vt Alexandri claram delatus in vrbem,
Delicias videam Nile iocose tuas:
Quod facile est, opto ventos (quis credere posset?)
Sarmatis est tellus, quam mea vela petunt.

Obligor, vt tangam læuifera littora Ponti:
Quodq́; sit à patria tam fuga tarda queror.
Nescio quo videam positos vt in orbe Tomitas,
Exilij facio per mea vota viam.
Si me diligitis tantos compescite fluctus:
Pronaq́; sint nostræ numina vestra rati.
Seu magis odistis, iustæ me aduertite terræ:
Supplicij pars est in regione mori.
Ferte (quid hic facio?) rapidi mea corpora venti:
Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæsar: quid, quem fugat ille, tenetis?
Aspiciat vultus Pontica terra meos.
Et iubet, & merui: nec, quæ damnauerit ille
Crimina, defendi fasúe piumúe puto.
Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt:
A culpa facinus scitis abesse mea.
Immò ita si scitis: si me meus abstulit error:
Stultáque mens nobis, non scelerata fuit:
Quod, licet ex minimis, domui si fauimus illi:
Si satis Augusti publica iussa mihi:
Hoc duce si dixi fælicia secula: próque
Cæsare tura, piis Cæsaribusq́; dedi:
Si fuit hic animus nobis, ita parcite diui:
Sin minus: alta cadens obruat vnda caput.
Fallor? an incipiunt grauidæ euanescere nubes?
Victáque mutati frangitur ira maris?
Non casu vos, sed sub conditione vocati,
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

COMMENTARIVS.

A DII MARIS, ET CAELI.] Deorum alij sunt cælestes, alij terrestres, alij aquatici. Inter aquaticos alij maris, alij fluuiorum, alij fontium. Cælestium ope Ouidius indiget propter ventos compescendos, qui euertunt mare: marinorum propter sedandos fluctus, & temperandum æquor. Ergo hæc duo genera Deorum generatim, & ἁπλῶς inuocat. Marini sunt Neptunus, Amphitrite, Oceanus, Thetys, Nereus, Doris, & quos in 3. Aeneid. sub finem his versibus Virgilius enumerat.

Et senior Glauci chorus, Inoúq́; Palæmon,
Tritonesq́; citi, Phorciq́; exercitus omnis.
Læua tenent Thetis, & Melite, Panopeaq́; virgo,
Nisæe, Spióque, Thaliáque, Cymodocéque.

QVID SIN. NISI. V. SVPERS.] Non aliud quam diuinũ superest auxilium, quod precibus nobis impetrandum est. Et nauis, & vectorum salutem magister cum nautis, & mesonautis iam desperarunt. Ita fit in rebus humanis, vt tum demum diuinum poscatur auxilium, cum aliunde nullum speratur. Seneca Agam. *In vota miseros vltimus cogit timor.* Et in secundis Dei obliuiscuntur homines; in aduersis meminerunt, de quo Lact. lib. 2. cap. 1.

SOLVERE QVASSATAE PARCITE MEMBRA RAT.] Iam eam vicit hyems, laxis laterum compagibus accipit inimicum imbrem, vt est apud Maronem. Atqui Dij ipsi non soluebant. Sed

quod

quod patiebantur fieri, nec prohibebant, hoc eos facere, & meritò, dicit. Quomodo & Christiani de vero Deo nostro sine eius iniuria loquimur. *Non est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus.* Amos 3.

NEVE MAGNI CAESARIS] Magni vel virtute, & rebus gestis, vel nobilitate originis, vel potētia, & amplitudine monarchiæ, vel his simul omnibus. Anchises de eo vaticinans apud inferos 6. Aeneid.

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar diuûm genus: aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arua
Saturno quondam: super & Garamantas, & Indos
Proferet imperium.

SVASCENTIS IRAS] Non quod Cæsar iratus perire illum naufragio vellet: sed a quis perdere, quem ille exilio multatum iam perdiderat, erat quodammodo iudicium Cæsaris approbare cum auctario, idque pro maiestate, & auctoritate sua: vel potius nimiæ lenitatis, & dissolutionis eum coarguere, qui hominem ferro magis trucidare, debuisset. Subscribere pro fauere, & astipulari, & assentiri Cicero vsus nō est; vtuntur Iurecōsulti, vt notat in Pand. Budæus. Celsus. Vlterioribus diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit. Marcell. Non aliter enim voluntati eius, qui arrogare pupillum volet, etiamsi caussam eius ob alia probabit, subscribendum erit, συγκατάθεσιν. Sic Troianus ad Plinium, non tamen desiderio subscripsi. Liuius lib. 10. subscripsit orationi eius Consul. Id est fauit, adiuuit. Et subscriptio, approbatio, astipulatio, vt Græcis ὑπογραφή.

SAEPE PREM. DEO FERT. D. ALTER OPEM] Hoc ex Homero sit liquidissimum. Sunt enim illic Dij diuersarum partium, & alij Græcos, alij Troianos fouent, ac tuentur. Quod mox Ouid. ipse docet, dum Vulcanum, & Palladem illis, Apollinem, & Venerem his patronos adiungit. In 2. Aen. Iuno quoque & Neptunus Troianis aduersantur. Iupiter est sæpe ἀδιάφορος. Fauit item Græcis Mercurius: Troianis Mars, Diana, Latona.

MVLCIBER IN TROIAM] Vulcanus dicitur Mulciber à mulcēdo ferro, vt ait Festus, mulcere enim mollire, siue lenire est. Pacuuius, *quid me obtutu terres mulces laudibus?* Putidum Homeri mendacium deprehendit, & reprehendit Scaliger lib. 5. cap. 2. cum scripsit, omnes deos Ioni opes Troianas sustinenti succensuisse. Partiebantur enim operas factionum, partim pro Græcis, partim pro Troianis.

PRO TROIA STAB. APOLLO] Hinc etiam Paridis sagittam in Achillis eam corporis partem quæ vulnerabilis esset, direxit. Virgil. lib. 6.

Phœbe graues Troiæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manumq;
Corpus in Æacidæ.

ODERAT AEN. PROP. SAT. TVRNO] Quod confusè de Troianis, & Græcis dixerat, A vtrosque Deos suos amicos, & tutelares habuisse, id nunc duobus singularibus exemplis Aeneę, & Vlysis demonstrat, quorum illum Venus contra Iunonem, Turnum adiuuautem: hunc Minerua contra Neptunum, Iouis patris sui fratrem defendit. Pro Turno orat Iuno 12. Aeneid. Ibidem Iuturnam eius sororem ad opem ei ferendam inuitat. Vlysi Neptunus infensus fuit propter Polyphemum filium ab eo exoculatum, vt est in 1. Odyss. & 3. Aeneid. Et inde quemadmodum illi lamentanti promiserat, vt narrat Lucian. nauigantem afflixit, & à patriæ finibus diu coërcuit. Vide 5. Odyss. De fauore autem Mineruę in illum 3. Odyss. & alibi.

B ILLE TAMEN VSN. NVM. TVTVS] Vt nihil dicam de Iliade, ex Aeneide hoc abundè discas.

SAEPE NEPT. VLYSS. PETIIT] Propter Palamedem nepotem, astu à Græcis ipsis peremptum, vt est in 2. Aeneid. & Polyphemum filium ab eodem lumine orbatum, pluribus annis eum toto mari exagitauit vt perderet.

CAVTVM VLYSSEM] Vbique Vlysses ab Homero, vt versutus, vafer, callidus, simulator, ac dissimulator, πολυμήτις, εἰδὼς δόλους, πολυτρόπος, συμφράδμων, αἱολομήτης, πολύτροπος inducitur. Hinc parœmia, Vlysseum commentum, pro astuto & vafro, Virgil. 2. Aeneid. *Sic notus Vlysses?* ibid. *scelerumq; inuentor Vlysses.* Eunapius Sardianus. ὀδυσσεύς τινα, καὶ θεμιστόκλειον σφαλερῶς πανουργίας. Vlysseam quandam, & Themistocleam vafritiem transcen-
C dens. Alciphro. in ep. [illegible] excogitaui Vlysseum inuentum, aut consilium.

ERIPVIT PATRVO SVO] Eleg. 4. *Bellatrixq; illi diua ferebat opem.* Semper ei in periculis & casibus adest Pallas, id est, prudentia, qua duce, & comite, & adiutrice superior fit omnibus.

ET NOBIS ALIQVOD, QVAMVIS D. AB ILLIS, &c.] ἀντιθέσεως cum summissione. Non esse necesse, cum ab vno Deo Augusto oppugnetur, omnes cum eo conspirare, tametsi ipse Aeneæ, Vlysi, Turno comparaudus non sit.

VERBA NON PROFICIENTIA PERDO] De Aenea similiter in tempestate exclamante, & duplices palmas ad sidera tendente Virgil. *Talia iactanti,* id est, frustra, & inutiliter loqueti, verba
D incassum fundenti: nec enim desinit tempestas.

GRAVES SPARG. ORALOQ. AQVAS] Hoc admonet nos, magnam aquæ vim iam in nauem insiluisse.

TERRIBILISQVE NOTVS. I. MEA. V. &c.] Ita loquūtur boni auctores de sermone, & verbis inanibus quorum nullus sequitur effectus. Virg. lib. 9. *Sed aura Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.* Lucret. lib. 4. *tu fac ne ventis verba profundam.* Tibull. eleg. 5. lib. 1. *quæ nunc Caurusq; Notusq; Iactat odoratos vota per Armenios.* Catul. de nupt. *Irrita ventosæ rapiebant cuncta procellæ.*

PRECESQ. AO. Q. MITT. N. L. IRE DEOS] O Deos, non nisi cælo tranquillo audientes, &, quod par est, non nisi in luce videntes.

Ne cavssa laedar in vna] vt dupliciter lædar, & per ventos, qui, vt subiungitur, & nauim nescio quò dispellunt; & preces meas Deorum aures contingere non sinunt.

Qvanti montes volvvntvr aqvar?] Virgil.1.Aen. *Insequitur cumulo præruptus aqua mons.*

Iam iam tact. sid. svmma pvtes] Hyperbolen istam vndarũ in cælum ventorum impulsu ascendentium, & subductione rursum nauim ad inferos pœne deducentium, ex 3. Aeneid. transtulit, vbi sic est.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus vnda,

Metamorph.11. *Cælumq; æquare videtur Pontus, & inductas aspergine tangere nubes.* Seneca Agamem. *in astra pontus tollitur.*

Svbsidvnt valles] magis magisq; profundæ apparent valles.

Iam iam tact. tart. nigra pvtes] 1. Aeneid.

Hi summo in fluctu pendent: his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit æstus arenis.

Seneca. *Illum dehiscens pontus in præceps rapit, hauritq;.* Nigra tartara propter tenebras quibus omnia nigrescunt quodammodo. Virgil.6. Aeneid. *Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre Tartara.*

Nihil est nisi pontvs et aether.] Virgil.lib.3.

Postquã altum tenuere rates, nec iam amplius vlla
Apparent terra, cælum vndique, & vndiq; pontus.

Flvctibvs hic tvmido.] tumida æquora 1.Aeneid. Et lib.3. *Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.* Cic.1. de Diuinat. *Inflatum mare cum subitò, penitusq; tumescit.*

Nvbibvs ille minax] propter fulgura, & tonitrua. Seneca. & *nube dirum fulmen elisa micat.*

Inter vtrvmqve] inter pelagus, & ætherem in aëre, vbi eorum sedes, & regnum, & regio. 1.Metamorph.

Illic & nebulas, illic consistere nubes
Iussit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.

Cic.1. Tuscul. Qui (animus) si permanet incorruptus, suique similis, necesse est ita feratur, vt penetret, & diuidat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod & humidum, & caliginosum est propter exhalationes terræ.

Fremvnt immani mvrmvre] acerrimè sibilant. Virgil.1. Aeneid. *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.* Metula legit, *immani turbine,* sine auctore.

Nescit cvi domino pareat vnda maris] caussa subiicitur. Quia cum sint quatuor, Eurus ab ortu luctatur cum Zephyro ab occasu, & Boreas à septẽtrione spirat aduersus Austrum à meridie. Quare in medio relictum pelagus necessariò extumescit, & cui pareat nescit, id est, cuius flatibus obtemperet, vt vel ad ortum, vel ad occasum, vel ad septentrionem, vel ad meri-

A diem se commoueri sinat, eoq; naues prouehat, cum ex omni parte vento illius impellatur, & exagitetur. Sic apud Statium 1. Theba. vnus aliquis de fastu, & insolentia Eteoclis imperantis, & de fratre eius Polynice breui superuenturo, qui regnum sibi ex pacto debitum rapiat, conquerens, eadem comparatione rem declarat.

Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
Vela trahunt, nutat media fortuna carinæ.
Heu dubio suspensa metu, tolerandaq; nullis
Aspera sors populis: hic imperat, ille minatur.

Nam modo pvrp. vires cap. &c.] Seneca in Agam. huic loco,

——vndique incumbunt simul,
Rapiuntq; pelagus infimo euersum solo,
B *Aduersus Eurum zephyrus, & Boream Notus*
Sua quisque mittunt tela, & infesti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare, &c.

Vocat ortum purpureum propter auroræ colorem purpureum, & plena rosarum atria, vt est in 2. Metamorph.

Sero vespere] quia est finis diei, seu vltima pars totius diei.

Sicca boreas bacchat. ab arcto] Aquilo alio nomine. Ventus est ꝓcellosus. Thracius Horatio, Ode 25. lib.1.

Inuicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo leuis angiportu
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento

C Virgil.1. Aeneid.

Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum aduersa ferit, fluctusq; ad sidera tollit.

Siccam dicit Arcton, quia nunquam occidunt vrsæ, quod est poëtis in mare descendere. Caussam habes 3. Metamorph. Virgil.1. Georg. *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.*

Adversa praelia fronte gerit] *Luctantes ventos*, inquit 1. Aeneid. & 1. Georg. *Omnia ventorum concurrere prælia vidi.*

Rector in incerto est, &c.] 11. Met.

Aspera crescit hyems, omniq; à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaq; indignantia miscent.
Ipse pauet, nec se quis sit status ipse fatetur
Scire ratis rector; nec quid iubeatue, velitue, &c.

D Plures locos aggerit Ciofan. Seneca Agam.

Nil ratio & vsus audet, ars cessit malis.
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Nauita relicto, remus effugit manus.

Aeneid.5. Palinurum sic loquentem facit poëta.

Magnanime Ænea, non si mihi Iupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo,
Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti.

Nec qvid fvgiatve, petatve] quem ventum vitet velificatione mutata: aut quo cursum dirigat.

Scilicet occidimvs] crebra comicis, occidi, perij, nullus sum, in rebus desperatis. Plaut. Capt. *nec salus vlla sperabilis est mecum.*

Dvm-

DVMQVE LOQ. VVLT. OBRVIT. V. MEOS] ſuprà. *Ipſa graues ſpargunt ora loquentis aquæ.*

OPPRIMET HANC ANIM. FLVCTVS] Pereundum eſt in his fluctib'. Anima pro vita. Plaut. Mænech. *anima priuabo virum*: quod paulò antè dixerat, *vita doneluam* ſua.

OBRVSCAT. ACCIP. AQVAS] Expreſsius, & ſignatè eloquitur genus, & modum mortis ſuæ, quam timet.

QVAM ME DOLET EXVLE, &c.] Dolori eſt illi hoc vnum, quod mittor in exilium. Quanto magis cruciaretur, ſi ſciret, me iactari hac tempeſtate, verſariq; in mortis ipſius faucibus? Quam ſi, vt cupiebat (& vt narrabit eleg. 3.) mecum duxiſſem, illius luctus, eiulatus, & commune periculum mortem mihi duplicaſſent. Nunc, quoniam ſaluam illam, & ſuperſtitem relinquo, videor dimidium mei viuum relinquere; ſicut ipſa eſt animæ dimidium meæ.

MECVM CONSCENDERE] Terra elementorum infimum eſt; altius eo aqua, cuius theſaurus, & inſtar quoddam totius, mare. Rectè igitur conſcendere mare, ſicut equum dicimus. Virgil. 1. Aeneid. *Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor* De ardore vxoris proſequendi maritum in exilium, ſcriptum elegia ſequenti.

Tum vero coniux humeris abeuntis inhærens
Miſcuit hæc lacrymis vltima dicta meis.
Non potes auelli; ſimul hinc, ſimul ibimus, inquit:
Te ſequar, & coniux exulis exul ero, &c.

NE MIHI. M. BIS PATIENDA] quoniam in coniugibus vna eſt quodammodo, ſicut corpus, ita quoque anima, & vita alterius eſt in altero, & viuit vigetque in viro vxor, & in vxore vir. Nec minus illa, ſi naufragio perirent ambo, bis mortem pateretur, quam ille.

QVAM CELERI MICVER. NVB. FLAMMA?] Virgil. 1. Aeneid. *crebris micat ignibus æther.* De fulgetris, ſeu fulguribus hoc intellige. Seneca lib. 2. Natural. Quæſt. Tria ſunt quę accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua, quæ vnà facta, ſerius audiuntur. Fulguratio oſtendit ignem: fulminatio emittit. Illa, vt ita dicam, comminatio eſt, & conatio ſine ictu: iſta iaculatio cum ictu.

QVANTVS PERSONAT FRAGOR?] 3. Faſt. *Et grauis æthereo venit ab axe fragor*. Virgil. 1. *Intonuere poli*. Et lib. 8. *iterum atque iterum fragor intonat ingens.*

NEC LEVIVS FERIVNTVR] non minore impetu. Aequè valida vi quaſſantur.

QVAM GRAVE BALLIST. M. PVLS. ONVS] De hac machina militari vide Vitruuium lib. 10. cap. 16. & Vegetium lib. 4. cap. 22. & in eundem Steuechium. Eo ingentia ſaxa eiaculabantur, & muros quatiebant, ac verberabant. Balliſtarium, locus, vbi balliſtæ conduntur, & vnde depromuntur, vt armamentarium, ærarium, libellarium, &c.

QVI VENIT HINC FLVCTVS] ex tam vehementi maris æſtu. Legitur etiam, *hic fluctus*, &
A verius. Sed tum poſt *venit* interpungendum, ſic. *Qui venit, hic fluctus, &c.*

POSTERIOR NON EST, VNDECIM. PRIOR] De fluctu decimo, ſeu decumano accipe, ita dicto propter denarij perfectionem. Plures poëtæ eum celebrarunt. Græcis *τρικυμία*. Vide Iun. prouerb. decumani maiorum fluctus. De ingentibus enim calamitatibus, etiam vſurpatur, *τρικυμία* propriè tempeſtas, qua tres vndarum cumuli in vnum coëunt. Item Politianus cap. 86. Rhodigin. lib. 22. cap. 14. Silius lib. 14.

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps
Cum ſeſe immiſit, decimoq; volumine pontum
Expulit in terras.

GENVS EST MISERAB. LETHI] Magis ſæ-
B pe genus mortis, quam ipſa mors hominem terret. Scimus enim moriendū omnibus: at genus moriendi interdum vel cruciatum, vel ignominiam, vel abiectionem, & humilitatem quandam adiunctam habet. Itaq; nemo vult cum cruciatu vel magno, vel longo, vel cum dedecore, & falſo crimine, fame, aut peſte, aut beſtiarum dentibus, aut naufragio mori. Cauſam porrò quamobrem naufragio interire miſerum ſit, ſubnectit verſu ſexto: quia ſic morientes piſcibus eſca fiunt, nec tumulo mandantur. Quadrat huc locus Senecæ in Agamem.

Eademq; ſuperos Troes, & Danai rogant.
Quid fata poſſunt? inuidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlyſſes. Hectori Atrides minor,
C *Priamo Agamemno. Quiſquis ad Troiam iacet,*
Felix vocatur: cadere qui meruit manu.
Quem fama ſeruat, victa quem tellus tegit.
Nil nobile auſos pontus & vndæ ferent?
Ignaua fortes facta conſument viros?
Pudenda mors eſt.

Merula cauſſam, cur dixerit eſſe miſerabile hoc genus leti, hanc profert. Graue eſt enim ſecundùm Homerum perire naufragio: quia anima ignea eſt (*igneus eſt ollis vigor*) & extingui videtur ab aqua elemento contrario. Transſcripſit ex Seruio ad verbum, ſuper illo 1. Aeneid. *O terq; quaterq; beati. Queis ante ora patrum, &c.* Verùm ego nec ibi Aeneę, nec iſto loco Naſoni hanc cauſam lamentandi, & genus hoc mortis deprecandi fuiſſe ex-
D iſtimo. Quam ergo? ignobilitatem, & abiectionem mortis iſtiuſmodi.

DEMITE NAVFRAG. MORS MIHI MVN.] Tantum intereſt inter mortem, & mortem, vt alia pro alia muneris loco habenda ſit.

EST ALIQVID] Ita loquimur, cum quippiam modeſtius commendare volumus. Terent. Eunucho. *Haud nihil eſt.*

FATOQVE SVO, FERROQVE CADENTEM] Mortem naturalem, & violentam, manu ſcilicet, & ferro in acie allatam tangit. Vtramuis mauult, quam extingui in aquis, & carere ſepulchro. Pluribus ex hiſtoriis clarum fit, quāti homines ſemper fecerint terra condi poſt obitum, & id quoddam tacitum immortalitatis noſtræ argumentū

est. Nam si nihil superesset, ad quod ista corporis emortui cura pertineret, cur, quid ei post mortem fieret, essemus solliciti? Hector moriens Iliad.22. Achillem precatur, vt accepto auro corpus suum Priamo restituat, ne insepultum à canibus dilanietur. Et apud Maronem Mezentius lib.10. Non est incredibile Nasonem locum illum Maronis, quem supra tetigi, mente versasse hæc scribentem. Malim legere per disiunctiuam, *fatóue suo, ferróue cadentem.*

IN SOLITA HVMO] in natali solo, vbi natus, educatus sis, & vitam omnem vixeris, apud tuos denique: vt quibus semper iunctus fueris, ab iisdem nec mortuus quidem separeris. Aliter, *in solita humo*, quæ hominum propria sedes est, vt cælum Deorum, aër volucrum, aqua piscium, & quæ, vt Plinius ait lib.2.cap.3. nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: nouissimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens, nullo magis sacramento, quam quod nos quoque sacros facit, etiam monimenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, ac memoriam extendens contra breuitatem æui. Humatus intelligitur humo cõtectus: sepultus quoquo modo conditus, vt qui in sarcophago, hypogæo, vel pyramide situs est. Cic.1. Tuscul. cuius hoc dicto admoneor, vt aliquid etiam de humatione, & sepultura dicendum existimem. De legib.2. Quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, vt humati dicãtur, id erat proprium tum de his, quos humus iniecta contegeret.

ET MANDARE SVIS ALIQVA] Aequiore animo ex hac luce discedunt, qui, quę voluerunt, suis mandauerunt. Qui autem non habeat quod mandet, puto vix quenquam, nisi pauperrimum, & ab omnibus desertissimum reperiri.

ET SPERARE SEPVLCHRVM] Sepulchrum *παρὰ ἀντίφρασιν*, quod sine re pulchra sit. An quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? An, quod illic animæ à viuis sepeliantur, Id est, separentur? Donat. in And. Terentij. Appellantur sepulcra etiam monumẽta, & memoriæ, *μνημεῖα*, & *μνήματα*, conditiua, conditoria, requietoria, sedes. Vetus inscriptio. HANC SEDEM TIBI VIVI POSVERVNT. Cadauerum stabula Tertulliano. Næuio apud Gellium Orciui thesauri. Tumuli item, & sarcophagi. Hæc omnia productis testibus confirmare, foret operosius.

ET NON AEQVOREIS PISCIB. ESSE CIBVM] Haud quisquam magis in syiua lupis velit esse cibus. Reprehenditur Diogenes, qui se mortuum inhumatum in agrum proiici iussit: & obiicientibus, feræ te laniabunt, respondit, quid mihi ferarũ morsus oberunt nihil sentienti? Nõ eo vsque philosophandum est, vt etiam naturæ, & communis sensus obliti videamur. De morte naufragantium Vegetius lib.4.cap.44. Alij ferro Interimuntur, & saxo: alij ardere coguntur in fluctibus: inter tanta tamen mortium genera,

A qui acerbissimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora. Hanc ego caussam esse arbitror, cur peius iudicetur perire naufragio, quam ferro, incendio, aut alio mortis genere.

FINGITE ME DIGNVM TALI NECE] *ὑπό-θεσις*. Esto, merear summergi, & perire tam miserabili leto. An ego solus vehor? Parcite aliis, & insontibus, si me insontem vt sontem punire, & tali nece statuistis.

IMMERITOS CVR MEA POENA TRAHIT?] Punit aliquando Deus non merentes cum merente: nunquam tamen immerentes simpliciter. Qui namque in hoc reus non fuit, in aliis pœnam sæpe commeruit. Quapropter cum quid tale aut nobis ipsis, aut aliis acciderit, ad diuinam proui-

B dentiam animo, & cogitatione recurramus Seneca libro de Ira. Nemo inuenitur qui se possit absoluere: & innocentem se quisque dicit, respiciens testem, non conscientiam.

VIRIDESQVE DEI] Aqua marina subuiridis apparet. Inde fortasse Dij marini dicantur virides. Aut quia musco, quasi veste viridi teguntur. Oenone Paridi. *Vtque celer venias, virides Nereidas oro.* Ab eiusdem maris colore cæruleo, etiam cærulei appellantur. 1. Metam. *Cæruleum Tritona vocat.* Et 2. *Cæruleos habet vnda deos.*

ITAQVE IAM VENT. SISTITE T. MIN.] Multi vtrobique dij deæque, ideo turbæ. Minæ cælestium sunt tonitrus, fulgetra, fulmina, venti: marinorum, fluctus immensi. Orat ergo cælum

C serenum, & pelagus quietum.

MITISSIMA CAESARIS IRA] fatebitur enim alibi, se vel mortem meruisse. Nam ratione tam inclementis exilij, quale descripturus est, ne mitis quidem ira, nedum mitissima. Sed nulla propemodum pagina hoc blandimento vacat. Vel dic *mitissima ira*, quoniam edicto illius non exul, sed relegatus tantum est appellatus; nec facultates illi, nec ius ciuis ademit, vt suis locis videbimus.

IN LOCA IVSSA FERAM] Hæc scribit adhuc in itinere, vt initio lectorem monuimus.

SI, QVAM PROMERVI, POEN. ME PERD. &c.] Si vultis me plecti pœna iusta, & mihi debita, quod velle debetis, si iusti estis.

D CVLPA MEA EST IPSO IVD. MORTE MIN.] Hæc pœna non est mors: nam ipso quoque iudice (quo quid integrius, & sapientius?) mortem non merui. Cur ergo, mi Naso, tuo iudicio non semel dicis te meruisse? Mira inconstantia. Nunc ait, nunc etiam exilium meruisse negat. Deterret itaque deos à nece sua, iudicio Cæsaris de se grauissimo.

STYGIAS MITTERE AD VNDAS] Poëtarum propriæ elocutiones, mittere ad orcum, ad Acherontem, ad aquas stygias, & similes. Virgil. lib.9. *Tuque Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo.* Et lib.12. *Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam.*

VESTRA NON POTVISSET OPS] non de-

erant

erant Romæ gladij, non cruces, non carnifices. Et 1. P. eleg. 3. *Noluit, vt poterat, minime me perdere mutu.*

NOSTRI NON INVIDIOS. CRVOR. COPIA] non inuidet mihi vitam. Sanguis meus, vehiculum animæ, non adeo inuisus est illi, vt eum fundere, & me è vitâ exturbare cupiat.

QVODQVE DEDIT. C. VOL. IPSA CARET] Penes quem est ius vitæ alicuius, penes eundem & necis: par est enim ratio. Sinite igitur habere me, quod vos mihi non dedistis.

QVOS NVLLO. P. CRIM. LAESI, CONTANT. &c.] Inest in hoc disticho enthymema à contrariis. Si Cæsar, quem læsi, non me affecit morte, vos, quos nunquam læsi, malo meo, hoc est, exilio, in quod abducor, contenti esse debetis, si innocenti omnino malè cupitis. Deorum in se tyrannidem occulte perstringit.

NAC TAMEN VT C. MIS. S. VALIT, &c.] Exaggeratio. Si coniunctis viribus seruare me velletis, amplius non possetis. Ergo quo nil perditius, cur hunc perdere conamini?

VT MARA SVBSIDAT] suprà, *Fluctibus* hic (pontus) *tumidus.* Vt detumescat ventis ponentibus, & placitum fiat.

VANTISQVE FSASNTIAVS VTAA] Aen. 3.

Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.

Exponit Seruius, flanti. Censeo exponendum, secundo, seu prospero flatu crebrescenti: Paris Helenæ. *Portubus egredior, ventisq; ferentibus vsus.* Etsi possit etiam legi, *ventisq; fauentibus*, non incommodè; præferenda tamen lectio communis, vt elegantior.

NON MINVS AXVL SRO] Ad miseriam sufficiat mihi exilium.

NON AGO DIVIT. AVIDVS, &c.] παθῶς. Non ad lucra, non ad curiositatem, non ad voluptates, sed ad exilium, quo mittor, opto placidam tempestatem. Et hoc ferre nō potestis? tantæne animis cælestibus iræ? Studium quæstus, & aceruandę pecunię ab initio caussam nauigationis fuisse, ferreo scilicet sæculo iam ingresso, canunt poëtæ. Tibull. lib. 1. eleg. 3. de aureo sæculo.

Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,
Effusum ventis præbueratq; sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa nauita merce ratem.

Horat. Ode 1. lib. 1.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Obserua τὸ *auidus sine fine parandi.* His enim verbis auarorū cupiditas insatiabilis exprimitur, quibus, vt hydropicis, *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Et verum est illud Sallustianum, auaritiam nec copia, nec inopia minui.

MVTANDIS MARCIBVS] Quia *non omnis fert omnia tellus*, vt est 1. Georg. aliunde, & trans mare

A etiam multa vtiq; ad vsus necessarios pretio petenda, & commutanda sunt. Mutare dixerunt veteres pro emere, aut vendere: & ita accipias licet hoc verbum apud Maronem eclog. 4. *nec nautica pinus Mutabit merces.* Et Georg. 3. *quamuis Milesia magno Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.* Horat. sat. 4. lib. 1. *Hic mutat merces surgente à sole ad eum quo Vespertina tepet regio.* Catull. *Crede Pollioni Fratri, qui tua furta vel talento Mutari velit.* Nam prisci mortales venditione, & emptione non vtebantur: sed res duntaxat permutabant, Korn vmb Salz. Testis antiquissimus profertur Homerus, Græcorum exercitum ære, ferro, hominibusque vinum emisse narrans. Nummi enim vsus nondum erat. Emendi autem, & vendendi voces ita extiterunt,
B vt nosse possemus, quid permutando accepissemus, aut dimisissemus, vt hoc vendere, illud emere diceretur. Vbi cœpit in vsu esse nummus, emptio, & venditio vt nominibus à permutatione, sic natura, & finibus destiterunt, cum non vltra merx tantùm, sed aliud merx, aliud pretium esse cœpisset. Lycurgus emere Spartanos singula iussit, non pecunia, sed compēsatione mercium, auri argentique vsum, velut omnium scelerum materiam sustulit. Iustinus lib. 3.

ÆQVOR ARO] lib. 3. eleg. 12. *Non nisi vicinas tutus arabit aquas.* 3. Aeneid. *Longum maris æquor arandum.* Eiusdem ordinis sunt sulcare, findere, secare, proscindere mare, fluctus, aquas.

QVAS QVOND. PETII STVD. ATHEN.]
C A Græcis dictæ sunt μουσεῖον τῆς ἑλλάδος musæum Græciæ. A Diodoro κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον communia mortalium schola: vbi fuerunt bibliothecæ mirabiles, luculi monumentorum veterum, 700. fere millia voluminum continentes. Rhodig. lib. 16. cap. 3. omnium doctrinarum inuentrices nominat Cic. 1. de orat. Florus lib. 2. litteræ certè, ac facundia, & hic ciuilis ordo disciplinæ veluti templum Athenis habent. Olim Romani ad percipiendam sapientiam eo concedebant, & in studio litterarum, ac philosophia septennium ibidem consumebant. Insinuat morem hunc Horat. epist. 2. lib. 2. *Ingenium sibi quod vacuas desumit Athenas, & studiis annos septem dedit.* Propert. de se lib. 3. eleg. 20.

D *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,*
Vt me longa graui soluat amore via.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumq; tuos docte Menandre sales.

Athenis nomen factum ab Ἀθηνᾶ Minerua, seu Pallade, propter oliuam ibi, munus mortalibus vtile productum. Hinc Metamorph. 2. *gratamque Mineruæ, Despiciebat humum.* Et infrà, *dictas à Pallade terras Linquit.* Et Horat. Ode 7. lib. 1. *intactæ Palladis vrbem.*

OPPIDA NON ASIAE] Oppidum propriè minus, & vilius est, vrbs maior, & nobilior. Suet. Aug. vrbe, oppidoue vllo egressus. Sed à scripto-

ribns confuuduntur. Cicer. 1. de Leg. eiusmodi coniunctionem tectorum oppidum, vel vrbem appellarunt. Sulpit. ad Ciceronem de Coriutho, Aegiua, Megara. Quæ oppida quodam tempore florentissima fuernnt. Eleg. 10. lib. 2. de P. *Te duce magnificas Asiæ perspeximus vrbes.* Clarissimæ Asiatici orbis ciuitates sunt Ephesus, Smyrna, Colophō, Miletus. Aliæ nobiles multæ. Quas vt lustraret Catullus ineunte vere, valedicit sociis, quibuscum in Phrygiam venerat, hoc hendecasyllabo.

Iam ver egelidos refert tepores.
Iam cæli furor æquinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygij, Catulle, campi,
Nicææq; ager vber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus vrbes.
Iam mens prætrepidans auet vagari:
Iam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longè quos simul à domo profectos
Diuersos variæ viæ reportant.

Asia duplex. Maior, pars orbis tertia: minor maioris Asiæ pars non maxima, complecteus Phrygiam, Pamphyliam, Ciliciam, Lycaouiam, Galatiam, Cariam, & nonnullas præterea regiones, quam suspicantur hodie Turciam vocari, &c. Vide Delrium priucipiò Commentar. iu Troadas Seuecæ.

Non mihi visa prius] Nou peto Asiam, desiderio videndi oppida illius, quæ antea uon viderim. Etsi uon omnia vidi.

Alexandri claram in vrbem] Plures hoc nomiue vrbes coudidit, in Aegypto, in India, ad Tanaim, ad radices Caucasi. De prima, omnium uobilissima Curtius lib. 4. Alexander ab Hammone rediens, &c. Pliu. lib. 5. cap. 10. Strabo lib. 17. Quadam prærogatiua dicta est πόλις, vt Roma vrbs, Atheuæ ἄστυ. Eam luxui, ludis, & iocis, ac vitæ molli, & voluptariç deditam fuisse indicat Quiutil. lib. 1. vbi uimiam pareutum erga liberos iudulgentiam accusat. Verba, inquit, ne Alexandriuis quidem permitteuda deliciis. Atque hoc voluisse Ouidium puto, cum Nilum *iocosum* vocat, ad Alexandrinorum, iuquam, iocos & delicias respexisse, de quibus vide orat. 32. Dionis, Chrysostomi ad Alexandriuos. Quin totam Aegyptum fuisse his moribus, indicat Martialis lib. 4. *Nequitias tellus scit dare nulla magis.* Nequitiæ namq; suut ludi, lasciuiç, & improbitates amatoriç. Nisi ad pyramides, labyrinthos, regias, & alia ædificiorum illustria, & visu iucuuda monumenta quoque respexerit. Quomodo porrò hic dixit Alexandri vrbem, sic eleg. seqnenti Quirini vrbem pro Roma, à Quirino, seu Romulo ædificata.

Quod facile est, opto ventos] Nihil magnum, aut vobis ad præstandum difficile opto.

Quis crederet possat?] optare quempiam ventos, quibus deferatur in terram incul-

A tam, horridam, barbaram, in fine orbis positam, vt ibi misere viuat, res supra fidem.

Sarmatis est tellus, &c.] solo uomiue satis dixit multa. Describet tameu hanc tellurem, eiusq; indigenas lib. 3. & sequeut. Sarmatas quidam putant hodie Polouos esse: Sauromatæ, Græcis.

Lævi fera littora ponti] partes siuistræ ponti Euxini mibi petendæ sunt, Eleg. 2. lib. 2. de P. *Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.*

Quodque sit a patr. t. fug. t. queror] fuga, discessus, seu iter in exilium. Hoc cuipiam longum videri, & eum propterea queri, nonne mirnm sit?

Nescio quo in orbe] in qua parte or-
B bis. Nou nesciebat, sed dissimulat. *Ne his habitabitur orbis Vltimus.* Virg. 1. Aeneid. *Et quo sub cælo tandem.* sub qua parte cæli.

Vt videam Tomitas] μόνως. Vt viuam quod reliquum est vitç iuter Tomitas. Tomus ergo, seu Tomi exilio meo destinati suut. De cuius oppidi appellatione eleg. 9. lib. 3.

Si me diligitis tant. comp. f.] Dilemma apertum satis.

Iussae me advertite terrae] Verbum bene latinum iu hac notione. Virg. Georg. 4. *Vela traham, & terris festinem aduertere proram.* Et 6. Aeneid. *Cæruleam aduertit puppim, ripæque propinquat.* Et 12. *Iret vt ad muros, vrbique aduerteret agmen.* Lucret. lib. 3. *Acrius aduertunt animos ad religionem*
C Tacitus 1. Annal. octo aquilæ petere syluas visæ, aduertêre imperatorem. Curtius lib. 8. eoq; consilio Porum, agmenq; suum ei parti, quam se petere simulabat, coëgit aduertere.

Supplicii pars est in reg. mort.] Mori in exilio, quò pergo, est etiam snpplicium. Si odistis, facite vt appellar, & in exilio moriar.

Ferte, quid hic facio? &c.] ἀποστροφὴ ad veutos stomachosior. Quid de me ludos facitis? Ihr Narren. Ferte me quò debetis. Au etiam vos mihi exilium iuuidetis?

Auson. fines cur m. vela vid?] Non longè admodum à littore profectum fuisse couiicio, cum tempestas iucideret, quando adhuc Italia ex alto videri poterat.

D Noluit hoc Caesar] me hic hærere, iactari, & vexari à vobis; sed secundo cursu peruenire, quò me misit. Expostulatio.

Nec quae damna. ille crim. defendi, &c.] Si defenderem me, quod non possum, illum de iniustitia, & crudelitate suspectum redderem; quod uefas est iu tali viro.

Si tamen acta d. nunq. mort. fall.] A ventis orationem rursum ad deos conuertit. Sensus est, si dij humanas actiones minimè ignorant. Quod videtur affirmare impius Lucretius; qui lib. 1. & 5. diuûm naturam per se immortali æuo summa cum pace frui, semotam à nostris rebus, & longè seiuuctam, nec bene promeritis capi, nec ira tangi asserit.

A cul-

A CVLPA FACIN. SCITIS AB. MEA] Culpam semper fatetur: facinus, seu scelus negat. Stultitiam scripta nominat: illud alterum, quod vidit imprudens, errorem. 1. de Ponto eleg. 8.

Et tamen vt cuperem culpam quoq; posse negari,
Sic facinus nemo nescit abesse mihi.

IMMO ITA SI SCITIS, &c.] Dixerat illos scire, se non esse reum facinoris. Per hanc scientiam nunc illos orat, vt ventos compescant. Et merita quoque sua in domum Augusti, ipsumq; Augustum adiungit.

QVOD (LICET. E. MINIM.) D. SI. F. ILLI[Quod si fauimus illi domui, licet tanti nō simus. Per amorem, & fauorem suum in familiam Augusti rogans, sese deprimit, & vnum de minimis appellat, comparatione tantæ nobilitatis. Non enim erat plebeius, & ignobili loco natus Ouid.

SINT SATIS AVO. PVBLICA. I. MINI] Estote contenti edicto publico Augusti de me. Romulum inprimis dici se cupiebat Augustus. Ne vero eo nomine in regni affectati suspicionem incideret, Augustum se dici passus est, quasi homine maiorem; Cæsaris autem nomen propter adoptionem, & ex testamento Iulij, maioris auunculi assumpsit. Dio apud Xiphilin. de secutis Imperatoribus. Itaque adempta acerbitate regiam obtinent potestatem. Nam Cæsaris, aut Augusti appellatio nullam eis potentiam tribuit: sed altero familia significatur, altero splendor dignitatis.

A HOC DVCE SI DIXI FAEL. SAECVLA, &c.] Vulgati codices habent *duxi*. tu lege, *dixi*. Ait se prædicasse tempora sub Augusto, vt fælicissima, ob talem Principem videlicet. Propter hoc igitur, & quæ sequuntur, rogat.

PRO QVO CAESARE THVRA PIA, &c.] orantibus in more est adducere merita sua, quo flectantur facilius quos orant. Hic tamen non tam meritum suum in deos, quam in Cæsarem, & Cæsares Tiber. Drusum, German. apud deos, thura nempe illis pro eorum vita, & fælicitate oblata commemorat, & per Cæsarem orat.

SI FVIT HIC ANIM. NOB.] Conditio, si fui tam beneuolo in ipsum animo, eumque dilexi.

SIN MINVS] Si mentior, si secus est.

B ALTA CADENS OBRVAT VNDA CAP.] Altè cadens. Isti montes aquarum obruant me.

GRAVIDAE NVBES] Exauditum se à diis significat: tum quia nubes dissipentur in nihilum: tum quia fluctus subsidant, & in tranquillum mare redigatur.

FRANGITVR IRA MARIS] Eleg. 1. *Si vires fregerit ira suas.* Horat. Ode 1. lib. 1. *Nec horret iratum mare. Sternitur æquor aquis.* Virgil. 5. Aeneid.

FALLERE QVOS NON EST] Non vos latet, me, quæ sub conditione enumeraui, præstitisse. Ac proinde mihi succurritis. Hellenismus. Horat. sat. 5. lib. 1. *Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.*

ELEGIA TERTIA.

LACRYMOSVS EX VRBE DISCESSVS.

ARGVMENTVM.


MARISSIMA vltimæ noctis in vrbe recordatio. Quam imparatus fuerit ad abitum ex torpore, & illibentia. Vt valedixerit amicis, & de pietate erga se vxoris optimæ. De absentia filiæ, luctu, gemitu, lacrymis familiæ. Valedictio ad deos Capitolio vicinos, & ad eosdem precatio. Preces coniugis. Quam cunctabūdus, & inuitus domo excesserit, & huius rei caussę. Explicatio doloris sui in ipso discessu. Clamor, lamentatio, ploratus suorū: suprema vxoris oratio, & defectio animi. Tempestas. Ad Deos marinos pro salute supplicatio. In toto hoc opere tristium nulla elegia est magis ele-

gia, hoc est, nulla tantis plena doloribus, & affectibus miserabilibus, & lacrymis amarissimis. Nec vsquam melius seruatum illud præceptum, *si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.*

Cum subit illius tristissima noctis imago,
Quæ mihi supremum tempus in vrbe fuit:
Cùm repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar
Finibus extremæ iusserat Ausoniæ.
Nec mens, nec spatium fuerat satis apta parandi:
Torpuerant longa pectora nostra mora.
Non mihi seruorum comites non cura legendi:
Non apta profugo vestis, opisue fuit.
Non aliter stupui, quàm qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & est vita nescius ipse suæ.
Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit,
Et tandem sensus conualuère mei:
Alloquor extremùm mœstos abiturus amicos:
Qui modò de multis vnus & alter erant.
Vxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
Jmbre per indignas vsque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diuisa sub oris,
Nec poterat fati certior esse mei.
Quocunque aspiceres, luctus gemitusq; sonabant:
Formáque non taciti funeris intus erat.
Fæmina, vírque meo, pueri quoque funere mœrent:
Jnqúe domo lachrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in paruo grandibus vti:
Hæc facies Troiæ, cùm caperetur, erat.
Jamqúe quiescebant voces hominumq; canumqúe,
Lunáque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, & ab hac Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra iuncta fuere lari:
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Jamqúe oculis nunquam templa videnda meis.
Dijque relinquendi, quos vrbs habet alta Quirini:
Este salutati tempus in omne mihi.
Et quanquam serò clypeum post vulnera sumo:
Attamen hanc odiis exonerate fugam.

Cælesti-

Cælestique viro, quis me deceperit error,
Dicite: pro culpa ne scelus esse putet.
Vt quæ sentitis, pœna quoque sentiat auctor:
Placato possim non miser esse Deo.
Hac prece adoraui superos ego: pluribus vxor,
Singultu medios impediente sonos.
Illa etiam ante lares passis prostrata capillis,
Contigit extinctos ore tremente focos:
Multáque in aduersos effudit verba penates,
Pro deplorato non valitura viro.
Iamq́ mora spacium nox præcipitata negabat:
Versáque ab axe poli Parrhasis Arctos erat:
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore,
Vltima sed iussæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties aliquo dixi properante, quid vrges?
Vel, quò festinas ire, vel vnde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, proposita quæ foret apta via.
Ter limen tetigi: ter sum reuocatus: & ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Sæpe vale dicto rursus sum multa locutus,
Et quasi decedens oscula summa dedi.
Sæpe eadem mandata dedi, meq́ ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora cara meis.
Deniq́ quid propero? Scythia est quò mittimur, inquam:
Roma relinquenda est: vtraque iusta mora est.
Vxor in æternum viuo mihi viua negatur:
Et domus, & fidæ dulcia membra domus:
Quosq́ ego dilexi fraterno more sodales:
O mihi Thesea pectora iuncta fide.
Dum licet amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius: in lucro est, quæ datur hora mihi.
Nec mora, sermonis verba imperfecta relinquo,
Amplectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor, & flemus: cælo nitidissimus alto
Stella grauis nobis Lucifer ortus erat.
Diuidor haud aliter, quam si mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
Sic doluit Priamus tunc, cùm in contraria versus
Victores habuit proditionis equus.

Tum verò exoritur clamor, gemitusq; meorum:
Et feriunt mœsta pectora nuda manus.
Tum verò coniux humeris abeuntis inhærens,
Miscuit hæc lachrymis tristia dicta meis:
Non potes auelli: simul hinc simul ibimus ambo:
Te sequar, & coniux exulis exulero.
Et mihi facta via est: & me capit vltima tellus:
Accedam profugæ sarcina parua rati.
Te iubet à patria discedere Cæsaris ira:
Me pietas: pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat, sic & tentauerat antè:
Vixq; dedit victas vtilitate manus.
Egredior, siue illud erat sine funere ferri,
Squallidus immissis hirta per ora comis.
Illa dolore amens tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.
Vtq; resurrexit, fœdatis puluere turpi
Crinibus, & gelida membra leuauit humo:
Se modò, desertos modò deplorasse penates,
Nomen & erepti sæpe vocasse viri:
Nec gemuisse minus, quàm si natæue, meumue
Vidisset structos corpus habere rogos:
Et voluisse mori, moriendóque ponere sensus:
Respectúque tamen non periisse mei.
Viuat: & absentem (quoniam sic fata tulerunt)
Viuat, & auxilio subleuet vsque suo.
Tingitur Oceano custos Erymanthidos vrsæ:
Æquoreasq; suo sidere turbat aquas:
Nos tamen Ionium non nostra findimus æquor
Sponte, sed audaces cogimur esse metu.
Me miserum: quantis nigrescunt æquora ventis,
Erutáque ex imis feruet arena vadis.
Monte nec inferior proræ, puppíque recuruæ
Insilit: & pictos verberat vnda deos.
Pinea texta sonant: pulsi stridore rudentes:
Aggemit & nostris ipsa carina malis.
Nauita confessus gelidum pallore timorem,
Iam sequitur victus, non regit arte ratem.
Vtq; parum validus non proficientia rector
Ceruicis rigidæ frena remittit equo:

Sic non quò voluit, ſed quò rapit impetus vnda,
Aurigam video vela dediſſe rati.
Quòd niſi mutatas emiſerit Æolus auras,
In loca iam nobis non adeunda ferar.
Non procul Illyricis læua de parte relictis
Interdicta mihi cernitur Italia.
Deſinat in vetitas, quæſo, contendere terras:
Et mecum magno pareat illa Deo.
Dum loquor, & cupio pariter, timeóque repelli,
Increpuit quantis viribus vnda latus?
Parcite cærulei vos ſaltem numina ponti,
Infeſtumq́; mihi ſit ſatis eſſe Iouem.
Vos animam ſæuæ feſſam ſubducite morti,
Si modò, qui periit, non periiſſe poteſt.

COMMENTARIVS.


VM SVBIT ILLIVS T. NOCT. IMAGO] Animus noſter rerum ſenſibus obiectarum formas, & εἴδωλα recondit, eaſque eum vult contemplatur. Quæ etiam ſæpe nolenti, ſimilium rerum admonitione excitata ingeruntur, eumq́ue turbant, & à quiete ſua dimouent. Nox porrò illa triſtiſsima diem profectioni indictam proximè anteceſsit, quam totam inſomnem exegit. A

CVM SVBIT] Sine caſu extulit & Virgilius 2. Aeneid. *ſubit ira cadentem Vlciſci patriam.* Et Plinius lib. 7. cap. 46. ſubeunt in hac reputatione delphica oracula. Tędia ſubeunt animo, dixit cum dandi caſu 4. de Ponto eleg. 15. Cum accuſandi Plin. lib. 5. cap. 1. ſubit religio animos. Et Liuius lib. 10. de bello Macedon. ſpes ſubit animum. Leguntur item, ſubit memoria, ſubit animum memoria, cogitatio, recordatio. B

QVAE MIHI SVPREM. T. IN VRBE] aliam enim Romę non vidit, ſurgente lucifero coactus ſe in viam dare.

TOT CHARA] charam patriam, charam vxorem, charam filiam, charos amicos, charos domeſticos, charos familiares, charam domum, charas poſſeſsiunculas, charam vrbem tam beatam ac fælicem, charam deniq; Italiam vniuerſam.

LABIT. EX OCVL. T. QVOQVE GVTTA MEIS] Tum quoque, poſt interuallum dierum, hebdomadum, menſium. Propert. lib. 4. eleg. 1. *Gutta quoque ex oculis non niſi iuſſa cadat.* 4. Metam. *& tepido manabant lumina fletu.* Et lib. 6. *Et lacrymæ mixtæ inter mandata cadebant.* Virgil. ἐμφατικώτερον 1. Aeneid. *largoq́; humectat flumine vultum.*

A IAM PROPE LVX ADERAT, &c.] Incipit narratio, & deſcriptio illius triſtiſsimæ noctis: omnium, inquam, quæ tunc mœſta, & flebilia contigerunt. Cic. pro Milone. Centeſima lux hęc eſt ab interitu P. Clodij. Vt autem lux pro die, ſic etiam lumen apud aliquos. Ennius Medea, *ſi te ſecundo lumine hic offendero.* Id eſt craſtina luce. Catull. de nupt. de diis. *Nec ſe contingi patiuntur lumine claro*, id eſt, claro die. Virgil. 6. *Vix tandem lumine quarto Proſpexi Italiam.* id eſt, quarto demum die.

EXTREMAE AVSONIAE] Italia dicta Auſonia ab Auſonibus, vetuſtiſsimis incolis. Auſones autem ab Vlyſsis, & Calypſus filio, à quo Aurunca oppidum perhibetur conditum. Italia nomen accepit ab antiquiſsimo Siciliæ rege Italo: aut à

B vitulo, qui græcè Ἰταλὸς, quod vitulis, ſeu armento abundaret egregio. Vide Feſt. & Halicarnaſſ. lib. 1. Plura de eius nominibus Ortelius in theſauro Geograph.

NEC SPATIVM, NEC MENS. S. APTA] Et tempus, & voluntatem, ſeu mentem ſolutam ſibi ad requiſita comparanda defuiſſe dicit.

TORPVERANT LONGA P. N. MORA] Multo enim ante illam noctem lata erat in eum ſententia: ipſe tamen ſe ad iter, & reliqua neceſſaria ſibi futura non parabat: ſiue quod huius ingratiſsimæ ſollicitudinis pigeret: ſiue quod ab Auguſto mitiora ſperaret. Quæ verò paranda fuerint, deinceps ponit.

NON MIHI SERVOR. COMITIS. N. C. L. E. O.] Subdiſtinguendum eſt poſt *ſeruorum*, vt dicat, non fuiſſe ſibi curam ſeruorum, nec curam comites legendi. Comites quidem ei non defuerunt; ſed ab Auguſto adiuncti, à quibus ſe peſ-

ſimè habitum iu via,& tantum uó interemptum lamentabitur.

Non aliter stvpvi] Tam fui attonitus. Dicitur attonitus tonitrui ſtrepitu ſtupefactus; fulmen verò non ſine ionitru. ἐμβρόντητος.

Iovis ignibvs] Periphraſis fulmiuia. Metamorph. vlt. *Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes. &c.* Piudarus ὠδ. 1. fulmen Iouis πυρπάλαμον vocat, id eſt telum igneum, dextra coutortum. Eadem mens Horat. Ode 2. lib. 1.

Iam ſatis terris niuis atque diræ
Grandinis miſit pater, & rubente
Dextera ſacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

Et est vitae nescivs ipse svae] viuere ſe nou ſeutit. Viuens mortuus eſt.

Hanc animi nvbem] Simile 12. Aeneid. *Vt primùm diſcuſſa vmbra, & lux reddita menti eſt.* Triſtitia vehemens menti tenebras, ac uebulam offundit, quam hîc Ouidius nubem appellat. Aut ita. Quemadmodum nubes cæli ſerenitatem fœdat: iſte mæror, triſtitia & animi lucem, & oris hilaritatem confundit, ac maculat. Proinde ad vtrumque percommodè vox nubes trausfertur; ad animum, inquam, & vultum, ſiue ſrontem, & quidem ad hanc, vt vel ſeueritatem nimiam, vel mœſtitiam ſignificet. Vide Victor. lib. 16. cap. 14. Ad vitam tranſtulit eleg. 6. lib. 5. *Pars vitæ triſti cætera nube vacet.*

Dolor ipse removit] Quomodo dolor remouit hauc nubem, cum ipſam afferat? Sic intelligamus. Quoniam dolor iſte intolerabilis erat, eum deponere conatus eſt; ita nubem quoq; ipſam depoſuit. Sublata enim cauſſa ſimul tolli effectum, philoſophorum verbum eſt.

Et tand. sens. convalvere mei] & me collegi, & remigrauit, ſeu rediit animus. Senſus interiores accipe, ſeu rationem, quæ ſe è nebula illa, & offuſa caligine emerſit.

Alloqvor extremvm amicos] Qualis hic vltimus ad ſuos ſermo fuerit, quam ſingultibus interruptus, & lacrymis ſe profundentibus tinctus (fuit enim molli, & tenero corde, quod alicubi de ſe fatetur) apud nos cogitemus licet. Laudarem poëticæ ſtudioſum, qui eum pro dignitate effingeret.

Modo de mvlt. vnvs et alter erant] Cum aduerſa fortuna poëtam exciperet, amici pœne omnes, inſtar hirundinum hyberno tempore deuolarunt. Hoc ſæpius deplorat. Eleg. 4.

Vix duo treſue mihi de tot ſupereſtis amici.
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.

Ad paucos hos ſcribit in Triſtib. nec eos nominat, certa de cauſſa. In libris autem de Ponto apertè, gratus ſcilicet in benemerentes, ac benemeritos.

Flens acrivs ipsa tenebat] teneriore enim natura fæminea, & præſertim bonæ coniugis. Cyrill. φιλοδάκρυτον δὲ τὸ θῆλυ γένος. facilè plorant mulieres. Poëta priſcus. *Fletus muliebri ingenio additus.* Tenebat autem pro affectu, quaſi retentura, quem mox dimittere cogebatur. Occurrit Creuſa, idem faciens Aeneæ marito in prælium redituro, 2. Aeneid.

Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumq; patri tendebat Iulum.
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum.
Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,
Hanc primùm tutare domum. Cui paruus Iulus,
Cui pater, & quondam coniux tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat.

Quæ quidem pleraq; omnia huic loco illuſtrando idonea.

Imbre per indig. vsqve cad. genas] Hyperbole illa eam continẽter, & vberrime plorasſe indicat. 3. de Arte. *Indigno teneras imbre rigante genas.* Seneca Thyeſte. *Imber vultu nolente cadit.* Iudignæ genæ, pro, cuius genæ tanto fletu irrigari non debuerunt, quoniam ipſa, vt ſic ſe lacrymis maceraret, nou erat merita.

Nata procvl Libycis, &c.] Hanc opinor eſſe illam, ad quam eſt eleg. 7. li. 3. ſuſceptam ex hac ipſa tertia vxore: totidem enim habuit. Sanè tam ingenioſo, & erudito patre digna filia. Fuit enim doctiſsima, & egregia poëtria. Quod ſi in hoc caſu affuiſſet, quam vbertim maternas lacrymas ſuis ipſa fletibus adiuuiſſet? Aberat autem, maritum ſecuta iu Africam, & iu eam Africæ partem, quæ Libya dicitur: aliæ quippe aliis ſunt nominibus.

Nec poterat. f. certior esse mei] propter magnam loci diſtantiam.

Qvodcvnqve aspiceres. lvct. gemit. sonabant.] Domus tota luctibus, & gemitibus, & lacrymis redundabat.

Formaqve non taciti fvn. intvs erat.] Videbatur quaſi mortuo leſſus fieri. Niſi malis reſpici ad genus quoddam funeris, quod tacitum dicebatur, contrarium indictiuo: vt ſit ſenſus, fuiſſe formam funeris non taciti, vtpote pleuum comploratiouibus, & lamentis. Occaſio ſumpta ex uomine ipſo. Tacitum enim funus, in quo nulla pompa, ludi, indictio, deſignator.

Faemina, virqve meo, pveri, &c.] vterque ſexus, omnis ætas in ædes meas ſe infuderat, extremùm me viſuri. Et erat nemo, cuius oculi non ſtillarent lacrymis. Tertullian. lib. de veland. virginib. Naturale vocabulum eſt fæmina. Naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam ſpeciale virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. Quorum verborum hæc eſt ſententia. Fæminas dici de animantibus communiter. Mulieres propriè de hominibus fæminis, cuius ſpecies ſunt virgo, nupta, puella, ſexum enim ſignificat tantùm: quamuis plerumque virgini opponatur, vt cum dixit Cicero de Publilia, quam virginem, nou adeo maturam duxerat, cras mulier erit.

SI LICAT EXAMPL. IN PARVI A. G. VTI] 5. Metamorph. *quod si componere magnis Parua mihi fas est.* Virgil. Georg. 4. *Non aliter, si parua licet componere magnis.* Vide ibid. Lud. Cerdium nostrum. Cic. 1. de orat. parua enim magnis sæpissime rectè conferuntur. Licet profectò, & poëtis quadam prærogatiua: quod quidem facit toto pœne 4. Georg. Virgil. cum lepore admirabili. Statim in exursu libri, & in ipsa propositione.

Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Magnanimosq́ duces, totiusq́ ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Vtuntur qui Maronis, & parentis eius Homeri exemplo de exiguis grandia conscribunt: vt omittam comparationes, vno & altero versu constantes. In 1. Aeneid, *Qualis apes æstate noua, &c.* magna paruis potius conferuntur; quæ ipsa parua idcirco maiora videntur, quod etiam fas est. Infrà, dolorem suum in exilium discedentis, cum acerbissimo dolore Metij Sufetij, iussu Tulli Hostilij regis Romani ob perfidiam equis distracti confert.

HAC FACIAS TROIÆ CVM CAP. ERAT] Grande exemplum. Faciem captæ Troiæ pictor optimus tibi 2. Aeneid. ostendet Virgilius, & de Græcis Tryphiodorus. Item Dio Chrysost. orat. 8. & dialogus noster 28 secundæ Tertij, qui est de Troiæ excidio, inter militares octauus. Præterea prouerb. apud Iun. Grauius quam Troiam capere. Ad constituendam ante oculos alicuius spectaculi diritatem; aut rei atrocitatem, solent auctores ab vrbe hostiliter occupata, & capta similitudinem sumere. Virgil. 4. Aeneid. *Non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis Carthago.* Iocosè de sæuiente in se, & sodalea Cynthia Propert. lib. 4. eleg. 9. *Spectaclum capta non minus vrbe fuit.* Quæ autem vrbibus captis accidât calamitates, apud Sallustium in orationib. suis Cæsar, & Cato commemorant. Facies in rebus inanimis quoque dicitur, tum corpore constantibus, tum eo vacantibus; montis, stagni, loci, pugnæ, scelerum, sermonis facies. De vocis declinatione Gell. lib. 9. cap. 14. Troia propriè regio ipsa, in qua Ilium, vrbs à Græcis deleta. Cur Teucria, & Dardania itē vocetur à Marone, caussam vide Guiiel. Canteri lib. 1. cap. 1.

QVIASCAR. VOCAS NOM. CANVMQVE] Concubiæ, seu intempestæ noctis seu conticinij notatio, ab adiunctis. Vide Iani Parrhasij epist. 1. Virgil. 8.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumq́ genus sopor altus habebat.

Canis leuisomne animal, & inquietum, nihilominus multa iam nocte quiescit.

LVNAQVA NOCTVR. A. RAO. EQVOS] Solem, & lunam duo luminaria magna procreauit Deus: illud, vt præsit diei: hoc, vt noctis cuius tenebras moderatur, ac temperat. Plin. lib. 2. cap. 9. nouissimum sidus, terræque familiarissimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum. Fingitur Phœbi soror, & Phœbe dicitur, similiterque vt ille, in curru vehi, sed biiugo, non quadriiugo. Sunt qui ei adiungunt equos album, & nigrum. Noster albos ambos, de Remed. amor. *Vt solet, in niueis luna vehetur equis.*

ET AB HAC CAPITOLIA CERNENS] Ab intuitu lunæ ad Capitolij aspectum conuersus. Capitolium, vt & montem Capitolinum, Varro lib. 4. de ling. latin. dictum credit, quod hîc cum fundamentum foderetur ædis Iouis, caput humanum inuentum fuerit, cui viuo Toli nomen fuisse, scriptum ab Arnobio lib. 6. Mons hic antea Tarpeius est nuncupatus, à virgine Vestali Tarpeia, Sabinorum clypeis ibidem obruta, & sepulta. Liuius lib. 1. Primum autem omnium Saturnius. Iam verò non Romæ tantùm, sed etiam Capuæ, Narbonæ, Pompeiis, & alibi Capitolia, Romanorum imitatione extructa leguntur. Inspice Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 11. Turneb. lib. 11. cap. 2. Solebant etiam coloniæ imaginem quandam matris referre, habereque sua Capitolia, fora, templa, curias, &c.

QVAE NOSTRO. F. IVNCTA F. LARI] Plaut. Bacchid. *Saluto te vicine Apollo, qui ædibus propinquis nostris accolis.* Frustra, inquit, quia nobis non profuerunt, cum præsentia numinum ea inhabitantium nos vicinos quoq; tueri debuisset. Qui enim iuxta templum, & locum sacrum habitat, ab eiusdem templi, ac loci præside præsidium sperare potest. Lares credebantur custodire domos, quibus focus erat sacer, & dicabantur illis canes, quod essent communes, & socij familiarum custodes. Quare Larium nomine & focus, & vniuersa domus vocari cœpta est. Mercurio, & Lara nympha procreati sunt, 2. Fast. Vide Natal. lib. 4. cap. 4.

NVMINA VICINIS HAB. SED, INQVAM, &c.] Valedicit & diis, & loco. Diis, Ioui & aliis, qui in Capitolio suis Laribus, seu domui vicino colebantur. Apud Liuium Manlius. Iupiter opt. max. Iunoque regina, ac Minerua, cæterique dij deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis.

DIIQVE RELINQ. QVOS VRBS H. ALTA. Q.] Non modo Ioui Capitolino, & aliis, qui ibidem colebantur: sed vniuersè diis omnibus Romanæ vrbis valedicit. *Vrbs Quirini.* periphrasis Romæ, quam condidit Romulus, post mortem dictus Quirinus ab hasta quam ferebat, quæ Sabinorum lingua quiris. Quam caussam adducit Ouid. 1. Fast. *Siue quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis.* Alij à Curibus oppido Sabinorum opulentissimo. *Alta* eo sensu, quo Virgil. 1. Aeneid. *atque altæ mœnia Romæ*; vel propter gloriam, vel propter ædificia, vel quia in collibus sita, inquit ibidem Seruius: cui extremę rationi fauet, quod est infrà eleg. 4. *sed quæ de septem totum circumspicit orbem Montibus.*

ESTE SALVTATI. T. IN OMNE MIHI] Valere vos iubeo in perpetuum. Etiam cum abimus, dicimus salutare, & salutem dicere à quibus

abimus, non solùm iis quos adimus. Quid enim est bona valetudo, nisi salus? Et quid bene valere, nisi saluum esse? Sic Euryalus è castris cum Niso exiturus lib. 9. Aeneid. commendans matrem suam Iulo. *Hanc ego nunc ignaram huius quodcunq; pericli est, Inq; salutatam linquo.* Et vulgò tritum est, hospite insalutato discedere.

Sero Clyp. post vulnera sumo] *μετα-μαχομενος*. Ad tutelam vestram citius, & ante vulnera, ante damnationem meam confugere me oportebat, vt me ab exilio immunem vos conseruaretis. Clypeus minor est, & rotundus: scutum maius, & oblongum. De vocis notatione hunc in modum Plin. lib. 35. cap. 3. scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines, vnde & nomen habuere clypeorum; non vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit vsus illo. Reprehendit Plin. Grammaticos, qui clypeum deducant à cluere, quod veteribus erat pugnare. Ipse ἀπὸ τοῦ γλύφειν deductum mauult, quod in eo sculptæ, ac cælatæ imagines militum.

Attamen hanc odiis exonere fugam] Hoc tamen mihi præstate, vt istam abitionem meam in exilium ne commune odium comitetur. Seu, ne me abeuntem Augustus adhuc oderit.

Cælestique viro] Vel quia cælo dignus: vel quia de cælite natus. Attia enim sine vlla dubitatione confirmauit, eum se ex Apolline concepisse. Legatur Xiphilin.

Quis me decep. error, dicite] Peccatum meum tantum esse errorem, & quomodo errauerim. Sed cur dicant dij Augusto de hoc errore, cum eundem optime norit? occasionem, & quomodo inciderit Ouid. in hunc errorem, non nouit.

Pro culpa ne scelus esse putet] scelus odium, culpa meretur veniam.

Vt quod sentitis] vt quod vos æquissimi iudices, & actionum humanarum arbitri de me sentitis.

Poenas quoque sent. auctor] Cæsar puniet mens, qui iudicium vestrum facilè amplectetur.

Placato possim. n. miser esse Deo] Fortasse reperenda particula *vt*, & legendum *placato vt possim, &c.* Non quidem penitus placato, non enim eiiceret illum in exilium: sed aliquantum placato, & mitigato.

Hac prece adoro superos ego] Hoc precatus sum ego à diis cælestibus, vt mihi nempe Cæsarem lenirent. Obseruatum est à viro docto, Animaduers. in Arnobium, adorare esse orare ad, precari ad: quemadmodum adire ad deos dictum, quomodo Liuius lib. 38. scripsit, deos demum ipsos euulsos ex sedibus suis ablatos esse. Quos adorent, ad quos precentur, & supplicent, Ambraciensibus non superesse. Apuleius

A Milesiar. 6. Tunc genu nixa, & manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lacrymis, sic adprecatur, *προσεύχεται*. Et plenius apud Arnobium lib. 1. supplicationibus adorare, & hic precibus adorare. Lipsius Elect. 2. cap. 6. Muretus 10. cap. 1. Turneb. 18. cap. 6. & 25. cap. 1. docent adorare esse os admouere. Nam veteres cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum, lapidemue aliquem aspicerent, in quo diuinitatis aliquid inesse opinarentur, manum ad os referre, & exosculari, tenuique murmure, vt sibi fauerent, precari solebant. Hinc illa vsque hodie consuetudo in salutandis, colendisque potentibus, summam manum osculari, etiam prætereundo, vt ibidem monet Muretus noster.

B Plurimus vxor] & quia vxor pro viro; & quia mulier; mulieres autem in sacris precibus, & votis, & in colendis religionibus sexu virili multo crebriores, magisque sedulæ cernuntur. Idem sexus, & anus præsertim, facilius in superstitionem incidit: vnde anilis superstitio.

Singultu med. imped. sonos] 2. Remed. *Raptaq; singultu verba loquentis erant.* Et 3. Trist. eleg. 5. *Et singultatu oscula mista sonis.* Horat. sat. 6. lib. 1. *Vt veni coram, singultim pauca locutus.*

Ante lares] Diximus supra de laribus pauca, quibus hæc adde. Pelle canina cinctu Gabino vestiri solitos. Iis pueros virilem togam sumpturos bullam dicasse. Vinum & thura iisdem offerebantur, variis florum coronis ornabantur: ta-C metsi nihilominus solutis honorarentur. Vide Gyraldum Syntag. 15. Natal. lib. 4. cap. 1.

Passis prostrata capillis] Duo gestus ad miserationem eliciendam appositi. Humi se abiicere: vel potius toto corpore pronum iacere: & capillum spargere, quorum hic mulieribus in luctu olim sollemnis. Virgil. 2. Aeneid.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumq; ferebant.

Hecuba in Troadibus Senecæ, seruitutis socias ad lamentationem, luctumque exhortans,

Fida casus nostri comites
Soluite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli.

Extinctos focos] ab ipsis Laribus ex-D tinctos, vt se focum, id est, domum, velut à domino mox deserendam, amplius custodire nolle significarent.

In aduersos effud. verba penates] Seruius in 2. Aeneid. ait omnes deos, qui domi coluntur, penates esse. Vnde & pro domibus ipsis sæpe ponuntur. Dicti sunt à penu, siue ab eo, quod penitus insident. Ex quo item penetrales dicebantur. Hinc Festus, penetralia esse penatium deorum sacraria. Plura Gyrald. Syntag. 15. Natal. lib. 4. ca. 2. *Effudit* autem, quia nihil profecit, quia aduersi, & auersi.

Pro deplorato non valit. viro] Ideo non valitura, quia deploratus. Est enim deploratum idem quod desperatum, cui medicina

fieri

fieri nulla potest. Deploratus æger, deploratum vulnus, deploratus adolescens. 1. Metam. de segetibus diluuio corruptis. *Et deplorata coloni Vota iacent.* A

MOX PRAECIPITATA] auroræ vicina, sub galli cantum. Vt diem dicimus præcipitem ad occasum: ita, opinor, licebit dicere noctem præcipitem ad ortum, vt vtrobique vocem *solis* subaudias.

VERSAQVE AB AXE POLI PARRHASIS ARCT.] Callisto Lycaonis Arcadiæ regis filiam in vrsam fuisse conuersam fabulantur, & inter sidera collocatam, 2. Metamorph. 2. Fast. Pausan. lib. 8. circa initium. Parrhasis à Parrhasia vrbe Arcadiæ. Astrum illud septentriones vocant, vrsæ maioris scilicet. Est enim altera minor, cui nomen Helice. Spectabat iam currus ille in orientē. B Nocte iam affecta, vrsa se condebat. Seneca Troad. vbi Andromacha narrat somnium suum.

Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumq́; septem verterant stellæ iugum.

Lucan. *Parrhasis obliquos Helice cū verteret axes.* Rursum Seneca Hercul. Fur.

Cogit nitidum Phosphorus agmen,
Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcados vrsa
Lucem, verso temone, vocant.

Lib. 10. Metam.

Tempus erat, quo cuncta silent, interq́; Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

BLANDO PATRIAE RETINEB. AMORE] C exitum, & discessum retardabat insitus cuiq; nostrûm amor patriæ: Quanquam Roma Ouidio patria iuris potius erat quàm originis; erat quippe Sulmone oriundus. Sed illius se ciuem esse gloriosius sibi ducit.

VLTIMA SED IVSSAE. N. E. ILLA FVGAE] contra Cæsaris edictum exire, & discedere compellebat.

ALIQVO PROPERANTE] aliquo me stimulante ad egressum, & me aliquo vsque comitari parato. Potest hoc etiam de ipsis Cæsarianis comitibus, eum vrgentibus capi.

QVO, VEL VNDE] in extremum orbem, & à patria. In locum teterrimum à iucundissimo: & neutra de caussa festinandum. D

CERTAM ME. S. MENTIT. H. HORAM] Etsi Christiani doctores omne genus mendacij cum peccato coniunctum asserunt, quædam tamen, quæ officiosa dicuntur, leuiora definiunt.

TER LIMEN TETIGI, &c.] Ter frequenter pro sæpe. Ex remanendi ergo, aut diutius morandi desiderio pedem à limine iterum iterumque reuocabat. Non autem ab alio est reuocatus, sed à semetipso. Phædra Hippolyto.

Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua: ter in primo destitit ore sonus.

INDVLG. A. PES MIHI TARD. ERAT] lepide sensum affingit pedi, & ait conspirasse cum animo abhorrente à discessu.

A SAEPE VALE DICTO] sicut, audito hostem aduentare, & similia. Martial. lib. 9. *Sæpe recusato Parthos duxisse triumphos.* Id est, cum Vespasianus pater Domitiano filio, Vologeso Parthorum regi auxilium ferre, & inde triumphum ducere post victoriam cupienti, petitionem sæpe recusasset. Ammianus lib. 16. Audito à parentibus virgines raptas. Et lib. 1. Cognitoque eum iam pridem repertum. Sic comperto, apud Apuleium.

RVRSVM SVM MVLTA LOCVTVS] Quia coram de cætero locuturus non erat, & cum charissimis loquebatur, loquendo expleri non poterat.

ET QVASI DISCEDENS] cum nondum discederem. Vel, vt discedentes solent.

B OSCVLA SVMMA DEDI] oscula suprema, vltima.

SAEPE EADEM MANDATA DEDI] non vt ea inculcarem: sed quia apud me præ perturbatione nō satis eram; nec dictorum reminiscebar. Ita me ipsum fallebam.

PIGNORA CHARA] non, liberos, vt sæpe apud poëtas: vnicam quippe filiam habebat, & ea tum in Africa erat: sed τὰ φίλα instar liberorum, vxorem, domesticos, amicos, quibuscum concordissimè, & amantissimè vixeram. Mox *dulcia membra domus* vocat. Aut certè nepotulos intelligit ex filia, de quibus eleg. vlt. lib. 4. Pignera rerum, inquit Agrætius Grammat. pignora filiorum, & affectionum.

C SCYTHIA EST QVO MITTIMVR] ἐμφατικῶς. Vno verbo hoc quam multa dixit, quæ libris sequentibus exponuntur, quando ea re ipsa sensit?

ROMA RELINQVENDA EST] Et hoc vno similiter multa, prioribusq; contraria comprehendit. 1. de Ponto eleg. 4. *Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?* Paucis, sed magnificis plane verbis laudauit hanc vrbem Martialis libro 12. *Terrarum dea gentiumq́; Roma, Cui par est nihil, & nihil secundum.* Profert plura ex aliis elogia lib. 1. cap. 2. de magnitudine Romana Lipsius.

VTRAQVE IVSTA MORA EST] Iustè moratur, & tardat ire, qui in Scythiam iturus est, propter incommoda maxima & ærumnas, quas D inueniet. Quis autem ita natus est, vt ad mala sua properare velit? Et iterum, iustè moratur, & tardat ire, qui à multis bonis abiturus est: ita præsertim, vt in posterum iis se fruiturum sperare non possit. Quem enim fælicem, ac beatum viuere natura non delectat?

VXOR IN AETERN. VIVO MIHI. V. NEGAT.] Præter Romam ipsam, in qua tot bona, enumerat sigillatim quæ sibi relinquenda sint; vxor, domus, domestici, amici. Mirum, non meminisse filiæ simul deserendæ. Non negabatur vxor: sed eam ducere secum, tantæ calamitatis sóciam noluit. Eleg. 2. *O bene, quod mecum non sum conscendere passus, &c.*

DVLCIA MEMBRA] Eleg. 10. lib. 4. de quibus-

dam poëtis, æqualibus suis, *Dulcia iocundum mem- bra fuere mei.* Supra vocauit chara pignora.

FRATERNO MORE] tanquam fratres. Fraternus amor pro magno, & fideli. Cicer. 1. Off. Nam cum sit hoc natura commune omnium animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio: proxima in liberis: deinde vna domus, communia omnia. Id autem est principium vrbis, & quasi seminarium Reip. Sequuntur fratrum coniunctiones, &c.

THESEA FIDE] qua fide Theseus Pirithoum dilexit. De hoc plura in eleg. sequentem.

IVNCTA PECTORA] Virgilius 2. Aeneid. *Iuuenes fortissima frustra pectora, &c.* pectora vocat homines ipsos, vt vocantur capita *καὶ κεφαλαί*.

DVM LICET, AMPLECTAR] sæpius vtique. Cur?

NVNQVAM FORTASSE LICEBIT] Ita est, non licuit. Sed tum adhuc aliquid spei supererat restitutionis, ideo *fortasse* adiunxit.

AMPLIVS IN LVCRO EST. Q. D. HORA MIHI] Amplius cum verbo datur cohæret. Quæ vltra præscriptum tempus mihi hora adhuc contingit, lucrum merum est: nam in lucro deputo, vt ait Terent. Horat. Ode 9. lib. 1. *Quem fors dierum cumque dabit lucro appone.* Et epist. 4. lib. 1. cum vtilissimo, & saluberrimo præcepto.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superueniet quæ non sperabitur hora.

SERMONIS VERBA IMPERF. RELINQVO] Supra, *singultu medios impediente sonos.* Virgil. 4. Aeneid. *His medium dictis sermonem abrumpit.* Vel propter affectus magnitudinem: vel propter instantem, & vrgentem abitum.

AMPLECTENS ANIMO PROX. Q. MEO] quosq; animo meo charissimos: qui mihi erant in medullis. Participium *amplectens* non est iungendum cum voce *animo*, quæ iungitur cum vocabulo proxima, vt & alibi locutus est. Nam & quempiam alicui intimum esse, & hærere in visceribus dicimus: non vtiq; in intestinis, & pulmonibus.

DVM LOQVOR, ET FLEMVS] inter mutua verba, mutuasque lacrymas. Nam illos non tacuisse, verisimillimum est: & fletus fletum, præcipuè in propinquis, & amicis prouocat.

NITIDISSIMVS LVCIFER] Virgilius lib. 8. Pallantis adolescentis eximiam pulchritudinem declarare volens, ecce quam bellè, & suauiter de Lucifero (stella verè lucidissima, atque pulcherrima) exoriente.

Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum calo, tenebrasq; resoluit.

STELLA GRAVIS NOBIS] Sunt quædam stellæ graues & noxiæ, vt Sirius, Saturnus, &c. creant morbos, tempestates, & corpora humana varie afficiunt: sed non talis Lucifer. Nobis tamen grauis, & pestilens quodammodo, quia ex-

A ortu suo suauissimam coniunctionem nostram dirimebat, idque in sempiternum.

LVCIFER ORTVS ERAT] Virgil. 2. Aeneid. *Iamq; iugis summæ surgebat Lucifer Idæ, Ducebatq; diem.* *ἑωσφόρος* græcè. Et quidem mane solem antecedens, Luciferi, vesperi eundem sequens, Hesperi nomen habet. Ausonius in quendam, vocabulo Stellam.

Stella prius superis fulgebat Lucifer, at nunc
Extinctus cassis lumine Vesper eris.

QVAM SI MEA MEMBRA RELINQVAM] Similitudo pathetica.

ET PARS ABRVMPI CORP. V. MEO EST] Hoc iam *ἐπιτατικώτερον*, & crescit oratio. Etsi enim membrum est pars corporis, tamen pars plura

B membra continere potest. Ac proinde qui abrumpi partem corporis sui autumat, potest intelligi vel dimidium corporis sui perdere; quod iu vxorē inprimis conuenit, quam scimus cum viro vnam carnem effici.

SIC DOLVIT PRIAMVS] Elias Vinetus Castigat. in 1. lib. L. Flori sic legit hoc distichon

Sic doluit Metius tunc, cum in contraria versos
Vltores habuit proditionis equos.

Et ait, plerisque probari hanc lectionem. Probatur & mihi, admonente P. Rudolpho Mattmau, viro Societatis nostræ, mihi, & omnibus propter probitatem, ingenij, & doctrinæ elegantiam charissimo, cui plurimum debere me confiteor. Neque enim, inquit, iam suas amplius ca-

C lamitates cum Priami calamitatibus Ouidius comparat: sed vt dolorem indicet, quem ex separatione ista à coniunctissimis ceperit, non minus se doluisse ait, quàm doluerit Metius, cum actis in diuersum equis dilaniatus est, aptissima vtiq; similitudine, & euidentissima. Historiam lege apud Liuium lib. 3. ab v. c. Addo ego, hanc lectionem postulare quæ proximè antecedunt. *Diuidor haud aliter, quam si mea membra relinquam, &c.*

TVM VERO EXORITVR CLAMOR GEMIT. MEOR.] Virgil. lib. 12. *Tum vero exoritur clamor, &c.* Antea quoque tota domo clamores, vlulatus, & gemitus audiebantur, vt vidimus; sed ipso temporis puncto, cum auferretur paterfamilias ab eorum conspectu, tum vero itum est in gemitus,

D & eiulatus, & lacrymas.

ET FERIVNT MOESTAE P. NVDA MANVS] Nuda brachia, lacertos, pectora in luctu plangere, seu ferire consuetum antiquis. Illustris locus est choro primo Troadum Senecæ, vbi inter cætera ad socias captiuas Hecuba.

——tepido Troia
Puluere turpes paret exertos
Turba lacertos. Veste remissa
Substringe sinus, vteroque tenus
Pateant artus.

3. Metam. *Pectora nuda meis conabar plangere palmis.* 7. Aeneid. *Syluia prima soror palmis percussa lacertos.* Et lib. 12. *Terq; quaterq; manu pectus percussit honestum.*

CONIVX. HVMER. ABEVNT. INHAERENS]

De

De affectu, & *συμπαθείᾳ* vxoris non indecorè plura differit, quia longè maior, & ipse eam plus omnibus amauit. Eleg. 3. lib. 3.

Omnia cum subeaus, vincis tamen omnia coniux,
Et plus in nostro pectore chara tenes.
Te loquor absentem, te vox mea nominat vnam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.

Non potes avelli, sim. hinc. s. ibim.] Quam hæc, etiam narratu, & auditu misera? Quales animorum faces nouit accendere? *Et nos rape in omnia tecū*, aiebat Creusa, quem locum supra integrum produxi. Item noster, non longè à principio, *Vxor amans flentem, flens acrius ipsa tenebat.* Geminus huic locus apud Horatium Ode 17. li. 2. ad Mæcenatem sibi charissimum, & ægrotantem grauiter.

Ah, te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec charus æque, nec superstes
Integer? ille dies vtramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum. Ibimus ibimus
Vtcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Coniux exulis exul ero] mirificum *πάθος* in tota quæ sequitur oratione, & exemplum coniugalis amoris rarissimum.

Et mihi facta via est] Quam tu ingredieris terra marique viam, & ego possum ingredi, & perferre omnia quæ occurrent incommoda, & pericula. O masculum pectus.

Et me capit vltima tellus] Scythica tellus, in finibus orbis Romani, qualiscunq; est, tam angusta non est, vt me tecum non capiat.

Accedam profugæ sarcin. parva rati] nec nauem nimis onerabo, ne querātur nautæ, mulier gracillima, &, vt Terentius ait, iuncea. Multas autem, magnasque sarcinas imposuisse in nauim, non est credibile, cum dicat suprà, *Nec spatium, nec mens fuerat satis apta parandi.*

Te iubet a p. discad. Caes. ira] Tu cogeris abire.

Me pietas] ego volens abibo; non imperio Cæsaris, sed pietate erga te iubente & cogente, quæ est dulcis necessitas.

Sic et tentaverat ante] ibi, *Vxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat.*

Vixque dedit victas vtilit. man.] vtilitate sua. Quanquam & mea, qui dolorem eius, assiduasque lacrymas, & squalorem coram aspicere non possem. Dare manus, translatum à militia. Qui enim se victori dedunt, ne occidantur, vltro manus ad vincula offerunt. Idem est quod cedere, agnoscere, fateri se victum. Cicer. 2. ad Atticum. Aiebat illum primò sane diu multa contra: ad extremum manus dedisse. In Lælio, atque ad extremum dat manus, vincique se patitur. Lucret. lib. 2. *& si tibi vera videntur, Dede manus: aut si falsa est, accingere contra.* Et rursum: *Nam certè fluere, & decedere corpora rebus Multa, manus dandum*

A *est.* Et Propert. eleg. 12. lib. 4. *Capta dabit vestris moribus illa manum.*

Sine funere ferri] sine funebri pompa. Quasi dicat, eram viuum funus: & cum egrediebar domo ad exilium, sine exequiis quodammodo efferebar. Terent. Eunucho prouerbiali schemate, *viuus vidensq; pereo.* Cicer. pro Quintio. Huic acerbissimum viuo videntique funus ducitur.

Squallid. immis. hirta per. o. comis] In luctu capillum, & barbam non tondebant Romani. Liuius li. 27. de M. Lucio. Sed erat veste obsoleta, capilloq;, & barba promissa, præferens in vultu, habituque insignem memoriam ignominię acceptę. Sisenna apud Non. in *vicatim.*
B Cum complures menses barba immissa, intonsu capillo, lugubri veste populum vicatim flens vnà cum liberis circuiret. Fecerunt idem Græci.

Tenebris narrat. obortis, &c.] De Halcyone Ceycis regis vxore, dum ille ad consulendum oraculum discedit, cuius saluti metuebat maximè. *tristisq; miserrima tandem Ore valedixit, collapsaq; corpore toto est.* Protesilao Laodamia coniux, quam dolor ob eius profectionem in bellum, in quo ipsum periturum acceperat, exanimauit.

Lux quoque tecum abiit, tenebris exsanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandæuus Acastus,
Vix mater gelida mœsta refecit aqua. &c.

C Plautus Curcul. *Tenebræ oboriuntur, genua media succidunt.*

Foedatis pulvere turpi crinib.] non quos ipsa de industria pulueribus aspersis fœdarat: quod etiam fieri solitum non nescimus: sed quos passos humi prona iacens puluere inquinauerat. Virgil. 12. *& fœdare in puluere crines.*

Desertos penates] desertam domum, ac familiam, ac se viuo marito factam viduam.

Vidisset struct. corp. habere rogos] Catull. in Egnatium. *seu pij ad rogum filij fugegetur, orba cum flet vnicum mater.* Ipsum cremare ait Plin. lib. 7. cap. 254. non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis erutos cognouere, tunc institutum. Addit. Et ta-
D men multæ familiæ priscos seruauere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Sullam Dictatorem traditur crematus. Tamen morem hunc cremandorum corporum vetustiorem fuisse, quam dicit Plinius, docent verba XII. Tabul. quę profert 2. de leg. Cic. In vrbe ne sepelito, neue vrito. Has autem Tabulas anno ab V. C. CCC. conscriptas constat ex Gellio, lib. 20. cap. 1. Numa item, vt refert Plutarchus corpus suum cremari, & rogum vino aspergi vetuit. De caussis cremationis consule Rhodigin. lib. 17. cap. 21.

Et voluisse mori] sic Laodamia.

Officium fecere pium, sed inutile nobis:
Indignor miseræ non licuisse mori.

Extremi doloris argumentum, in rebus perditis

velle mori. Mors enim malorum omnium, & dolorum certissimum remedium.

Respectuq. tamen. n. perisse mei] Damnat Hadrian. Cardinal. hoc genus loquendi, facere aliquid amicitię respectu, &c. putatque dicendum, amicitiæ caussa, ratione. Sed eum Ouid. hoc loco refellit. Quomodo Cicero hac voce vsus sit, patet ex 1. Philipp. Itaque cum respectum ad senatum, & ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, &c. Noluit igitur mori, ne marito miserrimo calamitatem cumularet.

Quoniam sic fata tulerunt] vt ab ea separaret exilio. Prouidentiam Peripatetici statuunt futurarum rerum in Dei intellectu simplicem, stabilem æternamque rationem. Fatum rerum stabiliter, simpliciterque à Deo gerendarum mobilem, ac temporalem explicationem. Prouidentia quippe cuncta pariter, diuersa, & infinita complectitur; fatum singula digerit, ac disponit in motum, formis, locis, ac temporibus distributa. Et vt se habet ad intellectum ratio, ad æternitatem tempus, quod gignitur ad id quod est, & centrum ad circulum: sic fatorum mobilis, multiplex, varia, diuersaque series ad prouidentiæ stabilitatem, simplicitatem, vnitatem. Rhodigin. lib. 10. cap. 20. Disputationem de fato lege apud Viperan. lib. 2. de prouident. cap. 13.

Et auxilio sublevet usque suo] vel rebus quibusdam necessariis submittendis: vel per alios, & mulieres potissimùm, ac per seipsam Augusto, & Augustæ Liuiæ pro se supplicando.

Tingitur Oceano cust. Erymanth. ursae] ἀρκτοφύλαξ. De occasu Arcturi, seu Bootæ dictum. Quo tempore, mense videlicet Decembri, Ouidius iam nauigabat, & hæc scribebat. Tardum Iuuenal. pigrum Claudianus, segnem Propertius, quia more bubulci plaustrum sequitur: & apud Maronem eclog. 10. est, *tardi venere bubulci:* quoniam boues tardius ambulant.

Æquoreasque s. sid. turbat aquas] eius ortus, & occasus affert tempestates turbulentissimas.

Findimus aequor] Ab aratro tractum, quo telluri infinditur sulcus. Alioqui etiam sulcare, & arare æquor legimus.

Audaces cogimur esse metu] Etiam imbelles animantes reddit audaces timor. Metus igitur Cæsaris facit nos nauigare, quamuis intempestiuo mari, ne in Italiam reuehamur, nobis interdictam. Stat. 1. Thebaid. *dat stimulos animo vis mœsta timoris.*

Nigrescunt aequora ventis] Virgil. 1. Aeneid. *ponto nox incubat atra.* Et lib. 3. *cæcis erramus in vndis.*

Erutaque ex imis f. arena fretis] Talia sunt 1. Aeneid. *euertitq; æquora ventis: furit æstus arenis; imis stagna refusa vadis.*

Monte nec inferior] Eleg. 2. *Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum!*

Pictos verberat unda deos] Paris Helenæ. *accipit & pictos puppis adunca deos.* In puppi velut quoddam sacrarium erat, & in eo imagines, aut statuæ deorum nauis tutelarium. Ab eo, ceu insigni, naues appellabantur, & ipsum παράσημον πλοίου. Mentio est etiam in Actis Apostolicis de naui Castorum. Vide Turneb. lib. 19. cap. 2. παράσημον νεὼς fuisse Dei signum, proræ impositum, naui nomen imponens, ex Plutarchi conuiuio VII. Sapientum, & Luciani Dialogo, cui titulus πλοῖον, ἢ εὐχαὶ docet Brod. lib. 1. cap. 10. Id tutela à latinis nominatur. Seneca epist. 77. Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est: nec cui argenteum rostrum est: nec cuius tutela ebore cælata est. Quanquam, vt docet Iosephus Scalig. contra Titium lib. 7. Controuers. 7. aliquando neque παράσημον fuit tutela nauis, neque tutela statuebatur in puppi, neque naui à tutela nomen erat; sed ἀπὸ τοῦ παρασήμου, vt Centaurus, & Scylla apud Maronem lib. 5. Vide scripta in eleg. 9. in primum versum. *Est mihi. sitq; &c.*

Pinea texta sonant] Superiore elegia. *Nec leuius laterum tabula feriuntur ab vndis.* Paris Helenæ. *Texitur & costis panda carina suis.* Et 1. Fast. *Pinea non sano ter pede texta ferit.* Catull. de nupt. *Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.* Veteres enim dicebant, texere naues, & locum in quo naues fabricabantur, textrinum, Græci ναυπήγιον. Ennius. *Idem campus habet textrinum nauibus longis.* Et, *Iamq; mari magno classis cita texitur.*

Navita confess. g. pall. timorem] Eleg. 2. *Rector in incerto est, nec quid fugiatue, &c.* Ibidem notata consule.

Parum valid. rector] sessor, seu eques viribus infirmus. A naui ad equum tráſtulit verbum *rector.*

Aurigam video vela ded. rati] à curru ad rectorem, seu gubernatorem. Euripid. Medea nauim vocat ναὸς ἀπήνην currum naualem, seu nauticum. Currum nominat Catullus quoque de nupt.

Diua quibus retinens in summis vrbibus arces
Ipsa leuem fecit volitantem flamine currum.

Cuius rectorem Tiphyn poëta vetus apud Charisium similiter aurigam nominauit. *Tiphyn aurigam celeris fecere carina.* Homerus naues ἁλὸς ἵππους. in Odyss. Eum imitatus Plaut. Rudente. *Nempe equo ligneo per vias cæruleas estis vectæ.*

Nisi mutat. emis. Aeolus auras] Rex ventorum Aeolus 1. Aeneid.

Æole, namq; tibi diuûm pater, atq; hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento, &c.

Nam procul Illyricis] versus Italiam, ad dexteram venti nos agunt.

Et mecum magno p. unda Deo] cupio, quod Cæsar iussit, in Scythiam proficisci. Eleg. 2.

Quamq; dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc finito infelix in loca iussa feram
Noluit hoc Cæsar. Quid quem fugat ille tenetis?
Aspiciat vultus Pontica terra meos.

Incre-

INCREPVIT LATVS] percussit pulsauit cum crepitu. Sic alibi dixit, *digitis increpuisse lyram*. Et Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Et stimulo tardos increpuisse boues.*

VOS SALTEM NVM. P.] ne superos, & marinos simul infestos experiat. Hoc enim est regnum vestrum.

ANIMAM FESSAM] dolore, metu, variis demum animi cogitationibus.

A

QVI MODO QVI PERIIT. N. PER. POTEST] si perditus seruari potest. Sed in *periit* est ambiguitas. Non ita vult seruari quomodo periit. Sic enim Cæsar, cuius fulmine periit, reuocare illum in vitam potest: sed spiritum, & animam retinere Ponticorum numinum gratia & fauore.

ELEGIA QVARTA.

CONSTANS AMICVS, ET CALAMITATES SVAE.

ARGVMENTVM.

IN hac elegia certissimi amici fidelissima in se officia, tristissimo suo tempore collata, animo gratissimo commemorat. Bene vicissim eidem precatur. Locum communem de amicitia in aduersis rebus spectanda, & iudicanda per exempla exsequitur. Paucos, qui in fide perstiterunt, opem apud Augustum rogat. Ærumnas suas κατ' ἀντίθεσιν Vlyssis amplificat. Omnia hæc tam copiosè, prudenter, & argumētosè, vt in poëta oratorem, & in Ouidio Ciceronem possis agnoscere. Vide eleg. 8. huius, & 3. li. 2. de Ponto.

O mihi post vllos nunquam memorande sodales,
O cui præcipuè sors mea visa sua est:
Attonitum qui me (memini) charissime primus
Ausus es alloquio sustinuisse tuo.
Qui mihi consilium viuendi mite dedisti:
Cùm foret in misero pectore mortis amor:
Scis bene cui dicam, positis pro nomine signis:
Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis:
Perpetuusq́; animi debitor huius ero.
Spiritus & vacuas prius hìc tenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo:
Quàm subeant animo meritorum obliuia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.

Dij tibi sint faciles: & opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemq; meæ.
Si tamen hæc nauis vento ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
Si non infernas viuus adisset aquas.
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt furiæ tristis Oresta tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidæ Nisi gloria nulla foret.
SCILICET VT FVLVVM SPECTATVR IN IGNIBVS AVRVM,
TEMPORE SIC DVRO EST INSPICIENDA FIDES.
DVM IVVAT, ET VVLTV RIDET FORTVNA SERENO,
INDELIBATAS CVNCTA SEQVVNTVR OPES.
AT SIMVL INTONVIT, FVGIVNT: NEC NOSCITVR VLLI,
AGMINIBVS COMITVM QVI MODO CINCTVS ERAT.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.
Vix duo tréue mihi de tot superestis amici:
Cætera fortunæ, non mea, turba fuit.
Quò magis ô pauci rebus succurrite lapsis,
Et date naufragio littora tuta meo.
Néue metu falso nimium trepidate timentes,
Hac offendatur ne pietate Deus.
Sæpe fidem aduersis etiam laudauit in armis,
Inque suis amat hanc Cæsar: in hoste probat.
Caussa mea est melior: qui non contraria foui
Arma, sed hanc merui simplicitate fugam.
Inuigiles igitur nostris pro casibus oro:
Deminui si quâ numinis ira potest.
Scire meos casus si quis desiderat omnes,
Plus, quàm quod fieri res sinit ipsa, petit.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Paruáque quot siccus corpora puluis habet.
Multáque credibili tulimus maiora: ratamque,
Quamuis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam mecum quædam moriatur oportet:
Méque velim possit dissimulante tegi:
Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære,
Pluráque cum linguis pluribus ora forent:

Non

Non tamen iccircò complecterer omnia verbis,
Materia vires exuperante meas.
Pro duce Neritio docti mala nostra poëtæ
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille breui spatio multis errauit in annis
Inter Dulichias Iliacasq́ue domos.
Nos freta sideribus totis distantia mensos
Detulit in Geticos Cæsaris ira sinus.
Ille habuit fidamq́ue manum, sociosq́ue fideles:
Me profugum comites deseruere mei.
Ille suam lætus patriam, victórque petebat:
A patria fugi victus & exul ego.
Nec mihi Dulichium domus est, Itacéue, Saméue,
Pœna quibus non est grandis abesse locis:
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperij Roma deúmque locus.
Illi corpus erat durum, patiensq́ laborum:
Inualidæ vires, ingenuæq́ mihi.
Ille erat assiduè sæuis agitatus in armis:
Assuetus studiis mollibus ipse fui.
Me Deus oppressit nullo mala nostra leuante:
Bellatrix illi diua ferebat opem.
Cumq́ minor Ioue sit tumidis qui regnat in vndis:
Illum Neptuni, me Iouis ira premit.
Adde, quòd illius pars maxima ficta laborum:
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille penates:
Quaq́ diu petiit, contigit arua tamen.
At mihi perpetuò patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira Dei.

COMMENTARIVS.


OST NVLLOS VNQ. MEMOR. SODALES] omnibus amicis meis ob eximiam in fide constantiam anteferende. Eleg.5. lib.4.

O mihi dilectos inter sors prima sodales,
Vnica fortunis ara reperta meis.

Catull. ad Verannium.

Veranni, omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis.

Subit memoriam illud Anacharsidis apud Laër- A tium. Melius esse dicebat, vnum amicum egregium, quam gregarios multos possidere. *Sodalis* nomen ferme inuenias in rebus leuioribus. Hic autem de grauioribus agitur: Sed poëtæ sunt in verbis audaciores. Quos item sæpe leges metricæ aliis quam vellent vti cogunt. Totum hunc versum sublegit Martial. lib.1. epig.16. *O mihi post nullos, Iuli memorande sodales.*

CVI PRAECIP. S. MEA VISA SVA EST] Sors est τῶν μέσων. Dicimus enim bona, mala sors,

vt bona mala fortuna. Eiusdem classis sunt pharmacum, medicamentum, virus, gramen, venenum, &c. Interdum tamen sine adiuncto, in malam partem, vt hîc, pro conditione dura, seu calamitosa. Cicer. in Lælio. Quid? hæc vt omittam, quam graues, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? ad quas non est facile inuentus, qui descendat. Quanquam Ennius rectè. *Amicus certus in re incerta cernitur:* tamen hæc duo leuitatis, & infirmitatis plerosque conuincunt: aut si in bonis rebus contemnunt: aut si in malis deserunt.

ATTONITVM] denuntiatione exilij ita consternatum, atque concussum, vt vix in potestate essem, vt vix mente constarem. De hac voce dictum eleg. superiore, ibi, *Non aliter stupui, &c.*

ALLOQVIO SVSTENVISSE MEO] Eleg. 7. *& alloquij parte leuare tui.* Sustinuisse dixit, pro sustentasse, seu sustentare, qua enallage temporis nihil frequentius poëtis. Vsus verbi huius est in consolatione, & cohortatione ad res duras fortiter perferendas. Cic. ad Terent. epist. 4. Quod reliquum est, sustenta te mea Terentia vt potes. Honestissimè viximus, floruimus. Non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. Ad Atticum lib. 10. epist. 4. præclara consolatione sustentor. Alloquium autem, & allocutio, & alloqui accepta à græcis, *παραμυθία, παρηγορία, παραμυθεῖσθαι, παρηγορεῖν* propriè, & venustè in eo sermone adhibentur, qui minuendi, ac leuandi alieni doloris caussa habetur. Lege Muret. li. 2. cap. 4. Varro. ad locutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquē locutum consolandi caussa. Sic enim Victorius emendauit ex libro vetusto, cum antea *consulendi* legeretur.

CONSIL. VEVS NOT MEA DEDISTI] retinuisti me dulci sermone tuo in vita. A simili officio commendat Celsum 1. de Ponto eleg. 10.

CVM FORET IN MIS. P. MORTIS AMOR] cum cuperem, & cogitarem mihi manu mea necem afferre: aut pertinaci ciborum abstinentia interire. Putabant enim veteres, quò se à doloribus, & miseriis eximerent, id honestè fieri, & ex ea re magnanimitatis laudem captabant. Vide Symb. nostras in 6. Aeneid. *qui sibi letum Insontes* peperere manu. De manu, in elegia iam nominata.

O quoties vitæ custos inuisus amaræ
Continuit promptas in mea fata manus!

De inedia Sueton. August. cap. 53. Gallum Terrinium senatorem, minus sibi familiarem, sed captū repente oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando reuocauit ad vitam. Et Tiberio cap. 53. de Agrippina vxore Germanici. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto infulciri cibum iussit. Sed & perseuerantem, atque ita absumptam, &c. Et Plin. epist. 12. lib. 1. de Corellio Rufo.

POSITIS PRO NOMINE SIGNIS] & hoc signo quod iam retulit, & aliis quæ sequentur, quibus se officiosissimum declarauit, & quorum sibi probè conscius est, vt Ouidium de se loqui, dubitare nequeat.

IMIS INFIXA MEDVLLIS] Sic M. Tull. epist. 16. lib. 15. Neque enim solum te, qui mihi hæres in medullis. Ad Atticum epist. 4. lib. 15. Prætereo illa, quæ mihi inclusa sunt in medullis. Et 1. Philipp. Qui in medullis populi Romani, ac visceribus hærebant. Virgil. 4. Aeneid. *hærent infixi pectore vultus.*

PERPET. ANIMAE DEBIT. HVIVS ERO] Quoad vixero, animam, seu vitam meam abs te seruatam tibi debebo. In alium sensum prouerbium est, animam debere, de eo qui plus debet, quam habet, seipsum nempe. Antiqua lex erat, vt qui soluendo non esset, nexus addiceretur creditori, luiturus in corpore, id est opera, quod ære non posset. Et lege XII. tabularum iubebatur dissecari corpus eius, qui multis creditoribus deberet, nec soluendo esset. Terent. Phorm. *quid si animam debet?*

SPIRITVS HIC VAC. P. EXTEN. IN AVRAS] Silius lib. 10. de anima Pauli Aemilij.

Hæc Libys, atq; recens crepitantibus vndiq; flammis
Æthereas anima exultans euasit in auras.

Ariadna Theseo. *Spiritus infelix peregrinas ibit in auras.* Prius moriar. Obseruandum, poëtas veteres de discessu animi à corpore nonnunquam ita loqui, quasi is superesse desinat, quæ opinio impia, & non modo à dogmatis Christianis, verum etiam à sincera philosophia abhorret. Aeneid. 4. de morte Didonis. *Omnis & vnà Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.* Et tamen lib. 6. videtur ab Aenea apud infernas sedes. Sic nos quoq; loquimur, efflare, exhalare animam, spiritum. Sed hi, & similes modi loquendi, inde nati sunt, quod anima aëreæ naturæ à quibusdam credita est, seu quiddam vapori, & exhalationi persimile. Quod si ita esset, sequeretur, eam cum corpore extingui, atque omnia morte deleri. Aër enim mutationi, & interitui est obnoxius: quomodo & vapor, & exhalatio. Eadem impietate dixit Seneca Troad.

——nullaq; pars manet
Nostri, cum profugo spiritus halitu
Immistus nebulis cessit in aëra.

VACVAS AVRAS] Totum hoc quod est inter lunam, & terram, quanquam aëris, & ignis elementis plenum, tamen quia id oculis non apparet, poëtæ vocant inane. Virgil. 12. *Ante leui iaculo longum per inane secutus.* Aut vacuas auras nominat respectu hominum, & animantium, quę nullæ in iis habitant, etsi aues easdem peruolitent.

IN TEPIDO DESERET OSSA ROGO] Tepidus, hoc est, minus ardens, seu in cineres, & fauillas subsidens est rogus, cum ossa iam crematorum corporum cernuntur. Cum autem non viui, sed iam mortui, & anima cassi rogo imponantur, quomodo spiritus ossa deseret in tepido rogo, si in rogum non venit? An ita interpretan-

dum,

dum, quasi dixisset, ossa in rogum non comitabitur, quippe à se ante rogum deserta, dum in vacuas auras extenuatur? Sed poëtarum dicta non nimis ad amussim veritatis exigenda sunt. Potest videri etiam tetigisse opinionem Heracliti, qui corpora in ignem resolui docuit, cum omnia ex igne constent. Quem secuti post alij censuerunt, non aliter animam purgari, & ad naturam suam reuerti posse, nisi corpus cremetur.

QVAM SVB. ANIM. MERIT. OBL. N.] Seneca de Benef. lib. 3. cap. 1. & 2. docet, qui obliuiscentur beneficij, esse omnium ingratorum ingratissimos. Qui meminerunt, sine impendio gratos esse.

ET LONGA. P. EXCID. ISTA DIE] Dies genere fœminino in significatione temporis incerti ponitur. Ergo *longa dies*, longum, seu diuturnum tempus. Tibull. eleg. 4. lib. 1.

Longa dies homini docuit parere leones.

Longa dies molli saxa peredit aqua.

Virg. lib. 9. *Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.* Nullo tempore memoria vestri exolescet. Etiam erga amicum dicitur pietas. Cic. epist. 1. li. 1. Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio. Vide ibi Paulum Manutium.

DII TIBI S'INT FACILES] propitij, secundi, fauentes, benefici.

ET OPIS NVLLIVS EGENT. &c.] Benefacientibus bene precari, si beneficium non possis reddere, mos bonus est.

VENTO FERRETVR AMICO] Eleg. 3. lib. 2. de P. *Dum flauit velis aura secunda meis.* Libenter, & crebrò, statum suum ἀλληγορικῶς per nauem, cymbam, ventos declarat. Ventus amicus est, qui nauem à puppi impellit. 3. Aeneid. *Prosequitur surgens à puppi ventus euntes.* Ventus non aduersus, nec obliquus, sed auersus, seu à tergo, ἔφορ. De tali Catull. in Phaselum. *Siue vtrumque Iupiter simul secundus incidisset in pedem.*

IGNORARETVR FORSIT. ISTA FIDES] Materia, & argumenta fidei, sunt amicorum infortunia, & res turbidæ, in quibus vt aurum in igne eluceat.

THESEA PIRITHOVS NON. T. SENSISS. AM.] Inductio παραδειγματική, qua superior propositio probatur, & illustratur.

SI NON INFERN. VIVVS ADISS. AQVAS] Theseus cum Pirithoo amico iuratus ad Proserpinam Plutoni eripiendam ad inferos descendit, audacissimo facinore. Eleg. 3. lib. 2. de P. *Pirithoum Theseus Stygias comitauit ad vndas.* Sed vterq; ibi captus est, & postea in gratiam Herculis Theseo liberato, Pirithous retentus, temeritatis suæ pœnas sempiternas exoluit. Vnde Horat. Ode 7. lib. 4. *Nec lethæa valet Theseus abrumpere charo Vincula Pirithoo.* Vide Lucian. Tom. 4. in Charidemo.

EXEMPLVM VERI PHOCAEVS AMORIS] Alterum inductionis huius exemplum, Pyladis nempe, & Orestis. Hunc Strophius Phocidis rex,

A filium suum cum Oreste, manibus Clytæmnestræ, eum quoque (ne vindex sceleris superesset) mactare cupientis, subtractum, & ad se delato propter propinquitatem educauit. Qui postea eidem Oresti fuit omnium itinerum, periculorumque socius indiuiduus. Narrabit ipsemet Ouid. eleg. 4. lib. 4. Trist. & lib. 3. de P. eleg. 2. vberius, quo pacto alter pro altero mori contenderit, cum in Tauricam regionem venissent.

FVRIAE TVAE] Vt patrem Agamemnonem à Clytæmnestra vxore, & Aegistho adulteris occisum vlcisceretur, vtrumque occidit, vt est in Oreste Euripid. & Electra Sophoclis. Ob quod tam impium factum furiis se infestantibus patriam fugiens, loca varia peruagatus est.

B SI NON EVRYALVS RVTVLOS, &c.] Tertium exemplum, quod habes pulcherrimè descriptum 9. Aeneid. ab illo versu *Nisus erat portæ custos, &c.*

VT FVLVVM SPECT. IN IGNIB. AVRVM] γνώμη pro epiphonemate. Tempora grauia, & tristia amicis idem sunt, quod ignis auro. Cicero epist. 16. lib. 9. Nam etsi non facile diiudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit. Et 1. Off. quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrentur. Quem locum, qui concinnitatem translationis non percipiebant, corruperunt, & *dignum spectatu* scripserunt, vt monuit Turneb. lib. 19. cap. 1. Chilon aiebat, cotibus aurum

C examinari, & manifestè cognosci: auro autem bonorum, malorumq; animos argui, ac deprehendi.

VVLTV RIDET FORTVNA SERENO] Secunda, & fœlix fortuna ridere, & arridere dicitur, quia ridentes, & gaudentes facit, vt frigus pigrum, μετωνυμικῶς.

INDELIBATAS OPES] opes integras, nullo adhuc casu, & detrimento imminutas.

CVNCTA SEQVVNTVR] quia fœlicibus ad voluntatem fluunt omnia. In Monostich.

Ῥέγχει παρόντος τῆς τύχης τὰ πράγματα.

Præsente fortuna quiescunt omnia.

D AT SIMVL INTONVIT] Eleg. 3. lib. 2. de P.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,

Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat.

Virgil. 2. Aeneid. *subitoq; fragore Intonuit læuum.* Et lib. 1. *Intonuere poli.* De ipso autem Ioue Terentius Eunuch. *qui templa cæli summa sonitu concutit.* Tonitrua terrificant animos, vt est in 4. Aeneid. ita fœlicium casus amicos adulterinos, & simulatos percellunt, & ab amicitia auocant. Plaut. Sticho.

Vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt. Si res labat,

Itidem amici collabascunt. Res amicos inuenit.

AGMINIB. COMITVM QVI MODO CINCTVS] turba clientium, seu assentatorum, & parasitorum potius.

EXEMPLIS QVOND. COLLECTA PRIOR]

A Hæc pluribus exemplis antiquorum aliquando nntata, & obseruata, & in vnum velut fascem à à me collecta,

NVNC MIHI SVNT PROPR. COG. VERA MAL.] nunc ipsemet in me expertus snm. Eleg. 8.

Hæc precor vt poßint semper tibi falsa videri
Sunt tamen euentu vera fatenda meo.

VIX DVO TRESVE MIHI DE TOT, &c.] Plaut. Pseudolo. *Pauci ex multis sunt amici homini, qui certi sient.* Et Epidico. *Is est amicus, qui in re dubia re iuuat, vbi re est opus.*

CAETERA FORTVNAE NON. M. TVRB. FVIT] Si enim mea fuisset, nunqnam me cum fortuna destitnisset. Huc pertinent illi versus e-leg. 8.

B *Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:*
Tempora si fuerint nubila, solus eris, &c.

QVO MAGIS O PAVCI] nam si essent mnlti, singulis minus in eo adiuuando laborandum foret.

REBVS SVCCVRRITE LAPSIS] Inepte vulgati *lætis*. Virgil. 11. *Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.*

ET DATE NAVFRAG. LITTORA TVTA MEO] Estore mihi naufrago portus, beneuolentiam Augusti reconciliando.

NEVE METV FALSO] inani. Addit animos amicis, ad Augustum pro se rogandum.

SAEPE FID. ADVERS. E. LAVO. IN ARMIS] Eleg. 8.

C *Sed tamen in duris remanentem rebus amicum*
Quamlibet inuito Cæsar in hoste probat.
Nec solet irasci (nec enim moderatior alter)
Cum quis in aduersis si quid amauit amat.

Spectauit id, quod ait Sueton. cap. 17. Remisit tamen hosti iudicato (C. Antonio) necessitndines, amicosque omnes: atque inter alios C. Sosium, & T. Domitinm, tum adhuc Coss. Bononiensibus quoque publicè, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis.

QVIA NON CONTRARIA FOVI ARMA] Hæc tangunt coniurationem in Augustnm, cuius meminit 1. Metamorph. *Sic cum manus impia sæuit Sanguine Cæsareo Romanum extinguere nomen, &c.* De eadem lib. sequenti.

D *Diuitiis etiam multos & honoribus auctos*
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Caussa mea est melior, quia non contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.

Sueton. cap. 19. Tumultus post hæc, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationesq; complures, priusquam inualescerent, indicio detectas compressit, & alias alio tempore, Lepidi iuuenis, deinde Varronis, &c.

SIMPLICITATE] quod attinet ad errorem. Nam altera caussa fugæ, seu exilij non fnit simplicitas, sed stultitia. Notandum, nunc alteram, nunc ambas caussas ab eo proferri.

HANC FVGAM] centies vocem hanc in no-

A tione exilij positam inuenies ἰδιωτικῶς. Cicer. 3. Tuscul. ex Euripide. *Aut mortem acerbam, aut exilij mœstam fugam. Aut semper aliquam molem meditabar mali.* φυγὰς τῆς πατρίδος exul. Et φυγαδεύεσθαι fugari, in exilium pelli.

INVIGILES NOSTRIS PRO CASIBVS] da vigilem operam mihi exuli. In eam curam sedulus incumbe.

SI QVA] aduerbium. Si qua ratione.

MEOS CASVS OMNES] omnia incommoda mea, molestiasque.

QVAM QVOD FIERI RES SINIT] res non sinit eos enumerari, quia infiniti. Sequitur locus illi valde familiaris, exaggeratio scilicet malorum in quibus iaceat, per numeri infinitates, id-

B que per versus plures sæpe, cum vnus, aut duo summum suffecissent. Laudanda tamen hoc in genere (vt in congerendis quoque ἀδυνάτοις) varietas, & copia Nasonis.

QVOT IN AETHERE SID. LVCENT] Ad immensitatem numeri exprimendam, poëtæ nominant sidera, arborum folia, fluctus marinos, aristas, arenas, pisces maris, gramina, conchas littorales, grana papaueris, aues cælo volantes, segetes Libyæ, Tmoli racemos, Hiblæ fauos, & apes, veris flores, &c. Horum quippe singulorum soli Deo notus est numerus.

CREDIBILI MAIORA] Supra quam cuiquam credibile est, Sallust. in Catilin. Omnem fidem superantia.

C QVAMVIS ACCIDERINT] Quædam vera excedunt fidem, & pro falsis ducuntur: & contrà verisimiliter ficta fidem habent, quamuis magna sint. Magis enim mendacio, quam veritate homines pascuntur.

PARS QVAEDAM MECVM MORIATVR OPORTET] Adhuc nonnulla fero, quibus immoriar: in quibus me mors inueniet.

VELIM POSSINT ME DISSIMVL. TEGI] velim posse ignorari, me tacēte, me illa non prodente. Quæ illa fuerint, liberum est cuiuis nostrûm diuinare.

SI VOX INFRAGILIS] non fragilis, robustissima, ferrea. Homerus 2. Iliad. φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

D PLVRAQVE CVM LINGVIS PLVRIB. ORAE.] Aeneid. 6.

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Quò allusit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus resonarent voce humana, nihil dignum sanctæ, ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Esse autem hunc solitum, & communem poëtarum morem, cum quid se nó satis declarare posse, quamuis in rebus nonnunquam leuioribus, aut non ita magnis significare volunt, centum linguas, & centum voces sibi optare, indicat Persius, sat. 5. sic exordiens.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum:
Fabula seu mœsto ponatur bianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

PRO DVCA NERITIO] Pro Vlysse Ithacense. Cum quo iterum se comparat in tolerantia malorum, eleg. 10. lib. 4. de P. Neritos mons Ithacę. Quæ pertulit heros ille, dum in patriam tenaulgat, ex Odyssea satis nota sunt. Notentur antitheta per singula disticha, in quibus semper sua maiora facit. Horat. sat. 2. lib. 1.

——totumq; per æquor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis vndis.

ILLE BREVI SPATIO. M. ERRAVIT, &c.] decem annis errauit ille quidem, & variis casibus B iactatus est in mari: veruntamen non tanta spatia confecit, quanta ego.

INTER DVLICHIAS, ILIACASQVE DOMOS] inter Dulichium insulam vicinam Ithacæ, etiam Vlyssi subiectam, & Troiam. Hinc & Dulichius, sicut Ithacus.

FRATA TOTIS SIDERIBVS DISTANTIA] distantia toto, quod aiunt, cælo, id est, quam longissimè, & ab Italia remotissima.

SORS TVLIT IN GET. SARMAT. SINVS] non casus, nam studio eò deducebatur: sed sors mala, fatum suum, vt alibi nominat. In Geticos ego sinus, in terras barbarorum, non in patriam ad charam Penelopen, & filium Telemachum, vt ille, delatus sum. Sinus propriè quod est intra C pectoris, & brachiorum complexum. Habent per translationem & maria suos quosdam sinus.

SOCIOSQVE FIDELES] sed eorum sociorum propter absumptos boues solis nemo domum rediit. Odyss. 12.

COMITES MEI] amici mei, quorum agmine cinctus ingrediebar.

LAETVS PATRIAM PETEBAT] petere patriam, fugere à patria, victor victus, & exul contraria sunt. Quare ille lætus; ego, quod subauditur, mœstus. Seneca epist. 66. Nemo patriam amat quia magna est, sed quia sua. Vlysses ad Ithacæ suæ saxa sic properat, quemadmodum Agamemno ad Mycænarum nobiles muros.

NEC MIHI DVLICHIVM, &c.] Dulichium, D Ithacen, Samen contemnit, paruas insulas præ amplitudine vrbis Romanæ, quę Virgil. in 7. maxima rerum.

QVAE DE SEPT. TOTVM CIRCVMSP. ORB. MONTIB.] Virgil. 6. Aeneid.

——illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo,
Septemq; vna sibi muro circumdabit arces.

Horatius colles appellat, carmine sæculari. Sunt autem Palatinus, Quirinalis, Auentinus, Cælius, Viminalis, Esquilinus, Tarpeius siue Capitolinus, ob quos septemgemina aliquando dicitur. Laudat altitudinem Claudian. *Qua nihil in terris complectitur altius æther.* Eam altitudinem vel sin-

A gillatim ad ipsa opera, vel ad ædificationes in collibus, & montibus, vt hic vocantur, referre possumus, in quibus publica, priuataque ædificia: quique gradatim declinantes, velut superæ quædam vrbes vrbi inferæ imminebant, verba sunt Lipsij Admirand. lib. 3. cap. 4. vbi illustris ex Aristotele eodem spectans locus recitatur.

IMPERII, DEVMQVE LOCVS] Propertius eleg. 10. lib. 3. *Septem vrbs alta iugis toti quæ præsidet orbi.* Clarissimi imperij domicilium, arx omnium gentium Ciceroni. Idem 1. de Oratore vna in omnibus terris domus virtutis, imperij, dignitatis. Nulla autem vrbs plures deos coluit. Omnium communis sedes fuit. S. Leo concione in natalem principum Apostolorum. Hæc ciui- B tas Ignorans suæ prouectionis auctorem, cùm pœne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.

CORPVS DVRVM, PATIENSQVE LABOR] Vnde πολύτλα, τλήμων, ταλασίφρων. δύσμορος, δύστηνος Homero, quæ omnia tolerantiam laborum, & miseriarum indicant.

INVALIDAE VIRES MIHI] vt homini minime agresti, & delitiis innutrito.

INGENVAEQVE] quales sunt ingenuorum, qui non habent robur Milonis Crotoniatæ, aut gigantum, aut athletarum, aut fossorum denique. Martialis inter optabilia numerat etiam vi- C res ingenuas, cum salubri corpore, lib. 10.

SAEVIS AGITATVS IN ARMIS] versatus, exercitatus armis. Quam ei laudem Aiax Telamonius XIII. Metamorphoseωn non concedit: lingua quam gladio plus valuisse affirmans. *quantumq; ego Marte feroci, Inq; acie valeo, tantum valet iste loquendo.*

ASSVETVS STVDIIS MOLLIBVS] poëticis, quæ sane seuera non sunt: & scribendis nugis amatoriis, quæ plenæ sunt ineptiarum, & mollitiei, & viro parum dignæ.

ME DEVS OPPRESSIT] Augustus, cum me in exilium proiecit.

NVLLO MALA NOSTRA LEVANTE] nullo Deo, quanquam nec vllo homine, quod vel ad D reditum, vel ad exilij mutationem attinet.

BELLATRIX DIVA] Minerua, seu Pallas, quā in Fastis nominat deam bellicam. Virgil. 3. Aen. armisonam. Et de eadem libro 11. *Armipotens belli præses Tritonia virgo.* Tulisse opem Vlyssi, etiam 2. eleg. dixit.

TVMIDIS QVI REGNAT IN VNDIS] Neptunus rector pelagi, aduersus quem Vlyssem suum Pallas tutata est. Phyllis Demophoonti. *Concita qui ventis æquora mulcet.* Plauto Trinum. salsipotens, & multipotens Iouis frater.

ME IOVIS IRA PREMIT] Augusti, qui his temporibus est illi summus Iupiter. Idem, si mitescat modò, salus, fortuna, lux, lętitia, gaudium, vt ait in Capt. parasitus. Tranquillum tamen sibi

hunc Iouem facere nunquam potuis miseran- A dus Ouidius.

PARS MAXIMA FICTA LABORVM] Multa mendacia scripturum Homerum prędixit Sibylla. Horat. ad Pison. agens de artificio poëmatis Homerici, docet, eum scitè mentiri.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primum ne medio, medium ne discrepet imo.

Quod autem in eadem epistola eundem Homerum nihil ineptè moliri dicit, id Iulio Scaligero nec Suada ipsa persuaserit.

IN NOSTRIS FAB. NVLLA MALIS] Homerus sapienter finxit, & fabulis rerum veritatem texit: ego caussam fingendi nullam habeo.

QVÆQVE DIV PETIIT] decem annis.

PERPETVO CARENDVM] Vlysses caruit 20. annis: nam etiam ad Troiam profectus est inultus. At ego in omni vita reliqua carebo, etsi centum annos viuam. Non caruit tamen nisi septennium, & menses aliquot.

NI FVERIT LÆSI MOLL. IRA DEI] nisi Augustus à me offensus capiatur misericordia mei.

ELEGIA QVINTA.
CONIVGIS ΕΠΑΙΝΕΤΙΚΗ.
ARGVMENTVM.



RDENTEM amorem suum aduersus coniugem duplici collatione demonstrat. Eius in facultatibus contra raptores tanquam harpyias tuendis, & amicorum studio adiuuante asserendis operam, probitatem quoq; & fidem quatuor illustrium fœminarum comparatione commendat. Eiusdem virtuti celebrandæ par ingenium sibi non suppeditare dolet, tanta calamitate hebetatum, ac imminutum videlicet. Nihilominus ex carminibus suis æternam illi famam pollicetur.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poëta:
Nec tantum Coo Battis amata suo est:
Pectoribus quantum tu nostris vxor inhæres,
Digna minus misero, non meliore viro.
Te mea supposita veluti trabe fulta ruina est:
Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.
Tu facis, vt spolium non sim: nec nuder ab illis,
Naufragij tabulas qui petière mei.
Vtq́; rapax stimulante fame, cupidusq́; cruoris
Incustoditum captat ouile lupus:
Aut vt edax vultur corpus circumspicit, ecquod
Sub nulla positum cernere possit humo:
Sic mea nescio quis malè fidus rebus acerbis
In bona venturus, si paterère, fuit.
Hunc tua per fortes virtus summouit amicos:
Nulla quibus reddi gratia digna potest.

Ergo

Ergo quàm misero, tam vero teste probaris,
Hic aliquod pondus si modò testis habet.
Nec probitate tua prior est, aut Hectoris vxor,
Aut comes extincto Laodamia viro.
Tu si Mæonium vatem sortita fuisses:
Penelopes esset fama secunda tuæ.
Siue tibi hoc debes: nullo pia facta magistro:
Cumq́; noua mores sunt tibi luce dati:
Fœmina seu princeps omnes tibi culta per annos
Te docet exemplum coniugis esse bonæ:
Aßimilemq́; sui longa assuetudine fecit:
Grandia si paruis aßimilare licet.
Hei mihi non magnas quod habent mea carmina vires,
Nostráque sunt meritis ora minora tuis.
Si quid & in nobis viui fuit antè vigoris:
Extinctum longis excidit omne malis.
Prima locum sanctas heroidas inter haberes:
Prima bonis animi conspicerère tui.
Quantumcunque tamen præconia nostra valebunt,
Carminibus viues tempus in omne meis.

COMMENTARIVS.



LARIO LYDE DILECT. POETAE] Antimachum intelligunt; dictum Clarium à vicina vrbe Ioniæ Claro, cum Colophonius fuerit. Lyden fuisse vxorem eius, testis Plutarchus in Consolat. Nam cum mortua esset eius vxor Lyde, inquit, quam egregiè animo charam habebat, elegiam, qua mœrorem suum solaretur sibi fecit, nomine Lyden: enumeratisq́; heroicis calamitatibus, & malis alienis, ægritudinem suam temperanit.

COO BATTIS AMATA SVO] Philetæ, cuius vxor, an pellex fuerit, nihil comperi. Laudat hũc poëtam vt principem in elegia cum Callimacho Propert. lib. 3. eleg. 1.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum quæso me sinite ire nemus, &c.

Fabius ei secundas partes tribui solitas ait. Exili & macerrimo corpore fuit, coactusq́; est ferreas soleas gestare in calceis, ne à vento prosterneretur. Quod vt non admodum probabile refellit Aelian. Si tam fuit imbecillus, inquit, & viribus destitutus, vt vento non posset obluctari, quomodo tantum onus sufferebat? libro 9. cap. 14. Mortuus ex labore quem capiebat ex studiis, &

A è molestia, quam contraxit, cum fallacis, & captiosæ Stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδόμενον, Cicero mentientem vocat, dissolutionem reperire non posset.

QVANTVM TV PECTORIB. N. INHAER.] Virgil. 4. Aeneid. *hærent infixi pectore vultus*. Nemo vxorem suam tam efflictim amauit vnquam. De genere locutionis iam alibi in antegressis.

MINVS MISERO, NON MELIORE VIRO] Bona vxor digna est bono marito: diligens, & in re tuenda sollicita ac sedula, etiam fœlici: ne cum misero immeritò misera sit.

B SVPPOSITA VELVTI TRABE] Cadentem me sustentasti, vt trabs domum ruituram. Accipiendũ est de possessionibus, in quas inuolabant homines alienorum cupidi, è quarum fructibus in exilio ipse viuebat.

SIQVID ADHVC EGO SVM] Non habet hoc loco sensum, quem illud, esse aliquid: quod & græcè, & latinè valet, esse aliquo numero, aliquid posse, &c. cuius contrarium est, nihil esse, seu nullum esse. Exponendum est autem, si supersum, si non perij.

MVNERIS OMNE TVI EST] Eleg. 1. *Hoc quo-*

que quod vnam manus habere Dei. Horatius Ode 3. lib.4.

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium.

Vt spolium non sim] significantius, quam si dixisset, vt non spolier. Nam qui dominum ipsum cum bonis aufert, hic vtique auidissimus spoliator est.

Naufragii tab. qui patiere mei] reliquias naufragij mei, reliquum fortunarum mearum. Quas cum Cæsar mihi non ademerit, ipsi tamen adimere nefariè conantur. Vnde patet eos auarissimos, & inhumanissimos esse.

Vtque rapax stimulante fame] Aptissima similitudo à lupis esurientibus ad captatores bonorum, & hæredipetas. Plaut. Capt. *Quasi lupus esuriens metui ne in me faceret impetum.* Et in Trinum.

Adesuriuit magis, & inhiauit acrius
Lupus: obseruauit dum dormiret canis,
Gregem vniuersum voluit tecum auertere.

Virgil. autem 2. Aeneid. incitationem animi ad fortissimè præliandum eadem similitudine expressit.

————————inde lupi ceu
Raptores, atra in nebula (quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis) per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem.

Avt vt edax vvltvr corp. circvmsp.] Eadem metaphora qua lupi, etiam vulturij nominantur, qui captant bona aliena, & ea per fas & nefas occupare nituntur, quibus tanquam vultures, genus auium rapacissimum, insident. Plaut. Trinummo.

Turpilucricupidum te vocant ciues tui.
Tum autem sunt alij, qui te vulturium vocant,
Hostésne, an ciues comedas, paruipendere.

Cic. in Pison. Vulturius ille prouinciæ Scaurus. Et Catullus ad Mallium.

Nam neque tam charum confecto ætate parenti
Vna caput serignata nepotis alit.
Qui cum diuitiis vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat à cano vulturium capite.

Eiusmodi captatorē Horatius nuncupauit coruum, sat.5. lib.2.

Scriba ex quinqueuiro coruum deludit biantem,
Captatorque dabit risum Nasica Corano.

Dicimus vultur, vulturius, non etiam vulturis. Nam Enuij versus sic est legendus. *Vulturius syluis miserum mandebat, hemonem.* Non, *Vulturis in syluis, &c.*

Corpvs svb nvlla positvm hvmo] Periphrasis est cadaueris. Prædiuinant vultures aliquot diebus ante, vbi strages sit futura. Quare prisci reges belli tempore exploratores mittebant, obseruatum, in quam exercitus partem vultures imminerent, inde commonefacti, stra-

A gem ibi futuram, vbi eorum alituum grex frequentior incubuisset. Vnde Aegyptij sacerdotes præsagituram ex vulturis simulacro significabant. Tradunt iuniores, hæredipetam eo indicari. Hinc apud Senecam mordax dictum, si vultur es, cadauer ex specta. Quo item allusit Martialis, *cuius vulturis hoc erit cadauer?* Pierius lib.18.

Male fidvs reb. acerbis] quod contra debebat, si quidem homo esset, humanitatem nauare misero.

Si paterere] Si industria, & sollicitudo tua in amicorum subsidio implorando ad vulturios istos depellendos non obstitisset.

Per fortes amicos] Per fideles, & in negotio meo agendo constantes.

B Nvlla qvib. reddi. g. d. io. potest] Quorum meritis referri gratiæ pares non possunt. Plaut. Capt.

——————fecisti vt tibi,
Philocrates, nunquam gratiam referre possim satis,
Proinde vt tu promeritus de me, & filio.

Cic. epist. 8. lib.1. Nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum.

Tam vero teste probaris] Probare aliquem, est probum, bonum, sincerum iudicare. Verum testem semet ex conscientia appellat.

Hic aliqvod pond. s. modo. t. hab.] In teste spectatur auctoritas, & honestas. Ouid. exul, & infamis est.

C Avt hectoris vxor] Ab exemplis amplificatio. Andromacha, cui Homerus multis locis per Iliadem pietatis erga maritū dat egregia testimonia. Tu memineris illius quod est apud Latinum Homerum 3. Aeneid. cum in Epiro ante vrbem reperitur ab Aenea, iam nupta cum Heleno, Pyrrho ab Oreste interfecto, nihilominus primo marito suo constructo tumulo, seu cenotaphio dat inferias,

Hectoreum ad tumulū, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrymis, sacrauerat aras.
Et pòst pauca.
Nate dea, viuisne? aut si lux alma recessit,
Hector vbi est? dixit, lacrymasque effudit, & omnem
Impleuit clamore locum.

D Avt comes extincto Laodam. viro] 3. de P. eleg. 1.

Si comes extincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui.

Amor Laodamiæ in virum suum Protesilaum plane singularis fuit: quem ad bellum Troianum abeuntem sequi omnino gestiebat. Sed eius hortatu quanquam nolens remansit. Postea cum eundem primum de Græcorum exercitu ab Hectore occisum audiuisset, nimio illius desiderio contabuit. Narrant alij, vmbram defuncti quiescenti se obtulisse, & in complexu illius emortuam. Alij, obtinuisse Protesilaum, vt ab inferis ad vxorem visendam redire liceret. Vide Lucianum Tomo 4. pag.45. Quam cum imagunculæ,

qua viri mortui vultum exprimendum curauerat, adiacentem reperisset, petiisse ab ea vt ne amplius superstes sibi esse vellet. Tum ipsam adacta in pectus hasta, semet vita leuasse, vt loquitur Varro. Eius amoris magnitudinem ad Mallium his versibus descripsit Cattullus.

Quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
Ereptum est vita dulcius, atq. anima
Coniugium. Tanto te absorbens vertice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt Graij Peneum propter amœnum
Siccari emulsa pingue palude solum.

Vide eius epistolam inter heroidum. Talis fuit Arriæ in Pætum de qua Plinius lib. 3. epistol. 16. & Martialis lib. 1. *Casta suo gladium, &c.* epigram. 14. Item Alcestidis & Porciæ.

SI MAEON. VATEM SORTITA FVISSES] Quare Homerus dictus sit Mæonides, docuimus in eleg. 1. ibi, *Da mihi Maeoniden. &c.* Horat. Ode 6. lib. 1.

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor Mæonij carminis alite,
Quam rem cumque ferox nauibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Vbi Lambinus putat per Mæonij carminis alitem accipiendam maiestatē, granditatem, altitudinem, elationem Homerici carminis. Suidas quidem, vt alios omittam, hunc patrem poëtarum, & quasi Deum quendam his epithetis ornat. τεισμήχετος, ποίεγν✝ ὕμνων, Ἴου μόνος φθεγξαμένου κεφαλὴ, ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ, δῖος, μνεῖν ἄξια μελψάμενος. Reuocabo item lectori in memoriam, quod est in orat. pro Archia. Quam multos scriptores, rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum adstitisset, ô fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. Mirifice commendatur idem poëta à Velleio lib. 1. clariss. deinde Homeri illuxit ingenium, &c. in quem locum aduersus Iulium Scaligerum, Lipsius ex Aristotele, Platone, Quintiliano, Plinio, Themistio, Dionysio, suo item addito suffragio præclarè disseruit in Animaduers. num. 23. 24. 25. Quanti demum referat, à nobili an ignobili scriptore cuiuspiam res perscribantur, indicat in Catilin. Sallustius. Atheniensium res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ, magnificæque fuerunt: verùm aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia prouenere ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia.

PENELOPES ESSET FAMA SECVNDA TVAE] Notior, & celebratior esses ipsa Penelope, quæ tamen à pudicitia, & fide coniugali est celebratissima. Lege epistolam eius ad Vlyssem.
A Item adagium, Penelopes telam texere. Propert. lib. 2. eleg. 9.

Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere, tam multis fœmina digna procis.
Coniugium poterat falsa differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.

Adi etiam posteriores libros Odysseæ, si placet. Sunt tamen, qui hanc mulierem fuisse impudicissimam, aduersus Homerum prodiderunt.

NVLLO PIA FACTA MAGISTRO] seu tibi ad hoc natura dux fuit, & tecum nata est ista in virum pietas. Natura & genus, an doctrina, siue institutio, & educatio plus conferret ad virtutem, quæsitum est ab eruditis. Plato in oratione funebri plus naturæ tribuit. Similiter Euripi-
B des in Hecuba. Horat. quoque Ode 4. Epod. eam
à doctrina adiuuari confirmat.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectiq. cultus pectora roborant.

Plutarchus Commentar. de lib. educand. sicut in artibus, & scientiis, ita in virtute ad eius perfectionem tria requiri docet, naturam, doctrinam, exercitationem. Natura absque disciplina cæca est: disciplina, si à natura destituatur, defecta: exercitatio his duobus demptis imperfecta est. Natura solo, præcepta semini, magister agri-
C colæ respondet.

CVM NOVA LVCE] cum primum hanc cæli lucem intueri inciperes. Cum nascereris.

FAEMINA SEV PRINCEPS, &c.] Amerbachius totum distichon ad Martiam, Martij Philippi vitrici Augusti filiam contendit referendum, motus nimirum his versibus 1. de Ponto eleg. 3.

Hanc probat, & primo dilectam semper ab æuo
Est inter comites Martia censa suas.

Et lib. 3. eleg. 1.

Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis vxor,
Non poterit credi Martia culta tibi.

Vt enim principes dicūtur viri primarij, & quorum eminet nobilitas, & auctoritas: sic fœminæ
D principes, quæ sunt illustriores.

ASSIMIL. SVI LONGA ASVETVD. FECIT] longa familiaritate, & consuetudine, per quam eorum plerumque mores induimus, cum quibus viuimus, in vtramque partem. Suprà, *omnes tibi culta per annos.*

GRANDIA SI PARVIS ASSIMIL. L.] ἀναλόγως. Supra, eleg. 3. *Si licet in paruis exemplis grandibus vti.* Id est, si fas parua cum magnis conferre. Hîc autem contrà, si magna cum paruis: si Martiam fœminam principem tecum priuata, nec ita nobili muliere componere possumus, cuius illa, non tu illius, exemplum sit.

NOSTRA ORA] nostra verba. Aliquem pleno ore laudare, id est, verbis multis, & grandibus.

SIQVID VIGORIS FVIT ANTE,&c.] lib.5. eleg.13.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.

SANCTAS HEROIDAS INTER] Sanctum aliqnando est venerandnm, admirandnm, honorandnm, spectandum, prædicandnm. Tales heroidas iam nominanit aliquot. Quæ porrò epistolas scribnnt, hand omnes isto ordine continentur: & Onid. procul dubio alias quasdam heroidas hîc, non illas intellexit.

PRIMA BONIS. A. CONSPICERERE TVI] Ob bona animi tui, qnæ maximam, & solidam laudem merentur, esses præ omnibus conspicua.

QVANTVMCVNQ. PRAECON. N. VALEE] A etsi non tantùm, quantùm Homeri, qui solus te dignus erat poëta.

CARMINIB. VIVES TEMP. IN OM. MEIS] Licet tamen secundùm Homernm aliis quoque poëtis dare immortalitatem iis, quos laudanerint. Lib.5. eleg.9.

Quanta tibi dederim nostris monumenta libellis,
O mihi me coniux charior ipsa, vides.
Detrahat auctori multum fortuna licebit,
Tu tamen ingenio clara ferere meo.
Dumq́ legar, pariter mecum tua fama legetur:
Nec potes in mœstos omnis abire rogos.

Promittunt idem Horat. Ode 8. lib. 4. *Dignum laude virum Musa vetat mori.* Tibnll. lib.1. eleg.4.

Quem referent Musæ, viuet, dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.



ELEGIA SEXTA.

VERA SVI IMAGO.

ARGVMENTVM.

DE imagine sua, quam amicus in annulo aureo, seu in gemma annuli insculptam gestabat, coronam ederaceam, vt cum fortuna sua minimè congruentem, tolli postulat. Melius, & verius sese perspici, & cognosci è carminibus suis, è Metamorphosi nempe sua, ad quam euoluendam eum hortatur, narrans quo pacto in exilium discedens, duabus decaussis volumen illud exusserit. Quia tamen ab amicis descriptum adhuc supersit, atque ab auctore suo manum vltimam & limam non acceperit, senos versiculos ad sese posteritati excusandum in eius fronte ponendos adiungit.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica serta comis.
Ista decent lætos felicia signa poëtas:
Temporibus non est apta corona meis.
Hæc tibi dissimula, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersq́, refersq́, tuo.
Effigiemq́, meam fuluo complexus in auro,
Cara relegati, quæ potes, ora vides.
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere saltem,
Quàm procul à nobis Naso sodalis abest!

Grata

Grata tua est pietas: sed carmina maior imago
Sunt mea: quæ mando qualiacunque legas:
Carmina mutatas hominum dicentia formas,
Infelix domini quod fuga rupit opus.
Hæc ego discedens, sicut bona multa meorum,
Ipse mea posui mœstus in igne manu.
Vtq; cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, & melior matre fuisse soror:
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Imposui rapidis viscera nostra rogis.
Vel quod eram, Musas, vt crimina nostra, perosus:
Vel quòd adhuc crescens, & rude carmen erat.
Quæ quoniam non sunt penitus sublata, sed extant,
Pluribus exemplis scripta fuisse reor.
Nunc precor vt viuant, & non ignaua legentem
Ocia delectent, admoneantq; mei.
Non tamen illa legi poterunt patienter ab vllo,
Nesciat his summam si quis abesse manum,
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit & scriptis vltima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abundè,
Non fastiditus si tibi lector ero.
Hos quoque sex versus in prima fronte libelli,
Si præponendos esse putabis, habe.
Orba parente suo quicunque volumina cernis,
His saltem vestra detur in vrbe locus.
Quoque magis faueas, non hæc sunt edita ab illo:
Sed quasi de domini funere rapta sui,
Quicquid in his igitur vitij rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.

COMMENTARIVS.



DEME MEIS ED. BACCHICA. SCOMIS] Poëtæ non tantùm Apollini, sed & Baccho sacri: cuius afflatu æquè concitentur. Horatius Ode 25. libri 3.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ in nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente noua? quibus
Antris egregij Cæsaris audiar

A

Æternum meditans decus
Stellis inserere, & concilio Iouis?

Siue quod more bacchantium insaniant, vinosiq; sint. Horat. ep. 19. lib. 1. *vt malè sanos adscribit Liber Satyris. Faunisq; poëtas.* Edera porrò Baccho dicata est. Quocirca poëtæ meritò edera coronantur. De quo more scriptum à me fusius in Symb. Virgilian. ad illum versum eclog. 7. *Pastores edera crescentem ornate poëtam.* Lib. 3. de Arte, Naso, quod

ætate sua nullius pretij apud locupletes homines poëtas videret haberi, ederas pro ipsis poëtis nominat. *Nunc edera sine honore iacent.* Propertius eleg. 1. lib. 4. poëtis grandiloquis, & heroicis lauream: elegiographis, vtpote humilioribus, propriè ederaceam deberi submonet. A

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex edera porrige Bacche tua.

FABLICIA SIGNA] fælicium signa, hypallage. Ego autem sum infælix.

TEMPORIBVS MSIS] τοῖς χρηστῶς φοιτοῦσιν.

INDICTO QVI MÆ FERREQVE. REP. TVO] Primùm scalpebantur tantum litteræ in annulorum materia. Additæ sunt postmodum annulis gemmæ, in quibus idem fiebat. Crescente luxuria, pro litteris alia diuersa scalpi cœperunt, aut B effigies alicuius de maioribus, vt videre est apud Valerium lib. 3. cap. 5. & in Catilin. 3. Aut amici, vel hîc. Plura Meursius cap. 9. part. 2. Exercit. Crit. Quæ signa conueniant annulis Christianorum, & quo digito gestandi, Clem. Alexand. Pædagog. libro 3. cap. 11. *Ferreq; referreq;* ad vicissitudinem gestandi, & de digito detrahendi referimus. Annulis olim gestabatur vtra manu, & quo digito quis vellet; postea exemptus dexteræ, quæ multum negutiorum gerit, in sinistram, & in digitum minimo proximum translatus est. Cuius rei variæ afferuntur caussæ. Lege Macrobium Saturnal. lib. 7. cap. 13. Gellium lib. 10. cap. 10. Pierium hieroglyph. lib. 41.

CHARA RELEGATI ORA] Relegatorum C duo sunt genera, vt tradit Vlpianus. Quidam enim in insulam relegantur. Sunt qui simpliciter relegantur, vt prouinciis iis interdicatur, non etiam insula assignetur. Vnde relegatos Aelius Gallus apud Festum definit, quibus ignominiæ, aut pœnæ caussa necesse est ab vrbe Roma, alióue quo loco abesse, lege, senatusque consulto, aut edicto magistratuum. Ab exule relegatum separat Ouidius lib. 2. & lib. 5. eleg 3. & 12. Vide Brissun. de signif. verbor. iuris.

SVBEAT TIBI. D. QVAM PROCVL, &c.] Si aliud præstare mihi non potes, saltē dum imaginē meam in annulo tuo intueris, suspira, & absentiam meam, & exilium tibi dolere, voce significa.

GRATA TVA AST PIETAS] Interim gestatio ista annuli cum imagine mea mihi placet. D

CARMINA MAIOR IMAGO SVNT MEA] Sensus, ingenium, animum denique hominis ex dictis, factis, molitionibus, consiliis videre, est hominem magis cognoscere. Scriptis maximè animus in conspectu ponitur. Basilius Theologo. *ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολὴν ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐμφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγνώσκοντες* sic tuam epistolam agnoui, vt ij solent, qui amicorum liberos ex similitudine in ipsis conspicua agnoscunt. Notum est & Socraticum illud: loquere adolescens, vt te videam.

QVALIACVNQVE] nō enim sunt emendata.

CARMINA MVTATAS HOM. D. FORMAS] Eleg. 1. *Sunt quoq; mutatæ ter quinq; volumina formæ.* Interpretatio est græcæ vocis μεταμορφώσεις. Vides quanti faciat hoc opus? nec id φιλαυτίᾳ quadam. Verè enim opus præclarum est, vt vocauit Lactantius, ingeniique, & eruditionis plenissimum. Ex iis libris igitur qualis sit Ouid. perspicimus.

INFÆLIX. D. QVOD FVGA RVP. OPVS] Infælix exilium. *Rupit*, quia tempus ad emendandum non concessit. Versu vltimo. *Emendaturus, si licuisset, erat.* Quare se dominum appellet, recurre ad eleg. 1. ibi, *Heu mihi, quò domino, &c.*

SICVT BONA MVLTA MEOR.] Mirum cur cremarit, si bona censebat. Sed non satis bona censebat. Quid si legas *bene multa?* Idem fecit in exilio. Lib. 5. eleg. 13.

Scribimus, & scriptos absumimus igne libellos:
Exitus est studij parua fauilla mei.

MEA MANV] αὐτόχειρ. adeo insensus mihimetipsi, Seu, adeo non amans mei, vt meorum librorum quasi carnificem me præbuerim.

MELIOR MATRE SOROR] 8. Metamorph. *Incipit esse tamen melior germana parente.* Althæa Thestij filia, vbi à filio Meleagro fratres suos Plexippum, & Toxeum interfectos didicit, stipitem fatalem, quo eius vita nitebatur, flammis absumpsit, atque ita filium mori compulit, infida illi, vt esset fida fratribus, secus quā natura postulabat.

SIC EGO NON MERITOS, &c.] ἀντιτίθησι.

VISCERA NOSTRA] quia mei quidam partus. Dixi supra, in eleg. 1.

VEL QVOD ERAM MVSAS, &c.] Disiunctim duas facti sui caussas affert. Possunt tamen ambæ simul accipi: nec enim sunt pugnantes.

VT CRIMINA NOSTRA] vt quæ nobis crimen, seu criminationes conflauerunt. Vt propterquas in crimen vocati sumus, ob libros de Arte videlicet.

SED EXTANT] ab amicis me inscio transcripti.

NVNC PRECOR VT VIVANT] quasi animati sint. Viuunt libri, si extant, & leguntur. Alioqui mortuorum instar sunt, & qui scripsit non scripsit, iuxta illud Martial. *Non scribit, cuius carmina nemo legit.* Quia igitur seruati sunt, seruentur, & plus vno maneant perennes sæclo, quod suo libello Catullus optat.

ET NON IGNAVA LEG. OTIA DELECT.] Cupit lectorē otium suum horum lectione oblectare: & ipsa carmina vocat nō ignaua otia. Nam & ipsæ scholæ ab otio dictæ sunt: quoniam ibi reliquis rebus omissis, seu à cæteris rebus animus otiosus, studiis se impendit, à σχολάζω vaco. Nunquam certè minus otiosi sunt studiosi literarum, quam cum otiosi.

LEGI PATIENTER] legi ita, vt probet qui legit. Cum satisfactione, inquit barbarus.

NESCIAT HIS SVMM. S. QVIS ABESSE MAN.] Vide eleg. vlt. lib. 3. Neminē dicit metamorphoseωn libros patienter lecturū, qui nescierit nō esse emēdatos. Imo iste patienter leget, qui hoc nescierit: impatienter, nec sine aliquo fastidio, qui scierit.

Non

Non ita est. Sed qui sciet it, ignoscet, & patienter legetiqui nescierit, emendatos putabit, & legens offendetur. Addere, imponere summam, extremam, vltimam manum, prouerbij speciem habent, à fabris ducta metaphora, vt id quod sequitur de incudibus, & lima.

A

MEDIIS INCVDIBVS] dum adhuc cuderetur, dum esset in incude. Quintilius apud Horat. ad Pisones, versus malè tornatos reddere incudi, corrigere, refingere, & velut de integro fabricare iubebat. Idem valet recoquere, & recoctus. Quintil. lib. 12. de Cicerone. Sed præcipuè tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rursus reformandum, ac velut recoquendum se dedit.

VLTIMA LIMA] Opus aliquod elimate dicimur. Et quoniam sæpius limanda sunt quæ scribimus, ideo dicit vltima lima. Cic. 1. Academ. Institui quædam ad eum, quæ sunt magna sanè, & limantur à me politius. Horat. ad Pisones de lima repetenda.

Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sunt
Scripturus, neque te vt miretur turba labores.

ET VENIAM PRO LAVDE PETO] Laudem peterem, si perpoliuissem, & limassem. Nūc pro eo vt laudes, vt ignoscas rogo.

SI PRÆPONENDOS PVTABIS] Quam modestè? relinquit in arbitrio lectoris.

ORBA PARENTE SVO] illo enim abeunte in longinquum exilium, vnde non erat rediturus, volumen illud visum est veluti soboles orbati per mortem patre suo, & ἀπατόρων.

VOLVMINA] Volumen continet libros, qui sunt partes voluminis. Interdum tamen volumen pro libro. vt docui in eleg. 1. ibi, *Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ.*

HIS SALTEM DETVR LOCVS] quandoquidem negatur cæteris, quòd amare doceant.

IN VRBE VESTRA] Ciuitas est populi multitudo, iure, & legibus sociata. Vrbs est ipsa mœnia, & ædificia. Cic. ad Dolabellam. Liberasti igitur & vrbem periculo, & ciuitatem metu. Philip. 11. Cum ne vestigium quidem ciuitatum atque vrbium relinquitur. Sed auctores discrimen sæpe non seruant.

B

QVOQVE MAGIS FAVEAS] quo minus nausees.

SED QVASI DE DOM. FVN. RAPTA SVI] Hunc versiculum diuinum vocat Scalig. Iteratur eleg. 14. lib. 3. vt ipsimet poetæ non displicuisse cognoscas.

RVDE CARMEN] non elaboratum, non castigatum ad præsectum vnguem.

SI LICVISSET] Fuga rupit opus. Discedendum fuit. Apparet Metamorphosin non multo ante conscriptam fuisse. Quod autem de libris Trist. & de Ponto non emendatis ait eleg. 6. lib. 1. de P. se laborem emendandi tolerare non potuisse, confectum angoribus, & onustum miseriis, id huc non pertinet.

ELEGIA SEPTIMA.

PERFIDIAE REPREHENSIO.

ARGVMENTVM.

IRASCITVR vehementer, se desertum ac proditum in suo casu ab eo, quem minimè omnium id facturum credidisset: cuius pristinam fidei firmitudinem aliquot argumentis ἐκ τῶν ἀδυνάτων congerendis exaggerat, vt hominis leuissimi defectio tanto turpior appareat. Deinde ipsum insectatur, qui nullam prorsus damnato beneuolentiam nauauerit. Tota elegia nihil est aliud, quam posthabitæ, & conculcatæ amicitiæ grauis accusatio.

In caput alta suum labentur ab æquore retrò
Flumina, conuersis solq; recurret equis.

Terra feret stellas: cælum findetur aratro:
Vnda dabit flammas: & dabit ignis aquas:
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Parsq́ue suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam:
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor: quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.
Tantáne te fallax cepêre obliuia nostri,
Afflictumq́ue fuit tantus adire timor,
Vt neque respiceres, nec solarêre iacentem,
Dure, nec exequias prosequerêre meas?
Illud amicitiæ sanctum, ac venerabile nomen
Re tibi pro vili, sub pedibúsque iacet.
Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere? & alloquij parte leuare tui?
Inq́ue meos si non lachrymas dimittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore loqui?
Idq́ue quod ignoti faciunt, valedicere saltem?
Et vocem populi publicáque ora sequi?
Denique lugubres vultus, nunquamq́ videndos,
Cernere supremo, dum licuitque, die?
Dicendumque semel toto non amplius æuo
Accipere, & parili reddere voce, vale?
At fecere alij nullo mihi fœdere iuncti:
Et lachrymas animi signa dedere sui.
Quid, nisi conuictu, causisque valentibus esses,
Temporis & longi iunctus amore mihi?
Quid, nisi tot lusus, & tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus, seriaque ipse tua?
Quid, si duntaxat Romæ mihi cognitus esses,
Ascitus toties in genus omne ioci?
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane Lethæis mersa feruntur aquis?
Non ego te genitum placida reor vrbe Quirini,
Vrbe, meo quæ iam non adeunda pede est:
Sed scopulis, Ponti, quos hæc habet ora, sinistri:
Inque feris Scythiæ, Sarmaticisque iugis.
Et tua sunt silicis circum præcordia venæ:
Et rigidum ferri semina pectus habet.

Queq́; tibi tenero quondam ducenda palato
Plena dedit nutrix vbera, tigris erat.
Aut mala nostra minus, quàm non aliena putares,
Duritieq́; mihi non agérere reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoq; damnis:
Vt careant numeris tempora prima suis:
Effice peccati ne sim memor huius, & illo
Officium vt laudem, quo queror, ore tuum.

COMMENTARIVS.



IN CAP. ALTA SVVM LAB. &c.] Propert. lib. 3. eleg. 18.

Flāma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaq; ad fontis sunt reditura caput.

Sex ἀδύνατα memorantur distinctè: reliqua confusè, & generatim. Inductio est, ex iis constans, quæ fieri nequeunt. Magnum sanè numerum ἀδυνάτων ex poëtis colligit Delrius in Act. 2. Senecæ Herculis Furentis, cū in Aduersariis, pag. 129. tum in Commentariis, pag. 262. vt iuuentuti, inquit, exempla suppetant: & accessio non exigua fiat adagiorum centuriis. Et profectò Ouid. noster ipse non pauca suppeditat: sicut etiam numerorum infinitotū plurima. Euripid. Medea.

ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,
καὶ δίκα, καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.

Fluuiorum origines dicuntur capita, fontes. Horat. Ode 1. lib. 1. *nunc ad aquæ lene caput sacræ.* Oenone Paridi. *Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.* Seneca 3. Quæst. nat. noua fluminum capita detegere. Mela lib. 2. cap. 4. Timauus nouem capitibus exsurgens. Hæc illius capita appellauit ora Virgil. 1. AEneid. *Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis It mare proruptum. &c.*

LABENTVR AB ÆQVORE RETRO] 1. Metamorph. de fluminib.

Quæ diuersa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perueniunt partim, campoq́; recepta
Liberioris aquæ pro ripis littora pulsant.

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ait Ecclesiastes. Plaut. Curcul. *Quisnam istuc fluuius est, quem non recipiat mare?* Similis locus Horat. Ode 29. lib. 1.

———— quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti, &c.

CONVERSIS SOLQVE RECVRRET EQVIS] Cum Atreus Thyestæ fratris sui filios trucidatos à se, & in frusta dissectos, & coctos ipsi patri epulandos apposuisset, fertur sol adeo hoc scelus exhorruisse, vt currum à consueto itinere

A super Mycænas aliò auerterit, ne tantam immanitatem videret. Eo allusum est. Equos autem soli quatuor dat noster 2. Metamorph. quorum nomina sequuntur.

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusq́; repagula pulsant.

TERRA FERET STELLAS] Hoc impossibile quantum sit, optimè intelliges, si de stellarum magnitudine ab astrologis demonstrata cogitabis. Nam cum in octauo cælo inerrantes illæ, & visu notabiles sint duæ & viginti supra mille, earum quælibet maior est quam terrarum orbis. Quæ autem sunt sextæ magnitudinis, videlicet omnium minimæ, terræ & aquæ globum
B octies & decies magnitudine excedunt. Videsis Perer. in Genesin lib. 2 Quæst. 8.

CÆLVM FINDETVR ARATRO] Si nomine cæli aërem quoque accipias, vt sæpissime solet, habes hic expressa quatuor elementa. Dictum iam de terra: hic de aëre, & versu mox sequenti de aqua, & igni. Tamen quoniam ferre stellas, findi aratro opponit, nos corpus cæleste, in quo infixa sunt sidera, intelligere nomine cæli necesse est.

VNDA DAB. FLAM. ET DABIT IGNIS AQ.] Aqua est elementum humidum, & maxime frigidum: ignis maxime calidum, & siccum. Perinde igitur est, ac si diceret, humida, & frigida fore arida, & calida: & vicissim arida, & calida
C fore frigida, quod à natura abhorret, nec intelligi potest. Nam 1. Metamorph.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

OMNIA NAT. PRÆPOST. LEGIB. IBVNT] Si ista fient, quæ dixit, nihil impedimento erit, quin & cætera omnia præpostere, & contra naturam fiant. Vna enim omnium erit ratio, & licebit credere quiduis de re qualibet.

HÆC EGO VATICINOR] Audeo ista futura prædicere. Sequitur caussa.

QVIA SVM DECEPT. AB ILLO, &c.] quod nō magis fieri posse credebam, quam terram ferre stellas, cælum findi aratro. Atqui illud factum est. Ergo & ista iam fient.

CEPERE OBLIVIA NOSTRI] Eleg. 11. lib. 3. *Vtque mee famam tenuent oblivia culpa.* Lucret. in descript. pestis lib. 6.

Atq; etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neq; se possint cognoscere vt ipsi.

TANTVS TIMOR?] itáne caput tuum agi putabas, si me discessurum conuenires, & vltimum vale diceres? O te meticulosum.

VT NEQVE RESPIC. N. SOLAR. IACENT.] Nec adiisti, nec respexisti, nec solatus es, nec meas exequias quasi prosecutus, quæ omnia amicum præstare amico illo tempore decuit. Itaque fallax, desertor, perfidus, & quidquid tale est, audire debes.

IACENTEM] Verbum *iacere* domicilium habet etiam in rebus, & conditionibus turbidis, & in contemptu, neglectuque dicitur. Cic. 2. de Orat. eodem in silentio multa officia oratorum iacuerunt. 1. Tuscul. iacentque ea semper, quæ apud quosque improbātur. Et epist. 5. lib. 1. vt neque iacere regem pateremur: neque nobis repugnantibus, &c. Plaut. Trinum. *In occulto iacebis, cum te maximè clarum voles.* Liuius lib. 5. belli Punici, ne inultos Imperatores suos iacere sinerent. Lucret. lib. 1. *Humana ante oculos fœdè cum vita iaceret.*

EXEQVIAS MEAS] Crebrò abitum suum in exilium cum funere, & exequiis contendit. Visere amicum tunc, & vltima exhibere officia, speciem habuisset in funus prodeuntis, quod solent amici. Terentianus Simo in And. de Pamphilo filio. *Ego quoque eius causa in funus prodeo.* Exequiæ ἐκφοραί. Seruius, dum portatur funus, exequias dicimus, quia scilicet tunc amici corpus quod effertur sequuntur, & exsequuntur. Terent. And. *funus interim procedit, sequimur: ad sepulcrum venimus.* Sic prosequi, aut funus prosequi. Petronius. Hæc ergo cum virum extulisset, non contēta vulgari more funus passis prosequi crinibus, &c. Apul. lib. 8. Milesiar. Funus verò, toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.

AMICITIÆ SANC. ET VENERAB. NOMEN] Cum in rebus humanis nihil tam vtile ac necessarium sit (quia non aqua, non igne pluribus locis vtimur) rectè nomen eius sanctum, & venerabile. Legitur idem pœnè versus 2. P. 3. *Illud amicitiæ quondam venerabile nomen.* Sanctitatem amicitiæ Cicero quoque adscripsit epist. 1. lib. 10. Ita facillimè & reipub. quæ mihi charissima est, & amicitiæ nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum.

SVB PEDIBVSQVE IACET] summi contemptus est, etiam cōculcare, & proterere quippiam pedibus. Germani. Einem vnder den Füssen ligen. Dixit ergo significantius.

A *INGENTI PROSTRATVM MOLE*] Calamitatis suæ magnitudinem vocat ingentem molem, à qua velut ruina magna oppressus sit.

VISERE ET ALLOQ. PARTE LEVARE TVI] Repetit quod de aditu, & solatio obiecerat, & iterum exprobrat. Quid fuit? inquit. Res parui negotij & laboris: at magnæ interim humanitatis, & debiti officij. Catull. ad Cornificium.

Quem tu, quod minimum facillimumq; est,
Qua solatus es allocutione?

De verbo *alloquium* dixi in eleg. 4. ibi, *Ausus es alloquio sustinuisse tuo.* Dicit *parte*, vt significet quamuis modicum, & breue solatium sibi ab eo denegatum.

B *INQVE MEA. L. SI NON. D. CASVS*] Illacrymari alienis malis, quamuis non cognatorum, nec amicorum, humanum factum. M. Tull. morte Socratis illacrymabat, quoties Phædonem Platonis legeret. 3. de nat. deor. De Ænea in funere Pallantis lib. 11. *sic ait illacrymans.* Quin & hostes hostium malis illacrymasse legimus. Et poëta clarissimus. *Quis talia fando Myrmidonum, Dolopumue. aut duri miles Vlyssi Temperet à lacrymis?*

FICTO DOLORE] In amicitia nihil fictum esse oportet: nec quisquam se decipi vult verbis, aut rebus fictis. Sed tamen vt reprehensionem, & dedecus effugiant, multa homines fingūt. Quod istum non fecisse, & vsque adeo impudentem, ac stupidum fuisse miratur.

C *QVOD IGNOTI FACIVNT, VALED. SALT.*] Nihil omittit ad exaggerandam viri huius duritiam, & ἀναλγησίαν. Qui nunquam inter se viderunt, ob naturæ consortium, & hortante humanitate mutuùm salutant, & valedicunt. Tu notissimus nec istuc facere voluisti.

ET VOCEM POP. SEQVI] Auget adhuc peccatum. Fuisses saltem vnus è populo, qui me discedentem valedictione est prosecutus.

LVGVBRES VVLTVS] vt par fuit tali vulnere accepto. Etiam videre me noluisti, idque die meo vltimo, quo quasi mortem obij.

ET PARILI REDDERE VOCE VALE] Apud Terent. & Plautum videre est congredientes sic salutare, & resalutare. Salue. Respondetur.
D Et tu salue, aut simpliciter, salue. O. N. Salue. R. Saluus sis N. &c. Ita digredientes sic valedicere. Vale. R. Vale. Bene vale. R. Et tu, &c. Hoc est parili voce reddere vale.

ALII NVLLO MIHI FÆD. IVNCTI] à contrario, & à minori.

ET LACRYM. ANIM. SIG. DED. SVI] Amorem, & affectum testantur lacrymæ. At non semper. Nam vt ait P. Syrus. *Hæredis fletus sub persona risus est.* Et de mulieribus meritoriis Ouid. 2. Remed. *Vt flerent, oculos erudiere suos.*

QVID NISI CONIVNCTVS, &c.] Argumentatio firmissima à comparatione minorum. Minus verisimile fuit, te tam coniunctum, & familiarem mihi, idque tam longo tempore, hæc

mihi factorum. Et tamen fecisti. Multò igitur verisimilius, te etiam inhumaniorem in me futurum fuisse, si hæc summa inter nos coniunctio non fuisset. Mire perfidum hunc, & fœdifragum exagitat ab adiunctis, quas circumstantias dialectici recentiores.

CAVSSIS VALENTIBVS] Caussis grauibus, quæ amicitiam reddebant arctiorem.

TEMPORIS ET LONGI] Amicitiam commendat, & magis conglutinat diuturnitas. Sed neque caussæ valentes, neque diuturnitas apud hunc valnerunt, nec, quæ sequuntur.

QVID NISI TOT LVS. E. T. M. SERIA NOSSES, &c.] Intimæ familiaritatis, & candoris mutui certum iudicium, leuia grauia, seria iocosa inter se communicare, lib. 1. de P. eleg. 1.

Seria multa mihi tecum collata recordor,
Nec data iucundis tempora parua iocis.

Nó discrepat ab hoc loco, quod est in Eunucho. *Tute scis post illa, quam intimum habeam te, & mea consilia vt tibi credam omnia.*

IN ÆQVOR. ABIER. IRRITA VENT.] AEqnoreos ventos, quod ibi maximè regnent, eorumque violentia, & rabies amplius sentiatur. 1. AEneid.

Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Vnà Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus. & vastos voluunt ad littora fluctus.

Tradere quippiam ventis, est nihil curare, obliuisci, paruipendere. Horat. Ode 26. lib. 1.

Musis amicus tristitiam, & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis.

Catull. de nupt. *Irrita ventosa linquens promissa procella.*

LETHÆIS MERSA FERVNT. AQVIS] Lethe inferorum palus, ab obliuione, quod qui eam aquam biberent, mox rerum omninm præteritarnm obliuiscerentur. Cur animæ in alia corpora redituræ aquam lethæam, & longa obliuia potent apud Maronem in 6. lege duplicem caussam apud Natal. Comitem lib. 3. cap. 20.

PLACIDA VRBE QVIRINI] Roma, quã condidit Romulus, post mortem appellatus Quirinus. Dixi in eleg. 2. ibi. *Diique relinquendi quos vrbs habet alta Quirini.* Placidam appellat, vtpote bonis temperatam institutis, & legibus, & suauem, atque commodam moribus.

SED SCOPVLIS PONTI SINISTRI] qui sunt in læuo latere maris Enxini. Variè præfractum, & obduratum eius animum declarat. Sic lib. 3. eleg. 11.

Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

More communi poëtarum scilicet, qui è scopulis, è rupibus, ex feris animantibus, è mari prognatos, ferinum lac suxisse, circum præcordia silices, ferrum habere solent dicere, quos immites, feros, crudeles volunt ostendere. Catull. de nupt.

A *Quanam te genuit sola sub rupe leana?*
Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis?
Virgil. 4. AEneid.
Nec tibi Diua parens generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admôrunt vbera tigres.
Tibull. lib. 3. eleg. 4.
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti,
Nec flammam voluens ore chimæra suo,
Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus submista figuram,
Nec te concepit ïam sæua leæna tulit.

TENERO DVCENDA PALATO] Ducere vbera, quemadmodnm dicimus ducere pocula.
B Lucan. lib. 3. trahere vbera.

TIGRIS ERAT] bestia sæuissima. Et cum lac nutricis ad mores alumni multùm valeat, vt Gellius, & Plutarchus docent. & plerumque tales efficiat, quales ipsæ sunt, qui suxit vbera tigridis, qualis erit?

AVT MALA NOSTRA MINVS, &c.] Nisi hoc ita esset, nisi tu è scopulo natus esses, &c. mala nostra minus putasses aliena: sed aliquam partem ad te quoque pertinentia.

DVRITIÆQVE. M. NON AGER. REVS] Ita te vt ferreum, & inflexibilem prorsus non accusarem.

ACCED. FATALIB. HÆC QVOQVE DAMNIS] quoniam fata mea durissima etiam hoc
C in commodo, & malo cumulantur.

VT CAREANT. NVM. TEMP. PRIMA SVIS] vt prima tempora, antiqua amicitia nostra, & vltima sibi congruentia non habeat, quia me turpissimè deseruisti.

EFFICE PECCATI NE SIM MEMOR] Cohortatiuncula ad mutandum animum, & redeundum in viam derelictam. Sic enim immemorem se fore peccati illius. Et quo ore illum nunc insectatus est, eodem laudaturum pollicetur. Cum hac elegia compara carmen Catullian. in Alphenum, qui eodem modo fidem turpiter prodiderat. Principium adscribam.

Alphene immemor, atque vnanimis false sodalibus,
Iam te non miseret, dure, tui dulcis amiculi,
D *Iam me prodere, iam nõ dubitas fallere, perfide, &c.*



ELEGIA OCTAVA.

VVLGI LEVITAS IN AMICITIA, ET PATROCINIVM ORATORIS IMPLORATVM.

ARGVMENTVM.

LECTORI vitam precatur omni vacātem infortunio. Vulgi mobilitatē, in amicitia vtilitatibus suis omnia metientis vituperat. Cæsaris ingenium, fidelitatē etiam in hostibus laudantis effert, & in eam rem plura exempla enumerat. Amicum ab integritate morum, artibus ingenuis, eloquentia, claritate nominis cum gratulatione extollit. Propter calamitatē in quam incidit, studio poëtico se floruisse nollet. Libros amatorios vt lusus, à quibus vita sua discrepet, excusat, & ab eo vt patrono excusari, suamque caussam apud Principem agi rogat. Cùm initio huius elegiæ compone totam 3. lib. 2. de Ponto. In duas autem partiri, & alteram inchoare ab illo versu infrà, *At mea sint proprio quamuis mæstißima casu*, quod facit Merula, nihil est opus: quamuis prior pars generatim beneuolo lectori scribatur. Hoc enim & alibi faciet, vt eadem eleg. duos alloquatur.

Detur inoffensæ vitæ tibi tangere metam,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque vtinam pro te possent mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigêre Deos.
DONEC ERIS FELIX, MVLTOS NVMERABIS AMICOS:
TEMPORA SI FVERIT NVBILA, SOLVS ERIS.
Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues?
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
NVLLVS AD AMISSAS IBIT AMICVS OPES.
Vtque comes radios per solis euntibus vmbra est:
Cùm latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus:
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.
Hæc precor, vt poßint semper tibi falsa videri:
Sunt tamen euentu vera fatenda meo.

Dum fletimus, turba quantum satis esset, habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa domus.
At simul impulsa est, omnes timuere ruinam,
Cautaq; communi terga dedere fuga.
Saeua nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quaeque solent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inuiso Caesar in hoste probat.
Nec solet irasci (neque enim moderatior alter)
Cum quis in aduersis, si quid amauit, amat.
De comite Argolico postquam cognouit Orestem,
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.
Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore fides.
Quòd pius ad manes Theseus comes iret amico,
Tartareum dicunt indoluisse deum.
Euryali, Nisiq; fide tibi, Turne, relata,
Credibile est lachrymis immaduisse genas.
EST ETIAM MISERIS PIETAS: ET IN HOSTE PROBATVR.
Hei mihi, quàm paucos haec mea dicta mouent!
Hic status, haec rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat vt lachrymis nullus adesse modus.
At mea sint proprio quamuis maestissima casu
Pectora, profectu facta serena tuo.
Hoc tibi venturum iam tum, carissime, vidi,
Ferret adhuc istam cum minus aura ratem.
Siue aliquod morum, seu vitae labe carentis
Est precium, nemo pluris emendus erat.
Siue per ingenuas aliquis caput extulit artes:
Qualibet eloquio fit bona causa tuo.
His ego commotus dixi tibi protinus ipsi,
Scena manet dotes grandis, amice, tuas.
Hoc mihi non ouium fibrae, tonitrúsue sinistri,
Linguáue seruatae, pennáue dixit auis.
Augurium ratio est, & coniectura futuri,
Hac diuinaui, notitiámque tuli.
Quae quoniam vera est: tota mihi mente, tibíque
Gratulor, ingenium non latuisse tuum.
At nostrum tenebris vtinam latuisset in imis:
Expediit studiis lumen abesse meis.

Vtq́ tibi prosunt artes, facunde, seuera,
Dißimiles illis sic nocuêre mihi.
Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui.
Scis vetus hoc iuueni lusum mihi carmen: & istos
Vt non laudandos, sic tamen esse iocos.
Ergo vt defendi nullo mea posse colore,
Sic excusari crimina posse puto.
Quâ potes, excusa, nec amici desere causam:
Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.

COMMENTARIVS.

A

*ETVR INOFFENSÆ. V. T. TANG. MET.*] Vita inoffeusa est, iu quam nulla offensio, hoc est, detrimêtum, molestia, incommodum iucurrit, quæ æquabili fælicitate peragitur: perpetuus terum secundarum sine vlla offensione cursus. Tuscul. 4. Corpot um offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item. Pro lege Manil. Hic in ipso illo malo, grauißimaque belli offensione L. Luculli iussu coactus abiit. Meta autem vitæ, est mors, iuxta illud Albinouani consolat. ad Liuiam.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam,
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Horat. ep. lib. 1. *mors vltima linea rerum est.* Cic. cum omnium rerum mors sit extremum.

QVI LEGIS HOC OPVS] non tantum hanc elegiam, quasi esset totum pro parte: sed hunc librum, seu, & has, & quas deinceps mittam elegias.

B

NOBIS NON INIMICVS] animo nobis bene cupiente. *μένως.*

MEA VOTA PRO TE] quod tibi precor, vtinam eueniat. Lege *poßint* pro *possent.*

DVROS NON TETIG. DEOS] Intelligit Cæsarem potißimùm. Tangere nos, aut animum potißimùm dicitur, quod nos cômouet, quod nobis curæ est, quod nos afficit, in meliorem, aut deteriorem partem. Virgil. lib. 9. *nec solos tangit Atridas Iste dolor.* Lib. 12. *Per si quis Amatæ Tangit honos animum.* Lucret. lib. 1. *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.* Cic. ad Att. ep. 19. lib. 2. minæ quæ mihi proponuntur, modicè me tangunt.

DONEC ERIS FÆLIX. M. NVM. AMICOS, &c.] Propositio est in hoc disticho, quam similitudine columbarum, & auium, formicarũ, vmbræ probat, & illustrat. Sententiam hanc cum historiis, quotidiana item experientia confirmat. Celebre est, vbi amici, ibi opes. Liceat inuertere. Vbi opes, ibi amici.

TEMPORA SI FVERINT NVBILA] sicut sors secunda per serenitatem, ita aduersa per nubila, idonea translatione exprimitur.

SOLVS ERIS] desertus ab omnibus, quasi notus nemini.

AD CANDIDA TECTA] candidis tectis versu proximè sequenti sordidas turres opponit. Illa quia speciem habent elegantem, auibus blandiuntur, & spe pabulorum inuitant. Hæ, quoniam squallent, ac deformes sunt, easdem desperatione deterrent, atque à se abigunt.

HORREA FORMICÆ TEND. A. INAN. NVNQ.] Operam, & laborem sedulum huius insecti in prouidenda sibi alimonia ante oculos per *ὑποτύπωσιν* posuit Maro lib. 4. AEneid.

Ac velut ingentem formica farris aceruum
Cum populant, hyemis memores, tectoq́ reponunt.
It nigrum campis agmen, prædamq́ per herbas
Conuectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixa frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantq́ moras: opere omnis semita feruet.

Horat. Sat. 1. lib. 1.

Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris,
Ore trahit quodcunq́ potest, atq́ addit aceruo
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.

NVLLVS AD AMISS. IB. AM. OPES] Quasi dicat, nullus se ad pauperem ex diuite factum adiunget. Horrea plena, sicut formicæ, quærunt etiam amici, vt plurimum sibimet commodent. Sibi enim quisque proximus.

VTQVE COMES. &c. VMBRA EST] Fortunam secundam soli, seu radiis solaribus aßimilat. Nam vt sole, & luce nihil iucundius: ita rerum successibus, & vita beata nihil optabilius. In hac luce sequentes ambulantem vmbræ, sunt ficti, & falsi amici. Tegatat sol, vmbra non erit.

Diffluant

Diffluant opes, diffluent illico amici. Bene igitur Socrates hanc inconstantiam notans, ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος.

PRESSVS NVBIBVS] De luna Virgil. 2. AEneid. *Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.* Et lib. 1. *Eripiunt subitò nubes calumq; diemq;.* Horat. Ode 16. lib. 2. *Simul atra nubes condidit lunam.*

MOBILE VVLGVS] In quouis populo, seu vulgo semper locum habet hoc adiunctum. Horat. Ode 1. lib. 1. Quiritibus propter comitiorum inconstantiam, & varietatem, & in ferendis suffragiis leuitatem tribuit.

Hunc si mobilium turba Quiritium
Certet tergeminis tollere honoribus.

Tibull. lib. 4. *Nam seu diuersi fremat inconstãtia vulgi.*

VT POSSINT SEMP. T. FALSA VIDERI] Vellem sanè tibi istæc falsa viderentur, & essent reuera falsa, scilicet cum fortuna mutari hominum voluntates. Non ego voluerer in his miseriis. Conditio mea probatio est huius quod dixi. Pergit docere quo nam modo.

DVM STETIMVS] Cadere, & iacere dicimur in aduersis, stare in secundis, & ad voluntatem procedentibus. Sinon de patre Palamedis 2. AEneid. *Dum stabat regno incolumis, regnumq; vigebat Consiliis.* Cic. ep. 4. lib. 1. Ad XVI. Kalend. Feb. cum in senatu pulcherrime staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus. Et 1. lib. 1. declarareque maluerim, quanta vis esse potuisset in consensu hominum, si ij pro me stante pugnare non destitissent, quum afflictum excitare potuissent.

TVRBÆ QVANTVM SATIS ESSET] sat multos qui nos per speciem officij colerent, nos salutatum venirent, nos stiparent.

NOTA QVID. SED. N. AMBITIOS. DOM.] Prodidagmata, seu vitam Poëtæ à nobis descriptam consule.

OMNES TIMVERE RVINAM] lib. 3. eleg. 4.
Vt cecidi, cunctiq; metu fugere ruinam,
Versaq; amicitia terga dedere meæ.

CAVTA TERGA] ipsi cauti, & sibi consulentes. Hypallage.

NEC ADMIROR METVVNT SI FVLM.] Calamitatem suam fulmen nuncupat, vt auctorem illius Cæsarem sæpe Iouem. Eleg. 1. *Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.* Benignè desertores suos, vt etiam in Ponticis, excusat.

QVORVM IGNIB. AFFLARI PROX.] Virgil. 2. AEneid. *Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.* Sic illos timuisse ait 3. de P. eleg. 2.

Me quoq; amicorum nimio terrore, metuq;,
Non odio quidam destituere mei.

IN DVRIS REMANENT. REBVS AMICVM] Ab exemplis, & auctoritatibus ostendit, persistendum fuisse amicis suis, etiam mutata fortuna, quando id Cæsar, & Hector, & Thoas, & Turnus vel in hostibus suis probauerint. De Cæsare supra, eleg. 4. ibi. *Sæpe fidem aduersis etiam laudauit in armis.*

A *QVOLIBET INVISO IN HOSTE*] sine discrimine. Fidem seruari cupit hosti suo, à sociis hostibus, quamlibet sibi infesto.

NEC ENIM MODERATIOR ALTER] Hanc moderationem, & ἀοργησίαν illustrat 1. de P. eleg. 3.

Sed piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quiq; dolet quoties cogitur esse ferox.
Qui vincit semper, victis vt parcere possit;
Clausit & æterna ciuica bella sera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet,
Et iacit inuita fulmina rara manu.

CVM QVIS IN ADVERS.] In partibus aduersis, vt iam dictum.

DE COMITE ARGOL. P. COG. OREST] B Hæc historia narrabitur eleg. 4. lib. 4. & iterum lib. 3. de Ponto eleg. 2. Pyladem comitem Argolicum nominat pro Græco: erat enim Phocensis, non Argiuus.

NARRAT. PYLAD. IPSE PROB. THOAS] Orestes Thoanti regi Tauricę regionis de nomine notus erat: nec ignotum quid, & quare peteretur. Hunc indicio Pyladis de facie cognouit, eiusque in ipsum constantem animum, etiam pro eo mori paratum collaudauit.

ACTORIDÆ FIDES CVM ACHILLE] Patroclus ab auo Actorides, à patre Menœtio Menœtiades. Huius, & Achillis amicitia nota est ex Iliade.

CVM MAGNO ACHILLE] magno, quia C semideus, Thetide videlicet dea natus. Magnum appellauit & Maro Eclog. 4. *Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles*, ob fortitudinem, & facinora militaria videlicet. 1. Iliad. de eo Nestor ὃς μέγα πᾶσιν ἕρκος ἀχαιοῖσιν πέλεται πολέμοιο κακοῖο. Ouid. 12. Metamorph.

Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello.

AEneid. 12. *Priami regnorum euersor Achilles.* Plura in Symb. nostris ad 4. eclog. De ratione nominis eius lege Hieron. Columnam in Fragm. Ennij pag. 340.

LAVDARI SOLITA EST HECT. ORE] Vera laus putatur, quæ ab hoste proficiscitur. Minus vera, seu suspecta, quæ ab amico.

D *THESEVS COMES IRET*] Non enim Theseus, sed Pirithous Proserpinam raptum veniebat. Qua in re operam illi Theseus iureiurando obstrictus nauabat: quod noluisset Pluto, ne illi quoque, vt raptori, malefacere cogeretur.

TARTAREVM DEVM] Ad veterem, & communem poëtarũ opinionem respicit. Totum orbem post expulsum à Ioue Saturnum inter ipsum, Neptunum, ac Plutonem fratres sorte diuisum fabulantur. Ac Ioui quidem supera, seu cælestia, Plutoni infera, Neptuno insulas, & maria obtigisse. Vide 15. Iliad. τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, &c. De regno suo Neptunus 1. AEneid. aduersus AEolum. *Non illi imperium pelagi, sæuumq; tridentem, sed mihi sorte datum.* Interpretatur fabulam La-

ctant.

ctant. lib. 1. cap. 11. Aiunt enim Ioni cælum obtigisse, Neptuno mare, infera Plutoni. Cur non terra potius in fortem tertiam, &c.

EVRYALI NISIQVE FIDE, &c.] ἀντιστροφή. Vide supra, eleg. 4. *Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes.*

CREDIBILE EST LACRYM. IMMAD. GENAS] Alibi. *Carmina nec ficus per legat ista genis.* Nihil amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Cuius tanta est vis, vt eam (quod maius est) in hoste etiam diligamus. Cic. in Lælio.

EST ETIAM IN MISEROS PIETAS] Misericordiam mouent, qui non sua culpa sunt miseri: & homo hominem, quamuis hostem, calamitate magna circumuentum miseratur. Ennius annali 5. *Cogebant hostes lacrymantes vt misererent.* Virgil. lib. 12. *Ipsum manu mortem inueniam, miserebitur hostis.* Quod cum ita sit, mei tamen misetetneminem. Sed fortasse non sum admodum miser, ideo nec valde miserandus. Immò.

HIC STATVS, HÆC RERVM, &c.] Adeo miser sum, vt non tantum lacrymis prosequendus sim: sed vt etiam meis, meorumque, si qui mei adhuc sunt, lacrymis perennibus prosequêdus videar. Satis enim defleri miseria mea non potest.

AT MEA SINT PROPRIO, &c.] Quod necesse non est, quidam hic elegiam nonam ordiebantur. Affirmat ægritudinem animi, quam suus sibi casus afferat, nonnihil imminui, & dissipari aliquantum nubila sua, cum de progressu studiorum eius, & virtutibus cogitat.

HOC TIBI VENTVRVM] talem te futurû.

IAM TVM VIDI] præuidi, & præsagiui.

FERRET ADHVC IST. C. MIN. A. RATEM] cum tantam excellentiam nondum esses consecutus.

SIVE ALIQVOD MOR. SEV VITÆ, &c.] Distingnit mores à vita pariter acta, sen ab innocentia, vt illi quidem ad conuictum, & consuetudinem vitæ communis, vita autem labe carens ad animi religionem pertineat. Illos dicimus amabiles, commodos, modestos, faciles, humanos, seueros, corruptos, perditos, rusticos, agrestes: hanc piam, sanctam, puram, diuinam, cælestem. Iam pretium esse vtriusque, & magnû quidem, quis dubitet?

PLVRIS EMENDVS] pluris te faciendus, propter mores suauissimos, & integritatem summam. Plaut. Capt. *Thalem talento non emam*

PER INGEN. CAPVT EXTVLIT ARTES] per artes ingenuis dignas. Sunt enim quædam non ingenuæ, sed seruiles. De vrbe Roma Virgil. eclog. 1. *Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes.*

QVÆLIBET ELOQ. FIT BON. CAVSSA TVO] Cum oratoriam facultatem versu antece-

A dente intelligeret, vt hinc patet, diait tamen ingenuas artes, vt significaret, credo, quod Cic. scribit in Bruto, si memini, eloquentiam esse quiddam ex pluribus studiis, artibusque collectum, & conflatum. De quo multa Crassus in 1. de orat. Non vult tamen Ouid. eum etiam malam caussam dicêdo posse bonam reddere, quod non esset viri boni, cum orator definiatur vir bonus, dicendi peritus: sed quamcunque arduam, & difficilem caussam. Nihil inquit M. Tull. in Paradox. est tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile. Et ipse annum natus sextum supra vicesimum, simul atque pro Sext. Roscio dixit (quæ oratio eius inter publicas prima fuit) tanta in admiratione fuit, vt iam tum

B nulla maior caussa non digna eius patrocinio videretur.

SCENA MANET GRAND. DOTES TVAS] magno theatro ista decora tua spectabûtur. Lib. 3. de P. eleg. 1. ad vxorem. *Quidquid agis igitur, scena spectabere magna.* Multis in ore futurus es.

NON OVIVM FIBRÆ] Genus diuinandi per inspectionem intestinorum, seu extorum. Inde extispices, extispicium, extispicina, & aruspices. aruspicina. Virgil. in 4. de Didone. *Spirantia consulit exta.*

TONITRVSVE SINISTRI] In auspiciis veterum fuerunt & tonitrua, siue tonitrus. Impares boni ominis esse, & fælicia portendere volebant: pares autem diros euentus, & calamita-

C tes: matutinos ventum, meridianos imbrem. Serena tamen tempestate tonuisse, hominesque aut ædes sacras de cælo tactas esse, tristis euentus fuisse, & auspicij mali, sæpe notatum est. Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13. Impares puto dici finistros. Fast. 4.

Ille precabatur, tonitru dedit omina læuo
Iupiter, & læuo fulmina missa polo.

Virgil. 9. AEneid. *Audiit, & cæli genitor de parte serena intonuit læuum.* Ideo autem fælicia censebantur læua tonitrua, auguria, & auspicia, quoniam quæ nobis sinistra sunt, ea superis dextra demitti creduntur. Vide Plutarch. Quæst. Rom. 78.

LINGVAVE SERVATÆ AVIS] obseruatæ. Augurium intellige, quod est quasi auigarrium.

D Et vocabantur oscines, quod ore futura prædicerent, vt coruus, cornix, noctua. Inde enim, è vocibus inquam auium futura coniiciebant. Quanquam, vt tradit Nonius, augurium rerum omnium coniecturas prudentet, ac diligenter complectitur.

PENNAVE DIXIT AVIS] Hoc genus proprie auspicium appellitabant, cum ea auium pastu, vel volatu euentura notabantur. Quæ si ante auspicantem se ferebant, vocabantur præpetes. & prospera nuntiabant: si retro, inebræ, quod cœpta inhiberent. Auspicium etiam aliis in rebus captabatur, & auctore Seruio, omnium rerum erat: augurium certarum. Auspicari cuiuis, etiam peregre licebat: augurium agere nisi in

patriis

patriis sedibus fas non erat. Crediderunt veteres diuinitus cælo dimitti aues. quod, quia tam alte volarent, proximeque ad eorum domicilium accederent, cum iis quoddam commercium haberent, eorumque sermones exciperēt. Quæ etiam caussa fuit, vt diis mactarentur in sacrificium, quorum videlicet consilia, & sermones mortalibus proderent. 1. Fast. De auguriis latissimè Papinius 3. Thebaid.

AVGVRIVM RATIO EST, ET CON. FVT.] Pro augurio (quo nomine omnia genera auspicij à se recensita comprehendit) ratione, & certa coniectura vsus, ex indole tua præstantiam hanc diuinaui.

NOTITIAMQVE TVLI] & ista inde cognoui.

ET QVONIAM VERA EST] & quia coniectura, & ratio, seu potius ratiocinatio mea non me fefellit.

TOTA TIBI MENTE GRATVLOR] ex animo, ex medullis, quantum possum.

MIHIQVE] cui tu es charissimus, & qui bona tua ducit sua. Quid ergo gratulatur? audi.

INGENIVM NON LATVISSE TVVM] reperisse materiam, & segetem quandam gloriæ, cognitum, perspectumque multis, vel potius toti vrbi. De communione vtriusque fortunæ inter amicos luculentus est locus in Lælio. Quis esset tantus fructus, inquit, in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Aduersas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas grauius etiam, quam tu, ferret. Et paucis interiectis. Nam & secundas res splendidiores facit amicitia: & aduersas partitus, communicansque leuiores.

AT NOSTRVM TENEB. VTIN. LAT. IN IMIS] mihi obest, ingenium meum non latuisse. Vtinam studia, & carmina mea, ingenij mei partus non emanassent.

EXPEDIIT STVD. LVMEN AB. MEIS] Lumen vocat publicum. Vnde dicimus librum edere, seu emittere in lucem, quem publicamus, quia scilicet quod occultum, & quasi in tenebris iacebat, collustratur, & lumen accipit.

ARTES SEVERÆ] quandoquidem interficit, *facunde*, accipimus sine controuersia eloquētiam, quæ non tam ars, quam artes, vt supra docuimus ex Cicerone. Est autem seuera eloquentia, quia grauis, & plena sapientiæ. Grauis est, inquit pro Muræna Cic. & plena dignitatis dicendi facultas, quæ plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima sæpe studia peperit. Et in Bruto. Eloquentia grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto grauis. Et in Orat. perf. ait oratores cum seueritate audiri, poëtas cum voluptate.

DISSIMILES ILLIS] nostræ artes non sunt seueræ. Natura sua certum est tam grauem non esse poësin. Multo tamen leuiorem poëtarum leuitas, & argumentorum inquinamenta fecerunt, & faciunt. De societate eloquentiæ, seu oratoriæ cum poëtica dicemus in eleg. 5. lib. 2. de Ponto.

VITA TAMEN TIBI NOTA MEA EST] Non semel in his libris leges hanc sententiam. Nam cum obscæna scripserit, vitam tamen non turpem se egisse autumat. Lib. 2. *Vita verecunda est, Musa iocosa mea.* Ibid. *Deme mihi studium; vita quoque crimina demes.*

ARTIBVS ILLIS] libris de arte amandi.

SCIS VET. HOC IVVENI LVSVM MIHI CARM.] Per iuuentutem, ad licentiam & lasciuiam propensam, petit veniam. Videndum tamen quatenus iuuentuti detur venia, nobis præsertim. Et lusus vocat, ac statim iocos. Alij ineptias, nugas talia poëmata. Catull.

Multa satis lusi, non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Et ad Cornel. Nepotem.

Cui dono lepidum, nouum libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Alibi. *Si qui forte mearum ineptiarum Lectores eritis.* Martialis. *Qui meruit nugas primus habere meas.*

NVLLO COLORE] prætextu, specie. Apud Quintilianum, & Rhetores color est ratio quædam defensionis.

QVA POTES] quatenus: est enim aduerbium.

QVO PEDE COEPISTI, &c.] Velut de via, & itinere aliquo loquitur. Nam & procedere, & progredi, & progressus facere in litteris aliquem latinè dicimus. Optat ergo, vt quemadmodum hactenus, in eloquentia, & eius vsu fæliciter procedat. Simili sensu Horat. ep. 2. lib. 2. *I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto.*

◆(:)◆



ELEGIA NONA.
LAVS NAVIS. ΟΔΟΙΠΟΡΙΚΟΝ. VOTVM.
ARGVMENTVM.

DELATVS in sinum Corinthiacum, nactus erat nauem cum tutela Palladis, firmè compactā, & celeritate præcipuam, quà velis, quà remigio. Ea in magnis ventorum, vndarumque concitationibus solus nauigarat. Optat incolumis in Scythiam deferri. Loca nominat, quæ ad Hellespontum vsque accesserit, quæque adhuc accessurus sit. Agnam Palladi vouet, si eas oras saluus legerit. Castorem, & Pollucem precatur, vt vtramque nauim (duæ enim simul ibant) in destinata sibi loca perducant. Elegia propter locorum varietatem, situmque parum nobis cognitum per obscura sanè, ac perdifficilis.

Est mihi, sitq́ precor, flaua tutela Mineruæ
Nauis, & à picta casside nomen habet.
Siue opus est velis: minimam bene currit ad auram:
Siue opus est remo: remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu:
Occupat egressas quamlibet antè rates.
Et patitur fluctus: fertq́ assilientia longè
Æquora: nec sæuis victa madescit aquis.
Illa Corinthiacis primùm mihi cognita Cenchreis,
Fida manet trepidæ duxq́ue, comesq́ue fugæ.
Perq́ tot euentus, & iniquis concita ventis
Æquora, Palladio numine tuta fuit.
Nunc quoque tuta, precor, vasti secet ostia ponti:
Quasq́ petit, Getici littoris intret aquas.
Quæ simul Æoliæ mare me deduxit in Helles:
Et longum tenui limite fecit iter:
Fleximus in læuum cursus, & ab Hectoris vrbe
Venimus in portus, Imbria terra, tuos,
Inde leui vento Zerinthia littora nacta,
Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Saltus ab hac terra breuis Epirea petenti:
Hac dominum tenus est illa secuta suum.
Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos:
Hellespontiacas illa reliquit aquas:
Dardaniámque petit auctoris nomen habentem,
Et te ruricola Lampsace tuta Deo.
Quaque per angustas malè vecta virginis vndas
Seston Abydena separat vrbe fretum.
Inde Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Æmoniæ nobile gentis opus,
Quæque tenent ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus est gemini ianua vasta maris.
Hæc, precor, euincat, propulsaque fortibus Austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas.
Thynniacosque sinus, & ab his per Apollinis vrbem
Acta sub Anchiali mœnia findat iter.
Inde Mesembriacos portus, & Odesson, & arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo.
Et quos Alcathoi memorant à mœnibus ortos
Sedibus his profugos constituisse lares.
A quibus adueniat Miletida sospes ad vrbem,
Offensi quò me compulit ira Dei.
Hæc si contigerit, merita cadet agna Mineruæ:
Non facit ad nostras hostia maior opes.
Vos quoque Tyndaridæ, quos hæc colit insula, fratres
Mite, precor, duplici numen adeste viæ.
Altera namque parat Symplegadas ire per altas:
Scindere Bistonias altera puppis aquas.
Vos facite vt ventos, loca cum diuersa petamus,
Illa suos habeat, nec minus ista suos.

COMMENTARIVS.

EST MIHI, SITQVE PRECOR] Et habebat, & nondum finita nauigatione habere adhuc, seu retinere cupiebat hoc nauigium.

FLAVÆ TVTELA MINERVÆ] Nauis quæ est tutela, seu in tutela Mineruæ, quæ habet depictum tutelare numen suum Mineruam. Antea indicauimus in eleg. 3. ibi. *Pictos verberat vnda deos.* Naues habuisse in prora, aut puppi tutelares suos deos pictos, aut sculptos, à quibus etiam sæpe nominarentur. Lucian. *τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἀμφοτέρωθεν.* Isin deam cognominē in naui vtrinq; habens. Silius lib. 14. *Scuta virûm cristæque, & inerti spicula ferro, Tutelæque deûm fluitabant.* Lactant. lib. 1. cap. 2. Aut nauis in qua est impositus (Ganymedes) tutelam habuit in aquila figuratam; sicut taurum cum rapuit, & transuexit Europam. Festus. Nauem quæ Iouis tutelam effigie

A

A tauri habuerit. Non esse idem *παράσημον*, & tutelam nauis, & in hac Ouidiana naui tutelare numen fuisse Mineruam, puppi ex consuetudine impositam: galeam autem Mineruæ, insigne, seu *παράσημον* nauis, idque ex ipso proræ ligno scalptum: neque nomen nauis semper à tutela esse, cum Scylla, & Centaurus sint naues in 5. AEneid. docet Ioseph. Scalig. Etiam pro diis quidam fluminum, vrbium, ferarum effigies malebãt: Christiani trierarchæ, modo pij sint, sanctorum imagines in puppibus affigunt, & quos referunt tutelarium diuorum nomina nauibus indunt: sicut in altero quoque antiquos imitantes, stellas, delphines, leænas, aquilas in triremibus exprimi curant. Delrius in Agamem. Demum sicut custodia pro iis qui custodiuntur, ita tutela pro eo, B qui est in alterius fide, & quem is tuetur. Sic de pueris & puellis, qui essent in fide Dianæ, dixit Horat. Ode 6. lib. 4. *Deliæ tutela deæ.*

FLAVÆ MINERVÆ] siue à capillitio, vt Horatio flaua Phyllis: siue à glaucis oculis, vt *γλαυκῶπις*. Ouid. in Arte. *Si pæta est Veneri similis: si flaua, Minerua.* Consule Gell. lib. 2. cap. 26.

A PICTA CASSIDE NOM. HABET] Non igitur Minerua à tutela, sed Galeata à parasemo dicebatur.

SIVE OPVS EST VELIS, &c.] Commendat phaselum suum eodem modo Catullus.

Phaselus ille quem videtis, hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus:
Neq; vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.

C Quare locum hunc imitatum credamus licet Ouidium. Quando nauis remigio impellitur, Græci *δευτερόπλουν*, hoc est, secundarium cursum appellant: quando velis fertur *ἱστιοδρομεῖν*: quando secundis ventis currit, *οὐριοδρομεῖν*. Quando simul remis, velisque agitur, summus est labor, & conatus nautarum. Vnde adagium, velis, & remis ad aliquid incumbere. Cic. 3. Tuscul. Tetra res est, misera, detestabilis, omni contentione, velis, vt ita dicam, remisque fugienda. Auctor Chiliad.

EGRESSAS QVAMLIBET ANTE] Quamuis multo ante se in altum prouectas non modò D assequitur, sed etiam anteuertit: tanta est illius pernicitas. Anteuolat.

ET PATITVR FLVCTVS, &c.] Resistit fluctibus, durat in fluctibus. Hoc, & quod proximè sequitur, ad firmitudinem, & bonam huius nauis coagmentationem refero.

CORINTHIACIS PRIN. M. COGNIT. CENCHREIS] Cenchræ, Stephano *κέγχρεαι*, oppidum in Isthmo prope Corinthũ. Pompon. Mela. lib. 2. cap. 3. Plin. lib. 4. cap. 4. Lecheæ hinc, Cenchreę istinc angustiant termini.

FIDA MAN. TREPID. &c.] fideliter me, & tutò vehit, quasi mente prædita, mihique beneuola.

A *PERQVE TOT EVENTVS*] Virgil. 1. AEneid. *Per varios casus, & tot discrimina rerum.*

ET INIQVIS CONCITA VENT. ÆQVORA] Per maria fluctibus sæuitia ventorum concitatis tumida. Per atroces tempestates.

PALLADIO NVMINE TVTA FVIT] Eleg. 2. *Ille tamen Veneris numine tutus erat.* Supra dixit, fuisse tutelam Mineruæ.

NVNC QVOQVE] nondum enim finita est nauigatio.

VASTI SECET OSTIA PONTI] Secare quoque ab aratro ad nauigationem migrauit. 7. Metamorph. *Iamq; fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant.* Ostia sunt aditus fluminum in mare. Ipsius quoque maris inclinationes, & vicinitates ad B littus dicuntur ostia. Vnde 5. AEneid. *& plenis subit ostia velis.* Illæ autem ostia non sunt in vasto ponto, id est in medio mari. Sed *συνεκδοχικῶς* fortasse locutus est, totum parti attribuens.

GETICI LITTORIS AQVAS] quæ tangunt litus Geticum, Scythicum.

ÆOLIÆ IN MARE HELLES.] in Hellespontum. Helle Athamantis Thracum regis, & Nepheles filia, cum fratre Phrixo Inûs nouercæ insidias metuens, accepto à matre ariete aureo, quo per aërem veherentur, periculi magnitudine conterrita, in aquas decidit, iisq; Hellesponti nomen fecit. Lege Natal. lib. 6. cap. 9. AEoliam Hellen nuncupat ab auo: siquidem AEolus Athamantis pater. Seu ab AEolia regione, quæ C quondam Mysia dicta, attingit Hellespontum.

LONGVM ITER] quam longus est scilicet Hellespontus.

TENVI LIMITE] quia per aquas tenues: seu angusto limite, non lata via.

FLEXIMVS IN LÆVVM CVRSVS] Virgil. lib. 5. *Flecte viam*, Et lib. 7. *Flectere iter sociis, terræq; aduertere proram Imperat.* Cursus de nauigatione crebrum poëtis, vt etiam currere.

AB ACTORIS VRBE] Lectio triplex. Actoris. Herculis. Hectoris. Prima communior. Quis autem ille Actor, & quo nomine illa vrbs, & vbi sita, non liquet. Mycillus Lemnum insulam, vbi Actor regnauit, hoc nomine capiendam putat.

IMBRIA TERRA] Selybriam à Plinio appel- D latam, & in Propontidis littore iacentem intelligit Merula. Mycillus Imbrum insulam, è regione Thraciam respicientem.

ZERINTHIA LITTORA] vtrum à Zerintho oppido, & antro Thraciæ secundùm Stephanum: an ab alia quapiam vrbe huius nominis, incertum nobis.

THREICIAM SAMON] Samothraciam.

SALTVS BREVIS] traiectus non longus. Tolle *est.*

EPIREA PETENTI] quasi dicas, *τὴν ἤπειρον* continentem. Et lectio varia, & sententia obscura. Multus hîc Mycillus & censet legi posse *Abdera*, quam tradunt Geographi vrbem esse Thraciæ, è regione Samothraciæ. Et consenta-

neum

neum est, Ouidium per Bistonios campos pedestri itinere proficiscentem, non longè ab Abderia in littus descendisse. Ortelium consule preterea.

DOMINVM SVVM] De ipso poëta interpretandum, non de alio, cuius nimirum hęc tam bona nauis propria fuerit, quiq́ne in alia nauigarit simul, quam hæc secuta sit.

MIHI BISTONIOS. P. PEDE CORPORE CAMPOS] Relicta hoc loco naui sua Ouidius, & in terram egressus, itineris partem pedibus confecit per Thraciam, quam sic appellat ab vrbe, & stagno, vnde & tota Thracia aliquando Bistonia.

HELLESPONTIACAS ILLA RELIQ. AQVAS] Non potest dici, nauem, quæ Dardaniam petebat, in ipsis Hellesponti faucibus sitam, aquas Hellespontiacas reliquisse. Aut igitur deest huic loco aliquid, versus vnus, alterue: aut pro *reliquit* legendum *relegit*, aut simile aliquid reponendum. Hæc & plura Mycillus, quæ leges, si voles. Opinor & ego, ante illa verba *Dardaniamq́ue petit, &c.* aliquid desiderari, & *petat* legendum. Nam si, quæ enumerat tot loca petit, hoc est ad ea appellitur, quomodo postmodum optat, vt ea salua prætereat? *Hæc precor euincat*, & sequentia iungit cum antecedentibus. Præterea puto sensum esse, illam nauem desiisse currere per Hellespontum.

AVCTORIS NOMEN HABENTEM] Dardaniam Dardanus Iouis ex Electra filius cõdidit.

RVRICOLA DEO] Tibull. eleg. 1. lib. 1.

Et quodcunq; mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.

Muret. in scholiis hoc nomine deum agrorum cultui præsidentem, id est, Liberum patrem, siue Osirim intelligit. Alij Priapum deum rusticum, quia hortorum custos: & manu falcem ad aues, & fures perterrendos tenebat. Cur à Lampsacenis coleretur, vide mythographos.

VECTÆ MALE VIRGINIS] Helles, de qua suprà.

SESTON ABYDENA SEP. VRBE] Sestos in littore Europæo, Abydos in Asiatico posita, paruo freto dirimebantur. Plin. lib. 4. cap. 11. Hellespontus septem stadiis Europam ab Asia diuidens, quatuor illic inter se contrarias vrbes habet. In Europa Callipolim, & Seston, in Asia Lampsacum, & Abydon.

ÆMON. NOB. GENTIS OPVS] AEmonia est Thessalia. Cyzicon ædificauit Cyzicus Thessalus.

QVÆQVE TENENT. P. BYZ. LITT. FAVCES] quà fauces ponti Bosphorus Thracius tangit. Byzantina littora.

GEMINI IANVA VASTA MARIS] Propontidis, & maris Euxini.

HÆC PRECOR EVINCAT] Hæc fæliciter transeat nauis mea.

A *INSTABILES CYANEAS*] Aliàs Symplegades: quæ ideo finguntur inter se concurrisse, quod non magno spatio disiunctæ, ex aduerso venientibus vna, accedentibus binę videbantur.

THYNNIACOSQVE SINVS] Quidam legunt *Heniochosq; sinus*. Adi Merulam, & Ortelij Thesaurum Geographicum, & inde quæ, & vbi sint hæc loca, per te discas censeo.

MILETIDA AD VRBEM] Tomi enim Milesiorum colonia. Eleg. 9. lib. 3.

Huc quoq; Mileto missi venere coloni,
Inq; Getis Graias constituere domos.

Ex hoc carmine coniicio, Ouidium hanc suam, & à se tam laudatam nauem rursus conscendisse. Quorsum enim optaret, vt sospes Tomos con-
B tingeret? In pentametro legendum *compulit*, pro *contulit*.

OFFENSI DEI] Augusti, quo palpo illum hisce libris sæpe ferit.

MERITÆ CADET AGNA MINERVÆ] vt tutelari nauis, cuius beneficio saluus eo peruenerit, gratias se relaturum polliceatur.

HOSTIA MAIOR] In 4. Metamorph. docet eidem vaccam immolari consuesse. Verùm paupertas hoc eum facere non sinit. Horat. ad Mæcenatem Ode 17. lib. 2.

——reddere victimas,
Ædemq; votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

VOS QVOQVE TYNDARIDÆ FRA-
C *TRES*] Castor, & Pollux numina nautica. Horat. ad nauem, qua Virgil. Athenas vehebatur. Ode 3. lib. 1. Quid si hæc tria disticha legas ante *Dardaniamq; petat, &c.* & ab iis nouam elegiam ordiaris? Poterat autem & hæc nauis, alia ab illa Galeata, tutelam habere Mineruam, quam sequebatur item alia, cui, vt suæ, ventos secundos optat.

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera,
Ventorumq; regat pater.

HÆC INSVLA] quæcunque tandem illa. Videtur sanè ex ea denuo conscendisse.

DVPLICI RATI] Aliam fuisse nauim, Ouidianæ comitem, sed non vsque ad exilium, appa-
D ret.

ALTERA NAMQVE PARAT SYMPLEG. &c.] Narrat quò porrò cursum instituat illa aliena.

ALTERA BISTONIAS AQVAS] mea videlicet, mare Euxinum, qua parte Thraciam alluit.

LOCA CVM DIVERSA PETAMVS] ego ad sinistram, illa ad dexteram pergat.

ILLA SVOS HABEAT] sibi commodos. Nam diuersis ventis opus est. Alij me doctiores plura, & meliora & certiora in istam elegiam differant, & ingeniis lectorum facem maiorem præferant.

ELEGIA DECIMA.

VBI SCRIPT. HIC LIB. PETITIO VENIAE.

ARGVMENTVM.

SE hunc primum librum Tristium inter nauigandum conscripsisse, partim in mari Adriano, partim in Ægeo, vbi aliam nactus est nauem, de qua elegia præcedente, inter procellas, & fluctus tum maris, tum animi sui. Vtrosque exaggerat. Veniam carmini, ob id fortasse rudiori, à lectore petit.

Littera quæcunque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitæ tempore facta viæ.
Aut hanc me, gelido tremerem cum mense Decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.
Aut postquam bimarem cursu superauimus Isthmon,
Alteráque est nostræ sumta carina fugæ.
Quòd facerem versus inter fera murmura Ponti,
Cycladas Ægeas obstupuiße puto.
Ipse ego nunc miror tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidiße meum.
Seu stupor huic studio, siue est insania nomen:
Omnis ab hac cura mens releuata mea est.
Sæpe ego nimbosis dubius iactabar ab Hœdis.
Sæpe minax Steropes sidere pontus erat:
Fuscabátque diem custos Erymanthidos vrsæ:
Aut Hyadas sæuis auxerat Auster aquis:
Sæpe maris pars intus erat: tamen ipse trementi
Carmina ducebam qualiacunque manu.
Nunc quoque contenti stridunt Aquilone rudentes,
Inque modum tumuli concaua surgit aqua:
Ipse gubernator tollens ad sidera palmas,
Exposcit votis, immemor artis, opem.
Quocunque aspexi, nihil est nisi mortis imago:
Quam dubia timeo mente timensque precor.

Attigero portum, portu terrebor ab ipso:
Plus habet infesta terra timoris aqua.
Nam simul insidiis hominum pelagique laboro:
Et faciunt geminos ensis, & unda metus.
Ille meo vereor ne speret sanguine prædam:
Hæc titulum nostræ mortis habere velit.
Barbara pars læua est auidæ summissa rapinæ,
Quam cruor, & cædes, belláque semper habent.
Cumque sit hybernis agitatum fluctibus æquor:
Pectora sunt ipso turbidiora mari.
Quò magis his debes ignoscere candide lector,
Si spe sint, vt sunt, inferiora tua.
Non hæc in nostris, vt quondam, scribimus hortis:
Nec consuete meum lectule corpus habes.
Iactor in indomito brumali luce profundo:
Ipsaque cæruleis charta feritur aquis.
Improba pugnat hyems: indignatúrque, quòd ausim
Scribere, se rigidas incutiente minas.
Vincat hyems hominem: sed eodem tempore, quæso,
Ipse modum statuam carminis, illa sui.

COMMENTARIVS.



TOTO LIBELLO] paruum librum vocauit eleg. 1. Separatim quippe singulos, non totum opus Tristium simul, quinq; libros puta, Romam misit, quod principio annotauimus.

SOLLICITÆ VIÆ] Totum enim iter curarum, sollicitudinum, ac mœrorum plenum habuit.

GELIDO TREM. C. MENSE DECEMB.] Hyberni enim menses December, Ianuarius, Februarius, & effectus frigoris tremor. Quidam apud Cic. in 2. de Orat. sapiens si algebis, tremes. Nota tempus discessus ab vrbe.

MEDIIS ADRIA VIDIT AQVIS] Mare superum Adrianum, siue Adriaticum vt vulgo: mare inferum Tyrrhenum, & in medio vtriusq; Italia, dorso adhærens Germaniæ. Illud ventis & tempestatibus est obnoxium. Quare Horat. Ode 9. lib. 3. *Tu leuior cortice, & improbo iracundior Adria.*

BIMAREM ISTHMON] Corinthum Isthmo propinquam nominat bimarem (ἀμφιθάλασσον) Horat. Ode 7. lib. 1. apud quam se nauem alte-

A ram reperisse narrauit elegia antegressa. *Illa Corinthiacis primùm mihi cognita terris.* Alluitur autem Isthmus mari AEgæo, & Ionio. Audiamus Aristidem tom. 1. oratione Isthmica in Neptunum. Quamuis autẽ omnia littora portusque, & partes omnes terræ, marisque Neptuni sunt sacra, donaria, delubra, & templa, nullus tamen gratior illi locus est, aut honoratior hoc Isthmo, quem ego Neptuni palatium, regiam, & aulam, quemadmodum Homerus Iouis aula, & vestibulum dixit, vocare ausim. Coniecturam cùm aliunde, tum hinc facio, quod omne vndecunque mare huc conuertit, ostiis vtrinque oppositis, & Isthmum hunc ad ortum simul, & occasum ei expandit, terræq; non magna copia, sed quasi

B canali angusto conclusit, ne commisceri posset, lege vtrique mari posita de suis cuique terminis seruandis, &c. Vide insuper prouerb. Isthmum perfodere.

INTER FERA MVRMVRA PONTI] cum versus secessum propter silentium requirãt, Vndisonum mare poëtis, cum est ventis concitatum.

CYCLADAS ÆGÆAS] Insulæ sunt L. numero, in orbem sitæ, maria AEgæi, vt scribit Isidorus.

ANIMIQVE FLVCTIBVS] Virgil. 12.

Heu quid agat? vario nequidquam fluctuat æstu,
Diuersaq; vocant animum in contraria curæ.

Et lib. 8.

Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu
Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.

Catull. de nupt. *& magnis curarum fluctuat vndis.*

INGEN. NON CECIDISSE MEVM] Ingenio nihil perniciosius mœroribus, & angoribus, quibus illius vis omnis exeditur.

SIVE EST INSANIA NOMEN] lib. 2. *At nunc tanta meo comes est insania morbo.* lib. 4. eleg. 1.

Forsitan hoc studium possit furor esse videri.
Sed quiddam furor hic vtilitatis habet, &c.

Dicuntur enim insanire poëtæ, & eorum furor est omnium scriptis decantatus. Horat. ad Pisones.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, &c.

Amabilem insaniam nominat Ode 4. lib. 3. Cic. lib. 2. de Orat. sæpe audiui bonum poëtam neminem (id quod à Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine afflatu quasi furoris. Platonis locus vnus est in Ione, alter in Phædro.

AB HAC CVRA MENS RELEVATA MEA EST] Litteræ solatio sunt, & leuamento in aduersis, quod sæpe testatur M. Tullius. Pro Archia. Secundas res ornant, aduersis solatium præbent.

NIMBOSIS AB HOEDIS] Inducit nimbos ortu suo hoc astrum. Virgil. 9. *Quantus ab occasu veniens pluuialibus hœdis Verberat imber humum.*

STEROPIS SIDERE] Pleiadum, quarum mater Sterope.

CVSTOS ERYMANTHID. VRSÆ] Arcturus, seu Bootes.

AVT HYAD. SÆVIS HAVS. AVST. AQVIS] Auster plerumq; pluuias adducit, quem ab hauriendo quasi haustrum, quod ob maximam imbrium effusionẽ aquas è mari haurire videatur, multi appellatum putant. Ennio est imbricitor. Ouidio imbrifer, Horat. & Statio vdus, Virgilio humidus, vnde etiam græcè Notus: humor siquidem græcè νοτίς, Plauto imbricus. Ab eodem dicti austrati Austro pluuio madefacti. Austrati ad ignem sedent. Hyadas vocat pluuias Virgil. 1. AEneid. quod ortu suo pluuias denuntiant, & important: ostẽdens tacitè, eas ἀπὸ τοῦ ὕειν à pluere nomẽ trahere, quod hoc versiculo confirmat Ouid. *Nauita quas hyadas Graius ab imbre vocat.* Non autem ab ὗς à sue, in cuius speciem figurentur. Nec à fratre Hyante, quem in venatu à leone occisum luxerint. Testis Cic. 2. de nat. deor. Tauri caput stellis conspersum est frequentibus Has Græci stellas hyadas vocitare suerunt à plu-

A endo, ὕειν enim est pluere: nostri imperiti suculas, quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ. Rectè igitur Horatio tristes dicuntur. Ode 3. lib. 1.

MARIS PARS INTVS ERAT] ex aspergin ibus. Et est auxesis.

DVCEBAM MANV] vnde ducere, & deducere versus, & ducere litteras, quod barbare, pingere litteras.

STRIDENT AQVILONE RVDENTES] Virgil. 1. AEneid. *Insequitur clamorq; virûm, stridorq; rudentum.* Nec adeo dissimile est, quod ibidem subiicitur. *Talia iactanti stridens Aquilone procella Velum aduersa ferit.*

CONCAVA SVRGIT AQVA] Eleg. 2. *quanti* B *montes voluuntur aquarum!* de Aristæo, per Peneum fluuium matrem Cyrenen adeunte Virgil. *at illum*

Curuata in montis faciem circumstetit vnda,
Accepitq; sinu vasto, misitq; sub amnem.

TOLLENS AD SIDERA PALMAS] Virgil. 1. AEneid. *Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas.* Gestus deos inuocantium. Et lib. 10. *& ambas Ad cælum tendit palmas.*

IMMEMOR ARTIS] Eleg. 2. *Rector in incerto est, &c.* & rursum eleg. 3.

Nauita confessus gelidum pallore timorem
Iam sequitur victus, non regit arte ratem.

NIHIL EST NISI MORTIS IMAGO] Ex omni parte video instare mortem. De multi- C tudine cadauerum, passim per vrbem Troianam illa vltima nocte iacentium Virgil. 2. AEneid. *& plurima mortis imago.* Quo sensu dixerit noster elrg. 8. lib. 5. de Scythia, inter quos exulabat, *Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago*, vide ibi Comment.

PORTV TERREBOR AB IPSO] Caussa subnectitur, latrones scilicet, quorum magna vis in Thracia. Quæ sequuntur, perspicua sunt vel puero.

BARBARA PARS LÆVA EST, &c.] Alæua est barbara tellus, rapinis, latrociniis, cædibus dedita.

PECTORA SVNT IPSO TVRBID. MARI] Timor geminus, de quo paulo antè, turbat ani- D mum vehementissimè.

SI SPE SINT INFERIORA TVA] si non implent exspectationem tuam. Quomodo enim possent tali statu meo?

NON HÆC IN NOSTRIS SCRIB. HORTIS] Quos habebat Romæ inter viã Claudiam, & Flaminiam. lib. 2. de Ponto eleg. 9.

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia iuncta via.

Amœnos secessus hortorum, ac nemorum quærunt poëtæ.

NEC CONSVET. MRVM LECT. CORP. HABES] [illegible]. Antiqui meditationi, aut scriptioni operam daturi, in lectulis suis lucubratoriis se componebant Cic. 3. de

A Orat. Cum dedita opera quiescentibus aliis in eam exedrā venisset, in qua Crassus lectulo posito recubuisset: cumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse. Seneca ep. 72. Quædā sunt quæ possis & in cisio scribere: quædam lectum, & otium, & secretum desiderant. Persius Sat. 6. *non quidquid denique lectis Scribitur in citreis.* Sed hi opulentiorum erant, qui inde vsque à Libya materiam lignorum petebant. Idem voluit Sueton. cùm de Augusto scripsit cap. 78. à cœna se in lectulum lucubratorium recipiebat. Vbi plura in Causabon. Animaduers.

IN INDOMITO PROFVNDO] Altum appellat Virg. 1. AEneid. *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant.* Contrà, cælum profundum ibid. Indomitum, propter nimiam concitationem, qua velut animal indomitum, & frænis repugnans liberè fertur, acruit.

IMPROBA PVGNAT HYEMS] Tempestas. Virgil. 3. AEneid. *Noctem, hyememque ferens, & inhorruit vnda tenebris.* 1. AEneid. *Iam validam Ilionei nauem, &c. Vicit hyems.* Et 3. Claudian. *cui fundit ab antris Æolus armatas hyemes.* Pulchra prosopopœia.

IPSE MOD. STATVAM CARM. &c.] ἀποσιώπησις. Ego cessabo à scribendo.

FINIS LIBRI PRIMI.



IN TRISTIVM LIBRVM II. AD AVGVSTVM.

VNICAM COMPLECTITVR ELEGIAM, POTESTQVE APOLOGIA, SEV APOLOGETICVS NVNCVPARI.

ARGVMENTVM.

INGENIVM, ac poësin suam perniciem sibi creauisse, atque ideo haud repetendam videri: quod ipse nihilominus, tanquam victus semel in arena gladiator, & naufragus committat: quia fortasse saluti vicissim futura sint, quæ exitio antea fuerint. Augustum ipsum mandasse deos propitiare carminibus, ad quorum clementiam imitandam eum incitat, culpam suam confitens, & exempla misericordiæ illius in alios adducens. Se coniurationis aduersus ipsum nequaquam popularem fuisse: quem etiam sæpenumero diis precibus suis commendarit, scriptisque, metamorphosi inprimis, celebrarit: tametsi id minore facūdia, & ornatu, quàm alij quidam. Maligne facere inimicos, qui Principis irritandi amatoria Ouidiana illi legant. Vulgi iudicium eius sententiam complexum. Olim mores suos eidem placuisse. Se honoribus quoque functum, extremo tempore toto velut Oceano obrutum periisse. Quod imprudens viderit, id tanquam scelus in se puniri. Familiam suam nobilitate claram, fortunis mediocrem, quam præterea ingenio suo, toti mundo cognito, decorauerit, secum collapsam. Cæsarem in sua pœna modum tenuisse, de quo semper bene speraturum, quamuis inter spem, & me-

tum ſæpe fluctuet. Multis obteſtationibus ſaltem lenioribus conditionibus exilium rogitat, quod quam aſperum, & horribile patiatur, exponit. Ob duo crimina in hanc calamitatem ſe deuolutum, carmen, & errorem: de poſteriore taciturum. Id fuiſſe viſum aliquod obſcœnum Auguſti flagitium, docti omnes conſentiunt. Deinde prius illud de carmine purgandum, excuſandum, defendendum ſuſcipit, & in eo neruos omnes contendit. Non caſtis, & nuptis, ſed proſtibulis ſcripſiſſe. Complura enumerat, quæ cùm per ſe noxia non ſint, vitio vtentium nocent. Pœnitere, quod ingenium ſuum ad maiora non applicuerit. Verumtamen imparem ſeſe grauioribus. Litteras neſciſſe optat. Iterum adulteria docuiſſe negat: & poſſe vitam agitari honeſtam, licet delectationis cauſſa huiuſcemodi in rebus ludas. Quam facultatem nos Chriſtiani nulla ratione cuiquam concedimus. Recenſentur ſcriptores τῶν ἐρωτικῶν; ex iis omnibus præter ſe pœnas dediſſe neminem. In ludis, & theatro turpiora committi, & auctores laudari inſuper. Non offendi Auguſtum imaginibus, quas in regia parum pudicas habeat. Nec Maronem ab iſtiuſmodi illecebris abſtinuiſſe. Quod pridem ſcripſerit, id ſerò luere. Multa ſeria quoque à ſe compoſita: & verbo violaſſe nullum penitus. Non paucos ſua cauſſa dolere. Concludit librum flagitatione mitioris exilij. Inſunt huic libro conqueſtiones, obteſtationes, vota, purgationes, exempla, ſimilia, aliaque non pauca, & varia demum ornamenta, quæ legendi faſtidium poſſint auertere.

Quid mihi vobiſcum eſt, infelix cura, libelli,
Ingenio perij qui miſer ipſe meo?
Cur modò damnatas repeto mea crimina Muſas?
An ſemel eſt pœnam commeruiſſe parum?
Carmina fecerunt, vt me cognoſcere vellent
Omine non fauſto fœmina virque meo.
Carmina fecerunt, vt me, moréſque notaret
Iampridem inuiſa Cæſar ab arte meos.
Deme mihi ſtudium, vita quoque crimina demes:
Acceptum refero verſibus eſſe nocens,
Hoc precium curæ, vigilatorumque laborum
Cepimus: ingenio eſt pœna reperta meo.
Si ſaperem, doctas odiſſem iure ſorores,
Numina cultori pernicioſa ſuo.
At nunc (tanta meo comes eſt inſania morbo)
Saxa meum refero rurſus ad icta pedem.
Scilicet vt victus repetit gladiator arenam:
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.

Forſitan,

Forsitan, vt quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus opémque feret.
Musáque quæ mouit, motam quoque leniet iram:
EXORANT MAGNOS CARMINA SAEPE DEOS.
Ipse quoque Ausonias Cæsar matrésque nurusque,
Carmina turrigeræ dicere iussit Opi.
Iusserat & Phœbo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos ætas aspicit vna semel.
His precor exemplis tua nunc mitissime Cæsar
Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem iusta est: nec me meruisse negabo:
Non adeò nostro fugit ab ore pudor.
Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
Materiam veniæ sors tibi nostra dedit.
SI QVOTIES PECCANT HOMINES, SVA FVLMINA MITTAT
IVPPITER, EXIGVO TEMPORE INERMIS ERIT.
Nunc vbi detonuit, strepituque exterruit orbem:
Purum discussis aëra reddit aquis.
Iure igitur genitórque deûm rectórque vocatur:
Iure capax mundus nil Ioue maius habet.
Tu quoque cùm patriæ rector dicare, patérque,
Vtere more Dei nomen habentis idem.
Idque facis: nec te quisquam moderatius alter
Imperij potuit fræna tenere sui.
Tu veniam Partho superato sæpe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat:
Diuitiis etiam multos, & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quæque dies bellum, belli tibi sustulit iram:
Parsque simul templis vtraque dona tulit.
Vtque tuus gaudet miles, quòd vicerit hostem,
Sic, cur se victum gaudeat, hostis habet.
Causa mea est melior: qui nec contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.
Per mare, per terras, per tertia numina iuro:
Per te præsentem, conspicuumque Deum:
Hunc animum fauisse tibi vir maxime: meque,
Qua sola potui, mente fuisse tuum.
Optaui peteres cælestia sidera tardè:
Parsque fui turbæ parua precantis idem.

Et pia thura dedi pro te: cumque omnibus unus
Ipse quoque adiuui publica vota meis.
Quid referam libros illos, quos crimina dicis,
Mille locis plenos nominis esse tui?
Inspice maius opus, quod adhuc sine fine reliqui,
In non credendos corpora versa modos.
Inuenies vestri praeconia nominis illic:
Inuenies animi pignora multa mei.
Non tua carminibus maior fit gloria: nec quo
Vt maior fiat, crescere possit, habet.
Fama Ioui superest: tamen hunc sua facta referri,
Et se materiam carminis esse, iuuat.
Cumque Gigantaei memorantur praelia belli:
Credibile est laetum laudibus esse suis.
Te celebrant alij, quanto decet ore: tuasque
Ingenio laudes vberiore canunt,
Sed tamen, vt fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.
Ah ferus, & nobis nimium crudeliter hostis,
Delicias legit qui tibi cunque meas:
Carmina ne nostris & te venerantia libris
Iudicio possint candidiore legi.
Esse sed irato quis te mihi posset amicus?
Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.
Cùm coepit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus.
Cunctaque fortuna rimam faciente dehiscunt:
Ipsa suo quadam pondere tracta ruunt.
Ergo hominum quaesitum odium mihi carmine: quaque
Debuit, est vultus turba secuta tuos.
At (memini) vitámque meam moresque probabas,
Illo, quem dederas, praetereuntis equo.
Quod si non prodest, & honesti gloria nulla
Redditur: at nullum crimen adeptus eram.
Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Vsque decem decies inspicienda viris.
Res quoque priuatas statui sine crimine iudex:
Déque mea fassa est pars quoque victa fide.
Me miserum: potui, si non extrema nocerent,
Iudicio tutus non semel esse tuo.

Vltima me perdunt, imoq; sub aquore mergit
Incolumem toties vna procella ratem.
Nec mihi pars nocuit de gurgite parua: sed omnes
Presere hoc fluctus, Oceanusq; caput.
CVR ALIQVID VIDI? CVR NOXIA LVMINA FECI?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est?
Inscius Actaon vidit sine veste Dianam:
Prada fuit canibus non minus ille suis.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:
Nec veniam, laso numine, casus habet.
Illa nostra die, qua me malus abstulit error,
Parua quidem periit, sed sine labe, domus.
Sic quoq; parua tamen patrio dicatur vt auo
Clara, nec vllius nobilitate minor.
Et neq; diuitiis, nec paupertate notanda est:
Vnde sit in neutrum conspiciendus eques.
Sit quoq; nostra domus vel censu parua, vel ortu,
Ingenio certè non latet illa meo.
Quo videar quamuis nimium iuueniliter vsus:
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbaq; doctorum Nasonem nouit: & audet
Non fastiditis annumerare viris.
Corruit hac igitur Musis accepta sub vno,
Sed non exiguo crimine lapsa domus.
Atq; ea sic lapsa est, vt surgere, si modò lasi
Ematuruerit Casaris ira, queat.
Cuius in euentu pœna clementia tanta est,
Vt fuerit nostro lenior ira metu.
Vita data est: citraq; necem tua constitit ira:
O princeps parcè viribus vse tuis.
Insuper accedunt, te non adimente, paterna,
Tanquam vita parum muneris esset, opes.
Nec mea decreto damnasti facta senatus,
Nec mea selecto iudice iussa fuga est.
Tristibus inuectus verbis (ita principe dignum)
Vltus es offensas, vt decet, ipse tuas.
Adde, quod edictum quamuis immite, minaxq;
Attamen in pœna nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exul dicor in illo,
Parcaq; fortuna sunt tibi verba mea.

Nulla quidem sano grauior mentisque potenti
Pœna est, quàm tanto displicuisse viro.
SED SOLET INTERDVM FIERI PLACABILE NVMEN:
NVBE SOLET PVLSA CANDIDVS IRE DIES.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus vlmum,
Quæ fuerat sæuo fulmine tacta Iouis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus: atque
Hoc vnum fieri te prohibente potest.
Spes mihi magna subit, cum te, mitissime Cæsar:
Spes mihi, respicio cum mea facta, cadit:
Ac veluti ventis agitantibus æquora, non est
Æqualis rabies, continuusque furor:
Sed modò subsidunt, intermissique silescunt,
Vimque putes illos deposuisse suam:
Sic abeunt, redeuntque mei, variantque timores,
Et spem placandi dantque, negantque tui.
Per superos igitur, qui dant tibi longa, dabuntq́;
Tempora, Romanum si modò nomen amant:
Per patriam, quæ te tuta & secura parente est:
Cuius & in populo pars ego nuper eram:
Sic tibi, quem semper factis, animóque mereris,
Reddatur grata debitus vrbis amor.
Liuia sic tecum sociales impleat annos:
Quæ, nisi te, nullo coniuge digna fuit:
Quæ si non esset, cælebs te vita deceret,
Nulláque, cui posses esse maritus, erat.
Sospite sic te sit natus quoque sospes: & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex:
Vt faciuntque tui sidus iuuenile nepotes,
Per tua, perque tui facta parentis eant:
Sic assueta tuis semper victoria castris,
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat:
Ausoniumque ducem solitis circumuolet alis,
Ponat & in nitida laurea serta coma.
Per quem bella geris: cuius nunc corpore pugnas:
Auspicium cui das grande, Deosque tuos:
Dimidioque tui præsens, & respicis vrbem:
Dimidio procul es, sæuaque bella geris.
Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste:
Inque coronatis fulgeat altus equis,

Parce precor: fulmenq́ tuum fera tela reconde:
Heu nimium misero cognita tela mihi!
Parce pater patriæ: nec nominis immemor huius,
Olim placandi spem mihi tolle tui:
Non precor vt redeam, quamuis maiora petitis
Credibile est magnos sæpe dedisse deos.
Mitius exilium si das, propiusq́ roganti:
Pars erit è pœna magna leuata mea.
Vltima perpetior, medios proiectus in hostes:
Nec quisquam patria longius exul abest.
Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido virginis axe premor.
Iazyges, & Colchi, Metereaq́ turba, Getaq́ue,
Danubij mediis vix prohibentur aquis.
Cumq́ alij caussa tibi sint grauiore fugati:
Vlterior nulli, quàm mihi, terra data est.
Longius hac nihil est, nisi tantum frigus & hostis,
Et maris astricto quæ coit vnda gelu.
Hactenus Euxini pars est Romana sinistri:
Proxima Basternæ, Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub iure nouissima: vixq́ue
Hæsit in imperij margine terra tui.
Vnde precor supplex, vt nos in tuta releges:
Ne sit cum patria pax quoque ademta mihi.
Ne timeam gentes, quas non bene summouet Ister:
Néue tuus possim ciuis ab hoste capi.
Fas prohibet Latio quenquam de sanguine natum,
Cæsaribus saluis barbara vincla pati.
Perdiderint cum me duo crimina, carmen, & error:
Alterius facti culpa silenda mihi est.
Nam tanti non sum, renouem vt tua vulnera, Cæsar,
Quem nimio plus est indoluisse semel.
Altera pars superest: qua turpi crimine lectus,
Arguor obscœni doctor adulterij.
Fas ergo est aliquà cœlestia pectora falli:
Et sunt notitia multa minora tua.
Vtq́ue deos calumq́ue simul sublime tuenti,
Non vacat exiguis rebus adesse Ioui:
Ex te pendentem sic dum circumspicis orbem:
Effugiunt curas inferiora tuas.

Scilicet imperij princeps statione relicta,
Imparibus legeres carmina facta modis.
Non ea te moles Romani nominis vrget:
Inq; tuis humeris tam leue fertur onus:
Lusibus vt poßis aduertere numen ineptis:
Excutiasque oculis otia nostra tuis.
Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda:
Rhætica nunc præbent, Thraciaq; arma metum.
Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus
Parthus eques, timida captáque signa manu.
Nunc te prole tua iuuenem Germania sentit:
Belláque pro magno Cæsare Cæsar agit.
Deniq; vt in tanto, quantum non extitit vnquam,
Corpore pars nulla est, quæ labet imperij:
Vrbs quoque te, & legum laßat tutela tuarum,
Et morum, similes quos cupis esse tuis.
Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas,
Belláque cum multis irrequieta geris.
Miror in hoc igitur tantarum pondere rerum,
Vnquam te nostros euoluiße iocos.
At si (quod mallem) vacuus fort asse fuißes,
Nullum legisses crimen in arte mea.
Illa quidem fateor frontis non eße seuera
Scripta, nec à tanto principe digna legi:
Non tamen iccircò legum contraria iußis
Sunt ea, Romanas erudiuntq; nurus.
Néue quibus scribam poßis dubitare: libellus
Quattuor hos versus è tribus vnus habet.
Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæq; tegis medios instita longa pedes.
Nil, nisi legitimum, conceßáque furta, canemus:
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Ecquid ab hac omnes rigidas summouimus arte,
Quas stola contingi, vittáque sumpta vetat?
At matrona potest alienis artibus vti:
Quodque trahat, quamuis non doceatur, habet.
Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior eße potest.
Quodcunque attigerit (si qua est studiosa sinistri)
Ad vitium mores instruet inde suos.

Sumpse-

Sumpſerit annales (nihil eſt hirſutius illis)
Facta ſit vnde parens Ilia, nempe leget.
Sumpſerit, Æneadum genitrix vbi prima, requiret,
Æneadûm genitrix vnde ſit alma Venus.
Perſequar inferius (modò ſi licet ordine ferri)
Poſſe nocere animis carminis omne genus.
Non tamen iccircò crimen liber omnis habebit:
NIL PRODEST, QVOD NON LAEDERE POSSIT IDEM.
Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta
Cœperit: audaces inſtruit igne manus.
ERIPIT INTERDVM, MODO DAT MEDICINA SALVTEM:
Quæq́; iuuet, monſtrat, quæq́; ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur, innocuas vt agat facundia cauſſas:
Protegit hæc ſontes, immeritosq́; premit.
Sic igitur carmen, recta ſi mente legatur,
Conſtabit nulli poſſe nocere meum.
Et, quoddam vitij quicunque hinc concipit, errat,
Et nimium ſcriptis abrogat ille meis.
Vt tamen hoc fatear, ludi quoque ſemina præbent
Nequitiæ: tolli tota theatra iube.
Peccandi cauſſam quàm multi ſæpe dederunt,
Martia cùm durum ſternit arena ſolum?
Tollatur Circus: non tuta licentia Circi eſt:
Hic ſedet ignoto iuncta puella viro.
Cùm quædam ſpatientur in hac, vt amator eòdem
Conueniat, quare porticus vlla patet?
Quis locus eſt templis auguſtior? hæc quoque vitet,
In culpam ſi qua eſt ingenioſa ſuam.
Cùm ſteterit Iouis æde: Iouis ſuccurret in æde,
Quàm multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Iunonis templa ſubibit
Pellicibus multis indoluiſſe Deam.
Pallade conſpecta, natum de crimine virgo
Suſtulerit quare quærit Erichthonium.
Venerit in magni templum tua numina Martis:
Stat Venus vltori iuncta viro ante fores.
Iſidis æde ſedens, cur hanc Saturnia, quæret,
Egerit Ionio, Boſporióque mari.

In Venerem Anchises, in Lunam Latmius heros,
In Cererem Iasius, qui referatur, erit.
Omnia peruersas possunt corrumpere mentes:
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.
Et procul à scripta solis meretricibus arte,
Summouet ingenuas pagina prima manus.
Quæcunque erumpit, quà non sinit ire sacerdos,
Protinus hæc vetiti criminis acta rea est.
Non tamen est facinus versus euoluere molles:
Multa licet castæ non facienda legant.
Sæpe supercilij nudas matrona seueri,
Et Veneris stantes ad genus omne, videt.
Corpora Vestales oculi meretricia cernunt.
Nec domino pœnæ res ea caussa fuit.
At quare in nostra nimia est lasciuia Musa?
Curúe meus cuiquam suadet amare liber?
Nil nisi peccatum, manifestáque culpa fatenda est:
Pœnitet ingenij, iudiciique mei.
Cur non Argolicis potius quæ concidit armis,
Vexata est iterum carmine Troia meo?
Cur tacui Thebas? & mutua vulnera fratrum?
Et septem portas sub duce quamque suo?
Non mihi materiam bellatrix Roma negabat:
ET PIVS EST PATRIAE FACTA REFERRE LABOR.
Denique, cum meritis impleueris omnia Cæsar,
Pars mihi de multis vna canenda fuit.
Vtq; trahunt oculos radiantia lumina solis:
Traxissent animum sic tua facta meum.
Arguor immeritò: tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.
NON IDEO DEBET PELAGO SE CREDERE: SI QVA AVDEAT EXIGVO LVDERE CYMBA LACV.
Forsan & hoc dubitem, numeris leuioribus aptus
Sim satis, in paruos sufficiamque modos.
At si me iubeas domitos Iouis igne gigantes
Dicere, conantem debilitabit opus.
Diuitis ingenij est immania Cæsaris acta
Condere, materia ne superetur opus.
Et tamen ausus eram: sed detrectare videbar:
Quodq; nefas, damno viribus esse tuis.

Ad leue rursus opus, iuuenilia carmina, veni:
Et falso moui pectus amore meum.
Non equidem vellem: sed me mea fata trahebant:
Inq; meas pœnas ingeniosus eram.
Hei mihi cur didici? cur me docuere parentes?
Litteráque est oculos vlla morata meos?
Hæc tibi me inuisum lasciuia fecit, ob artes,
Quas ratus es vetitos sollicitare toros.
Sed neque me nuptæ didicerunt furta magistro,
QVOD QVE PARVM NOVIT, NEMO DOCERE POTEST.
Sic ego delicias, & mollia carmina feci:
Strinxerit vt nomen fabula nulla meum.
Nec quisquam est adeò media de plebe maritus,
Vt dubius vitio sit pater ille meo.
Crede mihi, distant mores à carmine nostro:
Vita verecunda est, Musa iocosa mea.
Magnáque pars mendax operum est & ficta meorum,
Plus sibi permisit compositore suo.
NEC LIBER INDICIVM EST ANIMI: SED HONESTA VOLVNTAS
PLVRIMA MVLCENDIS AVRIBVS APTA REFERT.
Accius esset atrox, conuiua Terentius esset,
Essent pugnaces, qui fera bella canunt.
Denique composui teneros non solus amores:
Composito pœnas solus amore dedi.
Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia Musa senis?
Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?
Tuta tamen Sappho, tutus & ille fuit.
Nec tibi, Battiade, nocuit, quòd sæpe legenti
Delicias versu fassus es ipse tuas.
Fabula iucundi nulla est sine amore Menandri:
Et solet hic pueris, virginibusq; legi.
Ilias ipsa quid est aliud, nisi adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumq; fuit?
Quid prius est illic flamma Chryseidos? aut quæ
Fecerit iratos rapta puella duces?
Aut quid Odyssea est, nisi fœmina propter amorem,
Dum vir abest, multis vna petita viris?
Quis nisi Mæonides Venerem, Martemque ligatos
Narrat in obscœno corpora prensa toro?

Unde, nisi indicio magni sciremus Homeri,
Hospitis igne duas incaluisse Deas?
OMNE GENVS SCRIPTI GRAVITATE TRAGOEDIA VINCIT:
Hæc quoque materiam semper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto est, nisi cæcæ flamma nouercæ?
Nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides agitante Cupidine currus,
Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis?
Tingeret vt ferrum natorum sanguine mater,
Concitus à læso fecit amore dolor:
Fecit amor subitas volucres cum pellice regem:
Quæq; suum luget nunc quoque mater Itym.
Si non Aëropen frater sceleratus amasset,
Auersos Solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electran, & egentem mentis Orestem,
Ægisthi crimen Tyndaridosq; legis.
Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ?
Quem letho fallax hospita pœnè dedit?
Quid loquar Hermionen? quid te Caneia virgo?
Téque Mycenæo Phœbas amata duci?
Quid Danaën? Danaique nurus, matremque Lyæi?
Alcmenam, & noctes, quæ coiëre duas?
Quid generum Peliæ? quid Theseæ? quíue Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iole, Pyrrhique parens, huc Herculis vxor,
Huc accedat Hylas, Iliadesq; puer.
Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes:
Vixq; meus capiet nomina nuda liber.
Est & in obscœnos deflexa Tragœdia risus:
Multáque præteriti verba pudoris habet.
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis fortia facta modis.
Iunxit Aristides Milesia crimina secum,
Pulsus Aristides nec tamen vrbe sua est.
Nec, qui descripsit corrumpi semina matrum,
Eubius impuræ conditor historiæ.
Nec, qui composuit nuper Sybaritida, fugit;
Nec, qui concubitus non tacuëre suos.

Suntq́ ea doctorum monumentis mista virorum,
Muneribusq́ ducum publica facta patent.
Néue peregrinis tantum defendar ab armis:
Et Romanus habet multa iocosa liber.
Vtq́ suo Martem cecinit grauis Ennius ore,
ENNIVS INGENIO MAXIMVS, ARTE RVDIS:
Explicat vt caussas rapidi Lucretius ignis,
Casurumque triplex vaticinatur opus:
Sic sua lasciuo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat:
Nec contentus ea, multos vulgauit amores.
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit exigui similisq́ licentia Calui,
Detexit variis qui sua facta modis.
Quid referam Ticidæ? quid Memmi carmen? apud quos
Rebus abest nomen, nominibusq́ pudor.
Cinna quoque his comes est: Cinnáque procacior Anser:
Et leue Cornifici, parque Catonis opus.
Et quorum libris modò dissimulata Perilla,
Nomine nunc legitur dicta Metelle tuo.
Is quoque Phasiacas Argo qui duxit in vndas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ.
Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui
Carmina: quis dubitet nomina tanta sequi?
Vertit Aristiden Sisenna: nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse iocos.
Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuisse mero.
Credere iuranti durum putat esse Tibullus,
Hoc etiam de se quod neget illa viro.
Fallere custodem demum docuisse fatetur:
Séque sua miserum nunc ait arte premi.
Sæpe velut gemmam dominæ signumq́ probaret,
Per caussam meminit se tetigisse manum.
Vtq́ refert, digitis sæpe est nutuque locutus:
Et tacitam mensæ duxit in orbe notam.
Et quibus è succis abeat de corpore liuor,
Impresso fieri qui solet ore, docet.
Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque vti seruet, peccet vt illa minus.

Scit cui latretur, cùm solus obambulet ipse,
Cui toties clausas excreet ante fores.
Multáque dat furti talis præcepta, docetqúe
Qua nuptæ possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi: legiturqúe Tibullus,
Et placet: & iam te principe notus erat.
Inuenies eadem blandi præcepta Properti:
Districtus minima nec tamen ille nota est.
His ego successi: quoniam præstantia candor
Nomina viuorum dissimulare iubet.
Non timui, (fateor) ne, quà tot iêre carinæ,
Naufraga seruatis omnibus vna foret.
Sunt aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hæc est ad nostros non leue crimen auos.
Quid valeant tali, quo possis plurima iactu
Fingere, damnosos effugiasq́ canes.
Tessera quos habeat numeros: distante vocato,
Mittere quo deceat, quo dare missa modo.
Discolor vt recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit.
Vt mage velle sequi sciat, & reuocare priorem:
Nec tutò fugiens incomitatus eat.
Parua sedet ternis instructa tabella lapillis:
In qua vicisse est continuisse suos.
QVIQVE ALII LVSVS (NEQVE ENIM NVNC PERSEQVAR OMNES)
PERDERE RÈM CARAM TEMPORA NOSTRA SOLENT.
Ecce canit formas alius, iactusq́ pilarum:
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.
Composita est aliis fuscandi cura coloris:
Hic epulis leges, hospitióque dedit.
Alter humum, de qua fingantur pocula, monstrat,
Quæq́ docet liquido testa sit apta mero.
Talia luduntur fumoso mense Decembri,
Quæ damno nulli composuisse fuit.
His ego deceptus, non tristia carmina feci:
Sed tristis nostros pœna secuta iocos.
Denique non video de tot scribentibus vnum,
Quem sua perdiderit Musa, repertus ego.
Quid si scripsissem mimos obscœna iocantes,
Qui semper vetiti crimen amoris habent?

In quibus aßiduè cultus procedit adulter,
Verbáque dat stulto callida nupta viro.
Nubilis hac virgo, matronáque, vírque, puérque
Spectat: & ex magna parte senatus adest.
Nec satis incestis temerari vocibus aures:
Assuescunt oculi multa pudenda pati.
Cumq́ fefellit amans aliqua nouitate maritum:
Plauditur, & magno palma fauore datur.
Quoque minus prodest, pœna est lucrosa poëtæ:
Tantáque non paruo crimina prætor emit.
Inspice ludorum sumptus Auguste tuorum,
Empta tibi magno talia multa leges.
Hæc tu spectasti, spectandáque sæpe dedisti:
Maiestas adeò comis vbique tua est.
Luminibusq́ tuis, totus quibus vtitur orbis,
Scenica vidisti lætus adulteria.
Scribere si fas est imitantes turpia mimos:
Materiæ minor est debita pœna meæ.
An genus hoc scripti faciunt sua pulpita tutum?
Quodq́ libet mimis, scena licere dedit?
Et mea sunt populo saltata poëmata sæpe:
Sæpe oculos etiam detinuêre tuos.
Scilicet in domibus vestris vt prisca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu:
Sic, quæ concubitus varios, Venerisq́ figuras
Exprimat, est aliquo parua tabella loco.
Vtque sedet vultu fassus Telamonius iram:
Inque oculis facinus barbara mater habet:
Sic madidos digitis siccat Venus vda capillos:
Et modò maternis tecta videtur aquis.
Bella sonant alij telis instructa cruentis:
Parsque tui generis, pars tua facta canit.
Inuida me spacio natura coërcuit arcto:
Ingenio vires exiguásque dedit.
Et tamen ille tuæ fœlix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Nec legitur pars vlla magis de corpore toto,
Quam non legitimo fœdere iunctus amor.
Phyllidis hic idem, tenerosque Amaryllidis ignes
Bucolicis iuuenis luserat antè modis.

Nos quoque iampridem scripto peccauimus isto:
Supplicium patitur non noua culpa nouum.
Carmináque edideram: cum te delicta notantem
Præterij toties irrequietus eques.
Ergo quæ iuueni mihi non nocitura putaui
Scripta parum prudens: nunc nocuêre seni.
Sera redundauit veteris vindicta libelli,
Distat & à meriti tempore pœna sui.
Ne tamen omne meum credas onus esse remissum,
Sæpe dedi nostræ grandia vela rati.
Sex ego Fastorum scripsi totidémq; libellos,
Cumq; suo finem mense volumen habet.
Idq; tuo nuper scriptum sub nomine Cæsar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.
Et dedimus Tragicis scriptum regale cothurnis:
Quaq; grauis debet verba cothurnus habet.
Dictáque sunt nobis, quamuis manus vltima cœpto
Defuit, in facies corpora versa nouas.
Atque vtinam reuoces animum paulisper ab ira,
Et vacuo iubeas hinc tibi pauca legi:
Pauca, quibus prima surgens ab origine mundi
In tua deduxi tempora Cæsar opus:
Aspiceres quantum dederis mihi pectoris ipse:
Quoque fauore animi téque tuosq; canam.
Non ego mordaci distrinxi carmine quenquam:
Nec meus vllius crimina versus habet.
Candidus à salibus suffusis felle refugi:
Nulla venenato littera mista ioco est.
Inter tot populi, tot scripti millia nostri,
Quem mea Calliope læserit, vnus ero.
Non igitur nostris vllum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse, malis.
Nec mihi credibile est quenquam insultare iacenti,
Gratia candori si qua relicta meo est.
His, precor, atque aliis possint tua numina flecti,
O pater, ô patriæ cura, salusq; tuæ.
Non vt in Ausoniam redeam: nisi forsitan olim,
Cùm longo pœna tempore victus eris.
Tutius exilium, paulóque quietius oro,
Vt par delicto sit mea pœna suo.

COMMENTARIVS.



QVID MIHI VOBISCVM. E. INFEL. CVRA LIB?] Primum hoc distichon æmulatus est Martialis libro 2.

Quid mihi vobiscum est, ô Phœbe, nouemq; sorores?
Ecce nocet vati Musa iocosa suo.

Libellos carminum deinceps scribendos infælicem curam vocat, quando per tales labores, & ingenium quo indiguit, iam ante pessum iuerit, & chara omnia perdiderit.

INGENIO PERII. Q. M. IPSE MEO] Paulùm infrà, *ingenio est pœna reperta meo.* Eleg. 5. lib. 3. de Ponto. *Læsus ab ingenio Naso poëta suo.* Et lib. 2. eleg. 7.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis,
Infelix perij dotibus ipse meis.

DAMNATAS MVSAS MEA CARMINA] Appositio est. Vtrum, cur repeto meas Musas damnata carmina: an, cur repeto mea carmina damnatas musas? Est enim ambiguum. Atqui non sunt omnia eius carmina, seu vniuersæ eius Musæ damnatæ. Sed mouendi lectoris rem auget.

AN SEMEL EST. P. COMMER. PARVM?] Satis esto semel pœnam, & quidem talem, tantamque incurrisse. Quid iterum, quod stultum est, in mea damna feror? Deinceps exponit, quomodo sibi carmina obfuerint.

VT ME COGNOSCERE VELL. FAEM. VIRQVE] vt me quoque prætereuntes digito monstrarent, vt de se Horat. Ode 3. lib. 4. Nominibus viri, & fœminæ crebrò poëtis totus populus significatur, qui sexu duplici continetur.

OMINE NON FAVSTO] Considerandum, quomodo ista eius noscitandi in populo cupiditas mali ominis fuerit. Credo, quod lasciuum carmen, multitudini gratum, ad mores corrumpendos valiturum, & ideo auctori suo malum apportaturum, augurari licuit. Nam si de casto carmine sermo est, cur inde omen infaustum?

VT ME, MORESQVE NOTARET MEOS] Ex arte amandi, & carminũ lasciuia Cæsar eum scriptorem petulantem, & hominem libidinosum indicauit, idque iam pridem, nempe priusquam videret illud quod vidit.

DEME MIHI STVD. &c.] Negat vllum in se crimen morum hærere. Omne peccatum suum esse scripta sua, non negat, quamuis non quæuis scripta.

ESSE NOCENS] non quod noceant, hoc enim inficiatur isto libro, nisi volenti: sed opponit hoc participium verbo *innocens*. & valet hîc *nocens* obnoxius culpæ. Est enim ἑλληνισμὸς, pro, esse nocentem. Horat. Ode 2. lib. 1. *patiens vocari Cæsaris vltor.* Et Ode 27. lib. 3. *Vxor inuicti Iouis esse nescis?* Catul. in phaselum. *Ait fuisse nauium celerrimus.* Virg. 2.

A Aeneid. *Sensit medios delapsus in hostes.* Propert. eleg. 6. lib. 1. *Iurabo & bis sex integer esse dies.* Demosthenes de falsa legat. καὶ τοσαύτης ἀνανδρίας, καὶ πονηρίας ὁμολογεῖτε ὑμεῖς εἶναι μεστοί. & tanta ignauia, atque improbitate confitemini vos esse pleni.

HOC PRETIVM VITAE VIGILAT. LAB.] Vita mea inculpata, laboresque mei tam seduli, quæ præmiis & honoribus pensari debuerant, acerbam mercedem retulerunt. Probus fui, & ingenium meum exercui vt perirem. Ah me miserum.

SI SAPERSM. D. ODIIS. IVRE SOROR.] Quia sapientis non est bis ad eundem lapidem offendere, vt ipsemet paulò pòst dicet. Iam hoc epitheton Musis tribuit etiam Tibull. eleg. 4. lib.
B 3. *Sed proles Semeles Bacchus, doctæq; sorores.* Et Catull. ad Ortalum.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Seuocat à doctis, Ortale, virginibus.

Sunt porrò IX. filiæ Iouis, & Mnemosynes, hoc est memoriæ: quarum hæc vocabula. Calliope, Clio, Euterpe, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Vranie, Thalia. A locis, mõtibus, fontibus cognominantur Pierides, Olympiades, Pimpleides, Castalides, Thespiades.

Hanc autem, vt videtur, ἀλογιστίαν suam, & lib. 4. eleg. 1. confessus est.

Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa sacrorum,
Et carmen demens carmine læsus amo.

C NVMSN. CVLT. PERNICIOS. SVO] lib. 5. eleg. 13.

Pace nouem vestra liceat dixisse sorores,
Vos estis nostræ maxima caussa fugæ.

TANTA. M. COMES EST INSAN. MORBO] Et morbus, & insaniæ morbus me occupat, resumentem scriptionem poëticam, quia non desino me perditum perdere. Eleg. 10. lib. 1. *Seu stupor huic studio, siue est insania nomen.*

MEMOR] sciens & volens, quod tanto minus ignoscendum.

SAXA REF. RVRIVS AD ICTA PED.] In Monostichis.

Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.
Sapientis haud est bis in eodem offendere.

C Vide etiam prouerb. Veniam primo experienti.

VT VICTVS REP. GLADIAT. AREN.] Eleg. 6. lib. 1. de P.

Sancius eiurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.

Solum arena consternebatur, quo fixius consisterent, qui digladiabantur. Infra. *Martia cum durum sternit arena solum.* Prouerbij speciem habet, in arenam descendere, quo crebrò vtimur, cum disputationes, & controuersias, sermonumq; pugnas, & lites significamus. Gladiatorium munus

primùm

primùm Romæ datum est in foro boario, Appio Claud. M. Fuluio Coss. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando. Valerius lib. 2. cap. 4. anno scilicet vrbis 489.

ET REDIT IN TVMID. NAVFRAG. PVPP. A Q.] Suprà Pub. Syrus. Immeritò Neptunum accusat qui iterum naufragium facit. Mercatores quassas rates reficere, & appetentes lucri maria reuisere, ait Horat. Ode 1. lib. 1.

TEVTHRANTIA REGNA TENENTI] Telepho regi Mysiæ, cui ante Teuthras, siue Teuthrãtus præfuit. Diodorus lib. 5.

RES EADEM VVLN. OPEMQVE FERET] Lib. 1. eleg. 1.

Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit
Solus Achilleo tollere more potest.

Vide, si placet, ibidem annotata.

MVSAQVE QVAE MOVIT IRAM] Musa impudica.

MOTAM QVOQVE LENIET IRAM] mutato cantu. Sicut Timotheus Musicus mutatis tibię modulis Alexandrum M. ab animo placidissimo ad iratum, ac furentem, rursumque ab irato, & furioso ad placidum, & tranquillum perducebat.

EXORANT MAG. CARM. SAEPE DEOS] Et àb Ethnicis, & à Christianis compositę sacrę preces, fermè versibus, & hymnis constant: vt nimirum illa numerorum mollities, & artificiosa verborum conclusio, ac suauitas orationis etiam sacratissimo numini flectendo aptior videatur. *Carmine dij superi, placantur carmine manes*, Horatius epist. 1. lib. 2.

CARMINA TVRRIG. DICERE IVSSIT OPI] Auctoritate, & iudicio Cæsaris axioma suum confirmat. Opalia in huius deæ honorem instituta agebantur XIV. Kalend. Ianuarij, mense, puta, Decembri, coactis iam agrorum fœtibus. Ac primùm quidem communiter ipsi, & Saturno, cuius vxor habebatur, quod fructuum, ac frugum repertores crederentur: postmodum Opi tantùm. Terram porrò vocarunt Opim, quod eius ope hominum vitæ alimenta quærerentur: vel ab opere, per quod fructus, frugesq; nascuntur. Huic deæ sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes, & ipsam matrem esse terram mortalibus appetendam. Macrob. Saturnal. 1. cap. 10. Ideo autem turritam coronam gestat, quia cùm terra sit, terra turritas gerit vrbes. Sed cum Saturnalia à die XIV. Kal. Ianuarij in XVI. migrarint, correctis à C. Cæsare Fastis, & Decembri duobus diebus adiectis, Opalia diem suum retinuerunt. Opis item eadem quæ Berecynthia, & Idæa, & Cybele, & Deûm mater, cui verticem turrigerum tribuunt Propertius, Claudianus, Lucanus, noster in Fastis. In 4. quidem sic, vbi & caussam huius πυργοφορίας indicat.

Aut cur turrifera caput est onerata corona?
An primis turres vrbibus illa dedit?

A Aliam. Virg. lib. 10. *Alma parens Idæa deûm, cui Dyndima cordi, Turrigeræq; vrbes.*

IVSSERAT ET PHOEBI DICI, &c.] Canebatur carmen sæculare Apollini, & Dianę tanquam diis ἀλεξικάκοις, & ἀποτροπαίοις malorum depulsoribus. Et quia irati, atq; offensi vehementer noxij sunt. Itẽ, quia Troianis quondam amici. Quamobrem à Romanis eorum posteris reuerentius colebantur. Tales hymni duo extant apud Horatium lib. 1. Ode 21. & Epod. vlt. Vnus apud Catullum in Dianam solam.

QVOS AETAS ASP. VNA SEMEL] Ludi sæculares iuxta quosdam centesimo quoque anno fiebant: vt sæculum spatio centum annorum definiatur. Secundùm alios centesimo decimo, vt

B intelligamus sæculum tot annorum. Consule libellum Onuphrij de sęculo, & ludis sæcularibus: & Censorinum de die natali cap. 5.

HIS EXEMPLIS] Deorum, quibus iussisti carmina dicere, & eos populo Romano propitiare.

FIAT AB INGEN. MOLLIOR IRA MEO] mollescat tuus quoq; animus carminibus meis, quæ nunc ad te supplex conscribo, quando & dij carmine leniuntur. Ingenio pro carmine, caussa pro effectu μετωνυμικῶς.

NEC ME MERVISSE NEGABO] Confessio culpæ apud Deum certa est impetratio veniæ. Apud homines in iuditiis est prouocatio pœnæ. Apud Principes magnanimos, nec inhumanos,

C quibus veniam petisse sufficit, est supplicij condonatio.

NON ADEO NOST. FVG. AB ORE PVD.] Os, id est, vultus, ac frons maximè pudoris sedes est. Hinc os impudens, durum, ferreum, os amisisse, quo ore, & simlia. Cicero in Verrem: Os hominis, insignemque impudentiam cognoscite. Et pro C. Rabirio. Quod haberet os, quam audaciam? pudor porrò rubore declaratur. Terent. And. *Vide, num eius color pudoris signum vsquam indicat?*

NISI PECCASS. TV. Q. CONCED. POSSES?] Materia, & occasio exercendæ clementiæ factum est tibi peccatum meum, vt sequitur. Illustrat virtutem tuam culpa mea. Et quoniam

D Christiani bonum, ac mitem habemus dominum, patientem, & multæ misericordiæ, ideo quidam & sępius, & flagitiosius peccant. Sed malum magnum peccare in spe. Non enim Deus ideo clemens est, vt nos simus scelerati, quò ita habeat quæ ignoscat. Bonis quippe nostris non eget, nedum flagitiis.

SI QVOTIES PECC. HOM. S. FVLM. MITT. IVP.] Fulmine iaciendo fingitur Iupiter vindicare in homines, tueriqụe maiestatem suam. Fulmine enim nihil formidabilius. Xiphilin. in Augusto. Si quis omnibus sceleribus iustas, & debitas pœnas constituat, is certè magnam partem hominum breui temporis spatio videbitur perdidisse. De Deo autem Lact. de ira Dei, cap. 20.

Immo,

Immo, inquit, si irascitur Deus, statim debuit vindicare, & pro merito quemque punire. At enim, si id faceret, nemo superesset. A Deo subiecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus, vt nisi huic Deus parceret, nimium fortasse pauci viuerent. Propter hanc caussam patientissimus est, & iram suam continet. Apud Statium 1. Thebaid. querimonia Iouis exponitur super frequentatis hominum sceleribus, quibus coërcendis nulla iam pœna sufficiat: seseque fulminibus toties iaciendis iam defatigatum, nec suppetere amplius quæ iaciat.

Terrarum delicta, nec exuperabile diris
Ingenium mortale queror. quonam vsque nocentum
Exigor in pœnas? tædet sæuire corusco
Fulmine. iam pridem cyclopum operosa fatiscunt
Brachia, & Æoliis desunt incudibus ignes.

Sapienter scriptum est ab Augustino, omnis malus aut ideo viuit (hoc est à Deo viuere sinitur) vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per eum bonus exerceatur. Nam vt flagellum Dei (per malos scilicet) erudit bonos: sic eiusdem patientia ad pœnitentiam inuitat malos. Qui sæpius peccant, inquit apud Stobæum Chrysost. metuere, & vereri debent: augentur enim illis supplicia per supplicij tarditatem, & diuinam lenitatem. Idem Homil. 6. ad populum Antiochenum, magnum supplicium est peccare, etiamsi non puniaris: peccata enim nos à Deo separant. Ibid. quomodo beati sint, qui peccantes puniuntur, quibusdam similitudinibus ostendit. Et Homilia sequenti, Deum esse bonum docet, etiam cum punit.

Extovo temp. inermis erit] Tanta est quotidie plurima peccantium multitudo. Sunt autem hæc arma illius, quibus bello giganteo se tutatus est. 1. Metamorph. *cui dextra trisulcis Ignibus armata est.*

Nunc vel detonvit] postquam tonitrua tantum edidit. Vnde ὑψιβρεμέτης Hesiodo, Latinis altitonans.

Strepitvque exterrvit orbem] Concutiuntur animi fragoribus illis cælestibus, & pauescunt. Virgil. 4. Aeneid. *cæcique in nubibus ignes Terrificant animos, & inania murmura miscent.* Horat. Ode 2. lib. 1.

Iam satis terris niuis atque diræ
Grandinis misit pater. & rubente
Dextera sacras iaculatus arces,
Terruit vrbem
Terruit gentes, &c.

Satis igitur habet Iupiter, sæpe solis tonitribus minari tantum, & terrefacere mortales.

Pvrvm aëra] Serenum cælum, absque vlla nube, sudum, Liquidum, cum it sine fæce dies, vt habet Martialis. Purum absolutè dixit Virgilius Georg. 2. *& dum se lætus ad auras Palmes agit, laxis per purum immissus habenis.* Et Horat. Ode 34. lib. 1.

——————namque diespiter
Igni corusco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonantes

A *Egit equos, volucremque currum.*

Αἰθρίας nominant Græci: Tibull. *vt puro testantur sidera cælo.* Virgil. lib. 9. *Arma inter nubes, cæli regione serena Per sudum rutilare vident.*

Discvssis aqvis] dissipatis, fugatis nimbis, & nubibus aqua grauidis. Virgil. 1. Aeneid. *Collectasque fugat nubes, solemque reducit.* Ibid. de Ioue. *vultu quo cælum, tempestatesque serenat.*

Genitorqve Devm] Genitor ἁπλῶς. Virgil. lib. 12. *Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.* Et rursum. *His actis aliud genitor secum ipse volutat.* Et lib. 8. *hominum sator atque deorum.*

Rectorqve] 1. Metamorph. Iupiter ipse in concilio deorum, *qui vos habeoque regoque.* Ibid. *Nec superum rector mala tanta. &c.* Et 2. *Ille pater, rectorque*
B *Deûm.* Virgil. lib. 8. *At vos ô superi, & diuum tu maxime rector.*

Capax mvnd. nil Iove m. hab.] Noster. *& quid Ioue maius habetur?* Horat. Ode 12. lib. 1.

Vnde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum.

Mundus hoc loco pro eo, quod Lucretius Omne, Cicero vniuersum, Græci τὸ πᾶν: non autem pro eo quod illi οἰκουμένην. De cæli amplitudine, & capacitate Plin. lib. 2. cap. 1.

Tv qvoqve cvm pat. rect. d. paterqve] Martial. lib. spectacul. in Domitianum.

Vox diuersa sonat, populorum est vox tamen vna,
Cum verus patriæ diceris esse pater.

Ille est pater, & rector deorum: tu rector, & pater
C patriæ. Qualis ille est mundo, seu mortalium generi, quod reum sæpius terret, quam punit: talis tu esto ciuibus tuis, & moderationem tuam in eorum vitiis, & peccatis exere. Sueton. cap. 58. Patris patriæ cognomen vniuersi repentino, maximoque consensu detulerunt ei. Lege cætera. Dabat hoc nomen eam in ciues potestatem, quam haberent patres in liberos. Veruntamen non ea de caussa initio decretum est Augusto: sed vt admoueretur, vt quibus præesset, eos non secus atque liberos amaret, & vt ipse à ciuibus patris loco coleretur. Ita Xiphilin. Hoc cognomen Tiberium recusasse, auctor est Sueton. cap. 26. Tam gloriosa appellatio primo obtigit Ciceroni, si Plinio credimus lib. 4. cap. 30. ita eum compel-
D lanti. Salue, primus omnium patriæ parens appellate. Primus omnium ita dictus est in senatu à Q. Catulo principe senatus. Eodem illum nomine pro concione appellauit Cato, & vniuersus populus acclamauit. Appian. 2. Ciuil. Libet addere Horat. cuius hæc sunt ad Augustum. Ode 5. lib. 4.

Diuis orte bonis optime Romulæ
Custos gentis, abes iam nimium diu,
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio redi.
Lucem redde tuæ, dux bone patriæ.
Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

Idqve facis] Correctio, quam probat exemplis à maioribus comparatione,eaque ad rem suam trahit. Sic cùm quempiam hortamur ad aliquid, quod ei non facere turpe sit, addere solemus, quod facis, sicuti facis. Exempla occurrunt in epistolis Ciceronis.

Nec te modeatius vnqvam,&c.] Cic. pro M. Marcello etiam in Iulio tantum in summa omnium rerum potestate modum admiratur. Xiphil. ita de Augusto. Natura quidem certè crudelis non erat, in moribus patris edoctus: præterea modò ad res gerendas accesserat: nec cur odio ciues haberet, caussa erat: denique ipse diligi, & amari cupiebat: qui rerum potitus, ex quo tempore regnum habuit, non solum nihil tale commisit, sed multos etiam conseruauit. B Plura videbis infrà ad illud. *Sic cur se victum gaudeat hostis habet.*

Imperii fraena tenens] De Tiberio eleg. 14. lib. 4. de P. *Qui frena rogatus saepe recusati ceperit imperij.* Habenæ, fræna ad potestatem, & imperium exprimendum frequenter accommodantur, ab equis sumpta. 1. Aeneid. *Iustitiaq; dedit gentes frenare superbas.* Stat. 1. Thebaid. Domitianum Vespas. F. appellans, *maneas hominum contentus habenis.* Martial. lib. 5. *Cui pater aeternas post secula tradat habenas.* Stat. 2. Thebaid. *maneas hominum contentus habenis.* Prodigia, quæ ante, & post ortum futuram illius magnitudinem, fælicitatemque perpetuam nuntiarint, exsequitur Sueton. cap. 94.

Potvit tenere] Periphrasis poëtica, pro tenuit. Vide Canteri lib. 2. cap. 2. quo elegans verbi *possum* vsus, allatis in medium poëtarum locis explicatur.

Tv veniam Partho, & saepe dedisti] Sueton. cap. 21. Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidesq; insuper obtulerunt. Denique pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum comprobauerunt. De obsidibus Romam missis idem cap. 43.

Non concessvr. q. tibi victor erat] quia barbarus, & victoria, barbaros præsertim, qui veræ laudis gustum non habent, insolentes facit.

Divitiis etiam m. et hon. avctos, &c.] Locum hunc exponent, & illustrabunt verba Suetonij ex cap. 51. Clementiæ, ciuilitatisque eius multa, & magna documenta sunt. Ne enumerem quot, & quos diuersarum partium venia, & incolumitate donatos, principem etiam in ciuitate locum tenere passus sit: Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum, è plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exilio punire satis habuit, cum ille Agrippæ iuuenis nomine asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset: hic conuiuio pleno proclamasset, neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum, &c. De Philopæmene, qui Titum Iunium inimicum A Cæsaris proscriptum in arca occultauerat, quod capitale erat, in equestrem ordinem data venia perducto Xiphilin. Idem. Cn. Cornelius Pompeij M. nepos ex filia, præter alios ei insidias fecit, quem, persuasus à Liuia, vt reos omnes dimitteret, verbis duntaxat admonitos, postea consulem designauit. Laudat hinc Iulium M. Tull. in Marcelliana. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem: sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. Addo locum ex Velleio, lib. 2. fuitque & fortuna, & clementia Cæsaris dignum, quod nemo ex iis qui contra eum arma tulerant, ab eo iussu eius est interemptus.

Qvaeqve dies bellvm, bell. t. f. iram] lib. 5. eleg. 2.

Ille Deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Saepe suo victor lenis in hoste fuit.

Cicer. de Iulio. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. Capta quidem Perusia, ira eius (Augusti inquam) non est finita: in plurimos enim animaduertit, orare veniam, vel excusare se conantibus vna voce occurrens, moriendum esse. Scribunt quidam trecentos ex dedititiis electos, vtriusque ordinis, ad aram D. Iulio extructam, Idib. Martiis hostiarum more mactatos. C Hæc Sueton. cap. 15. Vide præterea cap. 13. 17. 27. & ex iis disce mitissimum hunc Imp. non omnibus supplicibus ignouisse. In eadem orat. pro Marcello inquam, vituperat orator ciues, vt ingratos, & iniustos, qui armorum periculo liberati, animum tamen retinent armatum.

Templis dona tvlit] Augustus victor pro victoria de hostibus *χαριστήρια*: victi, pro salute, & incolumitate *σωτήρια*.

Vtqve tvvs gavdet miles] Varro 4. de ling. lat. Milites, quod trium millium primo legio fiebat, ac singulæ tribus, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum singula millia militum mittebant. Festus autem, militem Aelius, inquit, à mollitia *κατ᾽ ἀντίφρασιν* dictum putat, quod nihil D molle gerat; vt ludum, in quo minimè luditur.

Sic cvr se victvm gavd. hostis] Sueton. cap. 21. tantumque abfuit à cupiditate quoquo modo imperium, vel bellicam gloriam augendi, vt quorundam barbarorum Principes in æde Martis vltoris iurare coëgerit, mansuros se in fide, ac pace quam peterent: à quibusdam verò nouum genus obsidum fœminas exigere tentauerit: quod negligere marium pignora sentiebat. Et tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties vellent, obsides recipiendi. Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes grauiore vnquam multatus est pœna, quam vt captiuos sub lege venundaret, ne in vicina regione seruirent, neue intra XXX. annum liberarentur.

Qua

Quà virtutis, moderationisque fama Indos etiam, Scythasque auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populiq; Romani vltro per legatos expetendam. Hactenus Sueton. Darius rex diis gratias egit, quod sibi Alexandrum hostem dedissent; eius humanitate in se victum, & suos commotus videlicet. Curtius an Arrianus de rebus Alexandri.

CAVSSA MEA EST MELIOR] non quidem bona, quando quidem suprà fassus est, eius iram esse iustam, quam meruerit: sed ex contentione certè minus mala. Multum enim interest, vtrum aliquem casu, & per imprudentiam, an sciens, & volens offendas, & tam grauiter quidem, vt caput eius petas.

B HOSTILES OPES] Opes numero tantum plurali diuitias sonant. Virgil. 2. Aeneid. *Troianas vt opes, & lamentabile regnum Eruerint Danai.* Numero singulari tantùm, auxilium. Terent. *Iuno Lucina fer opem.* Vtroque numero possibilitatem. Seruius. Possibilitatis nomine intellige potentiam, copias, facultates. Cic. 2. Off. Bargulus latro magnas opes habuit, & multo maiores Viriatus. 2. contra Rull. Pompeius omnes opes suas, & Reipub. ad Cæsarem detulit. Plaut. Capt. *Vis hostilis cum hoc opes meas fecit æquabiles.*

PAR TERTIA NVMINA IVRO] per cælum 3. Amor.

Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses,
Cur non & cælum tertia regna petis?

Numina vocat, quia numinis honorem ei habet, dum per illud iuramentum concipit. Plin. lib. 2. cap. 1. diuinitatem ei tribuit, vt quidam alij sanè impiè. Dici etiam poterit, positum continens pro contento, & intelligenda numina marina, terrestria, & cælestia.

PAR TE PRAESENT. CONSPICVVMQVE DEVM] Virgilianus pastor eclog. 1.

Quid facerem? neque seruitio me exire licebat,
Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos.
Hic illum vidi iuuenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Horat. epist. 1. lib. 2.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq́; tuum per nomen ponimus aras.

Seruius in illud eclog. 1. *Namque erit ille mihi semper Deus, &c.* semper, & post mortem, & dum viuit. Alij enim Imperatores post mortem demum in numerum deorum referuntur: Augustus autem templa viuus emeruit. Quod de templis dicit, verissimum est. Vide Animaduers. Caussaboni in Ancyranum marmor. pag. 198. & quę diximus ad eleg. 9. lib. 4. de P. ibi, *coniuxq́; sacerdos.*

HVNC ANIMVM FAVISSE TIBI] Eleg. 2. lib. 1. *Quod, licet è minimis, demùi si fanimus illi.*

QVA SOLA POTVI MENTE] Facultates enim meę non ita magnę, & armis pro re ferendis non eram idoneus. Restabat ergo, vt solo animo, & voluntate tuus essem.

A OPTAVI PET. CAELEST. SID. TARDVS] Tardè, & serò in cælum redires, vnde huc ad nos delapsus. Quam diutissimè viueres. 2. Fast. *Dent tibi cælestes, quot tu cælestibus annos.* 15. Metamorph. legitur tale votum.

Tarda sit illa dies, & nostro serior æuo,
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto,
Accedat cælo.

Ibidem promissum Iouis ad Venerem.

Nec nisi cum senior similes æquauerit annos,
Æthereas sedes, cognataq́; sidera tanget.

Idem & Horat. optat, Ode 2. lib. 1.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini:
Néue te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater, atq; Princeps.

Affinia his sunt illa in extremo primo Georg.

Iam pridem nobis cæli te regia, Cæsar,
Inuidet, atq; hominum queritur curare triumphos.

PARSQVE FVI TVRBAE. P. PRECANT. IDEM] vnus inter multa millia parua pars est. Alio sensu partem magnam totum se fuisse dicit Aeneas lib. 2. quæ Troia cadente miserrima viderit.

ET PIA THVRA DEDI PRO TE] Pro sospitate tua non sine thure diis piè supplicaui.

IPSE QVOQVE ADIVVI TVA. VOTA MEIS] Præceptum Isocratis est ad Demonicum. τίμα τὸ δαιμόνιον ἀεὶ μὲν, μάλιστα δὲ μετὰ τῆς πόλεως. οὕτω γὰρ δόξεις ἅ-
C μα τοῖς θεοῖς θύειν, καὶ τοῖς νόμοις ἐμμένειν, cole numen assiduò, præsertim verò cum ciuibus communiter. Sic namque & diis sacrificare, & legibus obtemperare videberis.

LIBROS ILLOS QVOS CRIMINA DICIS] Libenter enim, & sæpius fatetur, scribendi illa arte amatoria se peccauisse. Est ergo appositio. Sensus hic. Cum alij mei libri, tum, quod minus putares, illi quoq; matæotechnici honorificam mentionem tui faciunt. Eleg. 1. lib. 1. de Ponto.

Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse,
Non caret è nostris vllus honore liber.

INSPICE MAIVS OPVS] Metamorphosin, & librorum numero (XV. enim sunt) & genere carminis, hexametri inquam, & rerum tractata-
D rum dignitate, & ingeniosa dispositione maius opus quam Tristium, quam de Ponto, quam Fastorum, quam lusus illos, & ineptias amatorias. Fastorum tamen, si superessent omnes, de materia haud quidquā illis Transformationum concederent, cum historias potius, & res graues, & Romanas antiquitates, quàm fabulas persequātur. Nam sub finem huius libri autumat se in eo quoque grandia vela dedisse rati, vt in tragœdia, & metamorphosi.

QVOD ADHVC SINE FINE RELIQVI] Absque vltima lima, vt ait lib. superiore, eleg. 6. cui manum vltimam nondum addidi. Id testatur eleg. 14. lib. 3. Nam alioqui ad sua tempora perpetuum carmen deduxit, id est, vsque ad Au-

gustum, quod initio 1. Met. promiserat. Alioqui falsò pronuntiasset in extremo, *Iamque opus exegi.*

In non cred. corp. versa modos] non credendis modis corpora conuersa, & immutata. Et quoniam maior pars illius operis in huiusmodi fabulosis metamorphosibus consumitur, inde nomen obtinuit aut *μεταμορφώσεως*: aut numero plurium, *μεταμορφώσεων*. Certant enim super hoc eruditi.

Invenies vestri precon. nom. illic] Statim in 1. *Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum, &c.* de repressa aduersus illum coniuratione. Et libro vltimo, vt paulò ante diximus, vbi multis versibus Iupiter Veneri eius imperium, & bellicas victorias prædicit. Quod de apotheosi Iulij ibidem narratur, id nihilominus ad Augustum quoque filium adoptatitium pertinet.

Animi pignora multa mei] Argumenta meæ in te pietatis. 2. Metamorph.

Scilicet vt nostro genitum te sanguine credas
Pignora certa petis: do pignora certa timendo.

Non tua carminib. m. fit gloria] Virgilio hoc tribuit Quintilianus, eius gloriam nullius laudatione posse crescere, nullius vituperatione minui. *ἀνθυποφορὰ* est, cui mox occurrit, prolato exemplo Iouis, cuius fama, & gloria cum immensa sit (hoc enim sibi vult verbum *superest*) patitur tamen se adhuc laudari, & poëtarum versibus celebrari, nec officium, quanquam superuacaneum, vt apparet, aspernatur.

Fama Iovis superest] Lego *Ioui*, tertio casu, hoc sensu. Iupiter ita est celebratus, & decantatus, vt de laudibus illi supersit potius, quã desit. De verbo *superesse* fusè disputat Gellius lib. 1. cap. 22.

Et se mater. carminis esse ivvat] Euripides Hippolyto & hoc habere deos affirmat, vt lætentur cum ab hominibus honorantur.

Ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν φύσει τόδε,
Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.
Gaudent honore dij quoq; perinde vt homines.

Gigantaei praelia belli] de quo 1. Metamorph.

Neue foret terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes,
Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.
At pater omnipotens misso perfregit olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossæ.

Meminit & Virgil. 1. Georg. Scripsit Gigantomachiam Claudian. breuiter, si modo poëma est *γελοῖον*.

Credib. est laetum laud. esse suis] Tam credibile, quam alia multa, quæ de illo humanitus dicuntur. Quis autem nostrûm est, qui se laudari non gaudeat? vtinam non nisi à laudatis viris. Nam qui vulgo placent, sapientibus plerumque displicent. Et quis fuit ille, qui cum se à pluribus laudatum audiret, quid, inquit, mali commisi?

Qvanto decet ore] quanto dignum est verborum pondere, & magnificentia. Silius de Achille, Homeri versibus inclyto.

Felix Æacide, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi: creuit tua carmine virtus.

Virgil. 3. Georg. *magno nunc ore sonandum.*

Ingenio vberiore] ad amplificandum, ornandum, illustrandum magis apto, quam meum sit: quo tamen (pace obtrectatorum illius dixerim) nullum fuit vberius, fœcundius, & facundius. Potest huc referri initium Odes 6. lib. 1. apud Horatium ad Agrippam.

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor, Mæonij carminis alite,
Quam rem cunq; ferox nauibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Cic. pro M. Marcello. Nullius est tantum flumen ingenij, &c. Epist. 8. lib. 4. non ita abundo ingenio, vt te consoler, cum ipse me nõ possim. Eiusdem sunt, vbertas dicendi, vbertas orationis.

Vt fuso taurorum sanguine centum] Metamorph. 8. *Vota Ioui Minos taurorum sanguine centum Soluit.* *ἑκατόμβην* intellige, id est, sacrificium centum bobus constans, aut centum pecudibus, vt etiam oues, & capras includamus. Alij intelligunt sacrificium *ἐξ ἑκατὸν βάσεων*, id est, *ποδῶν*, in quo mactata animalia quadrupedia XXV. quorum pedes C. Alij finitum numerum pro infinito acceperunt. A Capitolino in vita Maximini aliter describitur.

Sic capit. minim. thur. hon. Deus] Tibull. lib. 4.

Paruaq; cælestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoq; sit gratus paruus labor, vt tibi possim
Inde alios, aliosq; memor componere versus.

Continent eandem sententiam illa Horatiana lib. 3. Ode 23.

——————te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Paruos coronantem marino
Rore deos, fragiliq; myrto
Immunis aram si tetigit manus
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

Philostratus in vita Apollonij lib. 1. cap. 1. refert Pythagoram nullum diis animal sacrificandum censuisse, quod nefas duceret, eorum aras sanguine fœdari; sed libis mellitis, thureq́ue, & laudationibus magis vtendum esse. Et ipse talia offerebat, aiebatq; compertum sibi, deos immortales huiusmodi sacris longè magis, quam hecatombe, quamq́ue in canistro cultro gaudere. Se enim aliquando deorum concilio interfuisse, atque ab iis didicisse, quæ illis grata, quæ contra haberentur.

Nimium crudeliter hostis] legi potest etiam *nimio crudelior*, pro crudelissimus.

Delicias meas] non quidem nunc; sed

quæ

quę fuerunt aliquando, quibus me oblectabam. Aut simpliciter, amores enim de quibus scripsit, sunt deliciæ: sed sordidæ, & tam fellis quam mellis pleuæ.

Carmina ne nostris sic te, &c.] Qui legerit tibi libros meos amatorios (quod nō nisi maleuolentissimus faciet) is cum te iratum mihi denuo reddiderit, efficiet vt de aliis quoq; libris meis, & carminibus, quibus te effero, minus candidè, ac sincerè iudices. Ira enim iudicium peruertit, aut certè nubeculas offundit. *Impedit ira animum ne possit cernere verum.* Iuuenal. ni fallor.

Essa sed irato quis te mihi, &c.] Corrigit quod dixerat, inimicissimum sibi fore, qui ei amatoria sua recitaret. Te irato quem sperem amicum, cum populus vt plurimum iudicia Principum sequatur?

Vix tunc ipse mihi non inim.] vtcunque excusat populum, & communem in se inuidiam. Non debet ægrè ferre alios sibi non esse bonos, qui sibimet nequam fuit. Quia tamen imprudens illa scripsit, addit, *vix*.

Cum coepit quassata domus, &c.] Allegorica similitudine declarat, quantopere offenso Augusto omnes offenderit, & commune odium scriptis suis inuenerit. Augustus quasi quoddam signum dedit prodendi palàm, quod multi inclusum gerebant in pectore, quibus leuitas, & lasciuia Nasonis neutiquam arridebant. Egregia hac translatione in re multo grandiore vsus est Seruius Sulpit. ad Cic. epist. 5. lib. 4. Modo vno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciæ conquassatæ sunt.

Ipsa suo quaed. pond. tracta ruunt] In nonnullis exemplaribus legitur *quondam* pro *quadam*, eo intellectu, quo illud Virgilij 3. Georg. *Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit.* Et lib. 4. *Frigidus vt quondam syluis immurmurat Auster.* Nihilominus & nostram lectionem probat Ciofan.

Vultus tuos] Vultus index animi. Iram tuam, & indignationem aduersum me, vt placeret tibi. Cupidè enim populus Principibus adulatur factis, vbi verbis non potest. Quomodo autem debuit? Quia sic mos est.

Vitamque meam, moresque probabas] De moribus suis quod scriptum reliquit 1. de P. eleg. 6. *Quid potius facerem, etc.* Et lib. 4. *Sed quid nunc agam? &c.* non est huc referendum, vt facit Ciofan. Loquitur enim de moribus, & vita sua ante exilium, quam, vt crimine vacuam, etiam ipsi Augusto non displicuisse dicit. Augusto, inquam in transuectione equestri, de qua iam iam. In ea erat morum examen, accusabantur, citabantur, ignominiosè detrahebantur. Ait igitur, se, cum transiret, & prætereheretur equo sibi ab illo assignato, tacitè probatum August. nemine accusante. Lipsius de Militia lib. 1. Dialog. 5. pagin. 41.

Illo quem ded. praeter. equo] Probasse mores ipsius, argumento esse ait, quod ab eo, vt Censore, equo donatus sit. Loquitur autem de equo transuectionis. Nam quod apud Regillum lacum prosperè pugnatum esset auxilio Castorum, qui se militum oculis obiecerant, institutum est, vt idib. Quintil. quo die parta esset victoria, equites, qui equum publicum haberent, per centurias, & turmas diuisi, ordine equis insidentes veherentur omnes, quasi è pugna venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti, quas trabeas dicunt. Incipiunt autem ab ęde quadam Martis extra vrbem sita, transeuntesque cum alia loca vrbis, tum forum, & ædem Castorum prætereunt, interdum ad quinque virorum millia, gerentes præmia, & dona militaria, quæcunque à ducibus in bello acceperint. Egregium sanè, dignumque magnitudine imperij spectaculum. Hæc Dionys. lib. 6. De eadem lege Valerium Max. lib. 2. cap. 2. & Liuium lib. 9.

Quod si non prodest] ad purgationem, & testimonium integritatis meæ.

Et honesto gloria nulla redditur] & caret virtus mercede sua, quam nullam aliam præter laudem, & gloriam desiderat, vt est in orat. pro Archia.

At nullum crimen adeptus eram] viuebam tamen extra crimen. Et si non merebar honorem ob virtutem, non etiam merebar pœnam propter crimen.

Nec male commiss. est. n. f. reor] Aliud argumentum, quo docet se vixisse citra reprehensionem. Non enim centumuirale iudicium sibi commissum fuisset homini improbo. Nam magistratus mandantur tantum bonis viris.

Usque decem deciès insp. viris] Eleg. 5. lib. 3. de Ponto.

Vtq; fui solitus, sedissem forsitan vnus
De centum iudex in tua verba viris.

Centumuiralia iudicia, vt tradit Festus, à centumuiris dicta sunt. Nam cum essent Romæ 35. tribus, quæ & curiæ audiuerunt, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum, & centumuiri appellati. Et quamuis quinq; supra centum fuerint, tamen commoditatis caussa, vt in aliis fieri solitum est, & rotundius centum sunt nominati. Cicer. 1. de orat. Nam volitare in foro, hærere in iure, ac Prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate, & iure certatur, iactare se in caussis centumuiralibus, in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatū, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamētorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis, aut peregrinus, seruus, aut

liber quispiam sit ignoremus, insignis est impudentię,&c. Fusius Bud. in Pandect. Agitatas in eo iudicio caussas non graues discimus item ex Plinij epist. 14. lib. 2. Verum opinaris, inquit, distringor centumuiralibus caussis quæ me exterreur magis, quam delectant. Sunt enim pleræq; paruæ, & exiles. Raro incidit vel personarum claritate, vel negotij magnitudine insignis.

Res qvoqve privatas,&c.] Etiam priuata iudicia mihi cummissa sunt, in quibus ita me gessi, vt etiam qui caussa caderent, fidem, & integritatem meam prædicarent. Etsi vero in centumuiralibus quoque iudicaretur de priuatis, vt vidisti, nihilominus hic priuata opponuntur publicis: vt hæc de publicis criminibus fuerint, de repetundis, de maiestate, de proditione, de perduellione: illa de leuioribus, & priuatis seu criminibus, seu litibus, & controuersiis.

Si non extrema nocarent] Non quod ad extremum mores mutarit: sed quod tandem scriptorum suorum pœnas dederit, cum ob ea in omnium odium incurrisset, & ob aliquid visum ipsi Augusto se inuisum reddidisset.

Non semel] quia non semel quam bene de me existimares & donis, & honoribus mandandia testificatus es.

Vltima me perdvnt] Postremis temporibus aspectus ille infaustus euenit: amatoria composuit iuuenis, vnde & iuuenilia appellat. Sed id peccatum senex demum expiare cogitur, quod queritur sub finem.

Sera redundauit veteris vindicta libelli,
Distat & à meriti tempore pœna sui.
Ergo quæ iuueni mihi non nocitura putaui,
Scripta parum prudens nunc nocuere seni.

Imoqve svb æqvora mergit] Ducit allegoriam à nauigantibus, qua calamitatem suam 4. versibus [illegible] patefacit.

Omnes flvctvs, oceanvsqve] Istuc & ad ærumnæ ipsius molem, & ad multitudinis cum Augusto conspirantis odium trahi potest. In re dissimillima non admodum dissimiliter M. Tull. de Oratore in procemio. Et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos à communi (sic enim docti quidam legunt, omisso vocabulo *peste*: Græci enim remp. *τὸ κοινὸν* appellant, vt & ipse Cicero, commune, nō semel) depulsi, in nosmetipsos redundarunt.

Cvr aliqvid vidi,&c.] Crebrius, & grauius hanc noxam deplorat quam illam alteram, cui stultitiæ nomen imponit, vt huic erroris: quem, vt vides, ex imprudentia profectum ait. Hunc versiculum dolentes, &, si possunt, etiam lacrymantes sibimet occlamant, per quorum fenestras ingressa est mors: & quorum oculus deprędatus est animas eorum. Audi vel Lucretium salutariter suadentem lib. 4.

Nam vitare plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

A Cognata cvlpa] Vel res cuius cognitio mihi culpæ ducitur. Vel culpa non mea, sed Cæsaris. Et cum scelus magnum fuerit, tamen eleuat, & culpam nominat.

Inscivs Actæon vid.&c.] Comparat se cum Actæone, cui similiter, eum quanquam per imprudentiam, siue casu, ac fortuitò, Dianam in valle Gargaphie lauantem ex venatione vidisset, ea res exitio fuit, cum primum in ceruum ab ea mutatus, deinde à canibus suis dilaniatus sit. Fabula narratur 3. Metamorph. vbi Actæon sic excusatur.

At bene si quæras, fortunæ crimen in illo
Non scelus inuenies: quod enim scelus error haberet?

Præda fvit canib. non minvs] Per-
B inde ac si dedita opera eò spectatum aduenisset, deam nihil reueritus. De ista laniena ibid.

——————mersisq; in corpora rostris
Dilacerant falsi dominum sub imagine cerui.
Nec, nisi finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ.

Iure hinc Seneca in Oedipo Dianam nimium sęui pudoris vocat, cum potuerit pœnas repetere mitiores, cum præsertim qui peccarat, casu tantum peccaret. Pallas quoq; Tiresiam ob similem errorem cęcitate multauit tantùm, & inuita propemodum. Quare se non iniuria apud Callimachum in lauacro Dianæ clementiorem gloriatur: & Actæon apud Nonnum idcirco Palladem misericordem dicit. Delrius in Oedipum. Locos
C vtriusque poëtę habes apud Politianum Miscell. cap. 80. Verum enimuero, vt originem harum pœnarum intelligas, ait ipsa Minerua ibidem: Saturnij lege cautum, vt quicunq; mortalis immortalem iniussu eius aspexerit, pœnas ingenti mercede luat. Ad hanc legem doctè, & eleganter alludit. Obseruat Bernard. Annotat. cap. 5.

In svperis etiam fort. lvenda est] Quod tamen eorum natura indignum videtur, vt etiam fortuita, & quæ euitari, quia nec præuisa, non potuerunt, tanquam deliberata, & studio perpetrata vlciscantur. *Tantæne animis cælestibus iræ?* Turpe deos bonis, iustis, & humanis cedere hominibus.

Nec veniam. læ. nvm. cas. habet] Læ-
D so numine sic, vt peccato proximè, & solum numen lædatur, & iniuria maiestatem eius tangat, ac violet. Tale delictum, quamuis casu designatum, venia caret. Cætera ignoscuntur sæpe. Suprà, *si quoties peccant homines, &c.* Casus etiam in brutis animantibus est, fortuna tantum in hominibus, in quos cadit imprudentia. Deo nullus casus, nullus euentus est fortuitus: omnium enim caussarum effectus præuidet, ac vult quamque causam suis legibus vti: nobis autem fortuitus est, quia nobis latens, & obscurus est.

Qvo me mal. abstvlit error] Error quidam bonus est, cuius euentus vtilis, ac felix, sicut dolus, fortuna, &c. quidam malus, cuius infelix, ac noxius, vt iste. Rectè autem, *me ab-*

ftulit, hoc est, me mihi surripuit, me fefellit, me nec opinantem huc induxit. Alioqui error dicendus non esset.

SED SINE LABE] Periit familia nostra, non ampla illa quidem, & patens: sed honesta tamen, & in qua scelerum nihil aliquando repertum est, quo tanquam labe, ac macula turpi fœdaretur. Periit autem, quia propter me exulem paruipendi, ac despici cœpta est. Reputationem suam amisit, vt vulgus loquitur.

SIC QVOQVE PARVA TAMEN. F. DICAT. &c.] *ἐπανόρθωσις* eius quod de paruitate dixerat, per commendationem familię ab antiqua nobilitate, qua nulli cesserit.

ET NEQVE DIVITIIS, NEC PAVPERT. NOTANDA] Alia commendatio, à mediocritate fortunarum. Nec nimium est diues, nec nimium pauper, habet quod sufficiat. Seneca epistola 2. Quis sit diuitiarum modus quæris? primus, habere quod necesse est: proximus, quod sat est. Egestas est indigentia rerum omnium, earũ quoque quæ ad victum, cultumque corporis requiruntur. Inopia est defectus cum rerum necessariarum, tum etiam consilij, & amicorum. Paupertas est tenuitas rei familiaris, vitam arctè sustinens. Ita egestas plus est quam paupertas: inopia plus quam vtrumque istorum. Cic. in Paradox. Istam paupertatem, vel potius egestatem, ac mendicitatem tuam nunquam obscurè tulisti. Seneca ad Lucilium, non est quod paupertas nos à philosophia auocet, ne egestas quidem. Similiter, egẽs, cui necessaria desunt. Inops, qui est sine opibus & ope, atque auxilio. Pauper qui parum possidet, quasi parui laris. Sueton. Nerone. Inops atq; egens apud amitam Lepidam nutritus est. Plaut. Rud. *Sed hæ pauperes sunt, inopesq; puellæ.* Ouid. 1. de Arte. *Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.*

VNDE SIT IN NEVT. CONSPICIEND. EQVES] Tales facultates, nos equestris ordinis neutram in partem faciunt conspicuos, & insignes. Quod fieret, si non essent mediocres: sed in alteram partem modum excederent. Nasones porrò fuisse inter Equites, testatur & vltima lib. 4. Trist. & 4. de Ponto eleg. 8.

Seu genus excutias, Equites ab origine prima
Vsq; per innumeros inuenimur auos.

De hoc ordine multa Plin. lib. 33. cap. 1. & 2. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

SIT QVOQVE N. DOM. VEL CENSV. P. VEL ORTV] Ex hypothesi. Sed faciamus familiam, seu domum nostram vel infra censum equestrem esse, vel ignobilẽ ipsa origine, & maioribus. Equester census erat quadringenta sestertia, hoc est, decem millia Philippæorum.

INGENIO CERTE NON LATET ILLA MEO] certè ingenium meum, si nõ aliud, eam illustrat. Ego meorũ lumen, & honos. Sic gloriatur 1. Am.

Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina, nec nostri sanguinis auctor Eques,
Nec meus innumeris renouatur campus aratris,
Temperat & sumptus parcus vterq; parens:
At Phœbus, comitesq; nouem, vitisq; repertor
Hoc faciunt.

QVO VID. Q. NIM. IVVENIL. VSVS] Quos libros intelligat, in quibus pueriliter lasciuierit, non est obscurum. Profectò nimium iuueniliter.

GRANDE TAMEN. T. NOM. IN ORBE FERO] Nihilominus vbiq; terrarum pro ingeniosissimo prædicor, & scripta illa celebritati meæ nihil officiunt. Hoc verius euasit, postquam plura adhuc scripsit in exilio. Sæculis enim procedentibus toti mundo tot monumẽtis eius ingenium innotuit, quæ possim lectitari cœpta sunt. Quod sibi futurum vaticinatur ipse eleg. 9. lib. 4.

Ibit in occasum, quidquid dicetur ab ortu,
Testis & Hesperiæ vocis Eous erit.
Trans ego tellurem, trans altas audiar vndas, &c.

Sumit ergo superbiam quæsitam meritis, vt ait de sua Musa Horat. Ode 30. lib. 3. Iactat se quoque de sua per orbem gloria Martial. epist. 1. lib. 1.

Hic est quem legis ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis epigrammaton libellis.

TVRBAQVE DOCTOR. NASON. NOVIT] Notum, & familiarem esse doctis, magnifaciendũ, quoniam id ipsum eruditionis testimonium quoddam est. Vnusquisq; enim similem sibi diligit. Vide eleg. 10. lib. 4. Et hodie quoque turba doctorum Nasonem nouit, quod facile credet, qui doctorum libros euouerit, in quibus (etiam quod ad hoc volumen Tristium, & de Ponto attinet) multo sæpius quam ambo reliqui elegiographi producitur: adeo plus rerum seriarum, ac solidarum in hoc, quam in illis.

NON FASTIDIT. ANNVM. VIRIS] referre inter viros ingenio, doctrina, scriptis laudabiles, quos fastidire nemo potest: imo enim vero quos suspiciunt omnes, vt sit *πανόνυμος*.

CORRVIT HAEC IGITVR DOMVS] Regreditur ad superiora de ruina, & obscuratione familiæ suæ, quod malum errori suo adscribit.

MVSIS ACCEPTA] Musis chara, quia magnum in ea poëtam educarunt, qui ipsas à puero coluit, etiam inuito, ac renitẽte patre, vt est eleg. vlt. li. 4.

SVB VNO CRIMINE] Tamen infra, *Perdiderunt cum me duo crimina, carmen, & error.* Sed nominat quod sibi plus nocuit.

SED NON SCELVS] Miror errorem, & culpam imprudentiæ vocari magnum crimen. Sed dat hoc auribus Augusti, vt item mox sequentia.

SIC LAPSA EST VT SVRGERE, &c.] Non desperat dignitati, & honori suo restitui posse Nasones, si Augustus irasci desierit. Tunc enim, quasi in fructu, maturitatem suam eius ira adepta, nec quid agat amplius habere videbitur.

EMATVRVERIT] De aduerbio maturè, vnde maturo (nisi hoc ab illo potius) lege, si placet, Gell. lib. 10. cap. 11.

CVIVS IN EVENT. P. CLEM. TANTA] Pœ-

na mihi irrogata tantam habet clementiam. Adeo clementer actum est mecum, cum tantummodo relegatus sum.

Vt fverit. n. l'en. ira matv] mortem enim timebat: quam tamen exilio se præoptasse ait eleg. 4. lib. 1. Verùm illic voluntariam mortem intelligit, quam sibimet meditabatur. A quo consilio amici moniris deductus est, eleg. 4. lib. 1.

Qui mihi consilium viuendi mite dedisti,
Cum foret in misero pectore mortis amor.

Præterea in ipso exilio constitutus, propter eius atrocitatem iugulari vult, eleg. 8. lib. 3.

Tantus amor necis est, querar vt de Cæsaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas.

Vita data est.] Ex vulgi opinione, nihil horribilius, & magis fugiendum existimantia ipsa morte: cum sapiens magis horreat, & fugiat dedecus. Seneca de Clement. lib. 1. cap. 5. Seruare proprium est excellentia fortunæ: quę nunquam magis suspici debet, quam cum contingit illi idem posse quod dij, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali.

O Princeps parce viris. vse tvis] Et in hoc Deum Principes imitantur, qui non punit quantum potest, & quantum scelera nostra postularent. Paulus Iurecos. In omnibus quidem, maximè autem in iure æquitas spectanda est.

Acced. te non adim. pat. opes, &c.] Amplificat Cæsaris in se clementiam. Non modo non occidit, cum posset: sed nec patrimonio spoliauit (multabantur enim bonis suis exules) nec senatusconsulto, aut peculiari iudice me damnauit: tantùm durioribus verbis me corripuit: nec reditum ademit, cum me non exulem in edicto, sed relegatum vocet. Prædicat hæc etiam lib. 4. eleg. 4. & lib. 5. eleg. 12.

Nec mea selecto ivd.] Selecti iudices sunt præcipui, ἔκκριτοι, vel ad verbum, ἀπόλεκτοι. Vnde & selectæ sententiæ Ciceroni de nat. deor. lib. 1. Inde dij selecti, & præcipui S. Augustino ex Varrone lib. 1. cap. 2. Ciuit. Erant autem hi iudices ex ordine equestri. Meminerunt eorum Cic. in Cluentiana, in Verrē 4. & 5. Seneca lib. 3. de Benef. cap. 7. Hor, Ode 4. lib. 1. Vide Bud. in Pandect.

Tristib. invect. vers.] Lib. 2. de P. eleg. 7.

Quem non obruerit taciti quoq; Cæsaris ira?
Addita sunt pœnis aspera verba meis.

Ita Principe dignvm est] Nam manu quoque, & toto corpore in reum inuolare, graui etiam viro, ne dum Principe indignissimum est. Hoc sentire poëtā istis verbis arbitror. Difficile enim est ab inferiore, cui vehemēter iratus sis, & quem acerrimè obiurgites, temperare manibus.

Vltvs es offensas tvas] Pedibus, aut capite offendimus, quod nónulli dicunt impingere, parum latinè. Inde offensus, quarti ordinis, offensio, & offensa, quæ translatè irritamentum sonant. Propert. lib. 4. eleg. 12. *Vertet in offensas libera verba suas.* Cic. ep. 1. lib. 13. velim, si qua offensiuncula facta est animi tui peruersitate aliquorum.

A Qvamvis immite minaxqve] verbis asperioribus conscriptos.

Qvippe relegatvs non exvl dicor] Relegatū definire videtur Ouid. qui edicto tantùm Principis, non ademptis bonis, nec ciuitate, cum aliqua spe liberationis in exilium mittitur. Exulem, qui senatusconsulto, aut selecto iudice damnatus, suis facultatibus exut', in perpetuum vertere solum iubetur. Sed quemadmodū exilij nomen, inquit Muret. Obseruat. iuris cap. 2. in libris Iurisconsultorum sæpenumero mitius accipitur, & relegationē tantum significat: vt quoties exilium temporariū dicunt (non enim si propriē loqui velimus, potest quisquā ad tēpus exulare, neq; omnino ad tempus capite minui) sic & nomen relegationis
B aliquando durius, ac grauius accipiendū est, ita vt deportationē significet, &c.

Parcaqve fort. e. tibi verba meae] Paucis verbis perstringis, quid me fieri velis, vt edictum breue intelligamus: aut, fortunam meam parcè, verbo mitiore significas.

Sano, mentisq. potenti] non stulto, prudenti. Est sua sanitas animo, cum in eo viget ratio, & consilium: & qui est sanus animi, idem potens est mentis. Iuuenal. *Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.* Ast impotēs animus, seu homo impotentis animi, siue impotens, qui animo suo imperare, eumq; cobibere siue nō vult, siue propter habitum non potest, & affectibus suis huc illuc rapitur. Cic. de victoria ep. 9. li. 4. quę, etiam
C si ad meliores venit, tamē eos ferociores, impotentioresq; reddit. Et 1. Philip. quæ effrænatio impotentis animi. Et 4. Tuscul. Iidem inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi, à temperantia, & moderatione animi plurimum discedentem.

Qvam tanto displicvisse viro] Lib. 5. eleg. 12.

Maxima pœna mihi est ipsum offendisse, priusq;
Venisset mallem funeris hora mihi.

Horat. ep. 17. lib. 1. *Principibus placuisse viris non vltima laus est.* A contrario igitur, Principibus displicuisse, non carebit ignominia, nec periculo. Quanquam hîc vox *viro* magis sapientiam, & alias animi dotes in Cæsare, quam eius potentiæ ampli-
D tudinem denotat.

Solet interd. fieri placab. nvmen] Dij non semper irascuntur: nonnunquam precibus, & donis placantur: &, (quò spectauit Ouidius) magno, & præclaro viro nihil dignius est placabilitate, atq; clementia, vt est apud Cic. 1. de off. Etiam Deus noster, *cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Non enim in perpetuum irascetur,* vt est apud Amos, & Dauidem.

Nvbe solet pvlsa cand. ire dies] Similitudines duæ allegoricæ, à natura petitę, ad eliciendam Augusti misericordiam. Gemina his sunt illa Horatij Ode 9. lib. 2.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium

Vexant inæquales procellæ
Vsque, nec Armeniis in oris,
Amice Valge, stat glacies iners
Menses per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Pampin. oneratam vitib. vlmum] Vlmus, populus maritantur vitibus. Alibi. *Non hic pampineis amicitur vitibus vlmus.* Virgil. 1. Georg. *Vlmisq; adiungere vites.* Catull. *Aut si forte eadem est vlmo coniuncta marito.* Horat. Epod. Ode 2.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Plin. lib. 14. cap. 1. In Campano agro vites populis nubunt, maritasque complexæ, atque per ramos earũ procacibus brachiis geniculato cursu scandentes cacumina æquant. Plura in Symb. nostris.

Fulmine tacta Iovis] Propriè ponitur verbum tangere in iactu fulminis, diciturque aliquid de cęlo tangi, cum feritur fulmine. Virgil. eclog. 1. *de cælo tactas memini prædicere quercus.* Sueton. Domitiano. cap. 15. tactum de cælo Capitolium. Et Cato de re rust. cap. 14. si de cælo villa tacta sit.

Ipse licet sper. vetes, sperabim.] εἰς ἐλπίδα παρ' ἐλπίδα in spem præter spem. In monostichis.

Ἀνὴρ ἀτυχῶν σώζεται ταῖς ἐλπίσι.
Spes seruat hominem rebus in duris bona.

De Ponto lib. 1. eleg. 7.

Spes igitur menti pœnæ, Græcine, leuanda
Non est ex toto nulla relicta mihi.
Hæc dea cum fugerent sceleratas numina terras,
In diis inuisa sola remansit humo.

Hoc vnum fieri te prohib. potest] Liberæ sunt cogitationes nostræ, quas nemo intuetur nisi Deus. Plaut. Trinum.

Suspicio est in pectore alieno sita.
Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Ioui coronam de capite, è Capitolio,
Quod in culmine astat summo: si id non feceris,
Atque id tamen lubeat suspicarier,
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?

Quod hîc à Comico in vna re dictum est de suspicione, ad omne genus cogitationum trahi, generatim potest, & ad libertatem animi nostri, cui nemo nisi ipsemet sibi imperitat. Epictetus. Rerum quædam in potestate nostra sunt, quædam non sunt. In nostra potestate sunt opinio, appetitio, desiderium, & vt vno complectar verbo, quælibet nostræ actiones. Idem paulò pòst. Ac ea quidem quæ nobis parent, libera sunt natura sua: nec prohiberi ab vllo, nec impediri possunt.

Spes mihi mag. svb. cvm te resp.] quem & hostes capitales experti sunt benignissimum.

Spes mihi resp. c. m. facta cadit] quis non videt palpationem? Suprà certè dixit, ex æquo & bono.

Caussa mea est melior, qui a non contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.

Et velvti vent. agitant. æq. &c.] Fluctus animi sui, & agitationem cum mari ventis agitato confert, parua cum magnis videlicet.

Æqualis rabies, contin. fvror] Ab animatis ad inanimum metaphora.

Sed modo svbsidvnt, &c.] Cũ de fluctus vehementia remittunt venti, translatè dicuntur subsidere, aut mitescere: ponere, & silere, cum omnino cessant. Virgil. 7. Aeneid. *Cum venti posuere, omnisq; repente resedit Fluctus.* Et lib. 10. *Tum Zephyri posuere, premit placida æquora pontus.*

Sic abevnt redevntqve mihi, &c.] ἀνταπόδοσις, qua fluctuationem suam inter spem, & metum indicat.

Per svperos igitvr] Longa obsecratio, per ea quæ ipsi Augusto grata, & chara sunt.

Qvi dant. t. longa, dab. temp.] Imperauit annis LVI. Addunt quidam menses 5. Ab Actiaca victoria solus rempub. tenuit annos 44. Triumuir cum M. Antonio, & M. Lepido primùm: deinde cum Antonio solo annos 10. Vt Sueton. fere 12. quanquam idem cap. 29. tantum 10. habet. Triumuiratum cepit anno ætatis 19. aut 20. vt multo maior septuagenario decesserit.

Roman. si modo nomen amant] cui vita tua producenda maximè consultum volent.

Qvae te tvta, et secvra parente est] Sicut liberi tuti sunt viuis parentibus: ita patria, cuius tu renunciatus es pater, te viuo tuta est, & incolumis.

Cvivs et in pop. pars ego nvp.] Suprà. *Parsq; fui turba parua precantis idẽ.* Et li. 4. eleg. 2.

Plebs pia, cumq; pia lætatur plebe senatus,
Paruaq; cuius eram pars ego nuper Eques.

Sic tibi qvem semper factis, &c.] Et Græci, & Latini poëtæ consueuerunt cum petitione votum coniungere, & boni quippiam precari contrà, à quibus aliquid aut ipsi petunt, aut alios petentes introducunt, per particulam *sic.* Mitto Græcos. Virgil. eclog. 10.

Extremũ hunc, Arethusa, mihi concede laborẽ, &c.
Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.

Horat. Ode 3. lib. 1.

Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor,
Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera, &c.

Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Annue, sic tibi sint intonsi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Itaque & Ouid. mitius exilium impetrare cupiens, bona multa Augusto precatur.

Reddatvr gratae deb. vrb. honos] Colat te vrbs Romana honoribus quos mereris factis, & sapientia tua: atque ita rectori optimo gratam sese demonstret.

LIVIA SIC TECVM, &c.] Claudius Tiberius A
Nero cum iis fuit, qui se ad Antonium receperunt. Nam cùm haberet præsidia in Campania, intelligeretque Cæsarem bello superiorem fuisse, fugit cum Liuia Drusilla, filioque suo Claudio Tiberio Nerone, vt postea mira res accidisse videatur, quod Liuia Cæsari, quem ante fugerat, nupserit, atque Tiberius is, qui cum parentibus suis fugæ se mandauerat, Cæsari in imperio successerit. De concessa autem Liuia Augusto à Nerone sic scribit Sueton. Aug. cap. 62. & 63. quam à matrimonio Claudij Tiberij Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, ac probauit vnicè. Tiberio cap. 4. Cum quo (Nero cum Antonio) breui reconciliata inter omnes pace B
Romam rediit, vxoremque Liuiam Drusillam & tunc grauidam, & ante iam apud se filium enixam, petenti Augusto concessit. Nec multò post diem obiit, vtroque liberorum superstite, Tiberio, Drusoque Neronibus. Traditur item hanc Liuiam post Augusti excessum Iuliam appellatam. Videndus Causabon. Animaduersion. pag. 188. num. 11.

SOCIALES IMPLEAT ANNOS] Sic vocat annos coniugales. Probè. Coniux enim vitæ, & rerum omnium socia. *Mulier quam dedisti mihi sociam*, Genes. 3. Thori sociam poëtæ nominant. Et Liuius lib. 1. de Sabinis virginibus, quas Consualibus ludis Romani sibi pro vxoribus futuris rapuerant. Illas tamen in matrimonio, in societate C
fortunarum omnium, ciuitatisque, &, quo nihil charius humano generi sit, liberûm fore.

TECVM IMPLEAT] tecum degat absque diuortio, vsque ad extremum ætatis, Connubio stabili tecum iuncta sit, tuaque, & vnius sit propria.

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Verùm ex Liuia liberorum nihil tulit, cum maximè cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. Sueton. cap. 63. In eius osculis, & hac voce, Liuia, nostri coniugij memor viue & vale, eum defecisse, idem narrat cap. 99.

NISI TE NVLLO CONIVGE DIGNA] Eleg. 8. lib. 2. de Ponto. *Perque thori sociam, quæ par tibi sola reperta est.* Et eleg. 1. lib. 3. vbi pluribus laudatur. D

Quæ Veneris formam, mores Iunonis habendo,
Sola est cælesti digna reperta toro.

Mulier cata inprimis, vt eam Augustus stolatum Vlyssem appellaret. Vitam finiuit annum agens sextum & octogesimum. Aegrotantem Tiberius non visitauit. Vide Xiphilinum, qui refert, quòd multos senatores conseruasset, educasserque eorum liberos, ac complures filias eorum in matrimonium collocasset, nonnullos eam Matrem patriæ nominasse.

CAELEBS TE VITA DECERET] coniugij expers. Cælibem dictum existimant, quod dignam cælo vitam agat. Ita Festus. Sed castigator eius dictum arbitratur à κοίλιψ, carens concubitu, vt αἰγίλιψ carens capris, κερμίλιψ carens cauda. κοίτην κοῖτος, vnde ὀρεαῖος in montibus cubans.

SOSPITE SIC TE SIT NATVS] Tiberius, Liuiæ ex Tiberio Nerone filius, Augusti priuignus, & ab eo in filium adoptatus, ac successor destinatus. Sueton. Tiber. cap. 21. vbi refellit ab aliquibus traditum: vel expugnatum precibus vxoris (Liuiæ) adoptionem non abnuisse: vel etiam ambitione tractum, vt tali successore (tam scelesto) desiderabilior ipse quandoque fieret: sed circumspectissimum principem vitiis eius, virtutibusque perpensis, potiores duxisse virtutes, & Reipub. caussa adoptasse.

IMPER. REGAT CVM SEN. SENEX] In senectam vsque Diocletianus primus ita consortem Maximianum asciuit, vt cum eo imperium diuideret. Nam ante id tempus integrum, & indiuisum, etiam cum collega mansit. Duos autem Augustos simul esse ante M. Antonini tempora non est auditum.

TVI SIDVS IVVENILE NEPOTES] Caius, Lucius, Agrippa, ex Iulia filia tua, & genero Agrippa nati, qui sunt iuuentutis Romanæ sidera. Habuit ex eadem neptes duas, Iuliam, & Agrippinam. Illam L. Paulo Censoris filio, hanc Germanico sororis suæ nepoti collocauit. C. & Lucium adoptauit domi, per assem, & libram emptos à patre Agrippa, tenerosque adhuc ad curam Reipublicæ admonit: & coss. designatos, circum prouincias exercitusq; dimisit. Sueton. cap. 64. Sed C. & L. in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simulque priuignum Tiberium adoptauit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam breui, ob ingenium sordidum, ac ferox abdicauit, sepositque Surrentum. Idem cap. 85.

PER TVA, PERQVE TVI: F. PAR. SANT] te, & tuum patrem Iulium, à quo es adoptatus, imitentur, vestrisq; vestigiis inhæreant, id quod faciunt. Est autem etiam quoddam virtutis iter, cum aut in vna aliqua proficitur, Horat. epist. 2. lib. 2. *I bone quo virtus tua te vocat, i pede fausto*: aut ab vna in aliam proceditur.

ASSVETA TVIS VICTORIA CASTRIS] Hoc ex Suetonio claret, cap. 21. Domuit partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhætiam, Vindelicos, ac Salassos, gentes Inalpinas. Coërcuit & Dacorum incursiones, tribus eorũ ducibus cum magna copia cæsis, Germanosque vltra Albim fluuium summouit, &c. Et cap. 22. Ianum Quirinum semel atq; iterum à condita vrbe memoriam ante suam clausum, in multo breuiore temporis spatio, terra marique pace parta ter clusit. Bis ouans ingressus est vrbem, post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo

duo omnes. Non falsò igitur ait poëta, *assueta tuis victoria castris.*

NOTAQVE SIGNA PETAT] ad signa militaria iam nota, & familiaria etiam deinceps aduolet.

AVSONIVMQVE DVCEM] Reor Tiberium, pro Augusto bellum gerentem accipiendum.

NITIDIS CIRCVMVOLET ALIS] Victoriam deam pennigeram, seu alatam pingebant, quemadmodum Amorem, Irim, Musas, Sirenas, Mercurium, de qua re Plin. lib. 2. cap. 7. vt è cælo deuolantem ad eos, quos successibus suis ornare vellet: vt Dei donum, hominibus in terras missum. Vnde Auson. epig. 1. *Tu quoque ab æthereis præpes victoria lapsa.* Noster in Metam. *Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis.*

PONAT ET IN NITIDA. L. SERTA COMA] Duces Romani triumphales, antiquitus myrto coronabantur, postmodum lauro. Triumphales coronæ, inquit Gell. lib. 5. cap. 6. sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur aurum coronarium. Hæ antiquitus ex lauro erant, post fieri ex auro cœptæ. Festus. Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ erant. Ouid. 1. Metam. de lauro,

Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

In *nitida coma*, bene compta, & vnguentis delibuta.

CVIVS NVNC CORPORE PVGNAS] qui pro te corpus suum hostilibus armis exponit. Imperatorem ipsum non debere manum cum hoste conserere, prudenter disputat Onosand. in Strategico cap. 33. nisi summa prius adhibita diligentia: mortemque tum demum despicere incipiat, cum in periculum res suas venire viderit: ita vt & occisis copiis superstes esse nolit, iisque saluis, saluus quoque & sospes esse velit. Sæpenumero enim gloriosam ceterà victoriam mors Imperatoris valde afflixit: quique iam ferè prostrati fugatique erant, hostem sine Imper. esse cernentes, recuperatis paulatim animis consurrexerunt in prælia fortiores: qui verò fæliciter pugnauerant, animos abiecerunt, nimio Imperatoris interfecti desiderio anxij.

AVSPICIVM CVI DAS GRANDE] Nihil planè, in quo esset aliquod momentum, prisci homines sine auspiciis, & auguriis incœptabant. Inde sermones illi, bonis, malis auspiciis, auguriis aliquid geri. Et auspicatò, inauspicatò pro fæliciter infæliciter. Captantes autem huiusmodi auspicia, & auguria, de cælo seruare dicebantur. Pugnauit itaq; Tiberius non suis, verum Augusti auspiciis, hoc est, fælicitate illius adiutus, & fauentibus diis, qui fauerent, ac bene vellent ipsi Cæsari. Virg. 4. Aeneid. cum Aeneam sic loquentem facit, *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis*, verbum auspiciis pro voluntate accipit, hoc

A intellectu, si mihi vt volo, & opto res ex animi sententia constituere daretur, auspiciis quod cupio pollicentibus, ac desiderio meo non refragantibus. Sed parendū est fatis. &c. Q. Fab. Max. vt est in Cat. Cicer. cum esset augur, dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro reipub. salute fierent: quæ contra remp. fierent, contra auspicia fieri, Hector Polydamanti fratri Iliad. 2. suadenti augurem consulendum,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
Augurium felix patriam tutarier vnum.

DEOSQVE TVOS] ἐπεξήγησις. Explicat enim quid sit tradere alicui auspicium suum, siue gerere quippiam auspiciis alterius. Nempe, cum fauore, & auxilio deorum, alicui amicorum. Su-
B premus communissimus ducum est ipse Imp. à quo ciues, socij, equites, pedites, deniq; omnes, & omnia pendent. Is non ductum solum, sed etiam auspicia habet. Sueton. de Aug. cap. 21. Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis. Ductu, cum ipse interfuit: auspiciis, cum illo mandante alius, ac fortunam, & deos suos commodante, &c. Lipsius de Militia Rom. lib. 2. dial. 12. pag. 133. & seq.

DIMIDIOQVE TVI] propter egregium amorem, quo ducem suum hunc Augustus diligebat, vocat eius dimidium, vt Horat. Virgilium animę dimidium suæ. Statius Metium Celerem animæ suę partem meliorem. Persius ad Cornutum, magistrum suum, sat. 5. *quantaq; nostra Pars tua sit, Cor-*
C *nute, anima.* Greg. Nazianzenus admodum significantibus duobus vocabulis coniunctissimam hanc coniunctionem expressit, cum συμψυχίαν, & ὁμοψυχίαν nuncupauit.

INQVE CORONAT. FVLG. ALTVS EQVIS] Etiam equi triumphalem Imperatoris currum trahentes lauro, victoriæ indice coronabantur.

FVLMENQVE TVVM FERA TELA RECONDE] Appositio. Desine me fulminare. Desiste mihi infensus esse.

NIM. MIS. COGNITA TELA MIHI] Lib. 1. eleg. 1. *Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.*

NEC NOMINIS IMMEM. HVIVS] Pater patriæ debet tueri commoda, & salutem suorum ciuium (ciuis autem etiamnum Ouid.) Quod
D nisi facit, immemor est sui nominis, hoc est, officij sui, quod ipsum nomen pollicetur.

OLIM PLACANDI SPEM. N. TOLLE TVI] Suprà.

Ipse licet sperare vetes, sperabimus vsque.
Hoc vnum fieri te prohibente potest.

Hic tamen orat, ne, quod in ipso sit, spem misero præcidere velit.

NON PRECOR VT REDEAM] Magna esset hæc petitio, & audax, nec concessu facilis.

QVAMVIS MAIORA PETIT. CREDIT. &c.] Tametsi dij (quorum vnum esse insinuat Augustum ipsum) sæpius petentium vota sua munificentia superauerint: quod credibile faciunt de vero Deo nostro Christianorum historiæ.

MAGNOS DEOS] κατ' ἐξοχήν. Crebrò hoc adiuncto ornantur dij à poëtis. Suprà.

Exorant magnos carmina sæpe deos, Et:
Omnis at in magnos culpa deos scelus est.

Catull. *Dij magni, facite vt verè promittere possit.* Et in admiratione idem. *Dij magni, salaputium disertum.* Virgil. 3. Aeneid. sanè grauiter, *cum sociis, natóque, penatibus, & magnis diis.*

MITIVS EXILIVM SI DAS] Quam sit immite, ostendit eleg. 10. lib. 3. Et 16. lib. 4. & alibi cum per Tristium, tum per alios de Ponto libros sæpissime.

PROPIVSQVE] non tam remotum, & in finibus orbis. Lib. 5. eleg. 2.

Barbara me tellus, orbisq; nouissima magni
Sustinet, & sæuo cinctus ab hoste locus.

PARS ERIT E POEN. M. LEVATA MEA] Deterius enim mihi contingere non potest, quocunque tandem transferar.

VLTIMA PERPETIOR] acerbissima, vt nec aqua quidem, nisi salsa è paludibus suppeditet, vt audiemus. Vltimum supplicium pro omnium durissimo. Quanquam hoc nomine multi supplicium mortis accipiunt, quia post id aliud nullum adhiberi potest. A Deo autem potest, *qui postquam corpus occiderit, habet potestatem animam mittere in gehennam.* Matth. 10.

MEDIOS EIECTVS IN HOSTES] in hostes Romani nominis, & pœnè assiduo fines Romanos hostiliter deuastantes. Hoc tam molestum, & acerbum illi est, non licere, inquam, sibi exuli tutò viuere: sed insuper de vita, & sanguine cogi decertare, vt de nulla parte calamitatis suæ frequentius, ac flebilius conqueratur. Hostes istos versu abhinc quinto, & duodecimo nominat.

NEC QVISQ. PATRIA LONG. EXVL ABEST] Paulò pòst. *Vlterior nulli quam mihi terra data est.*

AD EGRESSVS SEPTEMPLICIS ISTRI] ad ostia per quæ Danubius in mare se exonerat. Ea sunt septem. Plinio tantum sex, cuius verba proferam è libro 4. cap. 12. Ortus hic in Germaniæ iugis, montis Abnobæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi, multis vltra alpes milibus, ac per innumeras lapsus gentes Danubij nomine, immenso aquarum auctu, & vnde primum Illyricum alluit, Ister appellatus, LX. amnibus receptis, medio fere eorum numero nauigabili, in pontum vastis sex fluminibus voluitur, &c.

PARRHASIAE VIRGINIS] Vrsæ maioris, in quam conuersam fingunt Callisto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam, & à Ioue inter sidera receptam 3. Metamorph. Astrum illud nunquam occidit. Hinc lib. 3. eleg. 11.

Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor
Me sciat in media viuere barbaria.

Parrhasiam vocat, quod ipsa Arcadia à Parrhaso, vno filiorum Lycaonis sic dicitur παρρασία. In 3. Metamorph. forma patronymica. *Parrhasis erubuit.* Virginem quoque nominat, vt Virgil. eclog. 8. Pasiphaën Minois Cretensium regis vxorem.

A *Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras.* Et Terentius. *Ter vitium oblatum virgini.* Et, *illinc huc transfertur virgo.* Vbi Donat. virgo etiam quæ cum viro fuit. Aetas enim, & sexus hac voce ostenditur, vt ait Seruius in 1. Aeneid ætas in qua m viridis.

GELIDO AXE] Cicer. 1. Tuscul. agens de hac zona frigida, posita ad stellas septem, *Vnde horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur niues.* Virgilius 1. Georg.

Quem circum extremæ dextra, læuaq; trahuntur
Cæruleæ glacie concretæ, atque imbribus atris.

Horat. Ode 22. lib. 1. *Quod latus mundi nebulæ malusq; Iupiter vrget.*

DANVBII-MED. VIX PROHIB. AQVIS] Vix eorum vim, cædes, & rapinas interfluens Da-

B nubius cohibet. Quanquam locis illis sæpius Istri nomen habet.

TIBI FVGATI] à te fugati, φυγαδευθέντες.

CAVSSA GRAVIORE] Apud Suetonium quidem de nemine lego, quem exilio multauerit, nisi de Cassio Patauino plebeio, quem leni exsilio punire satis habuit, quod conuiuio pleno proclamauerat, neque votum sibi, neq; animum deesse confodiendi eum, cap. 51. Iulias, filiam, & neptem omnibus probris contaminatas relegauit. Post quinquennium demum ex insula (Pandataria) in continentem, lenioribusque paulò conditionibus transtulit eam: nam vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit: deprecanti sæpe populo Romano, & pertinacius in-

C stanti, tales filias, talesque coniuges pro concione inprecatus. cap. 65.

ET MARIS ASTRICTO, &c.] mare glaciale.

HACTENVS EVXIN. P. EST ROM. SINISTRI] Hucusque ad Danubium in sinistro latere ponti Euxini protenditur Romanum imperium. Vicina Basternæ, & Sauromatæ hostes occupant. Terminus ergo, & limes Romani imperij Danubius. Testes auctores plurimi. Seneca Natural. 4. Medius inter pacata, & hostilia fluit Danubius, & Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, alter Germanos, auidam belli gentem repellens. Muret. in 1. Annal. Taciti, limites imperij, inquit, erant aut montes, aut fluminum ripæ, aut alia eiusmodi, quibus imperium populi Romani

D à barbaris dirimeretur. Interdum etiam ducebantur muri, & in eis excitabantur castella, turres, propugnacula, & in iis legiones collocabantur, quæ præsidio essent & barbarorum incursiones impedirent. Euxinum mare principio propter accolarum inhospitalitatem, & immanitatem, siue ob latrociniorum crebritatem ἄξενον ab inhospitalitate dictum est. Demum Herculis opera regione à latronibus purgata, & animis indigenarum commercio aliarum gentium nonnihil emollitis, Euxinum, quasi εὔξενον hospitale nomen obtinuit.

HÆSIT IN IMP. MARG. T. TVI] Territorium Tomitanum, exilij mei locus, est in ipsis finibus imperij tui, quem barbari pœne occuparunt.

NE SIT CVM PAT. PAX QVOQVE ADEMPT.] Quod Augustus minimè voluit, qui sola patria me priuauit. Pacis autem dulcissimum, & pulcherrimum nomen, 12. Philipp. & 2. Et nomen pacis dulce est, & res ipsa salutaris.

NON BENE SVMMOVET ISTER] suprà.

Iazyges, & Colchi, Metereaq; turba, Getaq;
Danubij mediis vix prohibentur aquis.

NEVE TV. P. CIVIS AB H. CAPI] patriæ enim rector, paterque diceris. Cur autem id metuat, ecce caussam, eleg. 1. lib. 4.

Hostis habens arcum, imbutaq; tela veneno,
Saeuus anhelanti mania lustrat equo.
Vtq; rapax pecudem, quæ se non texit ouili,
Per sata, per syluas fertq; trahitq; lupus:
Sic, si quem nondum portarum sede receptum
Barbarus in campis repperit hostis, habet,
Aut sequitur captus, coniectaq; vincula collo
Accipit, aut telo virus habente perit.
Hic ego sollicita iacto nouus incola sedis.

FAS PROHIB. LATIO. Q. DE SANG. &c.] Ab indigno. Non quidem de Romano sanguine natus erat Ouid. Sed de Latino, seu Italico. Iam, ciuitatis Romanæ ius habebant multæ vrbes per Italiam, & erat ciuium illorum Roma patria, non originis, sed iuris. Vincere autem foris ciuem Romanum, ac verberare, nedum interficere, magnum nefas.

CÆSARIBVS SALVIS] quasi diis quibusdam seruaturibus.

C *PERDID. CVM. M. D. CRIM. C. ET ERROR*] Hactenus ob vtrumque peccatum communiter, & promiscuè veniam, & aliquanto lenius exilium petiuit. Nunc alterum crimen, scriptorum videlicet amatoriorum, eleuaturus, & quoquo modo se defensurus, vtrumque proponit, & de altero cur silendum putet, caussam addit.

ALTERIVS FACTI CVLPA] erroris. De altero nihil dicendum est. Cur?

RENOVEM VT TVA VVLNERA, &c.] Quod dolet, quod auditu, visu, cogitatu, triste, & acerbum est, translatè vulnus appellant Latini, dicimurque alicuius animam, & aures vulnerare.

QVEM PLVS EST NIM. INDOL. SEMEL] quem pro maiestate sua, & mãsuetudine, ac moderatione ne semel quidem irritare oportebat. D

QVA TVRPI CRIM. LÆSVS] qua mihi turpe crimen impingitur. Quod illud?

ARG. OBSCOENI DOCT. ADVLT.] Eleg. 3. lib. 3. de P. *Credor adulterij composuisse notas?* Festus adulter, & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt. Papinianus ait adulterium propriè in nupta committi, propter partum ex altero conceptum composito nomine, ac si sola mulier, & nupta adulterium committat. Contra Lactant. lib. 6. cap. 23. Diuina lex, inquit, ita duos in matrimonium, quod est in corpus vnũ, pari iure coniunxit, vt adulter habeatur quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit. [illegible] adulterari res, quæ corrũ-

A puntur, ac deprauantur, vt testamenta, moneta, &c. Adulter, & adultera poëtis interdũ etiam de non nuptis. Horat. Ode 33. lib. 1.

sed prius Appulis
Iungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.

Catull. Cum suis viuat, valeatq; mœchis.

FAS ERGO EST ALIQVA] aduerbialiter *aliquà*. pro aliquantũ, & aliquatenus. Virgil. eclog. 3. *Et si non aliquà nocuisses, mortuus esses.* Ad obiectionem prima responsio. Augustum in tanto imperio procurando occupatum, non potuisse libros illos videre. Atque ideo quales, quo fine, quoue modo scripti sint, nescire, & falsum esse. Quales autem, qua ratione, quo scopo conscripti sint,
B infra exponit, & ex caussa mala facere bonam [illegible] conatur.

CÆLESTIA PECTORA] cælestem virum vocat lib. 1. eleg. 3.

ET SVNT NOTIT. MVLTA MIN. TVA] Et decipi Augustum hoc de se iudicio, & minus fuisse negotium, quam vt ei curam impendere aut tantus vir debuerit: aut tam districtus rebus maximis Imperator potuerit. Fuerũt tamen Impp. Romani, qui multa minora sua notitia cognoscere, & exercere studuerunt. Nero bene cithara ludere didicit, quod rege indignum putabat Philippus Macedo, reprehendens ob id filium Alexandrum successorem futurum. Non pudet te, inquit, fili, quod tam bene fidibus noris?

C *VTQVE DEOS, CÆLVMQVE. S. SVBLIM.* &c.] Similitudine rem illustrat, maiore quam par est. Sed in gratiam Cæsaris omnia sibi licere putat. Eum ergo in magnitudine procurationis cum Ioue comparat, videturq; alludere ad illos Maronis versiculos, quos palatij valuis affixisse fertur.

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet. Et.
Iupiter in cælis, Cæsar regit omnia terris.

Quam sententiam complexus est etiam Horat. Ode 12. lib. 1. Iouem compellans. *Tu secundo Cæsare regnes.* vt ille nimirum cælestia, hic terrestria regat, & moderetur. Quòd dicit Iouem etiam deos tueri, respicit ad id, quod diuûm pater audit, & quod ait 1. Metamorph. *qui vos habeoq; regoque*, cum
D eos in concilio alloquitur.

NON VACAT EXIG. REB. ADESSE IOVI] sæpe tamen exiguis admodum, & turpibus (quæ profectò nunquam magnæ sunt) & persona sua alienissimis affuit: nec illum tanta imperij moles retardauit. Lege vitas Imperatorum, & inuenies, leuissimis rebus plures affuisse. Vt illum, cui vacabat quotidie in secretiore loco stylo acuto muscas configere.

A TE PENDENTEM ORBEM] non vnam, non decem prouincias, quod magnum erat, sed orbem. Et, si vel vnam ciuitatem bene regere laboriosum est, quid regnum? quid multa regna? quid totum mundum? Et hic tamen tua iura ex-

spectat. Horat. Ode 12. lib. 1. de eodem. *Te minor latum reget aequus orbem.*

CIRCVMSPICIS] Metaphora hæc commẽtationem, curam, sollicitudinem, vigilantiam notat, vsitata Ciceroni. 1. Catilin. Quare P.C. incumbite ad salutem reipub. circumspicite omnes procellas, &c. ep. 13. lib. 5. circumspice omnia membra reipub. quæ notissima sunt tibi.

EFFVG. CVRAS INFER. TVAS] vt minora tua notitia non essent, vt sunt, tamen præcipuis, & necessariis illis curis longe inferiora sunt; atque idcirco te non sollicitant.

SCILICET IMP. PRINCEPS. STAT. RELICTA] ὑπονοία. Ostendit quam imparia hæc sint illis magnis, & quam indecora illi futura. Statio, inquit Seruius, vbi ad tempus stant naues: portus, vbi hyemant. Lentulus ad Sen. Vrbe, portu, statione, quæ extra vrbem est. Est item verbum disciplinæ militaris, significans cohortem militum in castris, vel in vrbe, vel in palatio excubatium: vnde stationem agere. Cic. de senect. vetatque Pythagoras, iniussu Imp. id est dei, de præsidio, & statione vitæ decedere. Ad huiuscemodi stationem militarem allusit item 1. Philipp. Ego cum sperarem aliquando ad vestrum consilium, auctoritatemque rempub. esse reuocatam, manẽdum mihi statuebam quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec verò vsquam discedebam, nec à Repub. deiiciebam oculos. Et Isidor. lib. 6. agens de stationibus ecclesiasticis. Statio autem militari exemplo nomen accepit, pro eo, quod nulla lætitia obueniens castris, stationem militum rescindat. Nam lætitia libentius, tristitia sollicitius administrat disciplinam. Vnde & milites nunquam immemores sacramenti, magis stationibus parent. Denotat item cohortem, quæ per prouincias contra latrones collocabatur. Tertullian. apologet. latronibus inuestigandis per omnes prouincias sortitur statio militaris.

IMPARIB. CARM. FACTA MODIS] Versum elegiacum ἐλεγεῖον exprimit, & poësin suam amatoriam intelligit, quam infra lusos ineptos appellat. Prior quippe hexameter nempe, constat pedibus senis; posterior, pẽtameter, tantum quinis, id quod vtriusque græcum nomen sonat. Sunt ergo impares modi. Lib. 1. eleg. 3. *Clauda quod alterno subsidunt carmina versu.* Et eleg. 7. si per modos impares pedes dissimiles, dactyl. trisyll. & spondeum disyllab. placet accipere.

Et tamen ad musas, quamuis nocuere, reuerti,
Aptaq; in alternos cogere verba pedes.

Eodem pœne modo Horat. ad Pison. circumlocutus est elegos.

Versibus impariter iunctis querimonia primùm,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Cicero pro Archia cum ait, epigramma alternis versibus longiusculis, sine controuersia elegiaco carmine contextum indicat.

NON EA TE MOLES. R. NOM. VRGET] A non est tam parua moles officij tui. Hac voce laudati scriptores in muneris amplitudine, & difficultate exprimenda non raro vtuntur.

INQVE TVIS HVM. T. L. FERTVR ONVS] Metamorph. 15. de eodem, Iulio patri successuro, *qui nominis heres Impositum feret vnus onus.* Eadem est sententia cum priore. Crediderim fabulam Atlantis, cælum humeris sustentantis latenter indicari. Virgil. 4. AEneid. *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.* Cic. pro Flacco. Respub. quam vos vniuersam in hoc iudicio vestris, humeris, vestris, inquam, humeris sustinetis.

ADVERTERE NVMEN] Gulielm. Canter. lib. 4. cap. 2. emendat *lumen.* Forsitan minus recte, cum mox sequatur de oculis.

B LVSIBVS INEPTIS] Leuiora poëmata sua, poëtæ lusus, iocos, ineptias, nugas vocare solent. Lusus Ouidiani græce ἐρωτοπαίγνια dici possunt. Nam ludus, siue lusus παίγνιον, & ludere παίζειν: quoniam τοῖς παισὶ pueris proprium, ac persamiliare est ludere. Hominem γενναῖον, καὶ βασιλικὸν τὴν ψυχὴν generosum, & animo regio ad oblectãdum sumere vult Dio Chrysost. orat. 2. de regno non quamlibet poësin, sed optimam, & magnificentissimam, vt Homeri, & Hesiodi, &c. Neque sane Sapphûs canere, aut Anacreontis amatoria carmina decorum esset regibus, &c.

EXCVTIASQVE OCVL. OTIA NOST. TVIS] vidẽdo, legendoque discutias, perpendas, examines. Cic. 2. cõtra Rull. Decemuiri, qui nostros C Imperatores excutiant. *Otia* autem quæ otiosi, & feriati scripsimus. Scitè *otia.* Amor enim, vt quidam sapiens dixit, est otiosorum negotium.

NVNC TIBI PANNON. EST NVNC ILLYRIS. &c.] Prouincias recenset, in quibus Augustus exercitus habuit, fæliciterque pugnauit. Videndus Sueton. cap. 21. De variis eiusdem bellis idem auctor à cap. 9. differendi facit initium. Florus lib. 4. cap. 12. quod est de bellis eius aduersus gentes exteras. Noua quippe pax: & necdum assuetæ frænis seruitutis tumidæ gentium inflatæque ceruices, ab imposito nuper iugo resiliebant. Ad septentrionem conuersa ferme plaga ferocius agebat. Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysi, Thraces, & Daci, Sarmatæ, atq; Ger- D mani, &c. Libet & huic accinere illa Tulliana in Iulium eius patrem ex Marcelliana. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.

NVNC PETIT ARMEN. PACEM] Plus negotij cum Armeniis. Hunc alterum ex Cæsaribus nepotibus suis misit. Ambo fati breuis: sed alter inglorius, de quorum interitu supra dictum.

PORRIGIT ARCVS PARTHVS EQVES] Cur Parthi equites? dicet Iustinus lib. 41. Equis omni tempore vtuntur: illis bella, illis conuiuia, illis publica, ac priuata officia obeunt: super illis ire, consistere, mercari, colloqui. Paulo ante. Pugnãt autem procurrentibus equis, aut terga danti-

bus.

bus. Sæpe etiam fugam simulant, vt incautiores aduersus vulnera insequentes habeant. Ouid. 1. de Arte.

Tergaq́ Parthorum, Romanaq́ pectora dicam,
Telaq́ ab auerso quæ iacit hostis equo.

Horat. Ode 19. lib. 1. *& versis animosum equis Parthū dicere.* Cic. ad Pætum. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis. Hoc amplius, nauiculam habere aliquam in ora maritima. Contra equitem Parthum negant vllam armaturam meliorem inueniri posse.

TIMIDA CAPTAQVE SIGNA MANV] Parthi signa Crasso, & Antonio adempta Romā ad Augustum vltro remiserunt. Auctores Strabo, Sueton. Velleius. Florus lib. 4. cap. vlt. Parthi quoq; quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana, vltro signa retulere. Horat. Ode 15. lib. 4.

——tua, Cæsar, ætas
Fruges & agris rettulit vberes,
Et signa nostro restituit Ioui,
Derepta Parthorum superbis
Postibus.

NVNC TE PROLE TVA IVVEN. GERM.] SENTIT] In filio adoptato, & iuuene Tiberio te Germania experitur.

Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,
Auspicium cui das grande, deosq́ tuos.
Ausoniumq́ ducem, &c.

Sunt qui prolem interpretantur priuignum. Et fuit sane etiam priuignus eius Tiberius.

BELLAQVE PRO MAGNO CÆS. CÆSAR HAB.] Cæsar Tiberius pro Cæsare Augusto. Differendum hoc loco aliquid super isto nomine *Cæsar*. Omnes principes Romani post Augustum ad imperium euecti, vocati sunt Augusti. Quod nomen, ceu hæreditarium, designabat summum eis rerum arbitrium permissum. Et quoniam filij adoptiui Augusti (naturalibus enim caruit) & cæterorum sequentium Imperatorū, quod familiæ Cæsarum essent insititij, Cæsares omnes dicebantur, vt Caius, Lucius, Tiberius, Drusus, Germanicus, Nero, Caligula, & alij plerique, qui omnes Cæsares dicti sunt, hoc est, è Cæsarum gente, in quam adoptati fuerant, ex quibus postea fato functis vnus vel testamento, vel electione reliquis Cæsaribus prælatus, Imperator, & Augustus in defuncti principis locum surrogabatur: hinc ortum est, vt posterioribus temporibus, si qui ad imperium, & Augusti nomen essent promouendi, primo Cæsares appellarentur, hoc est, imperij hæredes, vel successores, quamuis ex Cæsarum gente non essent. Latius Onuphrius lib. de Roman. Principibus.

IN TANTO QVANT. NON EXTIT. VNQVAM] Imperio Romano nullum fuit vnquam maius, nec futurum est. Iupiter Veneri 1. AEneid. *His ego nec metas rerum, nec tempora pono. Imperium sine fine dedi.* Vbi τὸ *sine fine* simul & ad tempus, & ad terminos terrarum refertur. Liuius quoque præfat. maximi secūdum deorum opes imperij. Ci-

A cero. Nulla gens est, quæ non aut ita subacta sit, vt vix extet: aut ita domita vt quiescat: aut ita pacata, vt victoria nostra, imperioque lætetur. Lege cap. 3. lib. 1. de magnitudine Romana apud Lipsium.

IN TANTO CORPORE] Vox *corpus* varie transfertur. Ad librum seu volumen. Cic. ad Lucceium. A principio enim coniurationis vsque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse. Vlpianus lib. 24. ad Sabinum. Si Homeri corpus sit legatum, & non sit plenum, quantæcunque rhapsodiæ inueniantur, debentur. Auson.

Quiq́ sacrum laceri corpus collegit Homeri,
Atq́ notas spuriis versibus apposuit.

B Ad partem, & multitudinem populi. Liuius lib. 1. de Sabinis, sui corporis creari regem volebant. Ad vniuersitatem ciuium. Idem lib. 6. Corpus ciuitatis. Ad rempub. & imperium, ac principatum. Cic. 1. Off. Reipub. totum corpus curari.

VRBS QVOQVE TE LASSAT] Cura rerū vrbanarum. Et quidem adeo spatiosæ, & populi frequentissimi. Sueton. cap. 29. Vrbem neque pro maiestate imperij ornatam, & inundationibus, incendiisque obnoxiam excoluit adeo, vt iure sit gloriatus, marmoream se reliquisse, quā lateritiam inuenerit. Tutam vero, quantum prouideri humana ratione potuit, etiamsi in posterum præstitit, &c.

ET LEGVM TVTELA TVARVM] Leges

C retractauit, & quasdam ex integro sanxit: vt sumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Sueton. cap. 34. In calce lib. 4. Florus, omnibus iam bellis eius explicatis. Hinc conuersus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens sæculum, grauibus, seuerisque legibus multis coërcuit.

SIMILES QVOS CVPIS ESSE TVIS] Vt cognoscamus quales fuerint eius mores, quorum ipsa imaginem in ciuibus suis videre cupiuerit, legendus Sueton. à cap. 61. cuius hoc est initium. Quoniam quales in imperiis ac magistratibus, regendaque per terrarum orbem pace, belloque repub. fuerit exposui, referam nunc interiorem, ac familiarem eius vitam, quibusq;

D moribus atque fortuna domi, & inter suos egerit, à iuuentute vsque ad supremum vitæ diem. Idem Historicus cap. 27. Recepit & morum, legumque regimen æque perpetuum.

NON TIBI CONTINGVNT] semper enim es occupationibus maximis districtus.

QVÆ GENTIB. OTIA PRÆSTAS] earum hostibus domandis, ac profligandis. Tempus à bellis vacuum, latinis est otium. 1. Metamorph. *Mollia securæ peragebant otia gentes.* Virgil. eclog. 1. *deus nobis hæc otia fecit.* Horat. ad Pison. *& apertis otia portis.*

BELLAQVE CVM MVLTIS GERIS] Sueton. Consule.

IRREQVIETA] continuata, non desinentia.

VNQVAM TE NOST. EVOLVISSE IOCOS] Occultè arguit Cæsarem iniquitatis, qui cum versus non legerit, & caussam non bene cognouerit, maioribus scilicet rebus impeditus, insontem nihilominus damnauerit.

SI VACVVS FORTASSE FVISSES] Cic. in Bruto. Itaque hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum. 1. de leg. ego vero libēter, quoniam vacui sumus, dicam. Eiusdem generis est, si vacas. Cic. ad Att. ep. 37. lib. 12. scribes aliquid, si vacabis. Et pro Deiot. quidquid à bellis pop. Rom. vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitiásque iungebat.

NVLLVM CRIMEN] nihil quod crimini dari meritò queat: quia crimen nullum suasi, legibus scilicet Romanis cōtrariū, vt mox ꝓbare nititur. B

FRONTIS NON ESSE SEVERÆ] Caperare frōtem, est frontem in rugas contrahere, vultum asperare, vt Nonius interpretatur, ex quadam seueritate, & tristitia. Caperatam frontem, inquit Varro lib. 6. à capræ fronte. Frōtes autem caprarum ex crispitudine capillorum tetricæ apparēt. Plaut. Epid. impersonaliter vsus est. *Quid illud est, quod illi caperat frons seueritudine?* Et passiuè Varro Eumenid. *Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?* Ergo frons seuera, est caperata frons, & contrà. Quoniam vero frons est animi index & ianua, vt ait Q. Cic. de petit. consul. seuera fronte fieri, dicique dicimus, quod ab animo minime leui, sed graui, & constanti proficiscitur, qualis certe non est ars amandi, vtpote frontis non admodum seueræ. Frons & aliis, inquit Plin. lib. 8. cap. 74. sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. Nubes frontis Græcis & Latinis est vultus tristis, & seuerus. C

NEC A TANTO PRINCIP. DIGNA LEGI] Lusus ineptos supra nominabat. Quem autem ab ineptiis, & leuitatibus longius decet refugere quam Principem? Legebat tamen has easdem ineptias, amatoria inquam Ouidiana, studiosè Caracallus, & Martialem Adrianus, quem suum Virgilium appellabat: ἀφροδίσιοι καὶ τὸν ἀφροδίσιον Μαρτίαλιν videlicet.

LEGVM CONTRARIA IVSSIS] Leges Iuliæ de adulteriis vetant corrumpi matrimonia. Talem & Augustus tulit. Sueton. cap. 34. D

ROMAN. ERVDIVNTQVE NVRVS] nuptas. Si quaenim socrum habet, vt nurus, quod est ἐν τῷ νυὸς τι, iam cum viro est. Eleg. 3. lib. 3. de P. ad Amorem.

Scis tamen, & liquidò iuratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros.
Scripsimus hæc illis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.

NEVE QVIB. SCRIPSI POSSIS DVB.] Matronas ad violanda matrimonia se sollicitasse it inficias. Propudiosis tantùm, & quibus libidinum flagitia per leges conceduntur, se scripsisse non negat, idque versiculis quatuor in fronte libri positis testatum esse.

A E TRIBVS VNVS] primus, nō longe ab initio.

VITTÆ TENVES, INSIGNE PVDORIS] vittæ ingenuarum, id est, virginum, & matronarum, quas ab ista vere πορνεία excludit. Fuisse verò alias virginales, alias matronales vittas, quod virgines alio capitis cultu, ornatuq; quam nuptæ, & matronæ vterentur, docet Turneb. lib. 23. cap. 5. & lib. 29. cap. 4. Libertinæ nec vittatæ, nec stolatæ erant. Quamobrem Veneris furta in iis non vindicabantur, multǽque ex eo ordine meretrices erant. Idem cap. 31.

QVÆQVE TEG. MED. INSTITA LONGA PED.] Stola, quam gestabant matronæ, ad imos pedes vsque demissam, quam instita, hoc est, segmentum, seu limbus tenuissimus assutus ambibat. Sic infra mox.

Ecquid ab hac omnes rigidas summouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaq; vitta vetat?
Tibull. lib. 1. eleg. 6.
Sit modò casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

NIL NISI LEGIT. CONCESSAQVE FVRTA] De hac voce *furta* in re Veneris, dixi alibi. Ista aurē furta, seu furtiuæ istæ libidines, quas proprie significant. Christianis legibus nec legitimæ, nec cōcessæ sunt. *Propter fornicationem*, inquit Apostolus, *vnusquisq; suam habeat vxorem, & vnaquaq; mulier suum virum.* Cæcis mortalibus illis lex fuit.

Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuuentute, pueris liberis, ama quod lubet.

Plaut Curcul. Vide colloquium poëtæ cum Cupid. eleg. 3. lib. 3. de Ponto.

OMNES RIGIDAS] oēs pudicas, graues, seueras, vno verbo matronas, & ingenuas, à quibus aduersum illecebras istiusmodi rigor exigitur.

CONTINGI] ἅπτεσθαι, minus enim dicitur, quā significatur. Habet verbū *tangere* domiciliū quoque in cōmistione corporū. Vnde virgo intacta. Quin & Apostolus de coniugali cōplexu loquēs. *bonū est homini mulierē nō tangere.* Græcè est ἅπτεσθαι.

POTEST ALIENIS ARTIBVS VTI] Credo equidem, non enim omnes vias, & modos sese, & alios his laqueis irretiendi perfecutus est.

QVODQVE TRAH. Q. NON DOCEATVR HAB.] Potest & sine præceptis, & aliunde sumere, vnde pudicitiam prodat. Quid igitur? hoc vult. Quemadmodum aliis rebus & scriptis, ita suis quoque matronam abuti posse.

QVÆ CARM. AB OMNI AD DELINQ. &c.] Id fortasse verū de omnibus poëtis antiquis, è quibus alius alio impurior, sat purus nullus.

QVODCVNQVE ATTIG. S. Q. EST. T. CVRA SINIST.] Propositio generalis, quam inductione probabit, mulierem cōnubio deuinctam, & ad vitium ante propensam, nec proba, & candida mente legentem, etiam ex bonis libris, atque historiis corrumpi: & pœne nihil reperiri tam bonum, quo non male vti queas: nec prodesse quidquam, quod idem, nisi caueas, obesse non possit. Quæ omnia cū veritate consentiunt.

Studiosa

Studiosa fenestris, rerum leuium, minus honestarû, quærens in libris magis quod turpiter delectet, quam quod vtiliter erudiat. Sic libros Amadis, & similiter festiuos audio etiam à virginibus hodie legi, vt sint sanctæ corpore, & spiritu, si diuis placet.

SVMPSERIT ANNALES] Annales omnino id sunt quod historiæ, historiæ autem non omnino id quod annales: sicut quod est homo, id necessariò animal est. Quod est animal, non id necesse est hominem esse. Hæc, & plura Gell. lib. 5. cap. 18. Verba M. Antonij in 2. de Oratore recitemus. Atqui ne nostros contemnas, Græci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, vt noster Cato, vt Pictor, vt Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei, memoriæque publicæ retinendæ caussa, ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mut. Pont. max. res omnes singulorum annorum mãdabat litteris Pont. max. referebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, hique etiam nunc Annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine vllis ornamentis monimẽta solum temporum, hominum, locorum, gestarumq; rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acusilaus fuit, aliique permulti: talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio (modò enim huc ista sunt importata) & dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem putant esse breuitatem. Ex his discrimen inter Annales, & Historiam satis abs te perceptũ existimo. Annalium Roman. scriptores præcipui nominantur Liuius Andronicus, qui primus scripsit versibus res Romanas libris XVIII. Deinde Ennius libris 40. Attius, Hostilius, Furius Antias, Cornelius Seuerus.

Soluta oratione qui sequuntur. Fabius Pictor. L. Calpurnius Piso, Fannius. AElius Tubero, Libo, Cn. Gellius, Cn. Velleius. M. Cato, Atticus. Licinius Macer, Claudius Quadrigarius, Cælius, Cassius Hemina, Fenestella, Posthumius Albinus. Tanusius.

NIHIL EST HIRSVTIVS ILLIS] Non solum sine vllis ornamentis conscripti sunt Annales Romani ab iis, quos recensui: sed etiam horridulo, ac prisco illo genere sermonis. Aut *hirsutos* dixit rem ipsam spectans, tetricos, graues, seuerioris disciplinæ, morumque sanctiorum narrationem continentes. Carrio Emendat. lib. 1. cap. 8. inductus versu Propertiano, *Ennius hirsuta cingat sua dicta corona*, ad Ennij Annales verba Ouidij pertinere putauit: sed falsò, tametsi arte rudem cum Nasone fatemur. Quod neutiquam patitur vir humaniore litteratura excultissimus, Hieron. Columna, cuius in eiusdem Ennij Fragmenta feruntur Commentarij quam eruditissimi. Ennij Annales ego quoque putarem intelligendos, si nemo præterea annales Romanos conscripsisset, & hirsuto sermonis genere, quale eorum scriptorum fuisse testatur Cicero. In omnibus autem æque vt in Ennianis legitur, vnde Ilia sit mater facta. Veruntamen propter id quod mox sequitur: *Ænead. genetrix* Lucretij principium, accipiat hoc de annalibus Ennianis qui voluerit. Hoc porrò, & deinceps tribus versibus affirmat poëta, matronarum ingenia ad libidinem procliuia, ex historia, quæ tamen vitæ magistra est, ad flagitium incendi posse.

FACTA SIT VNDE PARENS ILIA] Liuius lib. 1. te docebit, si nescis, procul dubio ex Fabio Pictore, quem sequitur, aut alio vetusto scriptore Annalium. De eadem lib. 1. Halicarnas. & Ouid. 2. Fast.

SVMPSERIT ÆNEIDEM, &c.] Quomodo interpungat & explanet hunc locum Ioseph. Castalio, vide eius Decad. 1. Obseruat. in Crit. cap. 5. Non nemo hoc versu Lucretium putat subintelligi, cuius poëmatis initium est, *Æneadûm genetrix*, ad Venerem scilicet, & eò censet referri vocem *prima*, quasi dicat poëta: Sumpserit in manus Lucretium, cuius primus omniũ versus est *Æneadum genitrix, &c.* Solent enim libri poëtarum per primorum carminum verba indicari, vt in Symbolis meis ad 1. AEneid. docui. Quæ explicatio non displicet: nam qui legunt in annalibus, Venerem primam AEneadum genitricem, simul etiam legunt vnde AEneadûm parens, ex Anchise nimirum. Veruntamen illud, vbi prima, nõ videtur satis aptè ad Lucretianum carmen, seu principium carminis illius accommodari. Nisi ita intelligas: Sumpserit in manus Lucretium, vbi primo omnium versu AEneadûm prima genitrix nominatur, hoc modo, *Æneadum genitrix, hominum diuûmque voluptas Alma Venus.*

REQVIRET. ÆNEAD. GENIT. VNDE. &c.] Repetit eleganter, quod in hexametro positum fuerat. Si sumpserit in manus Lucretium, & legerit de genitrice antiquissima AEneadûm, de prima Romanorum matre, requiret, indagabit, & scire auebit, vnde Venus alma facta sit genitrix AEneadûm, & inueniet eius cum Anchise adulterium siue stuprum, ex quo concepit AEneam, primigenium patrem Romanorum. Dido 1. AEneid.

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus genuit Phrygij Simoentis ad vndam?

Ex lib. 8. *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* Silius lib. 1. *Ordior arma, quibus cælo se gloria tollit Æneadûm.* Sicut autem Venus propter filium AEneam Romanorum genitrix nominabatur: ita Mars, quod Romuli genitor haberetur, Romanorum auctor. Horat. Ode 2. lib. 1. *Siue neglectum genus, & nepotes Respicis auctor.*

ALMA] sancta, pulchra, siue alens ab alendo. A Lucretio hoc mutuatus est epitheton.

PERSEQVAR INFERIVS, MODO SI LICET, &c.] Infrà docebo (si modo fas, à maio-

ribus iſtis ad minora deſcendere) omnia poëmata, ſeu poëtas omnes poſſe nocere. Et tamen dici non poteſt, ab omnibus libris mala, & noxia doceri, damnandoſque omnes. Confirmat generali ſententia, quam pluribus exemplis enunciat.

NIL PRODEST, QVOD NON LÆD. POSSIT ID.] Sola virtute abuti nemo poteſt. Et contrà ſanè, vix quidquam inuenies noxium, quod non idem prodeſſe queat, ſi bene vtare. Quid nocentius veneno? tamen id multis rebus vtiliter, & in medicinis ad morbos, mortemque depellendam ſalubriter adhibetur. Ex inimicis magnas capi vtilitates, peculiari libello docet grauiſsimus ſcriptor Plutarchus. Nullum tam malum eſſe librum, vt non aliqua parte proſit, dictum eſſe à Plinio maiore, narrat minor ep. 5. lib. 3.

IGNE QVID VTILIVS?] Propter ignem de cælo ſurreptum, & hominibus diſtributum, fabulantur poëtæ Prometheum Iouis iuſſu Caucaſo in Scythia affixum. Lucian. Tom. 1. AEſchylus in Prometheo vincto, qui ignem vocat *παντέχνον*, quod ſine illo fieri neque à principio potuerunt, neque adhuc confici poſſunt vlla aut inſtrumenta, aut opera illarum artium, quibus vita quotidiana indiget. Extat quæſtio Plutarchi, aquáne, an ignis vtilior ſit.

SIQVIS TAMEN VRERE TECTA, &c.] An quia igne ab hoſtibus, aut maleuolis iniecto conſumuntur ædes, & vrbes, propterea vituperabimus, aut non vſurpabimus ignem?

ERIPIT INTERDVM. M. D. MED. SALVT.] Medicina à Deo creata eſt, & medicus in litteris diuinis humano generi valde commendatur, ob ſalutem corporis vel retinendam, vel reparandam. Veruntamen ea nonnunquam vel ex inſcitia medicorū, vel ex vtentium aliquo vitio morbum auget, & interitum affert.

QVÆQVE IVVET, QVÆQVE SIT HERBA NOCENS] Medicamenta vt plurimum ex herbis conficiuntur, è terra prodeuntibus. Vnde Eccleſiaſt. *altiſsimus creauit medicinam de terra.* Apollo 1. Metamorph. vt medicus.

> *Inuentum medicina meum eſt, opiferq; per orbem*
> *Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.*

De virtutibus herbarum ſcripſit Dioſcorides, quem Commentariis explicauit Petrus Andreas Matthiolus, & recentius Ioannes Saracenus.

ET LATRO, ET CAVT. PRÆCING. E. VIAT.] Latro gerit gladium ad lædendum, & mactandum: viator ad defendendum, cuius rei cauſſa inuentus eſt. Cic. pro Milone. Quid comitatus noſtri, quid gladij volunt? quos habere certè nō liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret. Eſt enim, iudices, hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus, vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

DISCITVR INNOCVAS VT AG. FACVND. CAVSS.] Nemo ſtudet eloquētiæ vt noceat cuipiam: ſed vt proſit ei, cuius cauſſam agit. Iam ſi vir bonus ſit, cauſſam malam non ſuſcipiet. Eſſe autem oratorē bonum virum oportere, ſeriò diſputat Fabius cap. 1. lib. 12. & quæ in cauſsis ſuſcipiendis obſeruanda ſint, docet cap. 7.

PROTEGIT HÆC SONT. IMMERIT. PREMIT] Hoc acriter reprehendit Cic. 1. Off. Quid tam humanum, quàm eloquentiam à natura ad ſalutem hominum, & conſeruationem datam, ad bonorum peſtem, perniciemque conuertere?

SIC IGITVR CARMEN] ſicut ignis, ſicut medicina, ſicut enſis, ſicut eloquentia proſunt, ſi bene vtaris.

RECTA SI MENTE LEGATVR] conſilio bono, & quaſi auribus aduerſus blandiſonos Sirenum cātus cera obturatis. Conſilium verò bonum eſt, ſermonis latini, & rerum multarum, earumq; bonoſtarum, & ad cumulandam, ac perficiendam doctrinam liberalem neceſſariarum cognitio. Quam ob cauſſam & SS. Patres cum ipſi ethnicorum, & poëtarum ſcripta diligenter legebant, tum iuuenibus quoque legenda permittebant. Nec ſacrum Concilium Tridentinū poëtas veteres è medio tollendos, in ſcholis tamen adoleſcentibus non prælegendos cenſuit, & ne ſecus fieret, decreto cauit. Suos nihilominus libros amatorios legere diſuadet Ouid. in de Remed. amoris, ſi qui ſe ab illa peſte tutos præſtare velint. Adeo magnum in paginis illis incendium latet, quod etiam cum caueas cauere vix poſsis.

ERRAT] præter ſcopum mihi propoſitum facit.

SCRIPTIS ABROGAT] detrahit de illis vehementer. Facit deſpicabilia. A legibus ducta metaphora. Eſt autem abrogare legem perlatam prorſus tollere. Derogare, eſt aliquid diminuere de vi, & effectu legis. Obrogare, eſt aliam legem ferre, prioris legis infirmandæ cauſſa. Qui legis *nimium arrogat*, expone, nimium tribuit, male me tanquam auctorem, & ſuaſorem peccati ſequitur.

VT TAMEN HOC FATEAR] Suprà. *Illa quidem fateor frontis non eſſe ſeuera.* Ineſſe illis occaſionem, & ſemina quædam ad impudicitiam fatetur. Ab exemplo ludorum theatralium, ſtatuarumque diis per templa poſitarum ſe tueri aggreditur, quibus quiſpiam rerum non decentium admonetur. Interim nec ſpectacula, nec templa vitantur.

NEQVITIÆ] Laſciuiæ, & libidinis notionem ineſſe huic verbo apparet ex locis ſimilibus auctorum. 1. Faſtor. de Sileno. *Nequitia eſt quæ te non ſinit eſſe ſenem.* Horat. Ode 15. lib. 3. *Tandem nequitiæ*

figo

A *fige modum tua.* Terent. Heaut. *Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!* Cic. pro Roscio. Officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorum.

TOLLI TOTA THEATRA IVBE] Circenses, & theatrales ludos diebus festis prohibuerunt edicto Theodosius, & Valentinianus Impp. Et vt irritamenta vitiorum eos grauissime vituperant Tertullian. Apologet. cap. 38. Cyprian. epist. 2. lib. 2. Arnob. 4. contra gentes. Lactant. lib. 6. cap. 20. Augustin. de Symb. cap. 2. quorum sententias recitat Brisson. lib. de spectacul.

PECCANDI CAVSS. Q. M. SÆPE DED?] In comœdiis præcipuè, quarum nulla sine meretrice, & spurcidicis versibus agebatur, quod Plaut. Prologo Capt. testatur.

B *MARTIA CVM D. STERNIT AREN. SOL.*] Quo firmiore pede consisterent luctatores, & gladiatores, solum amphitheatri arena sterni mos erat. Horat. ep. 1. lib. 1. *Ne populum extrema toties exoret arena.* Vide supra, *Scilicet vt victus repetit gladiator arenam.* Martia arena propter ferrum, & speciem pugnæ, qua gladiatores de vita, vt milites in acie, dimicabant. De hac arena, & arenariis lege Theodor. Marciliũ ad epigram. 4. libri spectaculorum Martialis.

TOLLATVR CIRCVS] A circuitu equorũ circus, & quod ibi circum metas equi currant. Vide Onuph. & alios Romanar. antiquitatũ auctores, præsertim Bulingerum.

QVI LOCVS EST TEMPLIS AVGVSTIOR?] Etiam in augustissimo loco ex statuis
C ibidem collocatis turpium cogitationum materiam sumi posse. Vtinam non & apud Christianos ex sanctorum picturis, & statuis, pictorum, & statuariorum ingeniis sibi indulgentibus id fieret.

CVM QVÆD. SPACIENTVR IN HAC, &c.] Spacia faciant, lente inambulẽt in porticu Pompeia, quam describit Propert. lib. 2. eleg. 32. Idem lib. 4. eleg. 8. *Tu neque Pompeia spaciabere cultus in vmbra.* 2. Metam. *nam cum per littora lentis Passibus, vt soleo, summa spatiarer arena.* Quin & de hac ipsa porticu, & eius vsu in 3. Art.

At licet, & prodest Pompeias ire per vmbras
Virginis ætheriis cum caput ardet equis.

D *PELLICIBVS MVLTIS INDOL. DEAM*] Ipsa Iuno [illegible] in Hercule Furente apud Senecam.

Soror tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Iouem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq; cælo pulsa pellicibus dedi.
Tellus colenda est, pellices cælum tenent.

Ex multitudine filiorum Iouis coniicias quàm multas ille matres fecerit, & quàm non paucis pellicibus Iuno indoluerit. Ij cum matribus enumerantur ab Hygino, fab. CLV.

NATVM DE CRIMINE ERICHTON.] Fabula est in 2. Metamorph.

TVA NVMINA] quem tu præcipue colis.

VLTORI IVNCTA VIRO SVO] Marti vltori Augustus templum bello Philippensi, pro vleiscendo patre suo Iulio contra coniuratos, & percussores eius suscepto votũ ædificauit. Fast. 3.

Templa feres, & me victore vocaberis Vltor.
Vouerat. & fuso lætus ab hoste redit.

Receptis signis militaribus à Parthis Bisultor vocatus est, à duplici victoria, vt ibidem ostenditur.

Rite deo templumq; datum, nomenq; Bisultor.
Emeritus voti debita soluit honor.

Narrat Dio lib. 54. Augustum Marti vltori templum condidisse in Capitolio, in quo signa, & vexilla hostibus adempta reponerentur, perinde vt Ioui Feretrio opima spolia.

ISIDIS ÆDE SEDENS] Quæ prius Io, postmodum dea facta Isidis nomen habuit, & culta est primùm ab AEgyptiis. Vide extremum 1. Metamorph. & epistolam Hypermnestræ ad Linum, siue Lynceum maritum, & Natal. lib. 7. cap. 18.

SATVRNIA] Iuno. Antonomasia. Ennius. *Saturnia magna dearum.* Virgil. 7. AEneid. *Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.*

LATMIVS HEROS] Endymion, cognominatus ita à Latmo Cariæ monte, de quo Cic. 1. Tuscul. Quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit viuere, & cum LX. confecerit, reliquos dormiat: ne sues quidem id velint, non modò ipse. Endymion vero, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondũ, opinor, experrectus. Num igitur eum curare censes, num Luna laboret, à qua consopitus putatur, vt eum dormientem oscularetur? Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Vide Natal. lib. 4. cap. 8. & prouerb. Endymionis somnus. Plin. lib. 2. cap. 9. quo de natura Lunæ disputat. Iam verò humilis, & excelsa, & ne id quidem vno modo, sed aliâs admota cælo, aliâs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros deiecta: quæ singula in ea deprehendit hominum primus Endymion: & ob id amore eius captus fama traditur.

OMNIA PERVERS. P. CORRVMP. MENTES] A singularibus transit ad vniuersum. Huiusmodi imagines, statuæ amasiorum, & amasiarum, mentes alioqui non integras, & ad voluptates illas propensas ac paratas possunt impellere, & peruersas magis peruertere.

STANT TAMEN. I. SVIS. O. TVTA LOCIS] Et tamen nemo vllum istius generis simulacrum loco mouendum censet.

ET PROCVL A SCRIPT. S. MERETRICIB. ARTE, &c.] Redit ad id, quod supra attulerat, non se ista ingenuis id est matronis, & virginibus, sed vulgati corporis mulieribus tãtùm scripsisse,

Ecquid ab has omnes rigidas summouimus artes,
Quas stola contingi, vittaq; sumpta vetat?

QVÆCVNQVE ERVMP. Q. N. SINIT IRE SACERD.] Quæ curiositate ducta, aut affectu minus honesto stimulata vetitâ à sacerdote viam tentare ausa fuerit. Sacerdotes Musarum poëtæ se nominant, & carmina sua quædam sacra, & sacrificia videri postulant. Virgil. Georg. 2.

Me vero primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero, ingenti percussus amore,
Accipiant:

Hoc sæpius monere necesse est. quia id poëtæ sæpius inculcant, & in eo sibi placent maximè.

PROTIN. HÆC VET. CRIM. ACTA REA] Sibi culpam, non mihi adscribere debet, cuius præceptum contempsit.

NON TAMEN E. FACIN. &c.] Videndum quis, & quare voluat tales versus. Mulierculis, & adolescentulis, quorum animi tanquam fomes ad flammam interdictæ libidinis arripiendam paratiores sunt, nunquam voluendi sunt. Vt enim non sit facinus, potest tamen inde sequi facinus, & sæpe secutum est.

SÆPE. L. CASTÆ NON FAC. LEG.] Quæ verè sunt castæ tales lectiones oderunt: sciunt enim corpore integro esse tamen quædam stupra, & adulteria mentis, à quibus Christianæ fœminæ sibi male metuunt. Pleræque matronæ Romanæ, vt erant ea tempora, istam sanctimoniam negligebant.

SVPERCILII SEVERI] Attollere, adducere supercilium dicimus arrogantes, & fastidiosos. & superciliosos qui fastu turgent. Plin. lib. 11. cap. 37. supercilia homini & pariter, & alterne mobilia. Et in his pars animi. Negamus. annuimus. Hæc maxime indicant fastus. Superbia alicubi conceptaculum, sed hîc sedem habet: in corde nascitur, huc subit, hîc pendet. Nihil altius, abruptiusque inuenit in corpore vbi solitaria esset. Seuerum igitur supercilium hoc loco est adductum, contractum supercilium matronæ, prostibulis huiusmodi cum quadam superbia indignantis.

VESTALES OCVLI] Vestalium oculi spectant Floralia, ludos turpissimos, qui à meretricibus nudis agebantur in honorem cuiusdam Floræ deæ, & meretricis, quos iure insectantur Tertullian. Lactant. Minutius, Augustinus. Extat de Vestalibus Lipsij Syntagma.

DOMINO] Lenoni, qui ob id non punitur.

AT QVARE IN NOST. N. EST. &c.] Obiectio. Tu fateris in libris illis inesse nequitiæ semina, posseque animos inde inquinari, & mores corrumpi, si non recta mente legantur. Quare, obsecro, istis nugis scribẽdis bonum otium tam male collocasti? Scilicet solæ meretrices te doctore opus habuerunt. Magni nequam sunt illi tui libri. Quid tu adhæc?

NIL NISI PECCAT. MANIF. &c.] Confitetur stultitiam suam, qui ingenium suum ad meliora, & grauiora non converterit. Sequuntur

A argumẽta quædam illustria per distributionem, quæ sumere licuisset.

ARGOLICIS QVÆ CONCIDIT ARMIS] Potuissem canere bellum Troianum, quo à Græcis euersum est Ilium. Virgil. 2. AEneid. *Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis.* Et lib. 3. *Ceciditq; superbum Ilium.*

VEXATA EST ITER. CARM. MEO.] Fiunt quodammodo, quæ à poëtis facta commemorantur. propter ingenia eorum, & artificium in scribendo, quo res non tam narrari, quam ante oculos geri videtur. Quamobrem ποιηταὶ factores potius, quam ἀοιδοὶ cantores appellantur. Vexant igitur, & oppugnãt, & diruunt Troiam iterum Homerus Iliad. Virgil. 2. AEneid. Q. Calaber Paralip. Tryphiodorus. Propert. lib. 2. eleg. 34. de Virgilio & AEneide, respiciens ad illud *Arma virumque cano, &c.*

Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma,
Iactaq; Lauinis mœnia litteribus.

Persius Sat. 5. *Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ Feruebit.* Qui tragœdias vel de Progne, quæ filium Tereo patri coctum apposuit: vel de Atreo, qui Thyestæ fratri hoc idem fecit, component. Sic apud Theophrastum, & Platonem αἱρεῖν τὰς πόλεις vrbes capere dicitur, qui vrbium ἁλώσεις narrabant. Et apud Aristotelem γεννᾶν τὸν οὐρανόν, qui scribebant cælum fuisse genitum, siue creatum, quod obseruauit in Persianis Commẽtariis Caussabon.

C *CVR TACVI THEBAS.*] Memorabile est item bellum Thebanum, inter duos fratres germanos, Polynicen, & Eteoclem OEdipi filios, propter alternos in regno annos ad vrbem Thebas perpetratum, cum hic cedere nollet, & pacta mutaret, & violaret. Describitur lib. XII. à Statio. Multa de eo Euripid. Phœniss. AEschylus in VII. ad Thebas. Olim descriptum fuit ab Antimacho, qui libros 24. confecit in eodem, antequam duces ad vrbis oppugnationem perduceret. Etiam Anacreon hæc duo bella, Troianum puta, & Thebanum, vt exempla grãdis, & illustris materiæ profert. Recenset plures auctores, quorum scriptis materiam dederit hoc bellum, post Troianum celeberrimum, Ioannes Bernartius D principiò Schollorum in Thebaid. Statij, vbi & illud, gestum esse annis ante Christi natalem M.CC.XXXVI. ante V.C. CCCC.LXXXI. Versiculi Anacreontei sunt hi.

ὁ μὲν λέγει τὰ Θήβης, *Thebana bella cantat,*
ὁ δ' αὖ Φρυγῶν ἀϋτάς: *Troiana cantat alter.*

MVTVA VVLNERA] Congressi armis, vulneribus mutuis occubuerunt. Impositis deinde in rogum cadaueribus, flamma in duas partes se discreuit, vt mortui quoque odisse inter se crederentur.

ET SEPTEM P. SVB DVCE Q. SVO] Seneca Thebaide. *Septena muros castra Thebanos premunt.* Ducum 7. cum quibus ad oppugnationem venit Polynices, Adrasti regis Argiuorum factus

gener,

gener, totidemq; portarum ab iilis obsessarum nomina sunt hæc, ex Apollodoro lib. 3. Adrastus Talai, Amphiaraus Oiclis. Capaneus Hipponoi, Hippomedes Aristomachi. siue, vt alij tradunt, Talai. Hi Argiui fuerunt. Polynices OEdipodis Thebanus, Tydeus OEnei AEtolus, Parthenopæus Melaninnis Arcas. Adrastus quidem ad Hamoloidem portam tetendit. Capaneus ad Ogygiam: Amphiaraus ad Proëtidem: Hippomedon ad Orchaidem : Polynices ad Hypsistam: Parthenopæus ad Electram: Tydeus demum ad Crenidem.

NON MIHI MAT. BELLAT. ROMA] Tertium hoc argumentum, magnificum, & quouis magno ingenio dignissimum præ cæteris. Aptissima huic loco sunt verba Flori in Prologo. Pop. Romanus à rege Romulo in Cæsarem Augustum septingentos per annos tantum operum pace, belloque gessit. vt si quis magnitudinem imperij cum annis conferat, ætatem vitra putet: ita late per orbem terrarum arma circumtulit. vt qui res eius legunt, non vnius populi, sed generis humani facta discant.

BELLATRIX ROMA] Hoc prænuntiauit quodammodo Veneri Iupiter 1. AEneid. *Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet Mœnia.* Cic. 1. Tuscul. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Romulus apud Liuium lib. 1. Proculo Iulio cęlo repente delapsus se obuium dans, abi, nuntia Romanis, cælestes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant, sciantque, & posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.

PIVS EST PAT. F. REFERRE LABOR] Si laudare patriam suam Sulmonem voluisset, non ei materia defuisset. Describit 2. Amor. eleg. 16. & Ciofanus, ipse quoque Sulmonensis. Sed signatè ait, *facta referre.* Qui patriæ suæ res gestas, & suorum ciuium decora mandant litteris, hi nō mediocrem pietatis laudem assequuntur.

DENIQVE CVM MERIT. IMPL. O. CÆSAR, &c.] Hoc quartum habuit insigne, & graue argumentum: non quidem vniuersè, sed partem aliquam rerum ab Augusto gestarum, quas habes apud Sueton. Dionem, & alios.

VTQVE TRAH. OCVL. RAD. LVM. SOLIS] Nihil aspectu iucundius hoc sidere, quod tamen claritate sua oculo irretorto sese aspici non patitur. Solem considerat Plin. lib. 2. cap. 6. Arnob. lib. 1. Sol siderum princeps, cuius luce omnia vestiuntur, atque animantur.

TRAXISS. OCVL. SIC T. F.] Splendidissima, & toti mundo, instar solis, nota, & iucunda esse Cæsaris facta significat, quæ sibi animum furore illo poëtico mirabiliter concitassent.

ARGVOR IMMERITO] Quæ dicta sunt ab illo versu, *Cur non Argolicis potius, &c.* Ex persona reprehensoris dicta sunt, qui grauiora argumēta sigillatim ei proposuit, in quibus exercere ingenium oportuisset. Nūc respondet, & affirmat, vt recte non fecerit, quod impura illa scripserit, suum tamen agellum tantis segetibus efferendis haud satis esse opportunum ac validum: nec se magnam habere nauim ad sulcandum æquor: sed cymba in lacu tantum ludere. Sic bifariam, & ἀλληγορικῶς ingenij sui tenuitatem excusat.

TENVIS MIHI CAMP. ARATVR] Potest vox *campus* ad materiam quoque, & argumētum accommodari, quod sumitur ad tractandum, vt dicat sibi tenuem, & humilem potius, quam grādem, & sublimem, ac rebus fœcundam conueuire. Iuuenal. sat. 1. *Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo.* Cic. 1. Off. Hinc Rhetorum campus de Marathone, &c. Eodem sensu dixit *regio.* 2. de Orat. Benedicere autem, quod est scienter & perite, & ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem. Conspirant pulchre cum sententia huius carminis illa Propertiana lib. 3. eleg. 8. vbi aliunde ducuntur metaphoræ.

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.

FORSAN ET HOC DVBITEM, &c.] A minorum comparatione. Nōn audeam affirmare, me numeris leuioribus aptum, hoc est, rebus minoribus, quæ numeris leuioribus componuntur: quanto minus grauiores res, quæ carmine grandiore tractantur, tentare debeo? Sed vtut sit, *certe si me iubeas, &c.*

DOMITOS IOVIS IGNE GIGANTES] De hoc prælio Metamorph. lib. 1. Meminit Hesiod. in Theogon. Homer. Batrachom. Horat. Ode 4. lib. 3. Virg. 1. Georg. A Callimacho in hymno Iouis dicūtur πηλογόνοι terrigenæ, ob incertā, obscurāq; generis originē: tales quippe prouerbio terræ filij nominātur, quę cōmunis origo est omnium.

CANTANT. DEBILITAB. ONVS] Idcirco sapienter præcipit Horat. ad Pisones.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

DIVITIS ING. EST IMMAN. CÆS. &c.] Tenuis campus, & cymba, de quibus paulo ante, sunt ingenium non diues, non vber, non fertile. Vide Oden 6. lib. 1. Diues ingenium est fœcundum, copiosum, & tanquam flumen orationis fundens ingenium.

MATERIA NE SVPERET. OPVS] Ipsum artificium, & laborem suum vocat opus. Contra 2. Metamorph. de regia solis, quam ornauerat mirificis figuris, & emblematis Vulcanus, *Materiam superabat opus.* Totus hic locus, quo poëta noster ingenij sui facultatem extenuat, & se rebus Cæsaris Augusti cantandis imparem profitetur, belle consentit cum Horatij Ode 6. lib. 1. qua idem veretur, ne laudes egregij huius Imp.

& Agrippæ eius generi culpa ingenij deterat, dū imbelli lyra, & tenuis grandia conatur. Lege totam Oden.

ET TAMEN AVSVS ERAM] nihilominus feci periculum. Audemus in rebus magnis, & arduis.

SED DETRECTARE VIDEBAR] Sincerior lectio, *detractare*. ita, vt particula *de* hic minuat, cum in aliis augeat. Deuenerari, denarrare, demirari, &c. eo ſenſu quo Horat. in Ode iam citata dixit deterere.

DAMNO VIRIB. ESSE TVIS] Imbecillitate ſua eius vires, robur, præſtantiam ſe quodammodo deblilitaſſe, & dedecoraſſe.

AD LEVE RVRSVS OPVS] Ad ineptias iuueniles regreſſus ſum, poſtquam vidi me in grauibus operam ludere.

ET FALSO MOVI P. AMORE TVVM] Moui ſtomachum tibi, docēdis amoribus illis, quos reuera non doceo. Legitur item *meum*. Tum hæc erit ſententia. Memet excitaui ad amores ſcribendos, qui non ſunt, ſeu quos non ſcribo. Nec enim doceo vetitos ſollicitare toros, vt infra ſequitur.

SED ME MEA FATA TRAHEB.] Ita perſæpe homines improbi ſua vitia, & peccata excuſantes, culpam in fata, & neceſsitatem quandam inelectabilem conferunt, vt nos Chriſtiani in diabolum: cui ſi reſiſteremus, fugeret à nobis.

INQVE MEAS POEN. INGENIO S. ERAM] Initio libri. *Ingenio perij qui miſer ipſe meo.*

HEV MIHI CVR DIDICI, CVR ME, &c.] Si neſciſſem litteras, non ſcripſiſſem carmina. Si carmina non ſcripſiſſem, nec iſta carmina, quæ mihi tanto malo fuerunt. Nero, cum de ſupplicio cuiuſdam capite damnati, vt ex more ſubſcriberet admoneretur, quàm vellem, inquit, neſcire litteras? Sueton. cap. 10. Multi cum filios ſuos vident moribus tam perditis, optant vxores nunquam duxiſſe.

HÆC TIBI ME INVISVM LASCIVIA FECIT] Interpretatur ipſe, quod ſupra leue opus, & iuuenilia carmina appellabat. Inuiſus eſt odioſus. Virgil. 1. AEneid. *Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores.* Cic. 2. Off. Quo quis callidior & verſutior eſt, hoc inuiſior, & ſuſpectior detracta opinione probitatis.

VETITOS SOLLICITARE TOROS] Suprà. *Arguor obſcœni doctor adulterij.* Torus pro ſocia tori, vt apud poëtas Græcos λέχος lectus.

SED NEQVE ME NVPTÆ DID. F. MAG.] Suprà. *Eſte procul nuptæ.* Furtorum vocabulo indicari inconceſſam Venerem, alibi oſtendimus. Paris Helenæ. *Iupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.* Furtim enim talia committuntur. Et iſti male agentes oderunt lucem.

QVODQVE PARVM NOVIT, NEMO D. P.] Reſpondeat aliquis Ouidio illud Plauti in Trinum. *Indoctum quam docte facis? quid ſi aliquis te docuiſſet. &c.*

A *DELICIAS*] ſæpe dicitur hoc verbum in amoribus, & libidinibus. Sæpe etiam in rebus honeſtis ac laudabilibus. Delicias facere Plauto in Caſina, & Menæch. eſt ludere, iocari, ſchimpfen. *Eia, nimias delicias facis.*

ET MOLLIA CARMINA FECI] Molleſcunt corda amātibus, quibus nihil eſt mollius, eneruatius, effæminatius. Non itaque in eo negotio rebus, aut verbis duris, ſed mollibus opus. Propert. eleg. 9. lib. 1. *Carmina manſuetus lenia quærit amor.* Quod noſter ſic eſt imitatus, *Dulcibus eſt verbis lenis alendus amor.* Etiam Catullo molliculi. Verſus tum denique habent leporem.

STRINXERIT VT NOM. FAB. N. MEVM] vt non fuerim fabula. Vt non fuerim propterea
B in ore hominum. Vt non ideo male audiuerim. Eleg. vlt. lib. 4.

Nec qui detrectat præſentia liuor, iniquo
Vllum de noſtris dente memordit opus.

Tibull. eleg. 4. lib. 1.

Parce puer quæſo, ne turbis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magiſteria.

Dicuntur & δημώδεα γίνεσθαι Græcis, qui in magnam calamitatem deueniunt.

ADEO MED. DE PLEBE MARIT.] è medio vulgi. Nemo tam ignobilis, ac plebeius maritus eſt. Interdum populi appellatione omnes ciuitatis ordines continentur: plebis nomine ſine patriciis, & ſenatoribus cæteri ciues. Aliquādo populus nominantur patricij, plebs autem
C cæteri ciues. Cic pro Muræna. populo, plebique Romanæ bene, ac fæliciter eueniret. Liuius lib. 2. Non enim populi, ſed plebis eum magiſtratū eſſe. Rurſus populus ea pars ciuitatis dicitur, in qua ſunt ciues Romani honeſtiores, & opulentiores: plebs vero inops, & vilis multitudo, in omnes tribus diffuſa. Tacit. hiſtor. lib. 1. neque populi, aut plebis vlla vox. Et Annal. lib. 1. Et populo, & plebi CCCC. XXXV. dedit.

VT DVR. VITIO. S. P. ILLE MEO] vt per carmen meum, & peccato meo non ſit verus pater: ſed putetur eſſe pater, cū alius verſibus meis doctus, vxorem eius ceperit vſutariam. Seu, cum nupta alteri copiam ſui fecerit.

CREDE MIHI] Hic ſermo eſt pro aduerbio,
D quo quempiam familiariter admonemus, ne erret. 5. Faſt. *Non eſt, mihi credite, non eſt Illa Cereburnatas inter habenda deas.* Propert. eleg. 2. lib. 1. *Crede mihi, non vlla tua medicina figuræ eſt.* Martial. *Non eſt, crede mihi ſapientis dicere, viuam.*

DISTANT MORES A CARMINE NOSTRO] Atqui parœmia eſt, quales mores, talis oratio. Et rurſus, qualis oratio, talis vir. Et Solon aiebat, λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων, ſermonem actionum eſſe ſimulacrum. Seneca Mæcenatis delicias, ac molliciem ex ipſa hominis dictione colligi ſcribit. Adi Chiliaſten. Egóne vt putem diſtare mores Ouidij, Catulli, Tibulli, Propertij, Martialis ab ipſorum carminibus? In rem malam cum iſtis moribus. Exemplo etiam ma-

gnorum virorum, carminum suorum pruritum. & lasciuiam excusare nititur Plin. lib. 5. ep. 3. Quē, vt & alios, si à libidinosē factis, certe non à cogitatis abstinuisse nimis apertum est. Nobis autem sacra castiora, & diuiniora colentibus, vtraque prohibeantur.

VITA VERECVND. E. MVSA IOCOSA] Exponit quomodo distet moribus à suo carmine. Iocosam vocat Musam suam, sicut poëtæ tales versus sæpe lusus. Martial. *Innocuos censura potest permittere lusus.* Gloriatur idem lib. 2. *Lasciua est nobis pagina, vita proba est.* Adrianus de Voconio liberto suo. *Lasciuus versu, mente pudicus eras.* Catull.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Hæc omnia falsa sunt. Tu Isocratem audi ad Demonicum, *ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν*, factu turpia, & dictu inhonesta existima. Placet illud Ausonij, si nostris legibus metiare.

Nostra simul certant variis epigrammata nugis,
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salua mihi maneat veterum dum regula morum,
Ludat permissis sobria musa iocis.

MAGNAQVE PARS MEND. ET FICT. OP. MEOR.] Libri Metamorphoseωn quā fabulas continent, & continent maiorem partem. Epistolæ heroidum omnes fictæ. Reliquis multum fabularum inseritur.

PLVS COMPOSITORE SVO] Compositor, siue autor non est huiusmodi, puta mendaciloquus, & amans falsitatis, ac mendacij. Ergo etiamsi parum seuera scripsi, non sequitur me inuerecundum, ac libidinosum esse. Vellem equidem, mi Naso, ne sequeretur.

NEC LIBER INDICIVM EST ANIMI] In hoc quidem genere difficile creditu est non esse: in aliis plerisque haud negauerim.

HONESTA VOLVNT PLVR. MVLCEND. &c.] Do vero, sed obscœna referens, quo gaudem pacto est honesta voluntas? Obscœna suntne honesta? Nec ipsi sanè honesti, quorum aures talibus cantilenis, & iocis demulcentur.

ATTIVS ESSET ATROX] Attius, siue Actius, Pacuuio multo iunior, eidem Atreum Tragœdiam suam recitauit, populo Romano gratissimus. Interrogatus, cur caussas non ageret, cum tantùm posset in tragœdiis, respondit, quod in tragœdiis dicerentur quæ ipse vellet: in foro autem aduersarios dicturos, quæ ipse minimè vellet. Charus item fuit D. Bruto, vt is Actianis versibus templorum, & monumentorū frontes, & aditus exornare consueuerit. Prodidit memoriæ Cicero pro Archia. Plura Gyrald. de poët. dial. 8.

CONVIVA TERENT. ESSET] Propter illud in And. *Eho quid Pamphilus? quid? symbolam dedit, cœnauit.* Et Eunucho

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.
Prefectimus, dati annuli, locus, tempus constitutum est

In hunc diem, vt de symbolis essemus, Chæream ei rei præfecimus.

Non è versibus, sed è moribus poëtam probum, aut improbum iudicandum.

ESSENT PVGNACES. Q. F. BELLA CAN.] Canit bella Homerus, canit Virgilius, canit Statius, Claudianus, Silius, Lucanus, quorum nullus fuit pugnax.

NON SOLVS] iam iam plures de hoc sodalitio recensebit, in quo catalogo & Christiani quidam possent numerari. Martialis quoque epist. quam præmisit lib. 1. Lasciuam verborum suorum licentiam (quam epigrammatum linguam vocat) Catulli, Marsi Pedonis, Getulici, aliorumque exemplo, quorum tamen scripta terebantur, defendit. Sed enim ad veniam nihil prodesse idem peccantium multitudinem, docent diuinæ litteræ.

COMPOSITO POEN. S. AMORE DEDI] Esset huic misero solatium, vt perspicis, si iuxta tritum illud vulgi, pœnarū socios haberet. Quos quia nullos habet, cum culpæ socios habeat, & antecessores habuerit, quorum tamen nemo vel verbo ob id male acceptus sit, queritur iniquius secum agi. Nominantur Anacreon, Sappho, & alij.

LYRICI TEIA MVSA SENIS] Vtitur longiuscula enumeratione, & pœne ab omnibus poëtis quædam minus honesta fuisse conscripta ostendit, quæ tamen auctoribus suis fraudi non fuerint, & qui propterea iisdem vitiis dediti non sint existimati. Prius recenset Græcos, deinde Latinos. Qua in parte libri huius breuiores erimus, nisi quid plus verborum suo iure postulare videbitur. Poësin Anacreonteam totam esse amatoriam, restatur 1. Tuscul. Cicero quoque. Sed non minus vinosa est, quod bene obseruauit Ouid. tum hic, tum lib. 3. de Arte: *Sit quoque vinosi Teia Musa senis.* Quinque, & octoginta annos postquam vixit, acino vuæ passæ strangulatus occidit, Teio Ioniæ oppido oriundus. Eius vinolentiæ iudicem Odam vnam duntaxat subtexam:

ὅταν ὁ Βάκχος ἐσέλθῃ	*Vt me subit Lyæus*
εὕδουσιν αἱ μέριμναι,	*Tunc cura dormit omnis.*
δοκῶ δ' ἔχειν τὰ Κροίσου	*Crœsosque sperno præ me:*
θέλω καλῶς ἀείδειν.	*Dulcis repente nostro*
κισσοστεφὴς δὲ κεῖμαι	*Erumpit ore cantus,*
πατῶ δ' ἅπαντα θυμῷ.	*Edera comasque cingens,*
ὅπλιζ', ἐγὼ δὲ πίνω.	*Proculco mente cuncta.*
φέρε μοι κύπελλον, ὦ παῖ.	*Ad arma currat alter.*
μεθύοντα γάρ με κεῖσθαι	*Ad pocula ipse curram.*
πολὺ κρεῖσσον, ἢ θανόντα.	*Nam præstat ebrium me*
	Quam mortuum iacere.

Eius poësi, vt amoriæ, testimonium fert Horat. quoque Ode 17. lib. 1.

—— & fide Teia
Dices laborantes in vno
Penelopen, vitreamque Circen.

Testatur

Testatur & Pausan. in Atticis, primum post Sapphonem magnam partem carminum suorum in amoribus consumpsisse, eumq; effictum esse habitu hominis per ebrietatem cantantis.

LESBIA QVID DOCVIT SAPPHO] Indicat ipsum cognomen, vbi nata sit. Præ omnibus poëtriis commendatur à Strabone, & Eustathio in Dionysium. Gyrald. dial. 9. Scripsit Lyricorum libros 9. epigrammata, næuias, iambos, elegias. Propter suauitatem carminis, Græci decimam Musam appellauere; Catullus Sapphicam Musam.

Ἐννέα τὰς μούσας φασίν τινες· ὡς ὀλιγώρως·
ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.
Haud rectè quidam Musas dixere nouenas,
Lesbia nam Sappho Pieris est decima.

B

Auctor Philostrat. in vita Apollonij Tyan. sapientem mulierem Damophylam fuisse, eamque poëtriam, quæ ex Sapphus poëmatibus multa didicerit. Suidas. Vnum ex eius epitaphiis 3. Antholog. hoc est, tit. *εἰς ποιητάς.*

Οὔνομα μὲν Σαπφώ. τόσσον δ' ὑπερήνεγκ' ἀοιδῶν
θηλειῶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδης.
Sappho ego. Mæonides cunctis seu vatibus anteit,
Carmine fœmineum sic ego duco chorum.

NEC TIBI, BATTIADE, NOCVIT] Callimachú intellige, Batti filium, patria Cyrenæum, è Libya. Scripsit admodum multa, è quibus præter hymnos, & aliquot epigrammata nihil quod sciam, superest. Gyrald. plura dial. 3. In hoc poëta ingenium desiderat noster Ouidius Am. lib. 1. eleg. 15.

C

Battiades toto semper cantabitur orbe,
Quamuis ingenio non valet, arte valet.

Vbi verisimile est, eum voluisse ingenium illius ex suo metiri, minimeq; illam sui *ὑψηλόν* considerasse: ac si Milo Crotoniata aliorum athletarum robur, & lacertorum vim desideraret. Habet heroicam, & admirabilem quandam grandiloquentiam. Sed & tenuitas eiusdem, & fœlicitas elegiaci carminis à Propertio laudatur, quem cum Phileta auctorem habuit. Lib. 3. eleg. 1.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum quæso me sinite ire nemus.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro
Quoue pede ingressi, quamue bibistis aquam.

D

Tuetur hunc poëtam contra iudicium Nasonis. Hen. Steph. Schediasm. 14. lib. 3. vnde ista exscripsimus.

IVCVNDI MENANDRI] Quod ait nullam fabulam esse huius Comici sine amore, id quoq; apud Terentium, & Plautum, quos solos ex antiquitate habemus superstites, verum est, si Captiuos, & Trinummum huius excipias. Fuit Menander Atheniensis, aspectu strabus, ingenio promptus, nouæ comœdiæ princeps. Comœdias ad 108. fecisse traditur. Præter fabulas reliquit epistolas ad Ptolemæum regem, & alia, pleraq; oratione soluta. Charus adeo Macedoniæ, & AEgypti regibus, vt eum missa naue per legatos peterent; sed ire noluit. Plin. lib. 7. cap. 30. Cætera Gyrald. dial. 7. Vnum omnium affectus expressisse, scribit Fabius cap. 1. lib. 10. De eodem Gell. lib. 2. cap. 23. Athenienses ei statuam in theatro posuerunt. Pausan. in Atticis. A facetiis eundem prædicat Propertius quoq; eleg. 21. lib. 3. *Librorumque tuos docte Menandre sales.* Huius se imitatorem iactat Terentius Prologo Andriæ.

ILIAS IPSA QVID EST, &c.] Helena absente viro suo Menelao, Paridem hospitem Troianum, Priami regis filium secuta, bellum illud decennale creauit. Eius adulterium Virgil. 3. AEneid. inconcessos hymenæos nuncupat. Olympiodorus dixit, Homeri Iliadem nihil esse aliud, quam *δημολογίαν βαρβάρων πρὸς Ἕλληνας.* Nisi forte aptius legendum sit *Ἑλλήνων πρὸς βαρβάρους*, iuris & caussæ suæ Græcorum contra barbaros defensionem.

QVID PRIVS ILLIC. F. CHRYSEID.] 1. Iliad. Chryses Apollinis sacerdos filiam Chryseidem, quam tenebat Agamemno, supplex, & cum bonis precationibus repetit, nec recipit: sed insuper eum verbis contumeliosis, & minacibus dimittitur. Vnde lues exercitui ab Apolline, sacerdotis sui contemptum vindicante, immittitur; exemplo notabili, sacerdotibus debitum honorem impertiendú, si deum habere propitium velimus.

FECERIT IRAT. R. PVELLA DVCES] Briseis. Quam cum Agamemno se Achilli pro Chryseide (quam reddẽdam patri omnino suadebat) minaretur, ille sic excanduit, vt ferrum stringere, & regem confodere pararit, ac postea diutissimè pugna abstinuerit, suoque auxilio, in quo maximum erat momentum, destitutos Græcos, Troianis fugandos, occidendosque obiecerit.

DVM VIR ABEST] Penelope, quamuis à tot procis petita, coniugij fidem Vlyssi suo per totos XX. annos fidelissime seruauit, quantumcunque ad nouum matrimonium sollicitante patre. Ipsa in epist. ad maritum.

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat vsq; moras.
Increpet vsq; licet: tua sum, tua dicar oportet:
Penelope coniunx semper Vlyssis ero.

Lege Natal. lib. 8. cap. 24.

MVLTIS VNA PETIT. PROCIS] Propert. eleg. 9. lib. 2. *Multis fœmina digna procis.* Et eleg. 6. *Phryne tam multis facta beata viris.* Nominat hos Homerus Odyss. 22. vbi ab Vlysse cum auxilio interficiuntur. Nominat quosdam in eadem epistola Penelope, & ab iis rem eius omnem abligurire, ac deuorari conqueritur.

Dulichij, Samiique, & quos tulit alta Zacynthos
Turba ruunt in me luxuriosa proci.
Inq; tua regnant, nullis prohibentibus, aula,
Viscera nostra tua dilacerantur opes.
Quid tibi Pisandrũ, Polybumque, Medontaq; dirũ,
Eurymachiq; auidas, Antinoiq; manus,

Atq; alios referam? quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis.

Idem quem supra nominaui Olympiodorus dixit Odysseam non esse aliud quam δικολογίαν. Hoc est, nihil agere aliud, nisi quod de iure inter procos, & Telemachum disserat. Proci, qui aliquam in matrimonium poscunt, græcè μνηστῆρες. Est enim procare poscere, vnde meretrices procaces. Fest. & Nonius. Est Antiphili epigramma scitissimum, ac rotundissimum 1. Anthol. tit. ἑζ. εἰς ποιητάς, in Iliadem, & Odysseam: vbi se dicunt esse filias Homeri, continereque res Iliacas. Et alteram narrare pugnas decennalis belli, facinoraque Hectoris, & Achillis: alteram labores Vlyssis, & Penelopes lacrymas. Adnumerat eas tandem Musis, facitque vndecim. En tibi versus.

α. αἱ βίβλοι, τίνος ἐστέ; τί κεύθετε; β. θυγατέρες μὲν
Μαιονίδου, μύθων δ' ἵστορες Ἰλιακῶν.
ἁ μία μὲν μῆνιν Ἀχιλλέος, ἔργματι χειρὸς
Ἑκτορέας, δεκάτου τ' ἆθλα λέγει πολέμου·
ἁ δ' ἑτέρα μόχθον τὸν Ὀδυσσέος, ἀμφὶ δὲ λέκτροις
χηρείοις ἀγαθᾶς δάκρυα Πηνελόπας.
α. ἵλατε σὺν Μούσαις, μεθ' ὑμετέρας γὰρ ἀοιδὰς
αὐτὸν ἔχει αἰὼν ἕνδεκα Πιερίδας.

VENER. MARTEMQVE LIGAT, &c]. Homer. 8. Odyss. Ouid. 4. Metam.

DVAS DEAS] Circen. & Calypso. De Circe Natal. lib. 6. cap. 6. De Calypso Homer. multa lib. 4. & 5. Odyss.

OMNE GEN. SCRIPT. GRAVIT. TRAG. VINCIT] Grauitate rerum, verborum, personarum. Res magnæ, raræ, luctuosæ, horribiles. Verba magnifica, sonantia, illustria, selecta, sesquipedalia. Personæ nobiles, principes, reges. Vnde ἐκτραγῳδίζειν pro magnificè loqui, & rem verbis amplificare. Similiter τραγικώτερον λαλεῖν. 3. Am. el. 1. alloquens ipsam tragœdiam de se cum elegia contendentem.

Exiguum vati concede Tragœdia tempus,
Tu labor æternus. quod petit illa, breue est.

MATERIAM SEMPER AMORIS HAB.] Tres tantum tragicos de Græcis habemus reliquos, AEschylum, Euripidem, Sophoclem; & eorum paucissimas tragœdias, cum singuli plurimas fecerint. De Latinis solum Senecam. Tragicorum veterum latinorum fragmenta collegit in Aduersariis suis Delrius. Si verbum *amoris* sumas latius, pœne in omnibus verum compertes quod ait. Sæpissime enim tragœdiis occasionem, & caussam amor dedit. Faciunt huc Horatiana illa ad Pisones, cum tragœdias à comœdia secernit.

Versibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item priuatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Infra autem quod adiicit, eodem pertinet. *Esse tibi leues indigna tragœdia versus.*

NAM QVID IN HIPPOLYTO EST, &c.] Tragica argumenta probationis ergô percurrit.

A *TINGERET VT FERR. NAT. SANGV. MAT.*] Tragœdiam Medeæ scripserunt: Euripides de Græcis. De Latinis. Attius, Ennius. Varro, Seneca, Ouid. Vide Prodidag. Duos ex Iasone filios genuit, quos postea, cum ille Creusam Corinthiorum regis filiam superinduxisset, trucidauit. 7. Metamorph. *Vtroque Sanguine natorum perfunditur impius ensis.* Virgil. eclog. 8. *Saeuus amor docuit natorum sanguine matrem Commaculare manus.* Hinc παιδοκτονία dicta. Speciem prouerbij habet quod est apud Simocattam in epist. μηδείας καὶ φαίδρας φοβερώτερος. Medea, & Phœdra horribiliora. Nam & hæc insimulatione sua priuignum Hippolytum occidit, & quidem nece crudelissima, cum ab equis Neptuni dilaniatus fuerit.

B *FECIT AMOR SVBITAS VOLVCRES*] De re tota scriptum 6. Metamorph. De Tereo, inquam, rege Thraciæ, Philomela, & Progne sororibus, & puero Ity.

IMPIA SCYLLA] Metam. 8.

QVI LEGIS ELECTRAM] Præclara Sophoclis tragœdia, in qua adultera Clytæmnestra, & adulter AEgisthus ab Oreste, adiuuante sorore Electra, patris vindicandi interficiuntur. Ex Xantho poëta refert AElian. lib. 4. cap. 26. prius dictam Laodicen. Sublato autem patre Agamemnone, cum mater Clytæmnestra adultero suo AEgistho nupsisset, isque regnum gubernaret, ipsam caruisse lecto coniugali, & in

C virginitate consenuisse, ideoque nominatam Ἠλέκτραν quasi ἄλεκτρον. Scribitur tamen à Pausania, Pyladi nuptam, Medontem, & Strophium genuisse. In Corinthiacis.

EGENTEM MENTIS ORESTEM] Propter matrem adulteram à se interemptam Orestes agitatus est furiis, mente alienatus. Tragœdiam composuit Euripid.

DE TETRICO DOMITORE CHIMÆRÆ] De Bellerophonte, Homerus Iliad. 6. cui Antia Præti regis vxor, vt Phædra Hippolyto, frustra est blandita, & deinde vt reum accusauit.

MYCENÆO PHÆB. AMAT. DVCI] De Cassandra vate. Priami regis filia, de qua Euri-

D pid. in Hecuba, & Seneca in Agamemnone, interpretor.

ILIACAM TETIG. QVI RATE. P. HVM.] Protesilaum, cuius coniux Laodamia, viri amantissima. Vide eius epistol.

HVC HERCVLIS VXOR] Est in manibus Hercules Furens Senecæ, & Euripidis ἡρακλῆς μαινόμενος.

ILIACVSQVE PVER] Ganymedes filius Trois regis Troiæ. Quid sibi eius raptu fingendo Homerus voluerit, consule Alciat. emblem. 4. & in eundem Claud. Minoëm.

TRAGICOS IGNES] Ardor ille amantium ignis vocabulo exprimitur. Ouid. eleg. 10. lib. 4.

A *Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes.* Virg. eclog. 5. *Si quos ad Phyllidis ignes, aut Alconis habes laudes.*

IN OBSCOEN. TRAG. RISVS] cum risus sit tragœdiæ inimicissimus, vtpote in materia luctuosa. Dupliciter itaque ab eius grauitate discessum, & obscœnitate, & risu ex eadem introductis.

PRÆTERITI PVDORIS] viulati, neglecti pudoris, impudica, & impudentia verba.

MILESIA CRIMINA] Milesiorum mores mollissimi, & effæminatissimi fuerunt, libri autem huius Aristidę Milesiaca, pleni turpitudinis. Lege Politian. cap. 16. vbi explicatur prouerbiũ, οἴκοι τὰ μιλήσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε domi, non hic Milesia. Appian. in Parthico. ἀκόλαστα βιβλία τῶν Ἀριστείδου μιλησιακῶν. Iterumque μιλησιακοῖς ἀκολαστήμασι Milesiacæ petulantiæ.

B Cæterùm Aristides hic, quod ex infra dictis, cum ad Sisennam veniet, manifeste apparebit, non poëta, sed historicus fuit.

CORRVMPI SEMIN. MAT.] Docuit Eubius medicamentis partum abigere, & præterea flagitiosam historiam composuit.

QVI COMPOSVIT NVPER SYBARITIDA] De auctore, & argumento huius Sybaritidos. & de Sybariticis libellis Polician. cap. 15.

DOCTOR. NOM. MISTA VIROR. &c.] Huiuscemodi libri in bibliothecis, constructis à viris principibus, vt dicetur eleg. 1. lib. 3. cum aliis asseruantur, & est eorum vsus communis.

C *PEREGRIN. AB ARMIS*] exemplis exterorum, Grecorum puta. Non defuisse & Latinis rerum amatoriarum scriptores, nunc aggreditur ostendere.

MARTEM CECINIT] Bella populi Rom. Horat. ad Pison. *Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Prosiluit dicenda.* Distinctius istuc Propertius lib. 3. eleg. 2.

Hic cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiaq; Æmilia victa tropæa rate:
Victricesq; moras Fabij, pugnamq; sinistram
Cannensem, & ve sos ad pia vota deos:
Annibalemq; Lares Romana sede fugentes,
Anseris & tutum voce fuisse Iouem.

ENNIVS INGEN. MAX. ARTE RVD.] Q. Ennium Cic. de opt. gen. orat. summũ Epicum,

D Horat. ad Pisones patrem, latinorum videlicet poëtarum, appellauit, antiquitatem respiciens potius, quam præstantiam. Non esse autem arte rudem, copiose ostendit, de eius vita, & fragmẽtis à se diligentissime conquisitis, dispositis, explanatis quam optime meritus Hieronymus Columna, vir & familia, & doctrina nobilissimus. Collegit idem plura veterum de eo testimonia. Sed vt hic in Ennio artem, sic alibi in Callimacho, quod supra docuimus, ingenium requirit, vt si vtrobique rem accuratius pensites, existimare possis re vtraque diligentius examinata iudicio lapsum Ouidium: cuius est & hoc in eundem Ennium præconium 1. Amor. eleg. 15.

Ennius arte carens, animosiq; Attius oris
Casurum nullo tempore nomen habent.

De Ennianis versibus quid iudicet Seneca, Gellius lib. 12. cap. 2. Sane pro rudibus & incultis ducit. Horat. quoque cum ait ep. 1. lib. 2. *Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus, vt Critici dicunt, &c.* videtur in illis desiderare iudicium. Nam somnio eiusdem inducti potissimum ita senserant. Somniauit autem, animam Homeri in se migrasse. Vnde existimari voluit, se exinde Homericæ venæ quasi hæreditatem adiisse.

EXPLICAT VT CAVS S. RAP. LVCRET. IG.] De igne variis locis disputat Lucret. cuius sententias afferre, & excutere nihil attinet.

CASVRVMQVE TRIPLEX VATIC. OPVS] Insinuat hos versus è lib. 5.

Principio maria ac terras, caelumq; tuere,
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia templa
Vna dies dabit exitio, multosq; per annos
Sustentata ruet moles, & machina mundi.

Vt ergo Romani quidam poëtæ res graues tractarunt. Ennius, exempli caussa, bella Romanorum per Annales, Lucretius rerum naturam, seu physica: sic alij contra, & multi quidem, Lasciuas, & Venereas.

LASCIVO CATVLLO] Cur huic docti nomen ab antiquis attributum sit, miratur in Hypercritico Scaliger: nihil enim non vulgare in eius libris, inquit. Ast inimicabilis illa numerorum mollicies in hendecasyllabis potissimùm, & suauitas orationis incredibilis non sunt vulgaria.

CVI FALSVM LESBIA NOM. ERAT] amasiis suis poëtæ mutabant nomina. Catulli Lesbia suo germano nomine fuit Clodia, Delia Tibulli Flauia, Cynthia Propertij Hostia Perilla Ticidæ Metella. Vide Sinopsin nostram in eclog. 10. Deinde exaggerat libidinem Catulli, qui non sit veritus etiam alios amores suos; & adulteria prædicare.

EXIGVI CALVI] C. Licinius Caluus Catulli amicus, statura breuis fuit. Gyrald. dialogo 10. Cum Catullo nominatur ab Horat. sat. 10. lib. 1. *Nil prater caluum. & doctum cantare Catullum.* Ab eo dicit Gellius fuisse factas fluentes carminum delicias. Meminit eiusdem lib. 2. & Propert. eleg. vlt.

Hoc etiam docti confessa est pagina calui,
Cum caneret misera funera Quintiliæ.

QVID REFERAM TICIDÆ] Scripsisse traditur epigrammata, & hymenæum, quod poëma citat Priscianus.

QVID MEMMI CARMEN] Nũ hic Memmius fuerit ille C. Memmius Lucretij familiaris cui opus suum de rerum natura inscripsit, poëta & orator, haud pro certo constat. Putãt quidam

hunc esse, cuius Cic. meminerit in Bruto, qui in Cæsarem quoque inuectus sit.

NOMEN ADEST REB. NOM. PVDOR] In editione Lipsiensi. *Rebus adest nomen*. Non queo diuinare quid velit. Nam si explicemus cum Merula sic. cum in aliquem scribunt, res etiam obscœnas, suis eas nominibus, parum honestis appellant; quomodo igitur adest nominibus pudor? de quo iste Merula tacet. Legamus igitur *abest* pro adest, hac sententia. Res ipsæ quas hi duo scribunt, cum sint obscœnæ ac turpes, non appellantur suis nominibus, cum tamen nomina illa, id est sermo illorum sit nihilominus fœdus, & omni pudore carens. Potest hoc fieri per metaphoras, & allegorias, &c. Noster Mattmannus sic legebat *apud quos Rebus adest nomen: nominibusue pudor?* hoc sensu. Argumentum quod isti tractant, turpiculum est: sed & verba rebus non dissident. Qui igitur potest in verbis illorum inesse pudor? Ingeniosa coniectura, & probabilis.

CINNAQVE PROCACIOR ANSER] Cinna scripsit poëma Smyrnam, quam edidit post annum nonum, vt ait Catull. Anser fuit poëta M. Antonij, quem perstringunt Cic. Philip. 13. & Virgil. eclog. 9. Vide ibi Symb.

ET LEVE CORNIFICI OPVS] Putant esse illum, ad quem sunt tot epistolæ Ciceronis. Eius aliquot versiculos adducit lib. 6. Saturnal. Macrob.

PARQVE CATONIS] æque lasciuum. Fortasse hic est Cato Grammaticus, de quo Bibaculus apud Suetou. de illustribus Grammaticis.

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit, & facit poëtas.

NOMINE DICTA MET. TVO] Nihil de hoc cumperi.

PHASIACAS ARGO QVI DVX. AD VND.] Varro Atacinus scripsit Argonautica. Phasis fluuius Colchidem præterlabens. De hac naui, & fluuio Catull. de nupt.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas
Phasidis ad fines, & fines Æetæos.

Strabo lib. 11. & vrbem, & fluuium eiusdē nominis ponit. De Argonautis Ouid. 7. Metamorph.

Multaq; perpessi claro sub Iasone tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidis vndas.

Ab hoc flumine, quod ibi frequens, phasianus auis.

NEC MINVS HORTENSI] De hoc Gell. lib. 19. cap. 9. Nam Leuius implicata, & Hortensius inuenusta, & Cinna illepida, & Memmius dura. Catull. vt in scribendo præcipitem, ac festinantem notat.

Smyrna mei Cinnæ nonam post denique messem
Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem:
Millia cum interea quingenta Hortensius vno
* * *

Fuit & orator magnus hoc nomine, Q. nempe Hortensius, qui cum Cicerone, & aduersus Cic.

A caussas egit, vt ex Quintiana patet. De nomine autem Hortensius, & similibus Rumanorum, vt Piso, Fabius, Lentulus, &c. à rebus rusticis. consule cap. 9. lib. 1. Alexand. ab Alex. & ibidem Tiraquel.

SERVI CARMINA] Opinatur Gyrald. dial. 8. hunc esse illum Seruium Sulpitium Iurisconsultorum eloquentissimum, cuius mortem defleuit Philipp. 9. Cicero.

VERTIT ARISTID. SISENNA] In carmen vertit Milesiaca Aristidis, & historiam illam turpibus iocis aspersit.

CELEBRASSE LYCORID. GALLO] Ne pigeat videre Symb. nostras ad Eclog. 10.

SED LING. NIM. NON TENVISSE ME-
B *RO*] Xiphilin. in Augusto Cornelius Gallus cui fuerat AEgyptus commissa, propter magnitudinē honoris cœpit omnibus modis iniuriam facere. Nam & vana quædam conuitia iactauit in Augustum: & suas statuas in omni fere parte AEgypti collocauit, iussitque res suas gestas in pyramidibus inscribi. Is à Largo amico suo accusatus, magno dedecore affectus est, & suis facultatibus priuatus. Quæ cum decreto senatus ad Cæsarem peruenissent, mortem sibi consciuit. Sueton. cap. 66. in Augusto. Sed Gallo quoque & accusatorum denuntiatoribus, & senatusconsultis ad mortem compulso, laudauit quidem pietatem tantopere pro se indignantem: ceterū & illacrymauit, & vicem suam conquestus est,
C quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. Suscepit igitur petulantis linguæ mercedem Gallus. Bene ac vere Euripid.

τέλος ἀχαλίνων στομάτων δυστυχία.
Miseria linguæ incontinentis premium.

DVRVM PVT. ESSE TIBVLL.] Docet quantus magister in schola Veneris Tibullus fuerit, versibus XVI. quorum explanationem ab eius explanatoribus petas licet.

NEC FVIT HOC ILLI FRAVDI] non illi malo fuit. Cic. pro domo sua. Hæc res nemini vnquam fraudi fuit. Fraus interdum pro damno, detrimento, incommodo.

BLANDI PROPERTI] Alibi teneri oris
D vocat. Extant in huius libros præfationes, & in totum commentarij Ioan. Passeratij. Habet plures qui ipsum laudent, quam qui bene vbique intelligant. Intelligeretur facilius, si extarent quos se imitatum profitetur.

DISTRICTVS MINIMA NOTA] notatus. Nullam sibi maculam inussit. An nō, pie & prudens lector, dum gloriantes istos in malitia sua legis, & audis, videris tibi simul audire quod est apud Ecclesiasticum in persona impr.oborum, *peccaui, & quid mihi contigit mali?* Imo verò ne peccasse se quidem agnouerunt cais[?]ti.

HIS EGO SVCCESSI] In munere præclaro scilicet. Sed illis euadentibus, tu h[?]æsisti in pœna. *Ab te quam miseri, maliq; fati.*

CANDOR NOM. VIVOR. DISSIMVL. IVB.] Vetéres nominauit; recentium, & adhuc viuorum nominibus parcit, eorumque honori consulit.

QVA TOT IERE CARINÆ] quod flumen seu quod pelagus antea tot nauigassent. Scripta vocat cymbam, carinam, nauem. 1. Fast.

Excipe pacato Cæsar Germanice vultu
Hoc opus, & timidæ dirige nauis iter.

NAVFRAGA VNA RATIS] non putaui mihi nociturum, ob quod alij tam multi ne appellati quidem essent.

SVNT ALIIS SCRIPTÆ, &c.] Hactenus de scriptis sui generis, ἀρεταίοις. Nunc de ludicris, & parum vtilibus aliorum, tantumque ad bonum otium, & bonas horas perdendas spectantibus. Atque hinc rursus argumentum. Cum eorum nemo punitus sit, ne se quidem ludicra, & nullius frugi scribentem multandum fuisse.

QVIBVS ALEA LVDITVR ARTES] Ludere aleam & alea dicimus. Sed cum hic ludus fortunæ magis sit, quam artis, ad periclitationem, & ad dubium, atque ancipitem rei euentum transfertur. Vide Chiliasten, omnem iacere aleam. Horat. dicitur periculosa Ode 1. lib. 2.

AD VESTROS. N. LEVE CRIM. AVOS] Qui ludus apud maiores vestros, ò Romani, magno crimini datus fuit. Vetitam legibus aleam dicit Horat. Ode 24. lib. 3. Cornelia, & Titia, vt opinantur quidam, quos Martianus iurecos. memorat. Reperitur & in Pand. titulus de aleatoribus. Nuces loco aleæ fuerunt pueris, quibus in Saturnalibus ludere permissum, sicut iuuenibus alea. Omni reliquo tempore vetabatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21. Claud. Imp. librum de arte aleatoria confecisse perhibetur.

QVID VALEANT TALI, TESSERA QVOS, &c.] De ludo talorum, & tesserarum, si vacas, lege quæ scribuntur Comment. in Herculem Furent. Senecæ, à polyhistore, & multæ lectionis Delrio nostro, pag. 243. & à Iunio cap. 4. lib. 2. & à Turnebo lib. 27. cap. 3. à Causabon. in Sueton. pag. 152. n 24. à Cælio Calcagnino, à Radero nostro in 14. Martial. epigram. 11. & 12. Tali Græcis ἀστράγαλοι, & talis ludere ἀστραγαλίζειν. Tesseris ludendi ratio diuersa fuit à nostra.

DISCOLOR VT R. GRASSET. L. MILES] Ludum latrunculorum, seu scacchorum putant hîc paucis describi, de quo Hieronymus Vidas poëma reliquit eximium.

PARVA SEDET TERNIS, &c.] Aliud genus ludi, quod Germani appellant der Stein/ oder die Spern ziehen. Sed neque vetus illud cum nostro congruit. Vides enim tres tantum vtrinque veteribus vsitatos, nostris nouem: & illis pauciores, his plures lineas. Habes ergo summatim descripta genera ludorum quatuor, talorũ, tesserarum, latrunculorum, lapillorum, de quibus singulis quid etiam Mycillus, & Amerpachius differant cognosse si lubet?

A *QVIQVE ALII LVSVS, &c.*] Adiiciuntur adhuc quædam alia ludẽdi genera, quibus tempus male ponatur.

REM CHARAM] Theophrast. vocauit tempus ἀνάλωμα πολυτελέστατον sumptum preciosissimum. Et Plin. verbum tradunt esse, nullam videri maiorem iacturam quã temporis: volat enim irreuocabile. Est tamen sapienti quoque nonnunquam remittendus, & laxandus animus, seruandumque præceptum Ausonij, cuius sunt disticha, quæ feruntur sub Catonis nomine. *Interpone tuis interdum gaudia curis.* Hoc non est tempus perdere: sed valetudini prouidere, & vires fessas instaurare.

FORMAS, IACTVSQVE PILARVM] De
B lusu pilæ disserui dialog. 68. Volum. II. Adi Iulium Pollucem, & Mercurialem in arte gymnastica lib. 2. cap. 5. & lib. 5. cap. 4. Plures erant formæ, plura iaciendi genera.

HIC ARTEM NANDI PRÆCIP.] De natatione multa scitu dignissima Mercurialis lib. 3. cap. 14. & lib. 6. cap. 12.

ILLE TROCHI] Græcis vsitatum lusum fuisse indicat Horat. Ode 24. lib. 3. diuersum à ludo turbinis, cuius meminerunt Virgil. & Tibull. trochus enim rota est, ad quam se pueri exercebant.

COMPOSITA EST ALIIS CVRA, &c.] De quibusdam artificiis, quibus facile carere possit humana vita.

C *FVSCANDI COLORIS*] fuscus enim color quærebatur in illa militia parum militari.

HIC EPVLIS LEG.] artem popinariam docuit. vt quidam Apitius postea, de quo Seneca Consolat. ad Heluiam cap. 10. qui in ea vrbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit, &c. Itẽ de beata vita cap. 11. Aspice Nomentanum, & Apicium, terrarum ac maris (vt isti vocant) bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia, &c.

HOSPITIOQVE] quomodo lautius accipiendi hospites.

HVM. DE QVA FING. POCVLA] Tibull.
D eleg. 1. lib. 1.

Adsitis diui, nec vos è paupere mensa
Dona, nec è puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primùm sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitq; luto.

Vide Achill. Statij Comment. Samia inprimis laudabantur. Nec modo fictilia pocula, sed patinæ quoque fictiles veteribus illis sæculis vsitatæ fuerunt. Curius fictilia sua auro Samnitico prætulit, Florus lib. 1. cap. 18. Ab hac frugalitate, & parsimonia commendat Porsenam regem Martialis lib. 14.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Non prætereundus quoque Agathocles Siciliæ

rex.

rex; qui insuper facti sui rationem sapientem adducebat, vt habet epigramma Ausonij in eundem, quod attexo.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes pauperiemq; simul.
Quærenti caussam, respondit: rex ego qui sum
Siconiæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

FVMOSO DECEMBRI] Huiuscemodi ludos exerceri, & talia poëmata recitari ait mense Decembri, Saturnalibus nimirum, quæ illo ipso mense agitabantur. Fumosus est December propter luculentos ignes ad frigus dissoluendum.

NON TRISTIA CARMINA] in antegressis delicias, iocos, & frontis non seueræ dixit esse.

SED TRISTIS NOST. P. SECVT. IOCOS] pœne ludit in re feria. Ioci mei parum iocose mihi euenerunt. Alibi.

Naso parum prudens artem dum tradit amandi,
Doctrinæ pretium triste magister habet.

REPERTVS EGO] Apposite ad hunc locum Germani. Ich armer Teuffel habe müssen das Bad außtrincken.

MIMOS OBSCOEN. IOCANT.] Infrà, *imitantes turpia mimos.* Describuntur hic mimi exacte satis, eo consilio, vt à maiore probet, si mimographis nulla pœna irrogetur, qui latiorem libidinibus, & adulteriis portam aperiant, minus sibi irrogari debuisse, qui leuius peccarit. Nihil aut scriptorum impudicorum, aut spectaculorum lasciuorum, aut ludorum inutilium, aut imaginum incestarum omittit, vt caussam suam ex collatione tueatur. De poësi mimica Scalig. lib. 1. cap. 10.

QVODQVE. M. PROD. P. EST. I. POETÆ] Res nullius fructus, nauci, nihili suis auctoribus pro pœna qua plecti debebât, apportat lucrum, vt sequitur.

TANTAQVE NON. P. CRIM. PRÆT. EMIT] Prætores, & AEdiles cum ludus facerent, à poëtis comœdias, & fabulas emebant, quæ iis ludis darentur. Prætores dictos ait Varro, quod iure, & exercitu præirent, quasi præitores. Liuius, quod præessent. Olim siquidem summi quique magistratus Prætores appellabantur: postea qui iuri dicundo præerant.

TOTVS QVIBVS VTITVR ORBIS] quæ sunt orbi tanquam sol: sed ἀμφιβόλως loquitur, & de luminibus animi, de eius prudentia, inquam, vult intelligi: vt supra: *à te pendentem sic dum circumspicis orbem.*

SCRIBERE SI FAS EST, &c.] Hæc est argumentatio, de qua dixit.

SVA PVLPITA] Quid fuerit in theatro pulpitum, quid scena, quid proscenium, Philander in Vitruuium lib. 5. cap. 6. Horat. ad Pison. de AEschylo, *& modicis instrauit pulpita tignis.* Ibid. de

A tibicine in tragœdiam inducto, *traxitque vagus per pulpita vestem.* Aliquando pulpitum pro suggesto, seu editiore loco.

ET MEA SVNT POP. SALTATA] ad saltationem decantata. lib. 5. eleg. 8.

Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
Versibus & plaudi scribis, amice, meis.

Possis fortasse ad χειρονομίαν pantomimorum in theatris referri, qui ἐχειρονόμουν, id est, manibus, & gestibus verba exprimebant, quod ὀρχεῖσθαι saltare dicebant.

IN DOMIB. VEST. VT PRISCA VIROR. &c.] In variis ædium partibus dedicatas habebant imagines. Suorum quidem maiorum in atrio. Eorum quos amarent in cubiculo. Viri docti

B in bibliothecis, &c. Vberius de his Animaduersor. in Sueton. pag. 69. num. 39.

SIC QVÆ CONCVBIT. VAR. EXPRIM. TAB.] Mirum tam grauem Imp. tantis fœditatibus delectatum. Veteres poëtarum commenta ideo damnabant, quod iis multa turpia, & flagitiosa de diis, & heroibus narrarent, indigna castis auribus. Nunquid non eadem de caussa obscœnæ imagines reiiciendæ? Sorores enim istæ, pictura scilicet, & poësis, artificio suo minime malos, sed incautos, ac præsertim adolescentiores blâdia quibusdam venenis per oculos, & per aures infusis ad interitum pertrahunt.

VVLTV FASSVS TELAMON. IRAM] Aiax Telamon. filius propter arma Achillis sibi

C patrueli abiudicata à Græcis ducibus, & Vlysi, nulla cognatione iuncto adiudicata. Vide 13. Metamorph. De eo Philostratus in heroicis.

INQVE OCVLIS FACIN. BARB. MAT. HAB.] Vide extremum Actus V. Medeæ apud Senecam. Barbara, quia Colchis. Signum, seu statuam eius describit Callistratus.

SIC MADID. SICCAT DIG. VEN. VDA CAP.] Alibi.

Vt Venus artificis labor est, & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

Decantatam illam Apellis Venerem ἀναδυομένην, è mari emergentem (è spuma quippe maris nata fingitur) hanc inquam intellige. Cur autem è ponto, siue mari natam poëtæ canant, docet Eu-

D seb. lib. 3. præparat. Euangel. cap. 3. Clement. Alexand. lib. 1. Pedag. & alij. Plin. lib. 35. cap. 10. ad exemplum Campaspes, vnius è concubinis Alexãdri, & Apelli ab eo donatæ pictam credit. Notauit Clem. in Protrept. pictores, & statuarios facere consueuisse deorum imagines, & statuas amasiis suis similes: vt illi scilicet sub eorum nomine adorarentur. Ausonij epigramma non inuenustum adiiciam.

Emersam pelagi nuper genialibus vndis
Cyprim Apellei cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringat vtraq; comis.
Iam tibi nos, Cypri, Iuno inquit, & innuba Pallas
Cedimus, & formæ præmia deferimus.

Ex Cic.3.de oat. Deorum discimua quatuor olim fuisse Veneres. Vide Delrium Comment. in Hippolytum Senecæ, pag.172.

EO MODO MAT. TECT. VID. AQVIS] Apparet paulo ante latuisse sub mari, vnde velut quidam eius partus emersit: quamobrem maternas aquas oominat.

TELIS INSTRVCTA CRVENTIS] nomine telorum enses, hastas, iacula, sagittas intelligimus, quibus hostium elicere sanguioem hostes student.

PARSQVE TVI GEN. PARS TVA FACTA CAN.] quod facit Virgil. præcipue io 8. cum describit AEneæ clypeum. *Tui generis*. Caij, Lucij, Tiberij, Bruti, Germanici facinora.

B *SPATIO NAT. COERCVIT ARCTO*] Nō ea ingenij mei capacitas, uon eæ vires. Supra, *tenuis mihi campus aratur*.

ILLE TVÆ FÆLIX ÆNEID. AVCTOR] quia tu AEneades. Sed boc commune cum Romanis omnibus. Speciatim tangit, quod dixit Iulius eius pater, & auunculus maior, cum pro Rostris amitam suam defunctam laudaret. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortū, paternum cum diis immortalibus cōmune est. Nam ab Anco Martio Martij sunt reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Ex iis nihilominus qui mea facta canunt, ad quæ canenda ego oon aspiro, Virgilius tuus contulit, &c.

C *CONTVLIT IN TYRIOS ARMA VIR. THOROS*] Cum cæpisset ab armis, processit ad amores AEdonis, de quibus iu quarto. Hinc etiam quidam probare nituntur, principium AEneid. esse, non, *Ille ego qui quondam: sed, Arma virumque, &c.* de quo nos in Symbolis disputauimus. Per quæ prima verba ootat totam AEneidem Ooid. Quemadmodum Cic. librum suum de senectute ex initio versus Enniani. Sic enim scribit ad Atticum lib.16. ep.11. *O Tite*, prodesse tibi lætor.

NEC LEGIT. PARS VLLA MAGIS] Huius quarti libri encomium ex Maphæo, Maloragio, Scaligero, Nascinbænio Symbolis meis præfixum est. Disces inde, quid caussæ fuerit, quare præ aliis libris eiusdem diuinæ AEneidos tam cupidè legeretur.

D *NON LEGITIMO FOED. IVNCT. AMOR*] Sichæo enim fidem dederat, non se alij deinceps eo mortuo nupturam. *Si mihi non animo fixum, &c. Huic vni forsan potui succumbere culpa.* Et succubuit. *Coniugiumq́; vocat, hoc prætexit nomine culpam.*

PHYLLID. HIC IDEM, &c.] Tam grauis alioqui poëta aliquando lusit. Hæc ad Buccolica, vt ipsemet statim subiungit.

IVVENIS] Sic eoim claudit 4. Georg. *audaxque iuuenta. Tityre tu patulæ cecini sub tegmine fagi.*

IAM PRIDEM] ætate viridiore.

SCRIPTO ISTO] tali scripto, quali peccarunt illi quoque, si ego peccasse iudicor: non e-

A nim simpliciter, sed ex euentu, & iudicio alieno se peccasse eoocedit.

SVPPLICIVM NOVVM] quod in pari caussa, & crimine nullus ante me passus est.

DELICTA NOTANTEM] De eius censura supra ex Suetonio.

PRÆTERII TOTIES IRREQVIET. EQVES] Eodem verbo prætereundi & supra vsus est, eum de equestri transoectiooe loquens, se Augusto probatum affirmaret. Hærebant eoim, & quiescebāt accusati, quò fortasse pertinet vox irrequietus. Etsi mallem, & verius arbitror, *ille quietus*: nempe ingenio, & vita talis in otio, ac nemini molestus. Quod si igitur sine culpa abibant, & equum traducebant: si aliter, sistebant, &

B iubebantur vendere equum. Sollemne io vtrauis re vtrumque verbum. Hæc est explanatio Lipsij eod. dial.5 pag.41. quem porrò lege. Nam quod alij afferunt, *[illegible]*.

PARVM PRVDENS] debui enim putare. Sed, vt supra,

Non timui, fateor, ne, quà tot iere carinæ
Naufraga, seruatis omnibus, vna foret.

NVNC NOCVERE SENI] Supra. *Vltima me perdunt.*

DISTAT ET A MERIT. T. P. SVI] Supra. *Supplicium patitur non noua culpa nouum.*

OMNE MEVM OPVS REMISSVM] Postremus locus apologiæ huius, & quasi deprecatio, innocentia, & vtilitas aliorum à se scripto-

C rum, quæ cæteris, minùs probatis, & nugatoriis veniam, & misericordiam meritò impetrare debent. *Remissum*. leue, lasciuum, malefrugi.

SÆPE DEDI NOST. GRAND. VELA RATI] Materiam grauem persecutus sum. Propert. lib.3. eleg.3.

Cur tua præscripto seuecta est pagina gyro?
Non est ingenij cymba grauanda tui.
Remis alter aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris: medio maxima turba mari est.

CVMQVE SVO FINEM MENSE VOLVM.] Volumen pro libro, cum alioqui liber sit para voluminis, vt docuimus lib.1. eleg.1. ibi, *Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ.* Sed quod omnibus notum, extant tantummodo 6. prio-

D res. Iudicium eruditorum de libris Fastorum habes io Prodidagmatis.

TVO SVB NOMINE CÆSAR] Apostropho ad Germanicum Cæsarem, cui Fastos inscripsit.

SORS MEA RVPIT OPVS] Exilium, in quod trudebar, impediuit recognitionem, & limam illius operis. Lib.1. eleg.6. *Infelix domini quod fuga rupit opus.*

TRAGICIS SCRIPT. REGALE COTHVRNIS] Cothurnus calceamenti genus, quo vtebantur actores in tragœdia, quadrangulum, & vtrique pedi aptum, &, vt Suidas ait, tam mulieri quam viro conueniens. Et qooniam omnia magna, atque grandia io tragœdiis, hinc etiam co-

thurnus

thurnus pro grandiloquentia, & sublimi genere dicendi. Loquitur de tragœdia sua Medea, de qua quid dicat Fabius, vide Prodidagmata. A

QVAMVIS MAN.VLT.COEPTO DEF.] *Emendaturum, si licuisset, eram.*

IN FACIES CORP.VERSA NOVAS] mutatas formas alibi.

TIBI VACVO] lib.1. eleg.1. *Si poteris vacuo tradi.*

HINC] ex Metamorph. quod vnũ opus suum tanti facit, quanti nec reliqua omnia simul: nec recusat, quin, quantum de illius laude, tantum de ingenij sui fama detrahatur. Vide eleg.6.lib.1.

PAVCA QVIBVS] Pauca, inquam, ex iis quibus prima, &c.

PRIMA SVRG. AB ORIG.MVNDI] 1. Metamorph. *primaq; ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.* B

QVANTVM DEDERIS MIHI PECTORIS] Quantum ingenium meum excitaris. 1. Fast. ad Germanicum, *Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.*

NON EGO MORD. DISTRINXI CARM. QVENQ. &c. In Ibin.

Tempus adhuc lustris mihi iam bis quinq; peractis.
Omne fuit Musa carmen inerme mea.
Nullaq; quæ posset scriptis tot millibus extat
Littera Nasonis sanguinolenta legi.

Eleg.14.lib.4.de P.

Tam felix vtinam, quam pectore candidus essem.
Extot adhuc nemo saucius ore meo.

A SALIBVS SVFFVSIS FELLE] à iocis amarulentis, quibus non carere Martialem testatur Plin. epist.21.lib.3. Erat homo, inquit, ingeniosus, acutus, & qui plurimum in scribendo & salis haberet, & fellis, nec candoris minus. C

VENENATO IOCO] ioco maledico. Conquerens cum Caluo Catullus, qui Saturnalibus, die lætissimo, quorundam malorum, & maledicorum poëtarum carmina pro xenio miserat, seque illi par relaturum pollicens, A

Non non hoc tibi, false, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia. Cæsios, Aquinos,
Suffenum omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.

Idem de oratione Sextij, quam sibi ad cœnam vocato pro more legerat, plenam maledictis.

Nam Sextianus dum volo esse conuiua,
Orationem in Actium petitorem
Plenam veneni & pestilentiæ legit.

INTER TOT POPVLI.T.SCRIPT.M.NOSTRI] Inter tot Romanorum millia, & inter tot millia nostrorum carminum.

B *QVEM MEA CALLIOPE LÆS.VNVS ERO*] Paulo ante. *Quẽ sua perdiderit Musa repertus ego.* Præter me nemini versus sui nocuerunt. Quamobrem reor, multis Quiritibus humanioribus mala mea dolori esse, nulli gaudio.

GRATIA CAND.SIQVA RELATA MEO] si gratiam referre volunt candori meo, cum quo illa scripsi, & in quibus nullum perstrinxi, ac momordi.

HIS PRECOR, ATQVE ALIIS] quæ amici, & patroni apud te pro me dicent. Conclusio est, & quædam quasi parua peroratio.

VICTIS ERIS] emollitus, placatus diuturnitate.

TVTIVS EXIL.PAVLOQVE QVIETIVS] C ab incursione hostium, & bellis frequentissimis, per quæ mihi securè viuere non licet, cum hoc ipsum in tãtis incommodis, & egestate omnium rerũ viuere, mihi ad supplicium satis superq; sit.

VT PAR DELICTO SIT. M. POEN. SVO] Occultè arguit Augustum iniustitiæ, qui in minus nocentem, pœne etiam innocentem durissimè consuluerit, paruum peccatum atroci vindicta prosecutus.

FINIS LIBRI SECVNDI.



IN TRISTIVM LIBRVM III. *ELEGIA PRIMA.*

HOSPITII INQVISITIO.

ARGVMENTVM.

HVicquoque libro, quemadmodum primo, persona, & quidem loquēs, festiuissimè, ac plane πολυλεκτῶς affingitur, cuius orationis summa hæc. Lectoris beneuolentiam petit: materiam tristem profitetur: cultum suum incultum, lituras, barbarismos à tempore, & loco excusat. Per quæ loca Romæ ducatur exponit: quernæ coronæ, & lauri ante domum Augusti caussam edisserit: à Cæsare parenti suo reditum precatur. Ad templum Apollinis, & bibliothecam perductus, fratres ibi suos, cæteros puta Ouidij libros, non inuenit, vt nec in atrio Libertatis. Et se, & alios cum parente proscriptos, lamentatur. Longinquitate lenitum Augustum, fore mitiorem diuinat. Et quoniam locis publicis excludatur, interim apud plebeios diuersaturum, quos hospitium rogat.

Missus in hanc venio timidè liber exulis vrbem:
Da placidam fesso, lector amice, manum.
Néue reformida, ne sim tibi fortè pudori:
Nullus in hac charta versus amare docet.
Nec domini fortuna mei est, vt debeat illam
Infelix vllis dissimulare iocis.
Id quoque, quod viridi quondam malè lusit in æuo,
(Heu nimium serò) damnat, & odit opus.
Inspice quid portem: nil hìc nisi triste videbis,
Carmine temporibus conueniente suis.
Clauda quòd alterno subsidunt carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.
Quòd neque sum cedro flauus, nec pumice leuis:
Erubui domino cultior esse meo.
Littera suffusas quòd habet maculosa lituras:
Læsit opus lachrymis ipse poëta suum.
Si qua videbuntur casu non dicta Latinè,
In qua scribebat, barbara terra fuit.

Dicite lectores, si non graue, quà sit eundum,
Quasque petam sedes hospes in vrbe liber.
Hæc vbi sum furtim lingua titubante locutus,
Qui mihi monstraret, vix fuit vnus, iter.
Dij tibi dent, nostro quod non tribuere poëtæ,
Molliter in patria viuere posse tua.
Duc age: namque sequar: quamuis terráque maríque
Longinquo referam lassus ab orbe pedem.
Paruit: & ducens: hæc sunt fora Cæsaris, inquit:
Hæc est à sacris quæ via nomen habet.
Hic locus est Vestæ, qui Pallada seruat, & ignem:
Hic fuit antiqui regia parua Numæ.
Inde petens dextram porta est, ait, ista Palati:
Hic stator: hoc primum condita Roma loco est.
Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectáque digna Deo.
Et Iouis hæc, dixi, domus est: quod vt esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.
Cuius vt accepi dominum; non fallimur, inquam:
Et magni verum est hanc Iouis esse domum.
Cur tamen apposita velatur ianua lauro?
Cingit & augustas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo est?
Ipsáne quòd festa est? an quòd facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
Vtq; viret laurus semper, nec fronde caduca
Carpitur: æternum sic habet illa decus?
Causa superposita, scripto testante, corona
Seruatos ciues indicat huius ope.
Adiice seruatis vnum pater optime ciuem,
Qui procul extremo pulsus in orbe latet.
In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur,
Non facinus causam, sed suus error habet.
Me miserum, vereorq; locum, vereorq; potentem,
Et quatitur trepido littera nostra metu.
Aspicis exangui chartam pallere colore?
Aspicis alternos intremuisse pedes?
Quandocunque precor nostro placata parenti,
Iisdem sub dominis aspiciare domus.

Inde timore pari gradibus sublimia celsis,
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis,
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quaeq; viri docto veteres fecere nouique
Pectore, lecturis inspicienda patent.
Quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,
Quos suus optaret non genuisse pater.
Quaerentem frustra custos e sedibus illis
Praepositus sancto iussit abire loco.
Altera templa peto vicino iuncta theatro:
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis
Atria, Libertas tangere passa sua est.
In genus auctoris miseri fortuna redundat:
Et patimur nati quam tulit ipse fugam.
Forsitan & nobis olim minus asper, & illi
Euictus longo tempore Caesar erit.
Dij, precor, atq; adeò (neq; enim mihi turba roganda est)
Caesar ades voto maxime diue meo.
Interea statio quoniam mihi publica clausa est.
Priuato liceat delituisse loco.
Vos quoque si fas est, confusa pudore repulsae
Sumite plebeiae carmina nostra manus.

COMMENTARIVS.

MISSVS IN H. VEN. TIMID. LIB. EX. VRB.] Caussam ipsemet edit, quare timidè Romam veniat: quia liber exulis, Roma, inquam, eiecti. Potest enim propter auctorem suum illic inuidia laborantem indigna pati. Sed praecipuè timet Augustum.

DA PLACID. MANVM] eleg. 5. lib. 4. de P. *Ad vos mansuetas porrigit ille manum.* Et infra eleg. 4. lib. huius. *Fidam proiecto neue negate manum.* Tu placidus, benignus adiuua me, succurre mihi. Porrige manũ, & da dexteram fidei, & auxilij symbolũ. Cic. orat. post reditum in senat. Qui mihi primus afflicto & iacenti consularẽ fidẽ dextráq; porrexit.

FESSO] κάμνω. Quem enim adeo fessi, & de via languentis non misereat? Infra. *Quamuis terraque marique Longinquo referam Lassus ab orbe pedem.* Sic epistola ab eodem missa eleg. 5. lib. 5.

Littore ab Euxino Nasonis epistola veni,
Lassaq; facta mari, lassaq; facta via.

A Fatigatus proprie qui vexatione, aut molestia aliqua ad corporis lassitudinem deductus est, vt qui tempestate iactatus, aut curru, equoue duriter vectus. Fessus, qui labore, onere, morbo, aut angore deficit. Itaque plus est fessus quam fatigatus. Liuius lib. LIV. Largo itinere fatigatum, & onere fessum. Sallust. Itinere atque opere castrorum, & praelio fessi. Seruius ita distinguit. Fatigatum corpore dicimus, fessum quoque animo: cum tamen fatigatus etiam de animo dicatur. Cic. ad Terent. Te nec animi, nec corporis laboribus defatigari.

NE SIM TIBI FORTE PVDORI] dedecori, infamiae, vt qui cum infami negotium habeas. Infami autem, & odioso, propter versus amatorios, quos contineam. Libero te isto metu: *nullus in hac, &c.*

NVLLVS IN HAC CHART. V. AMARE D.] non modò non totus, sed nec vnus versus. Charta hic pro toto libro. Catullus cum dixit, *Omne*

anum tribus explicare chartis, librum breuem, paucis paginis constantem significauit. Græci dicũt ὁ χάρτης, τὸ χάρτιον. De chartarum inuentione, & generibus Plin. lib. 13. cap. 12.

NEC DOMINI FORTVNA MEI EST] subaudi, talis. Nunc parens, nunc auctor, nunc dominus librorum suorum vocatur, seque ipse vocat. Cur dominum, exposuimus ad eleg. lib. 1. ibi, *Heu mihi quod domino, &c.* Martial. ad librum suum lib. 1. *Sed tu ne domini toties patiare lituras.*

DISSIMVLARE VELIS] Dissimulatio sæpe ludi, & ioci est. Ab exule autem, & calamitoso ludus, & iocus longe absunt. Ergo & dissimulatio absit oportet. Et alioqui, vt ait Tibull. eleg. 7. lib. 3.

Heu quam difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocos.

B

VIRIDI IN ÆVO] Sic nominatur ætas iuuentutis, cum relatione ad senectutem, quæ est ætas arida. Eleg. 10. lib. 4. *Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo.* Virg. AEneid. 5. *Euryalus forma insignis, viridiq́ iuuenta.* Sic florens ætas, florentes anni.

MALE LVSIT] Sicut ludere Latinis in Lasciuia, & libidine ponitur: ita & talium rerum scriptores ludere dicuntur. Itaque iam sæpius dixit, se lusisse in illis libris conscribendis. Ludere inquam est ἀφροδισιάζειν, ludus ἀφροδισιασμὸς, scripta ἀφροδίσια.

NIMIVM SERO DAMNAT, ET ODIT] Ad parœmiam, serò sapiunt Phryges. allusum C puto. Est autem sumptum ex Liuij Andronici tragœdia, cui nomen Equus Troianus Cic. ep. 16. lib. 7. In equo Troiano scis esse in extremo, serò sapiunt, &c. Troiani post tot clades decimo demum anno de reddẽda Helena venerunt in consilium.

NIHIL HIC NISI TRISTE VIDEBIS] Atqui *carmina lætum sunt opus.* vt dixit eleg. 1. lib. 1. Est ita, quatenus carmina sunt. Hîc vero non de poësi, sed de materia carminis, seu poëseos loquitur. Ea & in his quinque, & in quatuor Ponticis mœstissima reperitur. Lectorem tamen lamenta ista tanto cum ingenio, & mirabili facundia explicata non parum delectant.

D *CARMINE TEMPOR. CONVENIENT. SVIS*] Alibi. *Læta ferè lætus cecini, cano tristia tristis.* Lib. 1. eleg. 1. ad librum.

Infelix habitum temporis huius habe. Et
Nec est conueniens luctibus ille color.

Si nec habitus nitidior, nec color floridior luctuosis temporibus est idoneus, ergo nec lætus cantus.

CLAVDA QVOD ALTERNO, &c.] Festiuè elegiacum, quo vtitur, claudicare ait, & culpam vel in pedem, qui desit (pentametrũ quippe vno minus habet quam hexametrum) vel in longitudinem perambulati itineris cõfert. Epigramma alternis versibus longis Cic. pro Archia elegiaco versu conscriptum intellexit: vno enim pe-

A de hexameter longior est pentametro. Mirus artifex in ἐλεγειοποιΐᾳ Ouid. noster 1. Am. 6. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinq; residat.* in pẽtametrum, cui 5. tantum pedes. Et Amor. 1. eleg. 1.

Par erat inferior versus: risisse Cupido
Dicitur, atq; vnum surripuisse pedem.

QVOD NEQVE SVM CEDRO FLAVVS &c.] Non sunt hic iteranda, quæ in eleg. 1. lib. 1. attulimus de charta oleo cedrino perlini, & pumice leuigari solita, ibi, *Nec titulus minio nec cedro, &c.* Flauo colore fuisse oleum illud vel hinc patet. Martial. lib. 3. *Cedro nunc licet ambules perunctus.*

ERVBVI DOM. CVLT. ESSE MEO] Dominus & parens meus iacet in squalore, sordibus, & lacrymis, & ego odore fragrans, ac bene B comptus, ornatusque incedam? Videmus nostro sæculo clientes, & ministros Principum plerumque ipsis dominis quã vestibus auro, argentoq; nitentibus magis conspicuos. Sed illi malunt ex imperio suo, quam è precioso, & curioso vestitu agnosci, & gestantibus aurum, & gemmas imperare, quam eadem in corpore suo ipsi ad ostentationem gestare. Habes caussam cultus horridi: nunc liturarum accipe.

LÆSIT OPVS LACRYM. IPSE POET. SVVM] Obliterauit, deformauit Eleg. 1. lib. 1.

Neue liturarum pudeat. Qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiat esse meis.

Eleg. 1. lib. 4.

Sæpe etiam lacrymæ sunt me scribente profusæ,
C *Humidaq; est fletu littera facta meo.*

Briseis Achilli.

Quæcumq; aspicies, lacrymæ fecere lituras.
Sed tamen hæ lacrymæ pondera vocis habent.

CASV NON DICTA LATINE] Bene casu, non inscitia. Si quod verbum mihi vspiam excidit, latinis auribus insolentius. Hinc iudicium suum tueantur licet quidam nauseabundi, & latinitate ebrij, quibus Ouidius non videtur latinè loqui. Vide Prodidag.

BARBARA TERRA FVIT] in qua nullus linguæ latinæ vsus. Obliuisci porrò quempiam linguæ patriæ, aut vitiosè, & ὑποσολοίκως loqui nunquam loquentem, mirum ac nouum ne est? Quare narrat in Ponticis, ne id sibi contingat, se se- D cum ipso loqui solere. Eleg. 2. lib. 4.

Si qua meis fuerint, vt erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore lector habe.

Et lib. 5. eleg. 12.

Carmina scripta mihi vel nulla, aut qualia cernis,
Digna sui domini tempore, digna loco.

Apud Euripid. Oreste Tyndarus Menelao Orestis patrocinium suscipienti, βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις, Barbarus euasisti diu viuens inter barbaros. In eum qui puritatem latini sermonis quotidiana barbarorum scriptorum lectione corrupit, & inquinauit. Iunius.

SI NON GRAVE] Quamuis parua, & exigua officia non sine præfatione veniæ aut honoris petere, plenum modestiæ, & ingenui pudoris est.

QVAS-

QVASQVE PETAM SEDES] quo diuersandi caussa me recipiam.

HOSPES IN VRBE] peregrinus sum, dicite, obsecro, quà sit eundum.

FVRTIM, LINGVA TITVBANTE LOCVTVS] Timidè se Romam aduenire primo versu affirmauit. Consentaneum igitur, eum summissa voce, vt fures, ne deprehendantur, & lingua tremente loqui.

VIX FVIT VNVS] Vsque adeo in ærumna mea, dum sese omnes amant, difficile vnicum inueni, qui me duceret.

DII TIBI DENT, &c.] Grati animi est, cupienti, ac facienti bene, aliquid boni à deo vicissim precari, si re ipsa beneficium pẽsare nequeas, quanquam in paruis. Sic eleg. 1. lib. 1. de eo, qui ipsum exilio punitum suspirauerit, & flens eius carmina legerit.

Nos quoque, quisquis is est, ne sit miser ipse precamur,
Placatos misero qui volet esse deos.

MOLLITER VIVERE] non tantum viuere in patria vsque ad mortem, & ibi tumulari, quod fælicitatis est: sed iucundè insuper, hilariter, & procul omni molestia viuere, quod paucioribus conceditur. Cic. 1. Off. delicatè, & molliter viuere. Et 2. de leg. ciuitatum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus.

QVAMVIS TERRAQVE MARIQVE, &c.] ductum tuum sequar, etsi longissima pelagi, terrarumque spacia emensus, oppidò defatigatus sum. Quis quæso ista legens, non se putet hominem viuum verba facientem aspicere? Valet maxime ἐναργείᾳ Ouidius, & fictor fictorum cluet, vt Plautino verbo vtar.

HÆC SVNT FORA CÆSARIS] δεικτικῶς, quasi manu intenta ostendat. De hoc foro sic legimus apud Sueton. Aug. cap. 29. opera plurima extruxit, ex quibus vel præcipua Forum cum æde Martis vltoris, &c. Fori extruendi caussa fuit hominum, & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde publicatum est, cautumque, vt separatim in eo publica iudicia, & iudicum sortitiones fierent. In altera huius fori porticu ordine locatæ regum omnium Latinorum statuæ inde vsque ab AEnea: in altera Romanorum regum, aut clarorum ducum ab ipso vsq; Romulo. Plura apud Lipsium Admirand. lib 3. cap. 7.

A SACRIS QVÆ VIA NOM. HAB] ea ducebat ad Capitolium. Dicta sacra, quod illic fœdus ictum inter Romulum, & Tatium Sabinorum regem, vt ait Festus. Via cæteris celebrior. Per eam triumphalis pompa, captiua præda, & hostium spolia subactis gentibus, & nationibus domitis, sollemni apparatu triumphi procedebant. Vberius Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 18. Meminerunt eius Cic. pro Plancio. Liuius 21. Halicarnass. lib. 5. & alij.

HIC LOCVS EST VEST. QVÆ PALLA-
A *DA, &c.*] Templum Vestæ, in quo seruabatur Palladium, seu Palladis simulacrum, cum igne perpetuo, qui à virginibus Vestalibus custodiebatur. Hoc sibi voluit Propert. lib. 1. eleg. 4.

Palladis extinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat, lacrymis spargitur ara meis.

Palladios focos nominat Prudentius. Nam cum ignis hic sit æternus, videtur & Pallas habere custodem æternum, ne Romæ fatalis suus thesaurus rursum ab aliquo Vlysse eripiatur. Nomine Vestæ docet Ouid. 6. Fast. ignem intelligendum, ideoque fingi virginem, quoniam de igne corpora nulla generantur, quemadmodum nec de virgine. A virginibus autem potius, quam à viris custodiebatur ignis ille, quod vt virgo incorru-
B pta, ita ignis incontaminatus sit: atque ita castissimo numini grata putetur res apud mortales item purissima. Plenius in Symb. nostris ad secund. AEneid. ibi.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Quod si forte extinctus fuisset, ex hoc igne nostro humanis manibus eum reparare nefas erat: sed accensa per fomitem ex sole flamma, purus & cælestis ignis eliciebatur.

HIC FVIT ANTIQ. REG. PARVA NVMÆ] Non fuit templum Vestæ Numæ regia: sed illa parua regia fuit ad templum Vestæ; ac proinde *hîc*, non *hæc* legendum. Huic regiæ fuit quoque adiunctum atrium Vestæ, eratque pars regiæ, nõ
C tota regia. Ouidius autem confundit. 1. Fast.

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

Vide Lipsium de Vestalib. cap. 4. De hoc rege in hunc modum Liuius lib. 1. Inclyta iustitia, religioque ea tempestate Numæ Pompilij erat. Curibus Sabinis habitabat, consultissimus vir, vt in illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atque humani iuris. Eius & iustitiam, & paupertatem commendat Martialis, dum Cæsarem Domitianum laudat lib. 11.

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, & æqui
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.

D *PORTA EST AIT ISTA PALATI*] montis Palatini (ne putes ædificij nomen, quamuis ædes quoque regiæ palatia ab hoc Palatio, in quo vrbis loco nobiles habitabant) qui à Palanteo vrbe Arcadiæ Palantinus, deinde Palatinus est appellatus. Liuius lib. 1.

HIC SATOR] auctor generis Romani, Romulus nempe, subaudi, in domuncula, seu casa, de qua 1. Fast. *Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum.* Hãc scribit Dionysius durasse ad suam ætatem, in angulo Palatino: cuius siquid vel tempestate, vel vetustate corruerit, id à loci custodibus refici, nihil illi magnificentius addentibus: sed omnia prioribus similia restituentibus. Iam quod satorem Romanorum vocat, commodùm

recordor versuum Ennianorum, quibus hoc ipsum plenius ille.

Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater, ô genitor, ô sanguen Diis oriundum.

HOC PRIM. CONDITA ROMA E. SST] Hîc condi cœpta est. Audi Liuium lib. 1. Ita solus potitus imperio Romulus: condita vrbs conditoris nomine appellata. Palatinum primùm, in quo ipse erat educatus, muniit. Et paulò supra. Ita Numitori Albana permissa re, Romulum, Remumque cupido cepit, in iis locis, vbi expositi, vbiq; educati erant, vrbis condendæ. Condita est autem Palilibus. Propert. eleg. 4. lib. 4.

Vrbi festus erat, dixere Palilia Patres,
Hic primum cœpit mœnibus esse dies.

SINGVLA DVM MIROR] Ab initio enim fecit librum aduenam, & qui Romam antea non viderit. Non ergo mirum, si miratur singula.

FVLGENTIAVS ARMIS CONSP. POSTES] Crede hîc attingi morem Romanorum. Consueuerant enim postes, seu portas, & aditus, & vestibula ædium, atria quoq; spoliis & armis quæ hostibus ademissent, exornare, clypeis, galeis, ensibus, nauium rostris. Nec aut consumpta refici, aut fracta redintegrari mos erat. Præterea ædibus abalienatis non licebat ea emptori refigere. Quibus ex ipsa vetustate veneratio quædam accedebat, eorumque aspectus ad similium facinorum gloriam intuentes incitabat. Dixi pluribus in Symb. ad illum locum lib. 7. Aeneid. vbi de regia Latini sermo est.

Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculáque, clypeíque, ereptáque rostra carinis.

Huiuscemodi spoliis, & exuuiis hostium magis quâ auro, ebore, electro, & rebus denlq; pretiosis ędes regias exornandas censet apud Dion. Chrysost. Alexand. M. orat. 2. de regno.

AVGVRIVM. M. QVERN. CORON. DAB.] Quercus sacra Ioui. E quærna igitur corona meritò se Iouem illic habitare diuinasse dicit. Granditate nominis ei assentatur, vt sæpe aliâs. Et fingit se tum primùm vidisse. Præter alios honores multos antea illi habitos, post simulatam ab eo abdicationem, decretum est, vt laurus ante regię eius fores, & super eas corona ciuica, quærna videlicet, statueretur, tanquam ei, qui & hostes vicisset, & ciues seruasset; hoc addito elogio. S. P. Q. R. OB CIVIS SERVATOS. Quin & nummi veteres Augusti hanc inscriptionem habent. S. P. Q. R. PARENTI, ET CONSERVATORI SVO. Adiectum etiam, vt regia eius palatium vocaretur, quod in Palatio habitaret, & prætorium haberet. Quare tametsi Imp. in alia regione habitat, nihilominus eius regia palatium dicitur. Xiphilin. En originem vocis huius, hodie tam tritæ *palatium*, pro ædibus Principum, ac nobilium.

CVIVS VT ACCEPI DOMINVM] simulatq; cognoui Augustum illic habitare.

A NON FALLIMVR INQVAM] ratum est augurium meum: Probè diuinaui. Nam & hic Iupiter magnus est.

CVR TAMEN APPOSITA VEL AT. IANVA LAVRO?] Quare laurus sata est ante fores Augustales? Plin. lib. 15. cap. 30. Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus ianitrix Cęsarum, Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. 1. Met. Laurum compellans.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum.

CINGIT ET AVG. ORE. OP. COMAS] Inscitia librariorum irrepsisse vocem *comas* pro *fores* est qui coniiciat ex manuscript. Hanc enim lectionem suadere cum ipsam sententiam: tum
B illum vngendi, & coronandi floribus amicarum ostia morem non incelebrem, de quo Lucret. 4. Sed de hoc iudicio lector iudicet. Lauream quidem perpetuò gestasse, Iulium legimus, ad tegendum caluitium. Sueton. cap. 45.

AN QVIA PERPETVOS MERVIT, &c.] Quinq; rationes adducit, ob quarum vnam laurus posita sit ante domum Augusti. Possunt tamen omnes haberi pro veris.

DOMVS ISTA] Prima ratio, ad significandos triumphos domus Cæsarianæ, quos Iulius, & Augustus retulerunt. Ille quinq;, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, Hispaniensem, de quibus Sueton. cap. 37. Hic præter binas
C ouationes tres, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes. Idem cap. 22.

AN QVIA LEVCAD. SEMP. AM. DEO?] Secunda ratio. In gratiam Apollinis, qui & Romanis semper, & Cęsari pugnanti contra Antonium fauit. Amat Apollo laurum propter Daphnen in eam commutatam. 1. Metamorph.

——— & quoniam coniux mea non potes esse,
Arbor eris certè dixit mea. Semper habebunt
Te coma, te cithara, te nostra, laure, pharetra.

Apollo igitur numen est Romanum, cui annis sæcularibus, quomodo & Dianę sorori eius, carmina decantabantur. Fouerunt Troianos, Romanorum maiores. Affuisse autem Augusto in prælio Actiaco testis Virg. 8. & Prop lib 4. eleg. 6.
D LEVCADIO DEO] Actius dicitur Virgilio in 8. *Actius hæc cernens arcum intēdebat Apollo*. Actium Epiri oppidum ac promontorium, vbi pugna commissa Antonium, & Cleopatram fudit fugauitque. In Leucadia peninsula, vicina Epiro templum habet.

IPSA NE QVOD FESTA EST?] Tertia ratio. Quia læta arbor est, & Princeps colendus est rebus festis, ac lætis. Festum, ait Nonius, sollenniter lætum, & feriatum. Virgil. 6. Aeneid. *festosq; dies de nomine Phœbi.* Ad lætitiam ergo, cultum, elegantiam, leporem, quibus locus est diebus feriatis, adiectiuum hoc pertinet. 2. Aeneid.

Nos delubra Deûm, miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

Sic dapes festæ Horatio, pax festa Plinio, corona A
festa Ouidio, cultus festus Senecæ.

AN QVOD FACIT OMNIA FESTA?] Quarta ratio. Propter effectum, quia omnia facit festa & læta, omnium mentes laurus exhilarat.

QVAM TRIBVIT TERRIS. P. ISTA NOTA?] Quinta ratio. Quia cum sit signum victoriæ, est etiam pacis, quæ consequitur victoriam, quæque bello quæritur. Bellum enim propter pacem. Augustus toti orbi pacem peperit tot victoriis suis, Ianum clausit, de quo Virgil. 1. Aeneid.

Aspera tum positis mitescent sæcula bellis,
Cana Fides. & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt, &c.

Vide ibid. Symb. nostras

VTQVE VIRET SEMP. LAVRVS, &c.] A- B
pollo 1. Metamorph.

Vtq; meum intonsis caput est iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos semper gere frondis honores.

AETERNVM SIC HAB. ISTA DECVS] sic ista domus vigebit, ac florebit omnium memoria sæculorum.

CAVSSA SVPERPOSIT. SCRIPT. CORONÆ, &c.] Queruam coronam sustinebat laurus: vt indicaretur hac ambage, ab Augusto ciues seruatos. Verùm idipsum apposita scriptura, de qua supra, manifestius prodebat. Donis autem, & votis qui ea dicabant, nomē subscribebant, & simul illius, cui dicabant. Itaque vt est apud Gell. lib. 5. c 6. de generibus coronarum, ciuica corona ap- C
pellatur, quā ciuis ciui, à quo seruatus est in prælio, testem vitæ, salutisque perceptæ dat. Ea fit à fronde querna: quoniam cibus, victusque antiquissimus querceus capi solitus sit. Cur itaq; superponeretur corona querna lauro victrici arbori caussa fuit, vt per Cæsarem Respub. conseruata memoriæ proderetur.

ADDICE SERVAT. VNVM CIVEM] Ouid. Non enim se seruari rogat liber, qui loquitur: sed auctorem suum, cui Augustus patriam quidem ademit, at non ciuitatem. Quare se adhuc ciuem, & illius ciuem nominat. *Neue tum possim ciuis ab hoste capi.*

PATER OPTIME] Dictus est patriæ pater, vt alij quoq; eum. Recurre ad annotata lib. 2. ibi. *Tu quoque cum patria rector dicare paterq;.* Ilioneus princeps legationis Troianorum 1. Aeneid. de Aenea, D
& te pater optime Teucrûm.

QVI PROCVL EXTREMO P. IN ORBE LAT.] Significantius legeretur *iacet.* In singulis verbis est pondus. Et pulsus, & procul pulsus, & extremum in orbem, velut hominum societate, conuictuque indignissimus.

IN QVO POENARVM, &c.] Agit caussam domini sui.

NON FACIN. CAVSS. SED. S. ERROR HAB.] Fatetur ille quidem pœnam se commeruisse: sed nullo facinore, solo errore. Quocirca etiam tam grauem non est meritus. Sæpissime errorē fuisse quod peccauit concedit: scelus, & facinus negat.

VERBORQ. LOCVM, VERBORQ. POV.] Eleg. 1. lib. 1.

Ignoscant augusta mihi loca, dijq; locorum:
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.

Vbi caussa edicitur, cur palatium Cæsaris adire horreat. Addit hic potentiam eiusdem Cæsaris. Potentes enim, quia potētes, sunt formidabiles.

QVATITVR TREPIDO METV] Timor est caussa tremoris. Sequitur de exangui pallore, & pedum quoque tremore, quasi vix possit subsistere, & se tenere à lapsu. Bellissima phantasia, vt appellat Seruius, & *ὑποτύπωσις*.

QVANDOCVNQVE. N. PLACATA PER.] non enim tempus præfinio.

IISDEM SVE DOM. ASPICIAR. D'OM.] domini Cæsaris, si placetur Ouidio, si Cæsar in gratiam recipiat Ouidium (vt sit continens pro contento) optat vicissim, vt habeat semper eundem dominum. Optat Cæsari vitam, & incolumitatem longissimam, atq; ita ab ædibus recedit.

TENORE PARI] nec tardius, nec properantius, quam ad id vsque loci.

GRADIBVS CELSIS] quia in edito loco situm Apollinis templum.

INTONSI DEI] 1. Metam. *Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis.* Huic Deo sacram comam ephebi nutrire solebant. Quam vbi *ἐφηβίαν* excessissent, detonsam Apollini deponebant, & dicabant, cum similes Apollini esse desiissent: cum scilicet labra, aut malas prima lanugo vestiret. Scribit Plutarchus in Theseo, Delphos venisse, ibiq; comarū primitias sacrasse. Similiter puellæ virginitatem pertæsæ, zonā Dianæ consecrabant.

CANDIDA TEMPLA] Vel propter marmor candidum, vel propter elegātiorem structuram. Eleg. 8. lib. 1. *Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ.* Suet. cap. 29. Templum Apollinis in ea parte palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari à Deo haruspices pronuntiarant. Addit porticus, cum bibliotheca latina græcaque. Hæc est altera bibliotheca Augusti publica (nam prima fuit Octauia, de qua postea) dicta Palatina à loco, quia in Palatio. Vide Lipsium de Bibliothecis cap. 6. Hanc porticum describit Propert. quoque lib. 2. eleg. 31.

SIGNA PEREG. ALTERNA COLVM.] In columnis duabus, è peregrino lapide, insculpta sunt signa. In vna quidem.

BELIDES] L. filiæ Danai, cui pater Belus: vt sit patronymicum, ab auo paterno. Cic. Parad. 6. Filiam quis habet? pecunia est opus. duas? maiore. plures? maiore etiam. Et si, vt aiunt, Danai quinquaginta sunt filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. Propert.

Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai fœmina turba senis.

ET STRICTO STAT FER. ENSE. P.] In altera visebatur pater Belidum Danaus, crudelis & barbarus, stricto gladio filiabus necem minitans, nisi patrueles suos, Aegypti totidem filios quibus contra voluntatem paternam, coactu patrui nupserant, vna nocte omnes iugularent,

quod

quod fecerunt, Hypermnestra excepta, quæ Lino, fine Linceo marito suo pepercit. Vide eius epistolam. Dixit postea caussam, & se iudicio defendit contra fratrem Danaus. Vide prouerb. Argi tumulus, apud Iunium.

QVÆQVE VIRI DOCTO VETERES, &c.] Quos eruditi homines, antiqui & recentes scripserunt libros, illic patent ad legendum. In ea bibliotheca magna est librorum copia. Meminit illius & Horat. ep.3.lib.1. *& tangere vitet Scripta Palatinus quæcunq; recepit Apollo.* Et ep.1.lib.2. *Si munus Apolline dignũ Vis complere libris, & vatibus addere calcar.*

QVÆREBAM FRATRES] alios libellos, seu libros ab Ouidio nostro scriptos, & tanquam filios ac fratres meos ab ipso genitos.

EXCEPTIS SCIL. ILLIS] amatoriis: nam eos in bibliothecam illam non esse receptos, certò mihi constabat, vtpote βδελυρῶν.

QVOS SVVS OPT. NON GEN. PAT.] quẽadmodum parentes optant non genuisse filios, quorũ improbitate ipsi infames fiunt, aut damnum ingens accipiunt. In omni copia sua Græcos nõ habere quomodo auctorem libri dicant, & qui redegit Athenæũ in epitomen impropriè, sed eleganter vocasse πατέρα βίβλου, & plura de patre, & scriptis, notauit ad eundem Athenæum lib.1.cap.1.pag.2. num.20. Casabon.

QVÆRENTEM FRVSTRA] nihil inuenientem ex his quæ inuestigabam. Suspicarer hinc, lemmatis, & indicibus distinctas fuisse auctorum classes, & ordines. Suos igitur fratres inter latinos, & in ordine, seu pluteis poëtarum quærebat.

CVSTOS PRÆPOSITVS] Bibliothecarius. Fuit hic, auctore Sueton. C. Iulius Hyginus. Habuerunt aliquando custodes seorsum, græca suum, & latina suum. Vide Lipsium cap.6.

SANCTO IVSSIT ABIRE LOCO] Sanctus ille locus, quia quasi quoddam templum sapientiæ, qua nihil sanctius, ac venerabilius. Inde me abire iussit, tanquam ignotum, & profanum, propter odium in parentem meum.

ALTERA TEMPLA PETO] Prima bibliotheca publica sub Augusto fuit quam in Auentino construxit Asinius Pollio, de qua infra mox. Duas Augustus, priorẽ Octauiam, à sororis nomine dictam, de qua & Sueton. in Melisso Grammatico. A qua etiam spretum se libellus queritur, locum vbi fuerit, designans. Quod templa appellat, loca intelligit tãtum publico vsui consecrata: tametsi in templis, aut iuxta sæpe fuisse, alia ostendunt. Plura Lipsius cap.6.

VICINO IVNCTA THEATRO] Marcelli.

PATRIBVS NON ADEVNDA MEIS] nam & inde exclusus sum.

QVÆ DOCT. PAT. P. LIBELL. ATRIA, &c.] vbi primùm asseruati sunt libri, & quæ fuit quasi prima sedes Musarum. Nec in atrio Libertatis locum se inuenisse, vbi reponeretur. Aedificatum est ab Asinio Pollione in Auentino, vt alia à viris primariis, hortãte Augusto, vt pro facultate

A quisque monumentis vel nouis, vel refectis, & excultis vrbem adornarent. Sueton. cap.29. Annotat Animaduersor, fuisse ibi tabularium, in quo seruarentur acta publica, producitq; locum ex Liuij lib.43. Describit etiam loci formam, ac de voce atrium, eiusq́ue originatione disserit, pag.99. num.25. De eodem atrio & templo Libertatis Gyraldus Syntag.1. Asinius Pollio, inquam, hortante, & incitante Augusto atrium Libertatis extruxit, & vt Plinius ait lib.34. cap.2. primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit. Quanquam id atrium instructum, aut reparatum ab eo magis, quam extructum, &c. Lipsius cap.5.

IN GEN. AVCTOR. MIS. F. REDVND.] Nomine generis sæpe notantur liberi. Virgil. lib.12. *Latonæq; genus duplex.* Liberi igitur parentum peccata interdum coguntur luere, sicut liberorum flagitiis, & sceleribus affliguntur, & miseri fiunt nonnunquam parentes. Elegia 1. lib.1. de Ponto.

Publica non audent inter monumenta venire,
Ne suus hoc illis clauserit auctor iter.

ET PATIM. NATI Q. TVLIT IPSE SVO.] Sicut ipse eiectus est, ita nos, vbi in hac vrbe consistamus, non inuenimus.

FORSITAN ET NOBIS, ET ILLI, &c.] Aliquando fortasse vtrisque placabitur, vt & nos in bibliothecas admittat, & illum ab exilio reducat.

C EVICTVS LONGO TEMPORE] Omnia vehementia & contenta tempore, & diuturnitate languescunt, & remissiora fiunt. Idem de ira aduersus Ouidium Augusti cogitandum est.

NEQVE ENIM MIHI TVRB. ROG. EST] Non egemus nisi vnius Dei ope, Cæsaris puta.

STATIO PVBLICA] vbi consistam, vbi reponar locus publicus. Vel à nauali, vel à militari statione metaphora. De hac voce disseruimus plura in lib.2.

PRIVATO DELITVISSE LOCO] Rectè iungit verbum *delitescere* cum loco priuato, cum palam apparere, & inter monumenta doctorum se venditare non audeat. Rogat itaque, ne sibi domicilium priuati alicuius, & plebeij inuideatur
D ad hospitium interea, dum tempora meliora veniant. Eleg.1. lib.1. de Ponto.

Nec tamen accedunt: sed, vt aspicis ipse, latere
Sub lare priuato tutius esse putant.

SI FAS] si id religioni non ducitis.

CONFVSA PVD. REPVLSÆ] ob repulsam, de qua narraui, pudefacta.

PLEBEIÆ MANVS SVMITE] vos plebeij sumite, & legite. Eleg.1.lib.1. *Et satis à media sit tibi plebe legi.*



ELEGIA SECVNDA.

QVERIMONIA FLEBILIS DE EXILIO.

ARGVMENTVM.

Impense dolet, tot scripta sua, quorum iam toties illata mentio, etsi nihil vetitum docentia, ad exilium à se prohibendum haudquidquam valuisse. In itinere quidem terrestri, ac maritimo non paucis iactatum esse periculis: at nunc demum se hominem haud validi corporis, & labori minimè assuetum, extremas perferre miserias, ac propterea quotidianas profundere lacrymas. Recordatione Romæ, & desiderio rerum amissarum tangi frequentissimè. Mortem non semel inuocasse: quam vt adipiscatur, deos, iræ Cæsarianæ socios, auxilium poscit.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris?
Quæque Lycaonio terra sub axe iacet?
Nec vos Pierides, nec stirps Latonia vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem.
Nec mihi, quòd lusi vero sine crimine, prodest,
Quodq; magis vita Musa iocosa mea est.
Plurima sed pelago, terráque pericula passum
Vstus ab assiduo frigore Pontus habet.
Quíque fugax rerum, securáque in otia natus,
Mollis, & impatiens antè laboris eram:
Vltima nunc patior: nec me mare portubus orbum
Perdere, diuersa nec potuère via.
Suffecitqúe malis animus: nam corpus ab illo
Accepit vires, vixqúe ferenda tulit.
Dum tamen & ventis dubius iactabar, & vndis:
Fallebat curas, agráque corda labor.
Vt via finita est, & opus requieuit eundi:
Et pœna tellus est mihi tacta mea:
Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber
Lumine, quàm verna de niue manat aqua.

Roma, domusq́; subit, desideriumq́; locorum,
Quicquid & amissa restat in vrbe mei.
Hei mihi, quòd toties nostri pulsata sepulcri
Ianua, sed nullo tempore aperta fuit.
Cur ego tot gladios fugi? totiesq́; minata
Obruit infelix nulla procella caput?
Dij, quos experior nimium constanter iniquos:
Participes iræ quos Deus vnus habet:
Extimulate, precor, cessantia fata: meique
Interitus clausas esse vetate fores.

COMMENTARIVS.



ERGO ERAT IN FATIS NOSTRIS] A Vox *ergo* abruptę orationi, & affectui vehementiori accommodata est. 1. Metamor. *Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus.* Cic. 1. Philipp. Quonam meo fato P.C. fieri dicam, &c. Noua autem fata Latini dicebant, cum magna quædam, & propè inusitata, inauditaque, & insolita fælicitas euenerat. Iuuenal. Satyr. 7. exempla nouorum Fatorum transi. Drepanus Panegyr. in Theodos. August. Nullam maiorem Principum fælicitatem esse crediderim, quam fecisse fælicem, & intercessisse inopię, & fortunam vicisse, & dedisse nouum fatum. Hęc B Turneb. lib. 27. cap. 2.

SCYTHIAM QVOQVE VIDERE] Non solum relegari, sed etiam in Scythiam vsque relegari. Scythiam Europæam: alia enim est Asiatica. ἀμφαντικόν, inhospitam, barbaram, inamœnam, horridam partem orbis, vbi & incolarum tanta feritas vt in prouerbium euaserit, Scytha malus.

LYCAONIO TERRA SVB AXE] sub stellis septem vrsæ maioris posita est. Quam vrsam fabulantur poëtæ fuisse Callisto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam. 2. Metamorph. In extrema septentrionis plaga.

NEC VOS PIERIDES] Quidam Pierus Macedo, copiosus, nouem habuit filias. Quæ cum Musas ad certamen cantus prouocassent, victæ ab illis, & in picas mutatæ sunt. 5. Metamorph. Harum nomen Musæ vt trophæum quoddam sibi postea indiderunt. Vel ita, Pierus dictus est Musarũ pater, & ab eo nominatæ Pierides, quod primus omnium poëma fecisset, & quas habuisset nouem filias, bonis ac diuersis artibus instituisset, iisque Musarum nomina totidem imposuisset. Ast Hesiodus à loco, nempe Pieria, monte Bœotiæ Musis sacro sic dictas docet, cum principio ἔργ. καὶ ἡμέρ. eas inuocans, ait, μοῦσαι πιερίηθεν. Quem autem vel mediocriter litteratum fugit, ab aliis item locis Musas sortiri nomina? Dixi item lib. superiore.

NEC STIRPS LATONIA] nec Apollo, Iouis & Latonæ filius, Musarum dux, & Præses, μουσηγέτης, poëtarum Deus.

SACERDOTI VESTRO] 2. Amor. eleg. 6. *Ille ego Musarum purus, Phœbiq́; sacerdos.* Poëtæ carmina sua pro rebus sacris habent: siquidem diuino afflatu, & à spiritu quodam sedibus æthereis veniente se agitari prædicant. Ideoq́ue se sacros, & se sacra tractare, ac sacerdotes autumant. Horat. Ode 1. lib. 3.

B *Odi profanum vulgus, & arceo.*
Fauete linguis, carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisq́; canto.

Propertius lib. 3. eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Iustitiæ sacerdotes vocat iureconsultos Vlpianus. Statius Lucanum Romani chori sacerdotem. Dixi fusius in Symb. ad illud 2. Georg. *Me vero primùm dulces ante omnia Musæ. &c.* Quanquam vero sacerdoti huic suo opem nullam tulerunt, C cum opis maxime indigeret, in exilium tamen abeuntem, & ab omnibus diis reliquis desertum solæ sunt comitatæ, illumq́; vt licuit recreatunt. Vide eleg. 1. lib. 4.

VERO SINE CRIMINE] sine crimine, quod mihi pro vero obiectari potuisset. Ad effugiendum exilium non mihi profuit, quod quæ de amoribus scripsi, ioco, non seriò scripsi, & meretricibus, non ingenuis: & quod vita, ac moribus longè disto ab illis ineptiis.

QVODQVE MAGIS VITA EST, &c.] Repetit versiculum de lib. 2. pœne totum. *Vita verecunda est, Musa iocosa mea.*

PLVRIMA SED PELAGO, &c.] Lege eleg. 2. & 3. lib. 1. & 1. & vlt. lib. 4. & 1. lib. 5. Elegia 9. lib. 1.

videtur significare, se partim itineris illius pedibus confecisse. *Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos.*

VSTVS AB ASSIDVO FRIG. PONT.] regio Pontica, vbi perpetuæ hyemes. Sed cum igni, cuius munus est exustio, nihil sit tam contrarium, quam frigus, cur dicitur vrere? Et sane plurimi, atq; optimi auctores sic loquuntur. Virgil. 1. Georg. *aut Boreæ penetrabile frigus adurat.* Tacit. 5. Annal. Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt. Cicer. 2. Tuscul. Pernoctant venatores in niue, in montibus se vri patiuntur. Iustinus, loquens de Scythis. Quanquam continuis frigoribus vrantur. Respondent quidam ex Aristot. 4. Meteor. frigus vrere non more caloris: sed quod calor in vnum conducatur: aut certè aduerso teneatur conatu, cuius sententia sic explicatur. Frigus nunquam vrit. Veruntamen caussam præbet incendij. Nam adueniente frigore vehementi, id caloris, quod sparsim in foliis, & herbis, & aliis huiusmodi natura locauit, adueniente contrario colligitur in vnum, & fortius iam, quæ prius fouebat, exurit. Hæc responsio non probatur Magio; quem conducet legere lib. 1. Miscell. cap. 17.

FVGAX RERVM] Qui forum, & lites vitabam. Qui à negotiis gerendis toto pectore abhorrebam, & otium litterarium, quò me natura vocabat, sectabar; & cui molle ac delicatum corpus, duris rebus sufferendis imbecillum, ego talis, &c.

CORPVS. Q. ANTE LABOR. IMPAT.] Vide principium eleg. 2. lib. 5.

VLTIMA NVNC PATIOR] tantis exerceor incommodis, & tot acerba fero, vt nec plura, nec maiora posśim.

MARE PORTVBVS ORBVM] importuosum. Eleg. 12. *Littora rarus in hæc portubus orba venit.*

DIVERSAE VIAE] maris & terræ, in quibus vtrisque dura passus est citra mortem.

SVFFECITQ. MALIS ANIMVS] Plaut. Pseud. *Bonus animus in mala re dimidium est mali.* Sensus est. Qui in re turbida bonum, ac fortem præstat animum, eam dimidio leuiorem, ac minorem reddit. Et Rud. *animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.* Cic. 2. off. Cum autem dominatu vnius omnia tenerentur, neque esset vsquam consilio, aut auctoritati locus: socios denique tuendę reipub. summos viros amisissem: nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, &c.

NAM CORP. AB ILLO ACCEP. VIRES] Magna vis animi, quæ etiã in corpus redundans, illud sustentat, & durisśimorum patiens reddit, quod ex sacris, & ciuilibus historiis perspicere licet. Quid Mutij Scæuolæ dexteram flammæ patientem effecit, nisi ingens, & doloris contemptor animus? Et quid D. Laurentium in craticula iacentem aduersus tormẽta confirmauit, atq; ab eo vocem illam præclarisśimã elicuit, nisi ingens & diuinę charitatis igne succensus animus?

DVBIVS] Quibus nauigantibus tempestas incidit, eorum salus dubia est. Quibus nondum incidit, de perpetua cæli & pelagi tranquillitate securi non sunt. Hinc de Palinuro Aeneid. 5. *O nimium cælo, & pelago confise sereno.*

FALLEB. CVRAS, AEGRAQ. CORD. LAB.] Hoc dicit. Dum nauigabam, etsi versabar in discrimine, & laborabam, nescio tamen quo modo discrimen illud, & miseria mea non tanti à me fiebant, nec ita ponderabantur, vt idcirco multum me excruciarem. Certè hoc elegia 2. lib. 1. quam in ipsa tempestate scripsit, videtur negare. Mortem quippe in vndis formidat vt qui maximè. Hoc verum est, non mortem simpliciter, cum ibi dicat. *Demite naufragium, mors mihi munus erit.*

VT VIA FINITA EST] sequitur quod idem valet, *& opus requiesit eundi.* Hæc illi figura admodum sollennis est: & sunt hæc copiæ potius, quam perissologiæ tribuenda. Tale illud poëtæ maximi.

Quid puer Ascanius, superatne? & vescitur aura
Aetherea? nec adhuc crudelibus occubat vmbris?

Idem iudica de cæteris apud eundem nostrum & similibus locis.

ET POENAE TELL. EST. M. TACTA. M.] Postquam delatus sum Tomos, in solum pœnæ, & exilio meo præfinitum.

NIL NISI FLERE LIBET] Totos dies pono in lacrymis. Hyperbole, vt & sequentia.

NEC NOSTRO PARCIOR IMB. LVM.] Non rarò lacrymas vberiores videbis à poëtis vocari imbrem. Alibi.

Aspice demissos lugentis more capillos,
Et tunicas lacrymis sicut ab imbre graues.

Catull. de coma Ber.

Mœsta nec assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, neq. tristi imbre madere genæ.

Stat. 4. Thebaid. *largiq. humectant imbribus ora.* Plura facile inuenies.

QVAM VERNA DE NIVE M. A.] Laodamia Protesilao. *More niuis lacrymæ sole madentis eunt.*

ROMA, DOMVSQVE SVBIT, &c.] Eleg. 3. lib. 1.

Cum repeto noctem, qua tot mihi chara reliqui,
Labitur ex oculis nunc quoq. gutta meis.

NOSTRI PVLSATA SEPVLCHRI IANVA] Votum ac desiderium moriendi, vt ærumna exolueretur, allegoricè exprimit, & κατὰ μετάληψιν ex consequenti intelligimus antecedens, ex sepulchro mortem. Quasi dicat, ego Mortem rogaui sæpiuscule, vt me miserum ad se intromitteret, & hinc auferret. Illius cellulam orando non semel pulsaui. At illa orantem repulit: aperire ostium mihi dignata non est. Sic locutus est 1. Metamor. *præclusaq. ianua lethi Aeternum nostros luctus extendit in æuum.*

CVR TOT GLADIOS FVGI?] In terra latronum, & comitum suorum gladios effugit. Nam & ab his, eius reculæ inhiantibus, pœne est inter-

fectus,

fectus, vt ſuo loco audiemus. Modo id factum non eſſe dolet.

TOTISSQVE MINATA] Eleg.2. lib.1.

Ipſa graues ſpargunt ora loquentis aquæ.

Et:

Dumq́, loquor, vultus obruit vnda meos.

Iſtæ fuerunt minæ, de quibus loquitur.

QVOS EXPSR. NIM. CONSTANT. INIQVOS] pertinaciter potius. Conſtantia eſt in rebus iuſtis: poëta autem ſe iniuſtè vexari autumat. Verùm hoc ipſum, quod nos volumus, ſe ſentire declarat, addito aduerbio *nimium*. Quia nimium conſtans eſt pertinax, vt nimium iuſtus, eſt iniuſtus.

PARTICIPES IRAE QVAM, &c.] Eleg.2.lib. 1. deos marinos, & cæleſtes orauit, ne magni Cæſaris iræ ſubſcriberent, quos hîc dicit participes iræ vnius Dei, Auguſti ſcilicet, cum quo in caput Naſonis conſpiraſſe cenſendi ſunt.

A EXTIMVLATE PRECOR CESS. FATA] Seruat decorum, & cohærentia dicit. Quandoquidem à Cæſare faciunt, non petit vt ſibi reditum curent, aliquid boni, inquam, vt à diis amicis, aut ſaltem non aduerſariis: ſed aliquid mali, eorum nempe in ſe maleuolentię conſentaneum, vt mortem aduerſum ſe incitent, & è medio, quem oderunt, tollendum curent; hoc enim beneficij loco accepturum, malum minus præ maiore.

CLAVSAS ESSE VSITATE FORES] Ad metaphoram regreditur, & quam ſupra ianuam ſepulchri, modò interitus ſui fores nominat, quas ſibi patere cupit diis adiuuantibus. Vſi ſunt hac translatione Lucret. lib.1.

Nam quacunq́, prius de parti corpora ceſſe
Conſtituet, hac rebus erit pars ianua lethi.

Et lib.3. *Haud igitur lethi præcluſa eſt ianua cælo.* Virg. 2. Aeneid. *patet iſti ianua letho.* Arnob. lib.2. Omnis enim paſsio, lethi, atq; interitus ianua eſt.

ELEGIA TERTIA.

MALORVM SERIES. VXORIS AMOR. IN PATRIA SEPVLCHRVM.

ARGVMENTVM.

EXCVSAT ſe vxori de aliena manu, propter morbum. De cęli grauitate, aliisque calamitatibus conqueritur. Præ omnibus eam ſibi hærere in aſſidua memoria, cuius præſentia haud quidquam deſiderabilius ſibi euenturum. Parem ipſius erga ſe voluntatem effert. Deos mitius ſecum agere, & ſaltem propter ſepulturam in patria, exilium ab ſe arcere potuiſſe, in quo, quam amara ſibi mors futura ſit, ex variis cauſſis demonſtrat. Item quantum illa mœrorem inde acceptura ſit, & quo ſolatio vti queat. Cum anima quoque extingui cupit, ne inter feras, & barbaras illas vagetur. Oſſa ſua Romam referri poſtulat, ac de iis condiendis, & condendis cum epitaphio mandat. Nomen à libris ſuis etiam deterioris notæ, & damnatis ſperat. Inferias ſibi ab vxore cum lacrymis dari cupit.

Hæc mea, ſi caſu miraris, epiſtola quare
Alterius digitis ſcripta ſit: æger eram.
Æger in extremis ignoti partibus orbis,
Incertusq́, mea pæne ſalutis eram.

Quem mihi nunc animum dira regione iacenti
Inter Sauromatas esse, Getasque putas?
Nec cælum patior, nec aquis assueuimus istis:
Terráque nescio quo non placet ipsa modo.
Non domus apta satis: non hic cibus vtilis ægro:
Nullus Apollinea qui leuet arte malum.
Non qui soletur, non qui labentia tardè
Tempora narrando fallat, amicus adest.
Lassus in extremis iaceo populisque, locisque:
Et subit affecto nunc mihi quicquid abest.
Omnia cùm subeant, vincis tamen omnia coniux:
Et plus in nostro pectore cara tenes.
Te loquor absentem: te vox mea nominat vnam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
Quinetiam sic me dicunt aliena locutum,
Vt foret amentis nomen in ore tuum.
Si iam deficiam, suppressáque lingua palato
Vix instillato restituenda mero:
Nunciet huc aliquis dominam venisse, resurgam:
Spésque tui nobis caussa vigoris erit.
Ergo ego sum vita dubius, tu forsitan istic
Iucundum, nostri nescia, tempus agis.
Non agis, affirmo: liquet hoc, carissima, nobis,
Tempus agi sine me non nisi triste tibi.
Si tamen impleuit mea sors quos debuit annos:
Et mihi viuendi tam citò finis adest:
Quantum erat ô magni perituro parcere diui:
Vt saltem patria contumularer humo?
Vel pœna in mortis tempus dilata fuisset:
Vel præcepisset mors properata fugam.
Integer hanc potui nuper bene reddere vitam:
Exul vt occiderem, nunc mihi vita data est.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Et fient ipso tristia fata loco?
Nec mea consueto languescent corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat vllus erit?
Nec dominæ lachrymis in nostra cadentibus ora
Accedent animæ tempora parua meæ?
Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Languentes oculos claudet amica manus?

Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri
Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid vbi audieris tota turbabere mente?
Et feries pauida pectora fida manu?
Ecquid in has frustra tendens tua brachia partes
Clamabis miseri nomen inane viri?
Parce tamen lacerare genas: nec scinde capillos:
Non tibi nunc primùm, lux mea, raptus ero.
Cùm patriam amisi, tunc me periisse putato:
Et prior, & grauior mors fuit illa mihi.
Nunc, si fortè potes, sed non potes, optima coniux,
Finitis gaude tot mihi morte malis.
Quod potes, extenua forti mala corde ferendo:
Ad quæ iampridem non rude pectus habes.
Atque vtinam pereant animæ cum corpore nostræ,
Effugiatque auidos pars mihi nulla rogos.
Nam si morte carens vacuas volat altus in auras
Spiritus, & Samij sunt rata dicta senis:
Inter Sarmaticas Romana vagabitur vmbras,
Pérque feros manes hospita semper erit.
Ossa tamen facito parua referantur in vrna:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.
Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana peremtum
Supposuit tumulo rege vetante soror.
Atque ea cum foliis, & amomi puluere misce,
Inque suburbano condita pone solo.
Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.
HIC EGO QVI IACEO TENERORVM LVSOR AMORVM,
INGENIO PERII NASO POETA MEO.
AT TIBI, QVI TRANSIS, NE SIT GRAVE, QVISQVIS AMASTI,
DICERE: NASONIS MOLLITER OSSA CVBENT.
Hoc satis in tumulo est: etenim maiora libelli,
Et diuturna magis sunt monimenta mei.
Quos ego confido, quamuis nocuêre, daturos
Nomen, & auctori tempora longa suo.
Tu tamen extincto feralia munera ferto,
Déque tuis lacrymis humida serta dato.
Quamuis in cinerem corpus mutauerit ignis,
Sentiet officium mœsta fauilla pium.

Scribere

Scribere plura libet: sed vox mihi feßa loquendo
Dictandi vires, siccáque lingua, negat.
Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod, tibi qui mittit, non habet ille, vale.

COMMENTARIVS.



A

LTERIVS DIGITIS SCRIPTA] Coniuges præsertim, suismet manibus inter sescribere, mos bonus est, quamuis secreta non scribant. Et vniuerse vt dicam, omnes epistolæ non aliena manu exaratæ, gratiores accidunt, & plus fidei merentur.

AEGER ERAM] Insta excusatio & in hoc, & in aliis præterea multis, immo omnibus, ægritudo, quæ non in animo tantùm, sed etiam in corpore, perinde vt æger, dicitur. Sallust. in Catilin. Antonius pedibus æger. Terent. Phorm. *matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.* Plinius lib. 28. cap. 6. augurium ex homine ipso est, non timendi mortem ex ægritudine. Et lib. 8. cap. 1. de elephantis. Visiq; sunt fessi ægritudine (quando & illas moles infestant morbi) per herbas supini in cælum iacentes, &c. Propriè tamen secundùm Cicer. Tuscul. 1. vt ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo. Ibid. Præclarè nostri, molestiam, sollicitudinem, angorem propter similitudinem corporum ægrorum ægritudinem nominarunt. Verumtamen idem dicit ægrotationes animi. Et Terent. Heaut. & And. habet, *ægrum animum.* Plautus quoque ægrotus, & ægrotare aliquoties ad animum transfert. Sunt igitur æger, ægritudo, ægrotus, ægrotatio, ægrotare reciproca, & inter se vicissim commeant.

B

IN EXTREMIS IGNOTI. P. ORBIS] Tam longè à patria, vt longius nõ posit. Ignoti. Quidni, si in extremo orbe illæ partes?

INCERTVSQVE MEAE PAENE. S. ERAM] Verba sonant, fuisse propemodum incertum, moriturus, an reualiturus esset è morbo: sed sensus, à verbis discrepans, est hic, pænè desperatum fuisse de vita sua.

C

QVEM MIHI NVNC ANIM. &c.] Hæc est velut propositio, & pronunciatum, cuius probatio isagogica, seu per inductionem subiicitur, animo suo malè esse in regione illa barbarica. Quid mihi nunc animi esse, quid me nunc animi habere censes? etiam probe dicuntur. Plaut. Amphit. *Teneo quid animi vestri super hac re siet.*

IACANTI] Ad afflictam ac miseram fortunam exprimendam vtuntur latini hoc verbo, & pertinet sæpe ad miseriam, sicut stare ad felicitatem Cic. ep. 2. lib. 14. Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrymis, & sordibus? 2. Aeneid. de

A

patre suo Sinon. *Dum stabat regno incolumis.* Et lib. 1. *dum res stetit Ilia regno.*

INTER SAVROMATAS, GETASQVE] homines agrestes, efferatos, & belluarum similes quà aspectu, quà moribus.

NEC CAELVM PATIOR] Cælum pro aëre, vsitatum latinis. Inde cælum graue, crassum, subtile, frigidum, æstuosum, salubre, pestilens, &c. Non patiebatur hoc cælum Ouidius, quia perfrigidum, & ideo corpori suo graciliori infestũ. Euripid.

Ψύχος δ' λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

Membris gracilibus frigus infestissimum.

Quem versum profert M. Tull. epist. 8. ad Tironem.

NEC AQVIS ASSVEVIMVS ISTIS] Eleg. 8. *Nec cælum, nec aqua faciunt, nec terra, nec aura.* Et 7.

B

lib. 2. de Ponto.

Est in aqua dulci non inuidiosa voluptas.
Æquoreæ bibitur cum sale mista palus.

Aquæ vsus in cibo, potu, & aliis rebus cernitur. Has omnes minus valere exploratum, si aqua vitiosa sit. De aquarum insalubritate, & commoditate agit Plin. toto cap. 3. lib. 31. & Athenæus lib. 2.

TERRAQVE NESCIO. Q. NON. P.] quia inculta, sterilis, squalida, inamœna, &c. quam alibi describet. De ea queritur eleg. 14. lib. 4. de P.

Nulla mihi cura est terra quò mittar ab ista,
Hac quoq; quam video gratior omnis erit.
In medias syrtes, mediam mea vela charybdim
Mittite, præsenti dum careamus humo.

NON DOMVS APTA SATIS] Eleg. 11. lib. 5.

Quippe simul nobiscum habitat discrimine nullo
Barbarus, & tecti plus quoq; parte tenet.

C

Credibile est & aliis de caussis non fuisse aptam satis, quas tute cogitabis.

NON HIC CIBVS VTILIS AEGRO] Valentior materia, & quæ difficilius concoquit, ægrotis apta non est, imbecillior est. Iam qui cibi valentis, qui mediæ, qui imbecillis sint materiæ, tradit Celsus lib. 2. cap. 17. Cibus est omne id quo vescimur, dictus, quod ore capiatur: sicut esca, quia eam os capit. Et is bonus est cibus, qui & optimi succi est, & concoctu facilis, & minimè excrementosus.

APOLLINEA QVI LEVAT ARTE MAL.] nullus medicus. Artis medicæ principatum sibi Apollo, seu Phœbus vendicat. 1. Metamor. 3. Fast. *Vos quoq; Phœbea morbos qui pellitis arte.* Vbi gentium

non

non reperiuntur medici, ferè etiam pauci, & raro existunt morbi. Vnde enim abest intemperantia victus, vnde absunt deliciæ, & illa saporum, alimentorumque varietas, inde etiam absunt quæ hinc oriuntur inualetudines. Et verissimum est, plures gula, quam gladio periisse.

NON QVI SOLETVR] Mœstos, & ægros animi solando mulcere, in præcipuis amicitiæ officiis numeratur. Et detrahere animis mœrorem, & cuiusuis generis molestias, orationis summa virtus. Nec aliud huic malo medicamentum. Optime in monostichis.

Λόγος γὰρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος.
Λύπην γὰρ ἐν ... οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος.
Λόγος ἰατρὸς ἐστι τῶν κατὰ ψυχὴν παθῶν.

Quorum versiculorum hæc est sententia communis: solam orationem ægrotantibus animis facere posse medicinam.

QVI LABENT. TARDE SEMP.] Tarde, inquit, labentia. Afflictato enim, & infelici omne tempus longum, hora dies, dies mensis, mensis annus. Beatis contra. Lucian. in epigram.

Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν ἅπας ὁ βίος βραχύς ἐστι,
Τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.
Fælici breuis est quamuis longissima vita.
Nobis vnam miseri secula mille patant.

NARRANDO FALLAT] Fallere tempus iucundis sermonibus solemus cum familiaribus. Neminem igitur se habere secum familiarem ostendit. Sic locutus est etiam 4. de P. eleg. 10. *Detinui dicam curas, tempusque fefelli.* 8. Metamorph. fallere sermonibus horas. Penelope Vlyss. *Nec mihi quærenti spaciosam fallere noctē.* Hero Leandro, quod simile est. *Sic vbi decepta pars est mihi maxima noctis Acta.*

LASSVS IACEO] exhaustus, confectus, deartuatus, vt cum Plauto dicam.

IN EXTREMIS POPVLISQVE LOCISQVE] Suprà in extremis ignoti partibus orbis. Eleg. 7. lib. 2. de Ponto *Vltima me tellus, vltimus orbis habet.*

ET SVBIT AFFECTO NVNC MIHI. Q. AB.] Eleg. 2.

Roma, domusque subit, desideriumque locorum,
Quidquid & amissa restat in vrbe mei.

Ægroto, & male valenti in mentem veniunt quæcunq; chara habui, & deserere coactus sum. Nec enim de personis duntaxat, sed rebus etiam, vt de patria, domo, possessiunculis accipiendū. Celsus medicus crebrò ita loquitur, vt dicat, ilenem, renes, pulmonem affectos. Liuius lib. 5. vires corporis affectæ. Et alibi. Affecti pleriq; principum. Propert. lib. 2. eleg. 28. *Iupiter affectæ tandem miserere puellæ.*

VINCIS TAMEN OMNIA CONIVX] Non est quærenda ratio, cur omnia vincat, cùm sit coniux, & quidem optima, ac fidissima coniux, quod docuit eleg. 5. lib. 1.

ET PLVS IN NOST. PECT. CHARA. TEN.] plus quam partem tenes, seu, potissimam partem tenes in pectore meo: sensu eodem. Explicatur autem hoc versibus proximè sequentibus. Vide eleg. 5. lib. 5. *Nec patriam magis ipse suam, &c.*

TE VOX MEA NOM. VNAM] tuum nomen mihi semper in ore est.

NVLLA VEN. S. TE NOX M. N. DIES] Cic. ad Terent. ep. 2. Nam mihi ante oculos dies, noctesque versaris. Paris Helenæ.

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam,
Lumina cum placido victa sopore iacent.

Dido Aeneæ.

Æneas oculis semper vigilantibus hæret,
Æneamque animo noxque, diesque refert.

ALIENA LOCVTVM] Aliena loqui, est inepta, absurda, non cohærentia, non conuenientia loqui, vt solent qui non sunt in potestate mentis, & amentes, & delirantes, qui deliramenta loquuntur. De vocibus alienus, alienari, alienatio ex nostris, & sacris scriptoribus disputat vtiliter noster Martin. de Roa. Singular. lib. 1. cap. 12.

SI IAM DEFICIAM] si animo linquar: si me deficiat animus.

SVPPRESSAQVE LINGVA PALATO] hærens faucibus præ siccitate, & præ imbecillitate, vocis vsum deneget.

INSTILLATO RESTITVENDA MERO] pauxillum etiam vini generosi, ac firmi vires reficit, ac reparat. Ponticis lib. 1. eleg. 4. *sic ad tua verba reuixi. Vt solet infuso vita redire mero.*

DOMINAM VENISSE] Dominæ appellabantur Imperatrices: sæpius vxores. Putat Seruius de græco tractum, qui vxorem *δεσπότιν* dicant. Amantes item amicas suas sic nominabant: quomodo alia quoque coniugalia vocabula ad vetitas libidines transferebant. Disserui plura ad illum versum 6. Aeneid. *Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

SPESQVE TVI] videndæ subaudi.

DVMQVE EGO SVM VITAE DVBIVS] Suprà. *Incertusque meæ pene salutis eram.*

IVCVND. TEMP. AGIS] das te iucunditati. Oblectas te cum sodalibus tuis.

NOSTRI NESCIA] nostri secura, nihil nos curans. Hanc suspicionem mox refutat.

NON AGIS] propter summum tuum in me amorem, sine quo nihil tibi iucundum esse potest.

AFFIRMO, LIQVET HOC NOBIS] asseueranter, & sine vlla hæsitatione dico.

TEMPVS AGI SINE ME, &c.] te æque de me, vt ego de te dicere.

Te sine amara dies, & noctis amarior vmbra.
Omnia nam tristi tempora felle madent.

Est apud Tibull. lib. 2. eleg. 4.

SI TAMEN IMPLEVIT MEA SORS, &c.] si hîc, & modò moriendum erit, expletis annis mihi definitis, ac nondum seni, non fuisset admodum magnum beneficium, ô dij, vindicasse me ab instanti exilio: quippe breui moriturum, vt in patria sepulchrum assequerer. Sepulchri saltem ergô seruare me ab exilio debuistis.

Val poena in mortis tamp. dilata] vel fecissetis, vt exilium differretur in tempus mortis, cum ægrotarem ad mortem, & obirem diem menm. Dum annis obsitus vita cederem,

Vel praecessiss. mors properata pvg.] Tertia conditio. Vel morte subita, vel improuisa me hinc abstulissetis. Legitur etiam, & melios, *præcepisset*, à præcapio, quod est occupo, seu præoccupo, Quid tum factum fuisset? sequitur.

Intao. hanc potvi nvpar, &c.] Cicer. ep. 7. lib. 1. rebus tuis integris. Integer, non exul, adhuc liber potui mori, quod in parte fælicitatis numerandum est. Medea Iasoni.

Tunc potui Medea mori bene: quidquid ab illo
Produxi vita tempore, pœna fuit.

Exvl vt occid. n. mihi. v. data] Quale beneficium? Seruatus sum vt perirem in exilio, & carerem sepultura in patria, quod mortem tristiorem facit, propter ea quæ subiungun-tur. 6. Fast. de Manlio Torquato.

Quam bene, dij magni, pugna cecidisset in illa,
Defensor solij Iupiter ille tui?
Vixit vt occideret. damnatus crimine regni:
Hunc illi titulum longa senecta dabat.

Ipso trist. fata loco] tristiora, nam per se iucunda non sunt. Quem enim mori delectat?

Nac maa consvet. lang. &c.] lib. 1. eleg. 10. *Nec consuetem meum lectule corpus habes.* Quanquam ibi de alio lectulo sermo est, de grabbatulo, in quo meridiari, commentari, & scribere consueuerat.

Depositvm nec ma qvi flaat] Non circumstabunt propinqui, & amici, qui desperatum, etiam pene animam agentem defleant. Lib 2. de Ponto. *Iam prope depositus, certè iam frigidus æger.* Consule German. Valent. in illum versum 12. Aeneid. *Ille vt depositi proferret fata parentis*, & Symb. nostras ibid. vbi depositus non potest exponi, iam mortuus. Solebant tamen mortui humi deponi. Depositus autem pro desperatus, non videtur ab ipsa depositione dici: nec enim quisquam mortuum, & luce cassum desperatum dixerit. Isidorus lib. 10. Consuetudo erat apud veteres, vt desperati (ægroti) ante ianuas collocarentur: vel vt extremum spiritum redderent terræ: vel vt possent à transeuntibus fortè curari, qui aliquãdo simili laborassent morbo. Babylonios Herodot. lib. 1. eandem ob caussam ægrotos in forum deferri solitos scripsit. Ritum hunc prodidit & Maximus Tyr. orat. 10. his verbis. Medicinam his initiis ortam constans fama est. Eum qui vexaretur à morbo, domestici exportantes, in frequentissimo vico statuebant, vt à transeuntibus visus, de qualitatibus morbi rogaretur. Ita qui tulerat, depuleratque similem morbum aut incisionibus, aut tolerantia sitis, aut cauteriis, aut medicamentis sumptis, prodito remedio la-

A borantem iuuabat. Et ante Tyrium Plutarch. libello. Num rectè dictum *Λάθε βιώσας.*

Dominaa lacrym. in nost. cad. ora] Eleg. 3. *Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes.* Morientibus maritis solent piæ coniuges vltima figere oscula, eorumque vultus suis imbuere lacrymis. Quam rem sibi vitam aliquantum prorogaturam affirmat, si fiat.

Nac mandata dabo] cui enim daret? Eleg. 2. lib. 1. *Et mandare suis aliqua.*

Cvm clamora svprsmo] cum vltima, vel summa, & clara conclamatione. Mortui nomen claris, & plurium vocibus iterabatur, cum primum expirasset. Et hæc erat prima conclamatio: ne fortasse qui exisse putaretur spiritus, ad-
B huc lateret. Narrat Plin. lib. 7. cap. 52. Auiolam, consularem in rogo reuixisse. Et quia præualente flamma subueniri non poterat, viuum crematum esse. Hinc Terentij illud. *desine, iam conclamatum est.* Quod in prouerbium transiit. Quum aliquot dies assecutus esset, & componeretur, ac pararetur iam pompa funeris, vltimum conclamabatur, vt notat Seruius ad illum Virg. locum 6. Aeneid. *Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis, &c.*

Labent. ocvl. i. clavd. amica man.] Ariadna Theseo. *Nec mea qui digitis lumina condat, erit.* Officium cognatione propinquorum, claudere oculos morientium, patria, inquam, matris, filiorum. Homer. *οὐ δ' ἐγὼ τῷ γε πατὴρ, καὶ πότνια*
C *μητὴρ ὄσσε καθαιρήσουσι.* Virgil. 9. Aeneid. *nec te tua funera mater Produxi, pressiue oculos.* In quem versum videto Symb. nostras: adduxi enim moris huius non pauca ex poëtis testimonia. Lege etiam Delrij Comment. in Troadas Senecæ, pag. 450. Puto labentes oculos hîc dici, quià Virgil. 4. Georg. de Eurydice iterum moriente natantia lumina. Et nescio quis, oculos media iam in morte natantes. Sic enim tum dextrorsum, & sinistrorsum, & lente mouentur.

Sed sina fvnerib.] Tria memorat, quibus morituri gaudent. Si sciant se efferendos cum pompa: operiendos humo: deflendos à necessariis, non vt canes sine omni honore in sterquilinium abiiciendos. Ergo sine funeribus, id est, si-
D ne exequiis, & cærimonia funebri. Vnde alicui funus facere, & funus ducere, & in funus prodire.

Sina honora sepvlchri] Violatio sepulchri, & cinerum dissipatio, pro scelere maximo habebantur, & sepulchri ad Irutis nihilominus locus religiosus manebat: quod sepulchrorum sanctitas in ipso solo esset.

Indaploratvm] *ἄκλαυτον.* Honor quippe mortuorum lacrymæ viuorum, quem honorem optabat sibi defuncto haberi Solon, nolebat Ennius. Ille dabat hoc humanitati, & naturæ: iste contemnebat præ dulcedine, quam apud omnes sperabat, gloriæ. Nec lacrymis modò, sed planctibus insuper (quas quidam *[illegible]* nouato

vocabulo

vocabulo appellant) genarum, & crinium laterationibus, & aliis rebus dolorem, & luctu suum in funeribus testabantur, vt vel ex hac elegia cognoscimus.

ET FERIES PAVID. P. NVDA MANV] Non in funeribus tãtùm, sed in mœstificis rebus, & calamitatibus viguit pectoris, lacertorumq; percussio, vt alibi docnimus. Lucian. de luctu. *οἰμωγαὶ, καὶ ...* Ariadna Theseo. *Protinus adductis sonuerunt pectora palmis.* 4. Metam. *Percutit indignos claro plangore lacertos.*

IN HAS PARTES] versus Scythiam, in qua ex. ul perierim. Solebant enim in locis exteris mortuorum manes inclamare, & cum eo clamore, seu vocatione manus contra regiones illas, vbi viuere desiissent, extendere. Partes pro regione, etsi non memini me alibi legere, non dubitem tamen Ouidio auctore sic loqui. Ne sis audax in pronuntiando, cum de latinitate vocum, & locutionum quæritur.

NOMEN INANE] quippe cui nihil subsit amplius. Mortui enim sunt quasi nulli sint.

PARCE TAMEN LACERARE GENAS] Hoc quasi parentationis genus mulieribus in vsu. Oenone Paridi. *Oraque sunt digitis aspera facta meis.* Virgil. lib. 12. de Lauinia virgine, cum mater eius Amata regina semet suspendio necasset. *Filia primum manu flauos Lauinia crines, Et roseas laniata genas.* Tibull. elegi. lib. 1.

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Exemplo bono numero collegit Delrius in Hippolytum Senecæ Comment. pag. 212.

NEC SCINDE CAPILLOS] Hypermnestra Lynceo. *Purpureos laniata sinus, laniata capillos.* Lucilius de Præficis. *Mercede quæ conductæ flent in funere. Multò & capillos scindunt, & clamant magis.* In funere necessariorum laniabant, euellebant, ob scurabant, detondebant comam. Delrius ibid. Neque viri quidem ab ista crinium laceratione sibi in luctu temperabant. Cic. 3. Tuscul. Ex hac opinione sunt illa varia, & detestabilia genera lugendi, pedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, capitis percussiones. Hinc ille Agamemno Homericus, & idem Accianus scindens dolore identidem intonsam comam, &c.

LVX MEA] Ne quis putet, in meretriciis tantum blandimentis frequentari illa, lux, vita, desiderium, anima, & similia: etiam in coniugalibus, paternis, ac maternis vsurpantur. Et iustius vtique in his quam in illis. Cic. Terentiæ, & Tulliolæ lib. 14. epist. 2. Hem mea lux, meum desiderium. Ibid. valete mea desideria, valete. Et ep. 4. ego vero te quam primum, mea vita, videre cupio. Ep. 5. ad easdem. Si tu, & Tullia lux nostra valetis. Ep. 7. Tulliolamque, quæ nobis nostra vita dulcior est. epist. 14. Tullius Terentiæ suæ, & pater Tulliolæ duabus animis suis. Ep. 18. considerandum vobis etiam atque etiam, animæ meæ.

A RAPTVS ESO] Rapere, & rapi Latinis in more ponuntur sæpe. Virgil. in epitaphio suo. *Mantua me genuit, Calabri rapuere.* Obiit enim in Calabria. Noster ep. 10. lib. 1. de P. *Quæ mihi de rapto tua venit epistola Celso.* Horat. Ode 17. lib. 2. ad Mæcenatem. *Ab te meæ si partem animæ rapit Maturior vis.* Propriè de iuuenibus, qui immaturam mortem, vt videbatur, obiissent. Nam hi, vt notauit Muret. lib. 13. cap. 2. albescente cælo, ante solis exortum à propinquis efferebantur, quod nefas opinabantur, tanti mali, tantæq; calamitatis spectatorem, ac testem esse solem. Atq; ob eam caussam dies ipsa eos auferre, ac rapere dicebatur, quod vt primum dies apparere cœperat, auferebantur. Sic raptum ab Aurora, quæ eadem & dies est, Orio-
B nem fabulantur. Quamobrem nobili, & formoso aliquo adolescente mortuo, matutinam eius elationem *ἡμέρας ἁρπαγὴν* diei raptũ, fausti ominis gratia, seu molliore vocabulo nominabant, tanquam non expirasset, sed amoris desiderio raptus esset. Heraclid. de Allegor. Homer. Inscriptio vetus sepulchralis. *Sol me rapuit.* Et hinc tot deorum raptus fabulosi.

TVNC ME PERIISSE PVTATO] Eiectio è patria mors est ciuilis. Quomodo & Religiosi te lictis rebus caducis vni Deo vitam suam consecrantes, pro mortuis habẽtur, qui & mortui huic mundo dicuntur. Est etiam apud Cicer. in Paradox. si memini. Vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere.

C ET GRAVIOR MORS] Quo pacto grauior? quia homini ingenuo decus, fama, libertas vita chariora sunt. Necesse est igitur, horum amissionem ipsa morte corporis tristiorem accidere.

SED NON POTES] Propter nimiam erga me charitatem.

FINIT. C. TOT MIHI MORTE MAL.] Thraces quidem nascentes luctu excipiebant, propter miserias tota vita subeũdas: defunctos cũm gaudio efferebant, vt molestiis omnibus ac doloribus liberatos. Longè certissimum aduersus omnia dura, & incommoda remedium mors. Quare & *μακαρίτας* Græci dicunt mortuos, & *κεκμηκότας* beatos, ac laboribus perfunctos.

D EXTENVA FORTI MALA C. FERENDO] Plaut. Capt.

Si dij immortales voluere. vos hanc ærumnã exequi.
Decet id pati animo æque. Si id facietis,
Leuior labos erit.

Contrà, animus ærumnæ impatiens, & recalcitrans, eam sibi exaggerat.

AD MALA TAM PRID. N. RVD. P. HAB.] *Nota mala, res optuma.* Plaut. Capt. Et noster 2. Art. *Quod malè fers, assuesce, feres bene.* Sic Aeneas Sibyllæ, nouos sibi labores in terra, noua discrimina in mari prædicenti, respondens, affirmat, nihil sibi non ante præuisum, ac præcogitatum euenturum, quod ad calamitatem moderatius ferendam valet plurimum.

———— *non vlla laborum,*

Ille tibi exequias, & magni funus honoris
Fecit, & in gelidos fudit amoma sinus.

De amomo ita Plin.lib.12. cap.13. Amomi vua in vsu est, ex Indica vite labrusca, & alij existimaue re, frutice myrtuoso, palmi altitudine: carpiturq; cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. Laudatur quà maxime punici mali foliis simile, nec rugosis, colore ruffo. Secunda bonitas, &c. Herbam Hierosolymitanam quidam: alij piper hortense faciunt. De eius vnguento, cui idem nomen, vide dicta à nobis 1. de Ponto, in uersum paulò ante positum.

SVAVRBANO CONDITA CAEDE SOLO] vbi fortasse eius prædiolum: aut commune, seu publicum sepulchretum capiendum. Sed qui sequitur versus, ostendit ioxta viam condi optauisse: alioqui à viatore epitaphium legi in transitu quî potuit? Etiam ante leges Decemnirûm, consuetudo fuit, mortuos extra vrbem sepeliri. Quæ coosuetudo cum negligeretur, nouis legibus crebrò est instaurata, quam etiam mutata repub. interire Impp. passi uon sunt. Caussa huius instituti prior, & diuina, quod putarent sacra pollutum iri, si secus fieret. Quidquid enim diis superis factum esset, id vel solo aspectu, vel contactu rei funestæ contaminari. Posterior ciuilis, ne aër putresceret. Docet hoc Isidor. lib. 14 cap. 11. Nec verò concremationem corporum in vrbe patiebantur, propter incendij periculum. Fuisse autem sepulchra secundùm vias plerumq;, testimonio sunt vetustæ inscriptiones qnibns transeuntes compellaotur. Aspice viator, & similes.

GRANDISVS NOTIS] mainsculis. Caussa antecessit, vt oculo properante, transeundo iuquam, legi possint. Atque ideo duo tantum disticha. Inscriptiones ἐπιγραφαὶ, latinis tituli, addebantur sepulchris creberrimè, etiam puerorum, ac seruorum, plebeiorumque. Quod Lacedæmones non nisi iis qui in acie pugnantes cecidissent, faciebant. Hi tituli nunc soluta oratione, nnoc versu concipiebantut. Et quo clarius paterent, faciliusque legi à transeuntibus possent, minio plerumque signabantnr. In carmine sollemnia verba erant. Hîc situs est, hîc iacet. 2. Metamorph. *Hic situs est Phaëton currus auriga paterni.* Tibull. eleg. 3. lib. 1. *Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus.* Vide Brisson. Formulas.

TENERORVM LVSOR AMORVM] t. de Remed. amor alloquens ipsum Cupid. *Tradita qui toties te duce signa tuli.* Sicut alij artifices, ita poëtæ quoq; in epitaphiis profitentut artes suas, quas vini exercuerunt, materiam item, & res, quas carminibns suis persecuti sunt, vt Virgil. illo nobili suo, *cecini pascua, rura, duces.* Et ob id multis etiam instrumenta ipsorum iu tumulis insculpebautur, vt est videre in 3. Autholog. ita hîc Ouid. quam factitauerit artem, & cuius rei poëta fuerit, expressè prodit, cum se tenerorum amorum lusorem vocat. Mirari vix possum satis, velle eius rei memoriam renonare lectori, & apud posteA ros eo nomine celebrari, quo patriam amisit, & acerbum sibi exilium comparauit, & cuius eum toties in his, & sequentibus de Ponto libris pœnitet. Scripserunt sibi epitaphis adbuc superstites poëtæ tum antiqui, tum recentes. De Maronis iam dixi. Næuij, Plauti, Pacuuij recitantur à Gellio lib. 1. cap 24. Recentiorum vnius Iouiani Pontani nequeo quin adscribam.

Viuus domum hanc mihi paraui,
In qua quiescerem mortuus.
Noli obsecro iniuriam mortuo facere,
Viuus quam fecerim nemini.
Sum etenim Iouianus Pontanus,
Quem amauerant bonæ Musæ,
Suspexerunt viri probi,
B *Honestauerunt reges domini.*
Scis iam qui sim, vel qui potius fuerim.
Ego verò te in tenebris noscere nequeo:
Sed TE IPSVM VT NOSCAS *rogo.*

TENER. LVSOR AMOR] Sic Propert. eleg. 13. lib. 2. iubet simile sibi epitaphium condi.

Et duo sint versus. Qui nunc iacet arida puluis,
Vnius hic quondam seruus amoris erat.

Sententia est, si quondam vixisse vni tantum addictum & seruientem. Amor pro amica, Magna laus scilicet vna tantùm, & simplici via prosectum esse ad inferos.

INGENIO PERII N. P. MEO] Lib. 2. *Ingenio est pœna reperta meo.* Lib. 3. de Ponto eleg. 5. *Læsus ab ingenio Naso meo.* Omnes hæresiarchæ, se ingeC niis suis periisse dicant.

QVISQVIS AMASTI] nam ab iis qui non amarunt, hoc peteret impudentius, ab amatoribus autem congruenter: vtpote eiusdem instituti magister venerandus.

NASONIS MOLLITER OSSA CVB.] Dido Aeneæ. *Et patris Anchisæ molliter ossa cubent.* Hoc, & simile quippiam precabantnr mortuis, perinde quasi in ossibus, & cineribus aliquis resideret sensus. In cippis inscribebantur hæ litteræ. S. T. T. L. sit tibi terra leuis. Martial. *Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena.* Ouid. in mortem Tibulli.

Ossa quieta precor tuta requiescite in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Euripid. Alcestid. κοῦφά σοι χθὼν ἐπάνω πέσοι, ὦ γύναι.
D terra tibi leuiter incumbat, ô mulier. Quam porrò fatuum, precari terram leuem defunctis, & interim tumulis eorundem cippos, columnasque marmoreas imponere? Cæterùm vt amicis leuem, sic inimicis grauem, & onerosam terram optabant, quia nimirum cadauera ipsa sentire existimabant. Paulo reconditiorem explicationem inuenio apud Meursium de funere, cap. 43. quam paucis complectar. Inimicis accedere ad sepulchrum non licebat, multo minus violare. Qui accedebant, terram leuem imprecabantur. Credebant enim sepultos adhuc incantationibus esse obnoxios. Ideo ne eæ nocerent, & vmbræ è tumulo euocari, & prodire possent, terram leuem precabantur: & contra grauem iis quos

oderant, vt vmbræ eo pondere pressæ non prodirêt. Hoc perspicuum fit ex declamat. to. Quintiliani. Queritur solito terram grauiorem, vtiq; cum sentir venisse noctem, qua vmbræ fæliciores dimittuntur ad matres.

Hoc satis in tvmvlo est] Plura de me in tumulo dici, & viatorem de me quis fuerim moneri, superuacaneum est.

Etenim maiora lib. et dvtvrn. magis, &c.] Literæ auctoribus suis nomen immortale conciliant, quod poëtæ sæpius dictitant. Quam multi reges, principes, dynastæ in obliuione iacent, cum interim vt alias eruditorum familias prætercam, & ad propositum accommodatius loquar, notissimi sint, memorenturque, legantur, & ediscantur Homeri, Hesiodi, Euripides, Marones, Ouidij, Horatij, Plauti, Terentij, Tibulli, Propertij, &c? Huius postremo loco nominati versus magnificos apponam ex elegia 2. lib. 3.

Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iouis Elei cælum imitata domus,
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen, ab æuo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Qvos ego confid. qvamvis nocvere, &c.] Non quidem per se solos confido mihi nomen daturos illos, quorum me nunc pudet ac piget: sed cum aliis spero etiam hos, propter ingenium, mihi sempiternæ gloriæ futuros.

Et avctori temp. longa evo] Vide Prodigag. 1. de Ponto eleg. 8. *Tabida consumit lapidem, ferrumq; vetustas. Scripta ferunt annos.*

Feralia mvnera semp. dato] Inferias sæpe vocabant munera. Sueton. Iulio cap. 84. agens de eius funeratione. Præferentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis, portaret in campum Stat. 3. Syluar.

———Nos non arsura feremus
Munera, venturosq; tuus durabit in annos
Me monstrante dolor.

Græci *ἄγη*, & *ἐντάφια*. Præter thus autem, & cæteros odores, quæcunque poterant in eorum rogum coniiciebant, quos honoratos volebant. Vide Herald. ad Martial. lib. 10. ad epig. 1. pag. 199. Cur autem ad mortuos pertinentia dicantur feralia, vt ferales cupressi, feralia officia, ferales reliquiæ, feralia munera, & similia, caussa est quod veteres mortem detestantes vocabant feram: sicue *κατ' εὐφημίαν* abitionem, & somnum.

Deqve tvis lacrymis hvmida serta] Non sepulturę solùm, sed & lacrymarum officium morientibus gratum, & honorificum putabatur: quia indicium sunt desiderij: desideraA mus autem res charissimas. Et cum se quisque charum esse cupiat, cupit etiam doleri. Iam de floribus quibus tumuli conspergerentur, & coronis siue sertis quibus ornarentur, Plin. lib. 21. cap. 3. Etiam tunc coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum, priuatorumque, & sepulchrorum, & manium Tibull. lib. 2. eleg. 4.

Tu tamen extincto feralia munera semper
Annua constructo serta dabis tumulo.

In veteri epitaphio. *Sit tibi terra leuis, cineres quoque flore tegantur.* Sueton. Nerone; cap. 57. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æstiuisque floribus tumulum eius ornarent. Capitolin. in vita M. Aurelij. Tantum honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in B larario haberet, ac sepulcra eorum additis hostiis, & floribus semper ornarat. Coronæ hæ nectebantur ex variis floribus, & spargebantur item flores omnigeni. Purpureorum meminit Virgil. 5. Aeneid. *Purpureosq; iacit flores, & talia fatur.* Et in 6. Præsertim autem rosæ. Fecerunt id Christiani quoque. Hieronymus ad Pammachium. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Prudentius hymno in Exequiis defunctorum.

Nos tecta fouebimus ossa
Violis & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

C Officivm pivm] Pietas exercetur erga deos, erga homines: & hos partim viuos, partim defunctos. Cicer. 2. de Inuent. Pietas est quæ erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conseruare moneat.


Moesta favilla] quæ te mœstam faciet.

Sed vox mihi fessa loqvendo] Dixit initiò, hanc epistolam alterius digitis conscriptam: sed ita tamen, vt eam amanuensi dictauerit.

Svpremo forsitan ore] vltimum, quia fortasse breui moriar, & posthac vale nullum dicam.

Qvod tibi. q. mittit non. h. ille] *ὀξύμωρον.* Quasi dicas, stultè acutum. Quomodo D enim mittit quispiam quod non habet? Sed ita intellige. Ipse ægrotus non habet in suo corpore, quam tibi mittit, & precatur incolumitatem. Phædra Hippolyto.

Quæ, nisi tu dederis, caritura est ipsa salutem,
Mittit Amazonio Cressa puella viro.



ELEGIA

ELEGIA QVARTA.

PERICVLOSA POTENTVM AMICITIA. SVORVM MEMORIA.

ARGVMENTVM.

AMICVM à constantia laudat. Monet, vti priuata fortuna sua contētus, potentum familiaritatem fugiat: quæ quam sit damnosa, similitudinibus, & exemplis compluribus pro eximia, & vsitata sibi copia demonstrat. Vita longa, & fælici dignum esse: quam vt ei precetur, præterita, & præsentia ipsius in se merita postulare. Ab eodem memoriam sui expetit. Distantiam exilij sui ab vrbe, rebusque charissimis commemorat, quarum obliuisci nequeat, maximè coniugis, cuius tolerantiam, & amorem in se obiter prædicat. Duabus de caussis taceri à se amicorum nomina: eorum se perpetuò fore memorem. Orat, vti pro viribus sibi studeant apud Cæsarem, idque facientibus, sortem suæ contrariam exoptat.

O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite: res postquam procubuere mea:
Vsibus edocto si quicquam credis amico:
VIVE TIBI, ET LONGE NOMINA MAGNA FVGE.
VIVE TIBI: QVANTVMQVE POTES, PRAELVSTRIA VITA.
SAEVVM PRAELVSTRI FVLMEN AB ARCE VENIT.
NAM QVANQVAM SOLI POSSINT PRODESSE POTENTES,
NON PROSIT POTIVS, SI QVIS OBESSE POTEST.
Effugit hybernas demissa antenna procellas:
Lataque plus paruis vela timoris habent.
Aspicis vt summa cortex leuis innatet vnda,
Cùm graue nexa simul retia mergat onus?
Hæc ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debebam, forsitan vrbe forem.
Dum tecum vixi: dum me leuis aura ferebat:
Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qua cadit in plano, (vix hoc tamen euenit ipsum)
Sic cadit, vt tacta surgere possit humo.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurit regi flebilis vmbra suo.
Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quòd hic altè, demissus at ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere suas.

CREDE MIHI, BENE QVI LATVIT, BENE VIXIT: ET INTRA FORTVNAM DEBET QVISQVE MANERE SVAM.

Non foret Eumedes orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaëtonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper.
Propositique memor contrahe vela tui.
Nam pede inoffenso spacium procurrere vitæ
Dignus es: & fato candidiore frui.
Quæ pro te vt voueam, miti pietate mereris,
Hæsuráque mihi tempus in omne fide.
Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
Qualem credibile est ore fuisse meo.
Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes:
Tempore quas vnò, fidáque verba bibi.
Nunc quoque summotum studio defendis amicum,
Et mala vix vlla parte leuanda leuas.

VIVE SINE INVIDIA: MOLLESQVE INGLORIVS ANNOS EXIGE: AMICITIAS ET TIBI IVNGE PARES.

Nasonisq́ tui, quod adhuc non exulat, vnum
Nomen ama, Scythicus cætera pontus habet
Proxima sideribus tellus Erymanthidos vrsæ
Me tenet, astricto terra perusta gelu.
Bosphorus, & Tanais superant, Scythiæque paludes,
Vixq́ satis noti nomina pauca loci.
Vlterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quàm vicina est vltima terra mihi:
At longè patria est: longè est carissima coniux:
Quicquid & hæc nobis post duo dulce fuit.
Sic tamen hæc absunt, vt, quæ contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos errat domus, vrbs, & forma locorum,
Succeduntq́ suis singula facta locis.

Coniugis ante oculos sicut præsentis imago est:
Illa meos casus ingrauat, illa leuat.
Ingrauat hoc, quod abest: leuat hoc, quod præstat amorem,
Impositumq́; sibi firma tuetur onus.
Vos quoque pectoribus nostris hæretis amici:
Dicere quos cupio nomine quemque suo:
Sed timor officium cautus compescit: & ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.
Antè volebatis: gratique erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
Quod quoniam est anceps: intrà mea pectora quemque
Alloquar: & nulli caussa timoris ero.
Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahet: occultè, si quis amauit, amet.
Scite tamen, quamuis longa regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo.
Et quâ quisque potest, oro, mala nostra leuate:
Fidam proiecto néue negate manum.
Prospera sic vobis maneat fortuna, nec vnquam
Contacti simili sorte rogetis idem.

COMMENTARIVS.

SED TEMPORE DVRO COGNITE] & ideo multo quam ante charior: Eleg.4. lib.1.

Scilicet vt fuluũ spectatur in ignibus aurũ:
Tempore sic duro est inspicienda fides.

In rebus prosperis omnes sunt amici. Sed præclarè Ennius. *Amicus certus in re incerta cernitur.* Apud Euripidem in Oreste, cum Pylades eum nullo modo deserere, sed cum amico mori cupit. ποῦ γὰρ ἂν δείξω φίλος, εἴ σε μὴ 'ν δειναῖσιν ὄντα συμφοραῖς ἐπαρκέσω; Vbi me ostendam amicum si non iuuem, te versantem in atroci calamitate? Quo sensu Isocrates ad Dæmonicum. B δοκίμαζε τοὺς φίλους ἐκ τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας. Amicos cum in vitæ calamitate, tum in periculorum societate cognosces. Adde his Theognidem, dicentem, paucos inueniri amicos temporibus non secundis.

Παύρους εὑρήσεις, πολυπαΐδη, ἄνδρας ἑταίρους
Πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι, γιγνομένους.

RES POSTQVAM PROCVB. MEAE] Ab ædificiis collapsis. Virgil. non ita diuersè, lib.12. *In te domus inclinata recumbit.* Vt si dicat Amata. Regia familia, quasi domus, ô Turne ruet, ni tu illam A fulcieris, & sustentaris. Alibi hic noster res suas prostratas ruinæ verbo declarauit.

VSIB. EDOCTO AT. Q. CRED. AMICO] Caussa gemina, cur credere debeat, quoniam daturus consilium, & amicus est, ideo nihil suadebit mali: & experientia ipsa doctus, ideo nihil suadebit temerarium, ac stultum. Non quod legit, vel audiuit: sed quod cum malo suo sensu, dicturus est. Atq; hinc senes tantum valent auctoritate, quia multa, & varia diu viuendo sunt experti. Philto in Trinum.

B *Multa ego possum docta dicta quamuis facundè loqui.*
Historiam veterem, atque antiquam hæc mea senectus sustinet.

Denique vsus magister optimus in re qualibet.

VIVE TIBI] Sibi viuit, qui suo modo, & arbitratu viuit: qui vitam suam, & actiones ad arbitrium suum dirigit, ac moderatur, nullius potentum gratiam optans, nullius nutus obseruans. Qui secus facit, is aliis viuit, non sibi. Terent. Adelph. *Sibi vixit, sibi sumptum fecit.*

LONGE NOM. MAG. FVGE] Cum hoc disticho conspirat Horatianum consilium, ep.18. lib.1. *Dulcis inexpertis cultura potentis amici, Expertus*

metuit. Eadem epist. in extremo hoc eodem modo loquitur, quo Ouid. *vt mihi viuam Quod superest aui.* Non viuunt sibi aulici, non πολυπράγμονες, quibus rectè opponuntur τὰ ἑαυτῶν πράττοντες. Secum autem esse, & secum viuere, viuendi quoddam genus notant, quod illi cum corpore commune non est, eum scilicet ab eius societate seuocat, totumque se in se ipso ponit, & ea vita viuit, quæ hominis quà homo propria est. Apud Persium vero satyr. 4. *tecum habita*, est, quod idem ait, non te extra quæras, in teipsum descendas, teipsum & tua vitia noscas. Fusius de his Henric. Steph. lib. 1. Schedia. 11. 12. 13. Nomen latinis interdum decus, famam, auctoritatem, potentiam, dignitatem sonat. 2. Aeneid. *& nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Et lib. 1. *Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.* Cic. in Bruto. Huius magnum nomen in patria fuit. Ibid. Brutus vir tanto nomine. Magna nomina per tropum sunt homines magnorum nominum, opulenti, potentes. Horum consuetudinem vitandam suadet. Vitanda, inquam, ciuium potentiorum limina, nec penetrandas regum aulas, quod laudat 2. Georg. Virgil. & Ode 2. Epod. Horat.

PRAELVSTRIA VITA] Aedes, congressus, recitationes, conuictus nobilium, & illustrium. Et sic procul à Ioue, procul à fulmine.

PRAELVSTRI FVLM. AB ARCE VENIT] De semet eleg. 1. lib. 1. *Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.* A domo Augusti, edito in loco, in palatio videlicet ædificata. Aedes potentum, & nobilium plerumque sunt in locis altioribus, vnde arces vocantur. Hoc igitur seutit, à potentioribus tenuiores sæpe aliqua calamitate feriri. Prouerb. procul à Ioue, procul à fulmine.

NAM QVANQ. SOLI POSS. PROD. PAT.] ὑποφορά, seu tacita obiectio.

NON PROSIT P. SI QVIS OB. POTEST] Respondet, & censet magis esse fugiendum quod tales inferre possunt malum (non enim leuiter nocent) quam quærendum, quod possunt præstare bonum. Periculosum esse horum consuetudinem. Antholog. lib. 1. tit. εἰς ἀντίρρησιν extat epigramma Palladæ, hac sententia, Præstare quamuis premente, & affligentem fortunam, quam diuitum, ac potentum tolerare fastum. Melius, inquam, esse manere egentem, quam propter rem faciendam seruitutem humilem inflatis, insolentibus, & arrogantibus seruire diuitibus. Græcum en accipe.

Βέλτιον ἐν τύχαις καὶ ἀνάγκαις ἐστι δολεύειν,
Ἢ τῶν πλουτούντων τῆς ὑπερηφανίας.

Vide prouerb. fuge procul à viro maiore.

EFFVGIT HYB. DEMISSA ANTEN. PROCELL.] Ad vitationem istam persuadendam, plures allegoriæ congeruntur. *Hyberna*, quia per hyemem inprimis mare sæuit, nec est tempestiuum ad nauigandum. Horat. Ode 11. lib. 1.

Seu plures hyemes, seu tribuit Iupiter vltimam,
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare.

LATAQVE PLVS. P. VELA TIM. HAB.] Lata vela nominat fortunas amplas, gratiam, fauorem: *parua*, omnia hæc mediocria cum vita priuata, & ab adulationibus istis, ac voluntaria seruitute abhorrente. Illa sequenti distichio vocat retia cum onere: has corticem vndum, qui securus aquis innatat, cum illa propter onus merguntur.

SVMMA IN NAT. VNDA] ἐπιπολάζει.

HAEC EGO SI MONITOR MONITVS] Ludit in verbo, & est παρήχησις. Si fecissem ipse, quod nunc alios moneo,

IN QVA DEB. F. VRBE FOREM] forsitan adhuc Romæ essem, vbi meritò debebam esse: quia & quod vidi, fortuitò vidi: & quæ scripsi, ludens, & iocabundus scripsi. Et tamen ob hæc duo, ceu magna crimina, exactus sum.

DVM ME LAVIS AVRA FEREB.] dum placidis vterer ventis. Dum fortuna mea qualicunque contentus, rationes cum potentibus non habebam. Nauigabam quidem in cymba, sed tutò.

PER PLACID. CVCVRRIT AQVAS] In nauigatione dicit currere, & cursum à poëtis frequentius, iam ante monuimus. Lib. 1. eleg. 9. de naui sua probatissima. *Siue opus est velis, minimam bene currit ad auram.* Aeneid. 1. *Hunc cursum fuit.* Et 3. *Sed tibi qui cursum venti, qua vela dedere?* Horat. Ode 6. lib. 1. *Nec cursus duplicis per mare Vlyssei.*

QVI CADIT IN PLANO] in loco, æquo, & æquali, non accliui, nec decliui. Tibull. lib. 1. eleg. 5. *Namque agor vt per plana citus sola verbere turbo.* Magistri de plano, qui cum docent, suggestum non ascendunt, magistri elementarij, & syllabarij, Lucret. *Hoc tibi de plano possum premittere, Memmi.* Quemadmodum igitur lapsi in plano facile resurgunt: sic qui in conditione modica offendit, haud laboriosè damnum resarcit,

VIX HOC TAMEN EVENIT IPSVM] Euenit aliquando, si planum illud sit lubricum. Exemplum obseruaui, relatum à Plinio de Virginio Rufo, sene tamen, annorum 83. Audies quomodo. Nam cum vocem prepararet, inquit li. 2. ep. 1. acturus in consulatu Principi gratias, liber quem fortè acceperat grandiorem, & seni, & stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum consequitur, colligitque, per leue, & lubricum pauimentum fallente vestigio cecidit, coxamque fregit, &c. Sed ponamus euenire, si non euenit. Valet enim argumentum sæpe ex hypothesi, etiam impossibili. Faciamus hominem nasci coopertum plumis, & alatum, aui magis quàm homini similis apparebit.

MISER ELPENOR TECT. DELAP. AB ALTO] Elpenor vnus fuit sociorum Vlyssis, cui apud inferos narrat Odyss. 11. quo pacto in ædibus Circes factus ebrius, de scalis decidēs, ceruicem fregerit. Rogat ergo, vt eum in insulam Aeæam venerit, ne se indefletum, ac insepultum, relinquat.

OCCVRRIT REGI SVO] Vlyssem regem appellatum nusquam inuenio, nec apud Maronem,

nec

nec apud Homerum, qnod meminerim; quamuis Ithacæ, & Dulichio insulis præfuerit. Sed nomen regis aliquando de potentibus amicis, ac tutoribus dicitur. Parasitus in Capt. de Philopolemo Hegionis filio, à quo pascebatnr. *Nam postquam meus rex est potitus hostium.* Postquam venit in potestatem hostium. Itẽ de diuitibus, ac beatis.

QVIO FVIT VT TVTAS AOCT. &c.] Quæ caussa fuit, cnr Dædalns securè volaret trans mare, & Icarus filius in id delapsus, ei nomen daret? dictum est quippe Icarium. *Icarus Icariis nomina fecit aquis.* Redditur caussa. Fabula est in 8. Metam.

IMMENSAS AQVAS] periphrasis maris, ea eius vastitate. Ionium immensum vocat in 4. Metamorph.

NEMPE QVOD HIC ALTE VOLABAT] Icarus contrà quam instruxerat eum pater.

——————medioq́, vt limite curras
Icare, ait, moneo: ne, si demissior ibis,
Vnda grauet pennas: si celsior, ignis adurat.
Inter vtrumque vola, &c.

PENNAS AMBO NON HAB. SVAS] Particula negans inngẽda est cum pronocabnlo *suas*. Ambo habuerunt pennas non suas, non ex ipsorum corporibus enatas, non naturales, sed alienas, & cera artificiosè compactas. Horat. Ode 3. lib. I.

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.

BENE QVI LATVIT, BENE VIXIT] Vox Epicuri est, quæ cessit in prouerbium, λάθε βιώσας, & complectitur hanc sententiam. Sic viue, vt te vixisse nemo sciat. Docemur vitam conditione humili, atque obscura, & à publicorum negotiorum strepitu atque à fortunatorum commercio remota fæliciorem esse, quam quæ in conspicua, & ampla agitatur. Hæc erat mens Horat. epist. 17. lib. I. quę est de Principum, ac potentum amicitia, in qua Aristippus, & Diogenes comparantur.

Nam neq; diuitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit malè, qui natus moriensq́; fefellit.

(id est, latuit, ἐλάνθανε, ἔλαθεν, à λανθάνω) cuius & ortus, & obitus ignoratus fuit, seu hominibus incognitus. Agamemno apud scenicum philosophum in Iphig. Aulid.

Ζηλῶ σ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον,
Βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής.
Τοὺς δ' ἐν τιμαῖς, ἧσσον ζηλῶ.

Quos versus ἀμέτρους sic interpretaberis. Fortunatum iudico, qui ignotus, inhonoratus, inglorius curriculum vitæ confecit. Qui autem viuunt in honoribus, haud æquè fortunatos duco. His adiunge illa ex choro act. 2. apud Senecã in Thyeste.

Nulli; nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mihi
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors grauis incubat,

A *Qui notus nimis omnibus*
Ignotus moritur sibi.

Quin igitur illud ὁμολόγουν aliquonsq;, seu aliqua in parte bene consulat, ne dubita. Generatim si accipiamus, nihil eo falsius, & copiosè, ac sapienter peculiari libello à Plutarcho refellitur.

INTRA FORTVNAM MANERE SVAM] quiescere in sua pelle, vt vulgò dicitur, & sua sorte contentus viuere.

STVLTVS ACHILL. NON ADAMASS. AQVOS] Dolonem Eumedis filium narrat ex Homero Virgilius lib. 12. vt specularetur Græcorum castra, pactũ sibi esse ab Hectore Achillis equos: sed euentu pessimo: est enim à Diomede, qui vicissim cum Vlysse Troianorum castra speculatum

B exierat, trucidatus. Versus subiungo.

Qui quõdam castra vt Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio, nec equis aspirat Achillis.

Vide Iliad. 10. Equi Achillis ab Homero nominantur Xanthus, Balius ea Podarge matre diuino semine geniti.

NEC NATVM IN FLAM. VID. IN ARB NAT. &c.] Si Phaëthon pro vero, ac legitimo patre Meropẽ, qui cum nupta fuit Clymene, agnoscere volnisset, & non potius Phœbi filius habere arroganter cupiuisset, haud illum Merops in medio flammarum, dum currum solis imperitè gubernat (cuius sibi regimen pro signo germanæ

C φύσεως depoposcerat) & omnia supra atque infra incendit, neque postea filias suas, Phaëthuntis sorores in populos arbores, dum ad ripas Eridani, in quem fluuium à Ioue ictus fulmine, & curru excussus decidit, fratrem lugent, commutatas vidisset. Fabula est in extremo primo, & initio 2. Metamorph.

CEPISSET GENIT. SI PHAETHONTA MEROPS] hypallage, pro, si Phaëthon cepisset, id est, si confessus esset, si admisisset, genitorem suum esse Meropem.

FORMIDA NEM. SVBLIM. SEMPER] Quia, vt vere, & eleganter Horat. Ode 10. lib. 2.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu

D *Decidunt turres, feriuntq́; summos*
Fulmina montes.

Cicer. I. Parad. vt Stoicus. Nunquam mehercule neque pecunias istorum, neque tecta magnifica; neque opes, neque imperia, neq; eæ quibus maximè adstricti sunt voluptates, in bonis esse numerandas duxi.

PROPOSITI QVA CONTRAHE VELA TVI] ne tibi valde magna, grandia, & beata proponas, quod est quasi vela nimium pandere. Fræna desideria tua. Eleg. 9. t. de P. *Et voti quæso contrahe vela tui.* Horat. Ode 10. lib. 2.

——sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Pede inoffenso] allegoricè, vt quod mox sequitur. Nulla aduersa fortuna se obiiciente, ad quam tanquam ad lapidem currendo offendas. Allusisse Ouid. hoc disticho ad doctissimam sententiam M. Varronis, quam producit Nonius in *calx*, quamque ipse persanault, existimat Ianus Guilielmus, Verisimil. cap. 1. cap. 3.

Nemini fortuna currum missum à carcere intimo
Labi inoffensum per aequor candidum ad calcē finit.

Spatium procurrere vitae] Metaphorà à stadio, & cursoribus. Lucret. lib. 3. *decurso lumine vitæ*, vbi interpres legendum opinatur, *limine vitæ*. Et lib. 4. *spatium decurrere amoris*. Hinc vitę cursus. Pro *procurrere* testatur Ciofan. in codicib. Vaticano, & Maffei reperiri *decurrere*.

Et fato candidiore frui] Tibull. lib. 3. eleg. 6. *& sint candida fata tua*. Propert. lib. 4. *dato candida cinctomina*. Dignum ob pietatem, & fidem statuit, cui fortuna faueat.

Pro te vt vovear] quod vt tibi optem, tibi à diis precer. Sic vota pro optatis. Horat. ep. 4. lib. 1.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam sapere, & fari possit quæ sentiat, &c.

Haesuraque temp. in om. pid.] hæsura mihi in medullis quoad vixero.

Tali vultu] tam tristi, tam flebili. Vultus est habitus faciei ad tēpus, pro affectione animi, & voluntatis. Hinc vultuosus, qui toties vultum commutat: & vultus lætus, mœstus, grauis, &c.

Mea fata gementem] casum meum: cum intellexisses mihi solum vertendum, & ad Scythas migrandum.

Ore fuisse meo] ós denotat hic vultum.

Nostra super ora cadentes] Eleg. 3. *Nec domina lacrymis in nostra cadentibus ora, etc.* Hoc in complexu, & osculis, quibuscum poëtam ab se dimisit amicus ille, fieri potuit. Similis locus eleg. sequenti. *Et lacrymas cernens, &c.* Et eleg. 3. supra. *Nec domina lacrymis in nostra cadentibus ora.*

Temp. quas vno pid. vere. bibi] simul lacrymas, & verba tua ex animo fidissimo profecta bibi, hausi. 2. de Arte. *Et ficto lacrymas combibit ore tuas.* Distinguit tamen eleg. sequenti.

Et lacrymas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.

Sic etiam locutum obseruo Propert. lib. 3. eleg. 5.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe, suspensis auribus ista bibam.

Metaphora simili Plaut. Aulul. *nimium libenter edi sermonem tuum*, pro, attentissimè audiui. In Mostell. *gustare ego eius sermonem volo*. In Pœnulo. *Quàm orationem hanc aures dulce deuorant?* Cistell. *Istuc age, atque istic mihi cibus est quod fabulor.*

Summotum stud. offend. amicum] Non cadit in hunc, quod ait Propert. lib. 3. eleg. 20. *Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.* Etiam relegatum studiosè tueri non vereris.

Vix vlla parte levanda] propter iram Cæsaris, vix placabilem.

A Vive sine invidia] sine eo quod parit inuidiam. Ergo sine ambitione, & splendore vitæ, horum enim comes inuidia. Synecdoche, consequens pro antecedente.

Mollesque inolor. annos exige] Virg. 1. Aeneid. *Omnes vt tecum meritis pro talibus annos Exigat.* Molles annos interpretare vitam quietam, curarum, ac molestiarum expertem: cum contra duri sint eorum anni, qui potentum amicitias, & seruitutem aulicam sectantur.

Amicitias et tibi iunge pares] Cic. in Cat. pares cum paribus vetere prouerbio facillimè congregantur. Similitudo siquidem beneuolentiæ mater, & consuetudinis, ac familiaritatis conciliatrix est. Atq; vbi perfectior similitudo, ibi quoque perfectior & vehementior

B amor. Hinc senes facile congregantur cum senibus, iuuenes cum iuuenibus, eruditi cum eruditis, probi cum probis, improbi cum improbis, secundùm virtutum, vitiorumque genera. Ad pręceptum hoc illustrandum faciunt omnia hęc adagia. Aequalis æqualem delectat. Simile gaudet simili. Semper similem ducit Deus ad similem. Semper assidet graculus graculo. Cicada cicadæ chara, & formica formicæ, quod ita dixit Theocritus. τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ. Verùm, vt scribit Cic. 1. off. Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes sunt familiaritate coniuncti.

C Nomen quod adhuc non exulat] Non potest Cæsar etiam nomen meum, hoc est, memoriam mei è pectoribus amicorum meorum illorumque erga me amorem delere.

Scythicis cast. pont. hab.] hominem ipsum me habet ac tenet tellus Scythica ad Pontum, huc enim refertur vox *cætera*. Nam libros eius non habebat, nec vxorem.

Proxima sideribus erymanthid. vrsae] ad septentrionem iacens, vel potius sub septemtrione. Eleg. 2.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quaque Lycaonio terra sub axe iacet?

Erymanthus mons Arcadiæ. Vrsa illa fuit Erymanthia, quia Callisto nata in Arcadia: nam & à

D montibus epitheta regionibus poëtæ tribuunt.

Astricto terra perusta gelu] terra frigoribus vsta, & horrida. Eleg. 2.

Plurima sed pelago, terraque pericula passum
Vstus ab assiduo frigore pontus habet.

Astringit autem frigus, calor laxat.

Bosporus, et Tanais superant] Post me sunt Bosporus, &c. A bouis transitu appellatur Bosporus. Alius est Thracius, alius Cimmerius de hoc posteriore loquitur. De vtroque, vt item de Tanai multa Stukius in Periplum Arriani, maris Euxini.

Vixq. satis noti nom. p. loci] & loci vix satis noti, & explorati pauca nomina. Id est, & loca, quorū pauca nominari possunt, quia incognita.

VLTERIVS] vltra illa loca de quibus dixi.

NIHIL EST NISI NON HABITAB. FRIO.] Horat. Ode 22. lib. 2. *in terra domibus negata.* Quanquam ille hoc de zona torrida protulit. De frigida autem illa ibidem. *Quod latus mundi nebula malusq; Iupiter vrget.*

QVAM VICINA EST VLT. TERRA MIHI] Hoc est quod toties cantat, se in vitimum orbem proiectum, in vltimã partem orbis habitabilis.

AT LONGE P. EST, LONGE CHARISS. CONIVX] Cur patriam præponat vxori in gradibus charitatis, intelligere licet caussam ex 1. off. Sed cum omnia ratione, animoque lustraueris omnium societatum nulla est gratior, nulla charior quam ea, quæ cum repub. est vnicuique nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitate patria vna complexa est.

POST HÆC DVO] post patriam, & vxorem, quæ mihi fuerunt dulcissima.

QVAE CONTINGERE NON EST] ὐκ ἔσι. non licet, non datur. Horat. sat. 5. lib. 1. *Mansuri oppiduli, quod versu dicere non est.* Equotutium dicebatur illud oppidulum.

SVNT ANIMO CVNCTA VID. MEO] quæ non possum oculis, animo aspicio quotidie, & quasi in conspectu habeo domum, vrbem, loca, gesta, & gerenda in iisdem locis.

ERRAT] obuersatur.

SICVT PRAESENTIS] viua imago. 4. Aeneid. *herent infixi pectore vultus.*

MEOS CASVS AGGRAVAT] rescribe, *ingrauat*, ex vet. lib. Ciofani. Quomodo ingrauet, seu aggrauet ipsemet mox explanat.

IMPOSIT. SIBI FIRMA TVET. ONVS] Etsi in veteribus libris est *opus*, placuit tamen magis *onus*, quod cum participio *impositum* melius congruit. Sententia est, partes bonæ, & fidæ coniugis egregie tuetur. Vide eleg. 5. lib. 1.

FIRMA] enallage, nomen pro aduerbio, vt aliâs persæpe. Firmè, constanter tuetur.

PECTORIBVS NOSTRIS HAERATIS] Ciceronis est, hęrere alicui in visceribus. Ante oculos mihi versamini. Estis mihi in medullis.

NOMINE QVEMQVE SVO] vt facit in libris de Ponto tribus. Nam in quarto duorum, vnius desertoris, alterius inuidi tacet, eleg. 3. & 16.

SED TIMOR OFF. CAVT. COMPESCIT] Vna caussa tacitorum nominum, timor scilicet. Ne dum officium pręstat, & ipsorum nomina celebrat, eos Augusto, & aliis odiosos reddat.

ET IPSOS IN NOST. PONI CARM. NOLLE P.] Altera caussa, quod ipsos id nolle credit, hoc ipsum, quod poëta, metuentes. Cur ergo in Ponticis ponit? An non eædem caussæ ibi quoq; valent? Non sanè. Nam eleg. 6. lib. 3. per Augustum licuisse ponere affirmat: sed nimium timorem sibi obstitisse.

Ipse ego quod scripsi primò sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.
Sed pauor attonito rationis ademerat vsum,
Cesserat omne nouis consiliumq; malis:
Fortunamq; meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.

ANTE VOLEBATIS] ante exilium, cum Romæ mihi bene, & beate esset.

GRATIQVE ERAT INSTAR AMORIS] erat signum grati amoris, seu redamantis gratum signum. Quis autẽ nollet legi nominatim in versibus, quorum fama futura sit immortalis? quod ipse sibi non semel auguratur. Quidam libri habent *honoris.*

QVOD QVON. EST ANCEPS] Sic expono. Quoniam incertum est, probaturi, an improbaturi sitis potius, si nomina vestra expressero. Itẽ sic. Quoniam certum non est, an hoc vobis obfuturum non sit.

INTRA MEA PECT. QVEMQVE ALLOQ.] Fabulabor vobiscum, & apud me tacitus vnumquemque nominabo Seneca in epist. Conuersari cum amicis absentibus licet, & quidem quoties velis, quamdiu velis. Magis hac voluptate (quæ maxima est) fruimur dum absumus: præsentia enim nos delicatos facit.

LATITANTES] à setis, quarum iustra à latendo latibula.

PROTRAHET] quasi extrahet, dum proditis nominibus eos vulgabit.

OCCVLTE SIQVIS AMAVIT AMAT] Eleg. 6. lib. 3. de Ponto.

Tu quoque, quem poteras vel apertè tutus amare,
Si res est anceps illa, latenter ama.

VOS ANIMO SEMP. ADESSE MEO] Supra. *Vos quoque pectoribus nostris haretis amici.*

MALA NOSTRA LEVATE] De hoc officio ipsum supra laudauit, quod idem ab aliis & hìc, & alibi petit.

FINAM PROIECTO NEVE NEG. MAN.] Eleg. 1. *Da placidam fesso lector amice, manum.* Hoc genere loquendi, manum, siue dexteram porrigere, significamus auxilium, & est propriè quod græci dicunt ἀντιλαμβάνεσθαι, vt cum iacentem erigimus. Potest item ad res animi accommodari, vt alia prouerbia infinita. Vt si dicas, dialectica omnibus artibus & discẽdis & docendis manum porrigit. Est siquidem χεὶρ τῆς φιλοσοφίας. Philosophia autem omnium bonarum artium mater.

PROIECTO] Proiicere est abiicere, negligere, contẽnere. Vnde proiectus, abiectus, neglectus, contemptus: quo in numero sunt exules.

PROSPERA SIC VOBIS MAN. &c] Precatur illis, si subueniant sibi, ne vnquam talem calamitatem experiantur. Sic solent poëtæ in petitionibus. Exempla attulimus alibi.

SIMILIS CONTACTI SORTE] Sors τῶν μέσων est, vt quę in vtramq; partem dicuntur. Hîc in deteriorem. Contactus ad animum quoq; refertur. Propert. lib. 1. eleg. 1. *Contactum nullis ante Cupidinibus.* Vtrobique translatè, quasi contagione seu contagio quodam.

ELEGIA QVINTA.

AMICI MERITA, SPES CAESARIS LENIENDI.

ARGVMENTVM.

ETiam hunc, quamuis in amicitia nuperum, ac nouitium, à fidelitate, auxilio, & συμπαθείᾳ mirifica celebrat, multisq; veterum amicorum anteponit, & illi bene cupit. Aliquam Cæsaris mitigandi, & exilij paulò tolerabilioris sese spem ingressum ostendit, in qua ab eo confirmari desiderat. Posse autem flecti Cæsarem, ab eius natura generosa argumentum capit, idque à contrariarum rerum conflictione illustrat. Addit exempla. Caussas spei suę per negationem recenset, & modicum se peccasse non diffitetur.

Vsus amicitiæ tecum mihi paruus, vt illam
Non ægrè possis dissimulare, fuit:
Ni me complexus vinclis propioribus esses,
Naue mea vento forsan eunte suo.
Vt cecidi, cunctique meam fugère ruinam,
Versáque amicitiæ terga dedère meæ:
Ausus es igne Iouis percussum tangere corpus,
Et deploratæ limen adire domus.
Idq; recens præstas, nec longo cognitus vsu,
Quod veterum misero vix duo tréſue mihi,
Vidi ego confusos vultus: visósque notaui,
Osque madens fletu, pallidiusque meo.
Et lacrymas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.
Brachiáque excepi presso pendentia collo,
Et singultatis oscula mista sonis.
Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens:
Scis Carum veri nominis esse loco.
Multáque præterea manifesti signa fauoris
Pectoribus teneo non abitura meis.
Dij tibi posse tuos tribuant defendere semper:
Quos in materia prosperiore iuues.

Si tamen interea, quid in his ego perditus oris
(Quod te credibile est quærere) quæris agam:
Spe trahor exigua, quam tu mihi demere noli,
Tristia leniri numina posse Dei.
Seu temerè expecto, siue hoc contingere fas est,
Tu mihi, quod cupio, fas, precor, esse proba.
Quæq; tibi est linguæ facundia, confer in illud:
Vt doceas votum posse valere meum.
QVO QVISQVE EST MAIOR, MAGIS EST PLACABILIS IRAE:
ET FACILES MOTVS MENS GENEROSA CAPIT.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi:
Et quæcunque minor nobilitate fera est.
Maius apud Troiam forti quid habemus Achille?
Dardanij lacrymas non tulit ille senis.
Quæ ducis Emathij fuerit clementia, Porus,
Præclariq; docent funeris exequiæ.
Néue hominum referam flexas ad mitius iras:
Iunonis gener est, qui prius hostis erat.
Deniq; non possum nullam sperare salutem;
Cùm non sit pœna causa cruenta mea.
Non mihi quærenti pessundare cuncta, petitum
Cæsareum caput est, quod caput orbis erat.
Non aliquid dixi, violentaq; lingua locuta est,
Lapsaue sunt nimio verba profana mero.
Inscia quòd crimen viderunt lumina, plector:
Peccatumq; oculos est habuisse meum.
Non equidem totam possum defendere culpam,
Sed partem nostri criminis error habet.
Spes igitur superest, facturum vt molliat ipse
Mutati pœnam conditione loci.
Hoc vtinam nitidi solis prænuncius ortus
Afferat admisso Lucifer albus equo.

COMMENTARIVS.



VSVS AMICITIÆ. T. MIHI PARVVS] Non enim multo ante, quam in exilium se conferret, amicitiam cum eo contraxerat. Infra, *nec longo cognitus vsu.* Ciceronis sunt, non solum, est mihi A cum illo summus vsus: sed etiam, inter nos vetus vsus intercedit; coniungi magno vsu familiaritatis.

COMPLEXVS VINCLIS PROPIORIB.] Dissimulare poteras me iam exule, te mihi ante

exilium fuisse amicum, quia breuis amicitiæ vsus fuit. Sed quia me factum exulem arctius dilexisti, & fortasse me patiente quod debui, tu tamen in absentem perofficiosus fuisti, non potes dissimulare te mihi amicum & esse, & fuisse. Propiora vincla sunt deuinctior animus, & insignior beneuolentia. Frequens est hoc verbum in amore. & amicitia. Cic. ad Att. ep. 2. lib. 6. Dixetim me vel plurima vincula tecum summæ coniunctionis optare, & sunt amoris arctissima: tantum abest, vt ex eo, quo astricti sumus, laxari aliquid velim Plaut. Bacchid.

Mirum est, me vt redeam, te opere tanto quæsere.
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim,
Ita me vadatum amore, vinctumq́ attines.

Tibull. lib. 2. eleg. 2.

Vota cadunt, vtinam strepitantibus aduolet alis,
Flauaq́ coniugio vincula portet amor.
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatq́ comas.

VT CECIDI] vt iacere, ita in rebus aduersis ponitur.

METV FVGERE RVINAM] Quoniam sibi quisque proximus, ideo sibi quisque prius, bene esse mauult, quam alteri, & nisi verè amicus sit, partem alienorum incommodorum ferre nó vult. Omnes sese amant. lib. 3 de P. eleg. 2.

Me quoq́ amicorum nimio terrore, metuque,
Non odio quidam destituere mei.

Alia lectio, *meam* pro *metu*, non improbanda. Nihilominus fugientium metus occulte significabitur. Qui enim fugit, ruinam timet vtique.

AMICITIÆ TERGA DED. MEÆ] tractum à militia, crebrum historicis, vt terga vertere. Potest etiam huc accommodari illud Theognidis.

οὐκ ἔστι φεύγοντι φίλος, καὶ πιστὸς ἑταῖρος,
Qui exulat, est illi non quisquam fidus amicus.

IGNE IOVIS PERCVSS. CORP.] Ignis Iouis pro fulmine. periphrasis. lib. 2. *At si me iubeas domitos Iouis igne gigãtes Dicere.* In fine Metamorph. *Iamq́ opus exegi, quod nec Iouis ira nec ignes. &c.* Fulmine percuti, vsitata locutio. Tangi de cælo, pro fulminari, nitidius.

DEPLORATÆ DOMVS] Deploratum est quod periit, de quo actum est. 1. Metamorph. In diluuij descriptione. *& deplorata colonis vota iacent, longiq́ perit labor irritus anni.*

IDQ. RECENS PRÆSTAS] recens amicus: est enim nomen, non aduerbium, quod docet quæ continens [illegible].

VETERVM VIX DVO TRESVE] adeo ruinam meam omnes fugerunt, vt vix vnus & alter in fide permanserit. Eleg. 4. lib. 1. *Vix duo tresue mihi de tot superestis amici.*

VIDI EGO CONFVSOS VVLTVS] Commemoratio officiorum in se collatorum. Vultus confusus, est turbatus, mœstus.

OSQVE MAD. FLETV PALLID. MEO] Tria in vultu indicia dolentis animi, mæstitia, lacrymæ, pallor. Primum, & tertium plerumque simul sunt, medium nunquam sine illis.

LACRYMAS CERNENS IN SING. V. CAD.] Virgil. 3. AEneid. de Heleno. *Et multùm lacrymas verba inter singula fundit.*

ORE MEO LACRYM. BIBI] non quod reuera ore aperto per vultum eius defluentes captauerit, & hauserit: sed quomodo terra imbrem bibere dicitur.

AVRIBVS ILLA BIBI] De hac forma loquendi annotaui quædam supra, eleg. 4. ibi, *Tempore quas vno verbaq́ fida bibi.*

BRACHIA PRESSO PEND. COLLO] amplexu. Ciofan. legit *mæsto*. Festus. brachium nos, Græci *βραχίον* dicunt, quod deducitur à *βραχὺ*, id est, breue, quia ab humeris ad manus breuiora sunt (brachia) quam à coxis plantæ. Apud Catull. in epithalam. [illegible] brachiolum teres.

ET SINGVLTATIS OSCVLA M. SONIS] oscula singultibus permista. Legitur & *singultantis*. Sed sincerius, *singultatis*, [illegible], cum singultibus emissis sonis. Osculum ab ore, suauium à suauitate. Et osculum officij est, cum quo & discedentes amicos dimittebant, & aduenientes peregre excipiebant. Catull. ad Verannium ex Hispania reuersum.

Veranni omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresq́ vnanimes, senemq́ matrem?
Venisti? ô mihi nuntij beati.
Visam te incolumem, audiamq́ Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, applicansq́ collum
Iucundum os, oculosq́ suauiabor.

SCIS CARVM VERI NOM. E. LOCO] lib. 4. de P. eleg. 13.

O mihi non dubios inter memorande sodales,
Qui quid es, id vere, Care, vocaris, aue.

Fictitium igitur hic nomen Carus.

PECTORIB. NON ABITVRA MEIS] Hærebunt mihi in pectore. Nulla eorum me capiet obliuio, Manebunt imis infixa medullis.

DII TIBI POSSE TVOS TRIB. &c.] Libenter merita agnoscit Ouid. & candidè, ac disertè prædicat, & bene merentibus gratias agit, & vicissim illis bona à diis precatur. Hæc omnia illi sollemnia sunt.

IN MATERIA PROSPERIORE] in caussa meliore, minusq́ue odiosa.

QVOD TE CREDIB. EST QVÆRERE] Immo nihil credibilius: siquidem est amicus, & tam fidus.

SPE TRAHOR] spe ducor, crebrius est.

QVAM TV MIHI DEMERE NOLI] Noli me ab eo retrahere, ac deducere.

TRISTIA LENIRI NVM. P. DEI] Triste interdum exponitur durum, aduersum tristificum.

cuni, incommodum, horridum, &c. Cic. in Bruto. Triste, ac seuerum genus dicendi. Et ep. 13. lib. 4. tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conseruabo. Pro Quintio. Quintius natura tristi, ac recondita. Quippiam tale hic vult *tristia numina*, tristem Cæsarem, id est, offensum, iratum, &c.

SIVE HOC CONTINGERE FAS EST] Temere exspectauit hanc lenitatem, si eam contingere fas non est. Si autem fas est, hoc est, si æquum ac dignum est.

TV MIHI. Q. CVP. FAS. &c.] tu orator doce me id esse fas, & qua vales eloquentia, me in spe ista clementiæ Cæsaris confirma.

POSSE VALERE] posse bonis de caussis nõ esse irritum. Posse me consequi, & consecuturum quod opto.

QVO QVISQVE EST MAIOR, &c.] Locus communis de placabilitate magnorum, & excellentium virorum, atque Principum. Ea Cic. 1. Off. nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius affirmat, refutans eos, qui grauiter inimicis irascendum putarent, idque magni, & fortis viri censerent. Probat autem hanc propositionem, primùm ab exemplo animalis nobilissimi, & generosissimi: deinde duorum ducum maximorum, Achillis, & Alexandri Macedonis, quibus & diuinum, puta Iunonis, addit. Plato in 5. de legib. consociationem iræ, & lenitatis commendat.

FACILES MOTVS] vel non vehementes, vel sedatu faciles.

CORP. MAGNAN. SATIS. E. PROSTRASSE LEON.] Quintilian. in declamat. quadam de leone intelligendus, cum ait. Age, si perisset, cadauer calcasset? Feræ mehercule generosiores tacentes transeunt. Plin. lib. 8. cap. 16. Leoni tantùm ex feris clementia in supplices: prostratis parcit, & vbi sæuit, in viros prius, quam in fœminas fremit: in infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum peruenire ad eos precum. Captiuam certè Getuliæ reducem audiui, multorum in syluis impetum à se mitigatum alloquio, ausam dicere, se fœminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam eius gloria prædam. Martial. lib. 1.

> *Quid frustra nemorum dominum, regemque fatigat?*
> *Non nisi delecta pascitur ille fera.*

AT LVP. ET TVRP. INSTANT. MOVENT VRSI] non satis habent prostrauisse, sed insuper prostratos dilaniant. Turpes puto dixisse vrsos comparatione leonum, quorum species elegantior. Absolutè informes Virgil. 3. Georg. *Nec funera vulgò tam multa informes vrsi, stragemque dedere.* Vt ad corporis vastitatem, deformemque speciem referas, & eodem *vò turpes*.

ET QVÆCVNQVE MIN. NOBILIT. FERA EST] Feræ ignobiliores, crudeliores. Prouerbium. Inest & formicæ sua bilis. Nullum ani-

A mal tam minutum, aut contemnendum, quod lacessitum non excandescat, & à paruis maxima detrimenta importata narrant historici. Tradit Plin. lib. 8. cap. 29. à cuniculis suffossum in Hispania oppidum: à talpis in Thessalia: à ranis ciuitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa: ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos: in Italia Amyclas à serpentibus deletas.

MAIVS APVD TROIAM. F. Q. HAB. ACH.] Catull. de nupt. inducit Parcas eidem nascituro genethliacum canentes. Illic inter alia.

> *Non illi quisquam bello se conferet heros,*
> *Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine riui.*

Ne diis quidem in acie cedit, vocaturque ab Ouidio 12. Metamorph. timor Phrygum, & lib. 13.
B Graiorum murus. Iam vt nomen Herculis tribuitur vulgò viris fortibus, Catonis grauibus, & sapientibus; sic Achilles dicti duces virtute bellica illustres, vt L. Siccius Dentatus, de quo Gellius lib. 2. cap. 11. Et Achilleum argumentum pro firmissimo, atque insolubili.

DARDAN. LACRYM. NON TVLIT ILLE SEN.] Priami, cum duce Mercurio per media hostium castra, à nemine cognitus, aut visus, ad Achillis naues procedit, corpus Hectoris sui ab eo mercaturus ad sepulturam. Homer. Iliad. ω. Et Horat. Ode 10. lib. 1. in Mercurium.

> *Quin & Atridas duce te superbos*
> *Ilio diues Priamus relicto*
> *Thessalosque ignes, & iniqua Troiæ*
> C *Castra fefellit.*

Virgil. 1. AEneid.

> *Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.* Et,
> *Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.*

Humaniter eum habuit Achilles, & cœna quoque excepit. Adi Symb. nostras. Eam humanitatem laudat Priamus, & Pyrrhum eius filium vt degenerem vituperat 2. AEneid.

> *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles*
> *Talis in hoste fuit Priamo: sed iura, fidemque*
> *Supplicis erubuit, corpusque exangue sepulchro*
> *Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.*

DVCIS EMATHII] Macedonici. Dicta est enim Macedonia Emathia, ab Emathione rege, cuius prima virtutis experimenta in illis locis
D extant. Iustin. lib. 7.

PORVS] Fuit hic rex Indiæ, quem à se victum, & ægrum Alexander curauit haud secus, quam si pro se pugnasset. Confirmatum, contra spem omnium in amicorum numerum recepit. Mox donauit ampliore regno quam tenuit. Curtius in extremo lib. 8.

IVNONIS GENER, QVI PRIVS HOSTIS] Propert. eleg. 10. lib. 4. *Salue sancte pater, cui iam fauet aspera Iuno.* De eadem illi reconliata 9. Metamorph. Seneca Octauia.

> *Deus Alcides possidet Hebem,*
> *Nec Iunonis iam timet iram,*
> *Cuius gener est, qui fuit hostis.*

Herculem, vtpote ex pellice Alcmena, & Ioue

natum, semper odit, ac persecuta est Iuno. Aliud tamen nihil egit, nisi vt difficultatibus, & periculis, in quæ illum coniecit, æternam ei gloriam apud homines conciliaret. Vnde & ἡρακλῆς, quasi ob Iunonem gloriosus, dictus est. Huic omnibus tandem perfuncto laboribus, absolutisque certaminibus, cum cælo successisset, fabulantur in matrimonium datam Heben, Latinis Iuuentutem, Iunonis, & Iouis filiam. Quæ, vt habet Apollodor. lib. 2. Alexiaren filiam. & Anicetum filium ei peperit. Hostis Iunonis Hercules παθητικῶς, nõ ἐνεργητικῶς. Nec enim ille illam, sed illa illum oderat, & tanquam hostem persequebatur. Quod cum & Troianorum reliquiis faceret, dicit tamẽ inuidiosè apud Maronem, *Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.*

CVM NON SIT CAVSSA CRVENTA] cũ sanguinem nõ fuderim: cum cædem nullam fecerim. Talia enim crimina atrocius puniuntur.

NON MIHI QVÆRENTI PESSVND. CVNCTA, &c. Petere enim, seu interficere Cæsarem, à quo pendet totus orbis, fuisset omnia euertere. Petere est inuadere. Eleg. 11. *Quid cinerem saxis bustaq; nostra petis?* Festus in Retiario. *Non te peto, piscem peto.* Hinc petitiones gladiorum. Propert. lib. 4. eleg. 12. *Cerberus & nullas hodie petat improbus vmbras.* Tangit coniurationem in illam factam, de qua ex Sueton. alibi. Lib. 2. eleg. 4. lib. 1.

Caussa mea est melior, quia non contraria fovi
Arma: sed hanc merui simplicitate fugam.

VIOLENTAQVE LING. LOCVTA EST] violenta lingua, effrænis, impotens lingua. Plutarch. de educand. lib. Tacuisse neminem pœnituit, dixisse permultos. Et quod tacitum fuit, facile datur eloqui: quod dictum est, indictum fieri nullo pacto potest. Sexcenta auditu me percepisse memini exempla eorum, qui ob linguæ licentiam in mala grauissima inciderunt.

LAPSAQVE SVNT. N. V. PROF. MERO] A Non sum locutus iniuriosa, aut contumeliosa, vt solent nonnũquam, qui poculis indulgent. Qui largius biberunt, aut se mero ingurgitarunt, nõ modo arcana sua effutiunt: sed etiam audacius, & maledicentius in alios garriunt. Sentẽtia prouerbialis, τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης τοῦ μεθύοντος. Quod in corde sobrij, id in lingua ebrij. Vide adag. In vino veritas. Videtur tangere Gallum poëtam, de quo 2. Trist.

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

INSCIA QVOD CRIMEN VID. L. VM.] Nunc quasi interrogaretur, quid ergo cõmeruisti, si horum nihil perpetrasti? nam tua pœna te haud insontem esse clamat, respondet, quod sæ-
B pe iam dixit, & dicet: se nihil peccasse, nisi quod aliquid imprudens viderit, & eatenus se nocentem esse.

CRIMEN] rem vetitam, fœdam, turpem.

MVTATI POENAM CONDIT. LOCI] vt mitius exilium mihi cõcedat. Lib. 2. pro epilogo.

Tutius exilium, pauloq; quietius oro,
Vt par delicto sit mea pœna suo.

HOC VTINAM NITIDI, &c.] 3. Amor.

Hunc aurora diem spectacula tanta ferentem
Quam primum roseis candida portet equis.

Tibull. eleg. 3. lib. 1.

Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ADMISSO EQVO] admittere equum, est
C eum cõcitare, & vrgere ad cursum. Hieron. Mag. lib. 1. cap. 7.

LVCIFER ALBVS] Non soli modo, & lunæ, sed sideribus quoq; equos affingebant. Lucifero album, 15. Metamorph. *cumq; albo Lucifer exit Clarus equo.* Albus igitur hic ad equum potius, quam ad ipsum Luciferum spectat, vt sit ὑπαλλαγή. Nisi malimus albus hîc positum pro candidus, hoc est, optatus, & fælix.

ELEGIA SEXTA.

FAMILIARITAS, CVLPAE EXTENVATIO.

ARGVMENTVM.



Vanta sibi cum eo beneuolentiæ coniunctio intercesserit. Pœnitere se non communicatæ rei per quam periit: potuisse enim eius consilio malum hoc effugere. Suam caussam apud Cæsarem ei cõmendat, quo leuius exilium obtineat, cum præsertim non malitia, sed errore deliquerit. Non posse paucis, ac

tutò explicari, quomodo per oculos peccauerit: nec velle refricare vulnus, & negotij tam acerbi renouare memoriam. Satis esse fateri, se peccasse, peccatumque suum vero nomine stultitiam appellandum. Si aliter sit, nihil se caussæ dicere, quin etiam remotius exulet.

Fœdus amicitiæ non vis carißime nostræ,
Nec si fortè velis, dißimulare potes.
Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me tota iunctior vrbe fuit.
Isq; erat vsque adeò populo testatus, vt esset
Penè magis quàm tu, quamq; ego, notus amor.
Quiq; est in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus est illi, quem colis ipse, viro.
Nil ita celabas, vt non ego conscius essem:
Pectoribusq; dabas multa tegenda meis.
Cuiq; ego narrabam secreti quicquid habebam,
Excepto quod me perdidit, vnus eras.
Id quoque si scisses, saluo fruerere sodali,
Consilioq; forem sospes amice tuo.
Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant:
Omne bonæ claudunt vtilitatis iter.
Siue malum potuit tamen hoc vitare cauendo.
Seu ratio fatum vincere nulla valet:
Tu tamen ô nobis vsu iunctißime longo,
Pars desiderij maxima penè mei:
Sic memor, & si quas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare, rogo.
Numinis vt læsi fiat mansuetior ira,
Mutatoq; minor sit mea pœna loco.
Idq; ita, si nullum scelus est in pectore nostro:
Principiumq; mei criminis error habet.
Nec breue, nec tutum est, quo sint mea, dicere, casu
Lumina funesti conscia facta mali:
Mensq; reformidat, veluti sua vulnera, tempus
Illud: & admonitu fit nouus ipse dolor.
Et quæcunq; adeò poßint afferre pudorem,
Illa tegi cæca condita nocte decet.
Nil igitur referam, nisi me peccasse: sed illo
Præmia peccato nulla petita mihi.
Stultitiamque meum crimen debere vocari,
Nomina si facto reddere vera velis.

Quæ si non ita sunt, alium, quo longius absim,
Quære (suburbana hæc sit mihi terra) locum.

COMMENTARIVS.

NEC SI FORTE VELIS, DISSIMVL. POTES] Quia maior, & diuturnior cum hoc amicitiæ vsus fuit, quam cum superiore, ideo hic fœdus amicitiæ dissimulare non potest, superior haud ægre potuit.

NEC TE MIHI CHARIOR ALTER] cum multos haberem charos, te præ omnibus dilexi. Vel potius illos dilexi, te amaui.

NEC TIBI ME TOTA IVCNT. V. FVIT] Hoc est respondere in amore. Nam tu vicissim præ omnibus, quantum fuit hominum in vrbe, me charum habuisti. Par acceptum, & redditum est, quod fieri in amicitia debet.

VSQVE ADEO POP. TESTATVS, &c.] Nemo erat quem mutuus amor noster falleret: mõstrabamur digitis prætereuntium. ὑπερβολικῶς dictum.

IN CHARIS ANIMI. T. CAND. AMICIS] Sinceritas, & candor in amicis requiritur iure, vt amicitię munus expletum sit. Nihil illa fucatum, nihil simulatum patitur. Lib. 2. de P. eleg. 5. *Sed sunt tua pectora lacte Et non calcata candidiora niue.*

ILLI QVEM COLIS VIRO] Augustus ipse nouit, quam candidè amicos diligere soleas. In pronomine *illi* est emphasis.

VT NON EGO CONSCIVS ESSEM] Cic. in Lælio. Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, vt tecum?

PECTORIB. TEGENDA MEIS] recondẽda in animo meo, nec vulganda. In Trinummo, cũ Stasimus Lesbonici seruus Philtoni seni multa retulisset incommoda, quibus infestus esset ager, quem dominus Lysiteli eius filio cum sorore in dotem dare cogitabat, & omnino cupiebat, addit. *Caue sis dixeris, me tibi dixisse hoc.* Respondet senex, *dixisti arcano satis.* Vbi Lambinus exponit arcanè, secretè, in aurem. Atqui spes commissa tacendi, seu commissa tacitum iri non est, si cui in aurem, aut secretè dixeris: sed si arcano homini dixeris, qui tacere tacenda nouerit, vt τὸ *arcano* nomen sit, non aduerbium.

SECRETI QVIDQVID HABEBAM] paria faciebam. Vtrique igitur alteri licebat dicere illud Plautinum. *Quod mihi credideris, sumes vbi posiueris.*

EXCEPTO QVOD ME PERDIDIT] Quid vidissem (quod me perdidit) id solum te celabam. Caussæ infra adducentur, vbi se ne nunc quidem id ei posse aperire autumat.

A SALVO FRVERERE SODALI] non fuissem relegatus. Caussa sequitur.

CONSILIOQVE TVO FOREM SOSPES] Tribuit ei prudentiam. Prudenti autem consilio vtique opus fuisset in tam graui negotio, & Cæsare tam offenso.

IN POENAM FATA TRAHEB.] Debebatur mihi malum. Sic erat fatum meum.

BONÆ CLAVD. VT. ITER] Impedit, & intercludit omnes vtilitates meas. Nihil commodorum ad me manare sinit.

RATIO FAT. VINCERE NVLLA. P.] siue ergo malum hoc meum vitare potui, eo modo quo dixi, nempe si indicassem tibi, & consilio tuo vsus essem: siue fatis cogentibus non potui propter seriem scilicet rerum nobis futurarum ineuitabilem, quomodo fatum definitur. Fatum B Græcis est πεπρωμένη, & εἱμαρμένη, quod per id finita omnia, & certa quadam lege constituta, atque præfinita sint. περαίνω enim finio, termino. Aut quod per illud omnia destinata, assignata, decreta, & quasi partita, ac diuisa sint, necessitate quadam immutabili, à μείρω diuido, cui originationi conuenienter fatum definit Stoicorũ princeps Chrysippus apud Gellium lib. 6. cap. 2. quã definitionem Christianismus noster pro vera nõ agnoscit, quibus fatũ est ipsa voluntas Dei, quæ humanis actionibus necessitatem nullam imponit.

TV TAMEN O NOBIS VSV, &c.] tu mihi iam pridem coniunctissime, & pœne omnium desideratissime in re dubia memor mei esto.

SI QVAS FECIT TIBI GRAT. VIRES] si quid potes gratia apud Cæsarem. Si es gratiosus.

C ILLAS PRO NOB. EXPERIARE] Tenta vires illas, fac periculum, & age caussam meam.

FIAT MANSVETIOR IRA] non enim petimus, vt eam omnino deponat: siquidem exilium duntaxat minus infestum rogamus, & in eo tuum, aliorumq; patrocinium imploramus.

SI NVLLVM SCEL. E. IN PECT. NOSTRO] Conditio. Cic. pro M. Marcello. Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus. Error itaque, quomodo sæpe peccatum suum illud alterum (nam de scriptis amatoriis, vt re odiosiore, rarius mentionem facit) appellauit, leuis est: scelus graue, & grauius etiam facinore atque flagitio.

NEC BREVE, NEC TVTVM EST, &c.] Mirum, cum inopinatò, nec sciens, nec volens videtur fla-

rir flagitium illud Augusti, cut dicit, *nec breue*, id A est, non paucis posse explicari? Quod enim adiungit, *nec tutum*, planum est, hoc est metu mortis dictum, ne iubearut à Cæsare interfici, si id vel iam scribendo enuntiauerit.

VELVTI SVA VVLNERA] Alibi, *tractari vulnera nostra timent.* Cum vulnus iam coiit in cicatricem, si ea refricetur, vulnus recrudescit, & dolor renouatur Cic. ad Att. Appij vulnera non refrico. Et in Rullum. Ne aut refricare obductam reipub. cicatricem viderer. Et 2. de orat. refricare dolorem.

ADMONITV FIT NOVVS DOLOR] qui iam spatio temporis elanguerat.

POSSVNT AFFERRE PVDOREM] qualia inprimis fonr libidinosè facta. Nihil enim B tam homine indignū, quam sordida illa, & Christianis legibus prohibita corporum copulatio, præsertim in adulteriis, incestibus, sacrilegiis, aliisque spurcioribus libidinibus.

ILLA TEGI CÆCA. C. NOCTE DECET] silentio perperuo abscondenda, nec in lucem efferenda sunt. Carull. ad Mallium.

Non possum reticere, deæ, qua Mallius in re
Iuuerit, aut quantis iuuerit officiis:
Ne fugiens sæclis obliuiscentibus ætas,
Illius hoc cæca nocte tegat studium.

PRÆMIA PECCATO NVLLA PET. MIHI] Reperiuntur enim, qui è tetris facinoribus laudem, & præmia quærant, auctoramenta videlicet æterni apud inferos supplicij. Et fuerunt, ac fortassis hodie sunt, qui se conscelerare volentibus, ob voluptatem quam ipsi inde capiunt, præmia proponant.

STVLTITIAMQVE MEVM CRIMEN] Hoc de scriptis accipiendū, quæ aliquoties hoc nomine afficit. *Stultam quam scripsimus artem. &c.* Stultitia enim est aberratio à vero iudicio. In errore autem, seu in casu (quod illud alterum peccatum ipsius fuit) iudicium nullum fuit: ergo nulla aberratio.

QVÆ SI NON ITA SVNT] Si res secus habet. Si eleuo peccatum meum.

ALIVM QVÆRE LOCVM] quin tu me aliò deportandum cures, caussam nullam dico.

SVBVRBANA HÆC SIT MIHI TERRA] tam longe hinc, vbi nunc dego, Tomis puta. in Scythiam vlteriorem, vt hactenus in suburbano Romæ fuisse videar. Vt hic locus Romanæ vrbi coniunctus, ac vicinus planè putetur præ distantia ab vrbe Romana illius loci, in quem, si falsum dixi, transferri me cures licet.



ELEGIA SEPTIMA.

AD IMMORTALITAT. CARMINE COMPARAND. HORTATIO.

ARGVMENTVM.

AD filiam, cui narrat, se etiamnum in exilio scribundis versibus occupari. Quærens inde, num & ipsa idem faciat, cū forma, & moribus ingenium eius, & in carmine pangendo excellentiam laudibus ornat, hortaturque, ne casu paterno à poëticis scriptionibus absterreatur, dūmodo amatoria ne scribat. Forma illius senectute perituram, facultates, fortunæ dominationi subiectas esse: sola ingenij bona tuta, & conditione mortis vacare. Addit exemplum suum, cui ademptis omnibus, ingenium, & ex eo famæ æternitas adimi nō potuerit. Monet ipsam quoque, vti ad immortalitatem istam contendat.

Vade salutatum subito perarata Perillam,
Littera, sermonis fida ministra mei.

Aut illam inuenies dulci cum matre ſedentem,
Aut inter libros, Pieridáſque ſuas.
Quicquid aget, cùm te ſcierit veniſſe, relinquet:
Nec mora, quid venias, quidue, requiret, agam?
Viuere me dices: ſed ſic, vt viuere nolim:
Nec mala tam longa noſtra leuata mora.
Et tamen ad Muſas, quamuis nocuêre, reuerti,
Aptáque in alternos cogere verba pedes.
Tu quoque dic, ſtudiis communibus ecquid inhæres?
Doctaqúe non patrio carmina more canis?
Nam tibi cum facie mores natura pudicos,
Et raras dotes, ingeniumqúe dedit.
Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad vndas:
Ne malè fecundæ vena periret aquæ.
Primus id aſpexi teneris in virginis annis,
Vtque pater natæ, duxque coméſque fui.
Tunc quoque, ſed forſan noſtrum deleuit amorem
Tempus, eram magno iunctus amore tibi.
Ergo ſi remanent ignes tibi pectoris iidem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus.
Sed vereor, ne tunc mea te fortuna retardet,
Poſtque meos caſus ſit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua ſæpe mihi, tibi noſtra legebam,
Sæpe tui iudex, ſæpe magiſter eram.
Aut ego præbebam factis modò verſibus aures:
Aut, vbi ceſſaras, cauſa ruboris eram.
Forſitan exemplo, quia me læſere libelli,
Tu quoque ſis pœnæ fata ſecuta meæ.
Pone Perilla metum, tantummodo fœmina nulla,
Néue vir à ſcriptis diſcat amare tuis.
Ergo deſidiæ remoue doctiſſima cauſas,
Inque bonas artes, & tua ſacra redi.
ISTA DECENS FACIES LONGIS VITIABITVR ANNIS:
RVGAQVE IN ANTIQVA FRONTE SENILIS ERIT:
INIICIETQVE MANVM FORMAE DAMNOSA SENECTVS,
QVAE STREPITVM PASSV NON FACIENTE, VENIT.
Cumque aliquis dicet: fuit hæc formoſa, dolebis:
Et ſpeculum mendax eſſe querere tuum.
Sunt & opes modicæ, cùm ſis digniſſima magnis:
Finge ſed immenſis cenſibus eſſe pares:

NEMPE

NEMPE DAT, ET QVODCVNQVE LIBET FORTVNA, RAPITQVE,
IRVS ET EST SVBITO, QVI MODO CROESVS ERAT.
Singula ne referam, NIL NON MORTALE TENEMVS,
PECTORIS EXCEPTIS INGENIIQVE BONIS.
En ego cùm patria caream vobísque, domóque:
Raptáque sint, adimi quæ potuère, mihi:
Ingenio tamen ipse meo comitórque fruórque,
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc sæuo vitam mihi finiat ense:
Me tamen extincto fama superstes erit.
Dumq́ suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.
Tu quoque, quam studij maneat felicior vsus,
Effuge venturos, qua potes vsque, rogos.

COMMENTARIVS.

VADE SALVTATVM, &c.] Amat Ouidius noster hoc genus *προσωποποιίας*, vt alloquatur nimirũ scripta sua, & ipsa faciat loquentia. Statim ab initio Trist. *Parue, nec inuideo, &c.* Et lib. 3. eleg. 1. ipse liber. *Missus in hanc venio timide, &c.* Et lib. 5. eleg. 5. ipsa epistola. *Littore ab Euxino Nasonis epistola veni, &c.* Ad principium elegiæ huius respexit Martial. lib. 1. compellans librum suum.

Vade salutatum, pro me liber ire iuberis
Ad Proculi nitidos officiose lares.

Immo enimuero toto illo epigrammate 61. simulacrum quoddam eleg. huius, & primæ item huius libri confecit, ad locorũ varietatem quod attinet..

SVBITO PERARATA] aut enim *perarata* iungendum aduerbium *subitò*, vt significet extempore, & festinatò scriptam; aut cum *vade*, quod malumus. Orator diceret *exarata*. Carminis necessitati aliquid concedendum Cic. ad Att. ep. 1. lib. 12. Hoc litterarum exaraui, egredieris è villa ante lucem. Liberius noster. Plaut. Bacchid. *Ad Philoxeni Pistoclerum filium, & sodalem vnicum fulcat epistolam.* Verbum *exarare* non simpliciter est scribere, sed properatò scribere: quod cum ex loco Cic. à me prolato, tum ex his eiusdẽ colligimus. Lib. 16. ep. 6. itaq; statim nouũ Procemium exaraui. Ep. 20. lib. 12. Hæc cum essem in senatu exaraui. Qui secus hac voce vtuntur, abutuntur.

SERMON. FIDA MINIST. MEI] epistola quippe definitur sermo absentis ad absentem, qui per litteras illius tanquam ministras, & famulas quasdam necessariò habendus est. Huc reuoca illud Phædræ ad Hyppolitum.

His arcana notis terra, pelagoq́ feruntur,
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.

Penelope Vlyssi. *Traditur hinc digitis charta notata meis.*

DVLCI CVM MATRE SEDENT.] Potius matri, quam patri conuenit hoc adiunctum *dulcis*. Pater charus, & charissimus, mater dulcis, & dulcissima, & suauissima, quandoquidem tenerius quam pater amat ex se genitos. *Sedentem*, & colloquentem subaudi.

AVT INTER LIBROS, PIERID. SVAS] inter libros maxime poëticos: fuit enim poëtria *ἓν διὰ δυοῖν*. vt. *pateris libamus & auro*, pro, aureis pateris. *Collis & herba*, pro herbosus collis. Sedere inter libros, est circumfusum esse libris, vt Cicero de Catone 3. de Finib. M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentẽ, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim, vt scis, in eo inexhausta auiditas legendi. Quare Pieridum nomen gerant Musæ, exposui eleg. 2. ibi. *Nec vos Pierides, &c.* Ioue genitas à pluribus traditur. Næuius. *Nouem Iouis concordes filiæ sorores.*

CVM TE SCIERIT VEN. RELINQ.] propter me, cuius es, & à quo mitteris.

QVID VENIAS, QVIDVE AGAM] Quid venias, id est, cuius rei caussa. Virgil. 1. AEneid. *Quid veniant, cunctis nam lecti nauibus ibant.* Duo ab ea quæsitũ iri dicit: quid ab se velit pater, & quid agat. Posteriori interrogationi respõdet ipsem[et].

prius,

prius, & inde occasionem arripit laudandi venam, & ingenium filiæ, versibus condendis appositum.

SED SIC. VT VIVERE NOLIM] vt me tædeat huius vitæ. Eleg.1. lib.1. *Viuere me dices, saluum tamen esse negabis.*

TAM LONGA MORA] Credibile est, cum hæc scriberet, vix biennium effluxisse. Nam multo post, eleg.11. lib.5. ait, se iam tertium annum exegisse. Exulauit autem supra septimum. Dies mihi quidem ægritudinem non minuit. De his enim malis sermo est.

AD MVSAS] Ne quis rudior hoc ignores, Musæ dicuntur etiam de aliorum litteris, & studiis, non poëtarum tantùm. Cic. Academ. lib.1. Silent enim diutius Musæ Varronis. Ad Att. lib. 5. ep.5. cum omnibus Musis rationem habere cogito. Tuscul.5. quis est enim, qui cum Musis, id est, cum humanitate, & doctrina habeat aliquod commercium.

QVAMVIS NOCVERE] *saxa memor refero rursum ad ista pedem, vt est lib.2.*

IN ALTERNOS COG. VERBA PEDES] Poëticam compositionem circumscribit, in qua alterni pedes vt plurimum obseruandi sunt, etsi iidem continenter duo, tres, plures aliquando ponuntur, vt in hexametro, & pentametro fieri etiam tyrones sciunt. Eleg.1. huius libri est. *Clauda quod alterno subsidunt carmina versu.* Vbi alternos versus longos, id est, hexametros cum Cicerone intellexit, vt ibidem monuimus. Olet oratio hellenismum. Reuerti ad Musas, & cogere apta verba in alternos pedes. τὸ cogere sumitur pro nomine, aut gerundio.

STVDIIS COMMVNIB.] quæ mihi tecum communia sunt.

NVM PATRIO CARM. MORE CANIS?] paterno exemplo. Qui legunt *non*, interpretantur, non lasciuis de rebus, vt ego feci: sed seriis, & grauibus. Aut lyricis, quo more Ouidius non scripsit.

CVM FACIE MORES PVDICOS] Non sæpe contingit ista coniunctio. Nam vt Paris Helenæ. *Lis est cum forma magna pudicitiæ.* Et Iuuenal. *Rara est adeo concordia formæ Atq; pudicitiæ.* Et nescio quo modo formosæ plerumque aut minus castæ sunt, aut minus habentur: propterea quod natura talibus quasi domesticos quosdam ad libidinem stimulos videtur ingenerasse. Quò maiorem eorum castitas laudem promeretur.

ET RARAS DOTES] paucarum virginum, aut mulierum es, quarum dotes, & ornamenta præcipua silentium, & raro exire in publicum.

INGENIVMQVE] Hæc quatuor à natura adeptam ait, pulchritudinem, pudicitiam, raras dotes, ingenium. Non tamen negat, ad ea quoque accessisse cultum, & disciplinam. Ingeniosas & eruditas fœminas plerumque libidinosas esse, ex Iuuenale, & Euripide docet Muret. lib.8. cap.21.

A *PEGASIDAS AD VNDAS*] Pegasus Bellerophontis equus pedum percussu, seu vngula fontem è terra elicuit, Musis dicatum, vocabulo Hippocrenen. Vnde ipsæ Musæ Pegasides, Hippocrenides. Deducere aliquem ad Pegasidas vndas, nihil aliud est ἀνωγωγῶς, quam ei ducem, ac magistrum fieri ad studium poëseωs.

NE MALE FOECVND. VEN. PERIR. AQVÆ] ne vena, aqua fœcunda fluens male periret, ne exaresceret tam diues vena, si otiosa esset. Eleg.14. *Fons infœcundus, paruaq; vena fuit.* 2. de Ponto, eleg.7.

Ingenioq; meo, vena quod paupere manat
Plaudis, & è riuo flumina magna facis.

Sic translatè appellant latini ingenium, seu fa-
B cultatem illam carmini fundendo idoneam, ac propriam. Horat. Ode 18. lib.2.

At fides, & ingeni
Benigna vena est, pauperemq; diues
Me petit.

Et ad Pisones. *Ego nec studium sine diuite vena, Nec rude quid prosit video ingenium.* Iuuenal. sat.7. *Et vatem egregium cui non sit publica vena.* Quintilian. lib. 6. cap.2. tenuis, & angusta ingenij vena.

PRIMVS ID ASPEXI] primus obseruaui. Quis autem melius ingenium poëticum Ouidio summo, & ingeniosissimo poëta deprehenderet? poëta poëtam, orator oratorem, philosophus philosophum melius cognoscit.

TENERIS IN VIRG. ANNIS] In puellari-
C bus adhuc annis vidi indolem tuam. De dignoscendis puerorum ingeniis Quintil. lib.1. cap.3.

VTQVE PATER NATÆ] Patrum officio continetur etiam institutio filiorum, si per alias occupationes possint: nec enim omnis pædagogis committenda. Et erudiebantur olim puellæ disciplinis liberalibus. Quamobrem Iulianus rescripsit, cogendum à magistratu tutorem pupillæ, mercedem præceptoribus dare, quò possit artibus ingenuis institui. Scribit Pompon. lib.2. de origine iuris, puellas pueris mixtas sedisse in ludo litterario qui in foro, vt de Virginia narrat Liuius. Sed in eo tantummodo legere, & ducere litteras docebantur à litteratoribus.

SI NOST. DELEVIT AMOR. TEMPVS] si
D diuturnitate emarcuit, atque euanuit. Amor liberorum in parentes ardentior est annis puerilibus, quibus ipsorum cura, ac sollicitudine plurimùm indigent. Iuuenilibus paulatim frigescit, & remittitur. Parentes vicissim eos adhuc paruos, ac teneros vehementius amant.

IGNES PECTORIS] de ardore poëseos loquitur. Si adhuc tãto desiderio carminum componendorum teneris, quanto tum tenebaris, nec studium valere iussisti.

SOLA VATES LESBIA VINCIT. T. OP.] Proxima es Sapphoni. Sed an in poësi lyrica, vt intelligamus Perillam oblectari solitam Lyricis? an generatim in poësi, quamuis ipsa componeret elegiaca? Sappho autem, vt lib.2. ostendimus,

in catalogo, propter præstantiam poëticam decima Musa est cognominata, ad quam proinde proximè accessisse, huic Perillæ dandum est laudi maximæ. Eandem Socrates apud Platonem appellat pulchram à carminum pulchritudine, cum alioqui pusilla, & fusca fuerit. Max. Tyrius dissertat. 8. A

SIT TIBI PECTVS INERS] postquam ego discessi in exilium, ne tu iners facta sis, teque otio dederis. Proprie iners sine arte, qui nescit facere, aut agere. Inertia, agendi, faciendiue inscientia, & effectus ignauiæ. Cic. Cornificio. Nec tua ignauia etiam inertiam afferat.

DVM LICVIT] qnamdiu concessum est.

TVA SÆPE. M. T. N. LEGEB.] Mos poëtarum antiquorum, inter se scripta sna recitare, & B
iudicium exqnirere, antequam ederent in publicum. De Horat. lib. 4. eleg. 10.

Detinuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

Et de Propert. ibid. *Sæpe suos solitus recitare Propert. ignes.* Pluta lib. 4. eleg. 10.

VBI CESSARAS] Perperam interpretatur quidam, vbi recitare desieras. Cessare est Latinis feriari, vacare, nihil agere, otiari. Cic. 3. de nat. deor. Cur tam multos deos cessare, & nihil agere patitur? Et. At pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqna delectantur. Ouid. posuit pro negligentius scribere. Ergo vbi cessaras, vbi dormiraueras, vbi hallucinata fueras. Eleg. 12. lib. 4. de C
Ponto.

Sæpe ego correxi sub te censore libellos:
Sæpe tibi admonitu facta litura meo est.

CAVSSA RVBORIS ERAM] Faciebam admonitione, & correctione mea vt erubesceres. Ruborem incutiebam tibi. Signum optimæ indolis, & ingenui protiuus animi, ad quosuis lapsus notatos pudore perfundi.

QVIA ME LÆSERE LIBELLI] quia ego ob carmina (illa toties nominara) punitus sum, tu exemplo calamitatis meæ deterrita, ne similia patiaris, abiecisti hoc studium.

PONE PERILLA METVM] Virgil. 1. AEneid. *Pone metum Cytherea.* Sic lib. 11. de spe. *Spem si quam accitis Ætolûm habuistis in armis, Ponite spes sibi* D
quisque.

TANTVMMODO FÆM. NVLLA, &c.] modò snpersedeas scribendis amatoriis.

DESIDIÆ REMOVE CAVSSAS] cohortatio ad prosequendnm hoc genus studiorum, à fructu immortalitatis.

ET TVA SACRA] Carmina sunt vatum sacra. Inde semet sacros, & Musarnm sacerdotes vocant, vt alibi iam dictum. lib. 4. eleg. 10.

At mihi iam puero cælestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.

LONGIS VITIABITVR ANNIS] Locus illustris de forma peritura. Forma ætate carpitur, ac deflorescit. 2. de Arte.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Apposite & Salust. in Catilinario. Nam diuitiarum, & formæ gloria fluxa, ac fragilis est: virtus clara, æternaque habetur. Et Seneca Hippol.

——fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit:
Res est forma fugax.

RVGAQVE IN ANTIQ. F. &c.] Horat. Ode 8. Epod. *cum tibi rugis vetus frontem senectus exaret.*

INIICIETQVE MANVS FORMÆ] Iniicere manum, verbum antiqnum iuris, quoties nulla iudicis exspectata auctoritate, rem debitam, aut etiam nostram nobis vendicamus. Virgil. AEneid. *Iniecere manum Parcæ.* Græci τὴν χεῖρα ἐπιβολὴν appellant. Fusius Bud. in Pand. pag. 81.

DAMNOSA SENECTVS] propter incommoda quæ senes circumueniunt. Aristoteles 5. de animal. senectutem appellat νόσον φυσικὴν, morbum naturalem. Vide prouerb. Senectus ipsa morbus. Disces inde, à Virgilio 3. Georg. recte appellatam tristem.

QVÆ STREP. PASSV. N. F. VEN.] *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.* Et Iuuenal. sat. 9. *obrepit non intellecta senectus.*

FVIT HÆC FORMOSA] Ipsnm *fuit*, certum argumentum, te perdidisse quod habueras. Formosus, qui decora facie, & apta totius corporis compositione excellit. Pulcher, qui est egregia facie, aut splendido ornatu. Confunduntur tamen, vt etiam forma, & pulchritudo.

ET SPECVLVM MEND.] non credes speculo. Non credes te tam deformem, & rugosam, qnam te tibi speculnm repræsentabit. De vtilitatibus, & luxuria speculorũ Seneca Nat. Quæst. lib. 1. cap. 17.

OPES MODICÆ] quas matri, & tibi reliqui.

CVM SIS DIGNISSIMA MAGNIS] propter ingenium, eruditionem, formæ decus, pudicitiam, & eximias dotes tuas, de quibus supra.

IMMENSIS CENSIB. ESSE PARES] Finge te possidere multa aureorum millia, & opes regias. 1. Fast. *dat census honores, Census amicitias, pauper vbique iacet.* Propert. eleg. 12. aut 13. alij enim aliter numerant, lib. 3. *Matrona incedit census induta nepotum.* Quem locum Beroald. hunc in modum explanat. Prodigi, qui nepotes dicuntur, se pauperant, & amicam ditant. Quæ incedit incessu matronali, culta diuitiis, qnas amatores dono dederunt. Passerat. gerens fortunas omnes hominum luxu perditorum.

NEMPE DAT, ET QVODCVNQVE LIB. &c.] Ordo verborum est. Nempe fortuna dat, & rapit quodcunque libet. Coniunctio copulatiua que vacat. Pub. Syr. *Leuis est fortuna, citò reposcit quæ dedit.* Et, *Fortuna vitrea est, cum splendet frangitur.* Cebes Thebanus in Tabula sua iubet nos meminisse, hoc esse Fortunæ ingenium, vt quæ dederit eripiat, & subitò longe plura largiatur, rursusque auferat ea quæ dederat: nec ea solum, sed etiam quæ illi antea habuerint. Nec eam laudandam, nec vituperandam: neque gaudendum cum largitur, neque dolendum cum eripit: nihil enim ipsam consulti, sed temere facere quod facit.

IRVS ET EST SVB. QVI MODO CROESVS] Eleg. 3. lib. 4. de P. *Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?* Irus publicè mendicus apud Platæenses, corpore & specie prægrandi, vt est Odyss. 18. Hecale quoque mendicitate nobilis. Vtriusque meminit Remed. lib. 2.

Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irum?
Nempe, quod alter egens, altera pauper erat.

NIL NON MORTALE TEN.] Horat. ad Pison. *Debemur morti nos nostraque.*

PECTORIS EXCEPT. INGENIIQVE BON.] Hæc bona alia non sunt, quam virtus, & doctrina, bona scilicet animi non corporis, nec fortunæ, quæ vtraque incerta, & mutabilia sunt. Horum itaque fama non moritur: seu, hæc hominem faciunt immortalem. Propert. eleg. 2. lib. 3. *Ingenio stat sine morte decus.* Tertio Anthologiæ epitaphium est in Ioannem quendam, genere nobilem, è familia Anastasij Imp. Imperatricis generum, seu affinem, vita probum, cuius præter virtutem omnia perierint, quę sola mori nesciat. Græcum ita habet, [illegible].

[illegible Greek verses]

Pythagoras apud Stobæum. [illegible Greek]. Crede non esse bonú tuum, quod non inclusum in animo geris.

EN EGO CVM P. CAREAM. &c.] Tollit interdum spiritus poëta, & se ita sperata æternitate sua in medio miseriarum suarum consolatur.

INGENIO TAMEN COMITORQVE, FAVORQVE] Comes optimus, & iucundissimus ingenium. Omnia mea mecū porto, aiebat Bias. *Comitor* verbum patiendi.

CÆSAR IN HOC P. IVRIS H. NIHIL] Insultat quodammodo Cæsari. Quamuis vno Ioue minor sit, & mundum temperet, animi mei bona auferre mihi non potest. Bellè accommodari ad hunc locum possunt illa Ciceronis ex 4. Paradoxo, quo docet omnes stultos insanire. Nihil neque meum est, neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinam animi mei constātiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respub. inuicta stat: si huius æterni beneficij immortalem me-

A moriam deleuisses: multo etiam magis si illam mentem, vnde hæc consilia manarunt mihi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer iniuriam.

QVILIBET HANC VITAM SÆVO, &c.] occidat me qui voluerit: aliam vitam viuam. Mors enim terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur: non iis quorum laus emori non potest. Cic. Parad. 2.

ME TAM EXTINCTO. F. PERENN.] Insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquādam. Pro Archia.
B Hoc oraculum Ouidij de se, exitus cōprobauit. Vide etiam eleg. 9. lib. 4. sic Horat. de se Ode vlt. lib. 3.

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam, vsq; ego postera
Crescam laude recens, &c.

VICTRIX MARTIA ROMA] supra bellatricem κατ' ἐξοχὴν, hîc eadem figura victricem indigitat. Populus enim Romanus victor omnium gentium. Cic. 2. Catilin. Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus rex, qui pop. Rom. bellum inferre possit. Omnia sunt externa, vnius virtute, terra, marique pacata. Erinna poëtria, Romam θυγατέρ᾽ Ἄρηος Martis filiam nominat, innumera ipsius bella, & triumphos intuita sci-
C licet.

SEPTEM DE MONTIB. ORBEM PROSP.] in septem collibus ædificata est Roma quos alibi nominaui. Additi postmodum Caliolus, Ianiculus, Vaticanus. Eleg. 4. lib. 1.

Nec quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperij Roma deûmq; locus.

Vide ibi dicta. Cic. ad Att. ep. 5. lib. 6. [illegible Greek] vrbem septicollem nominat.

STVDII FELICIOR VSVS] cui sua studia fælicius eueniant: mihi enim obfuerunt.

EFFVGE VENTVROS ROGOS] quod ad famam attinet. Da operam, ne, qui rogus tuum corpus, simul etiam tuum nomen absumat. Eleg. 15. lib. 5. de æternitate vxoris per carmina sua.
D *Non potes in mæstos omnis abire rogos.* Plin. ep. 10. lib. 2. vbi Octauium amicum ad editionem versuum ipsius hortatur. Habe ante oculos mortalitatem, à qua asserere te hoc vno monimento potes.

Nam cætera fragilia & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt, desinuntque.



ELEGIA

ELEGIA OCTAVA.

DESIDER. PATRIAE, AVT CERTE LEVIOR. EXILII.

ARGVMENTVM.

PAtriæ, ſuorumque videndorum cupiditate flagrans, eò volare concupiſcit. Alas ſibi fore conceſſum Cæſaris ab eo reditum expetendum. Sed hanc ipſam petitionem nimis magnam, & audacem poſſe videri hoc tempore. Interea ſatis habiturum, ſi exilium inclementiſſimum cum clementiore mutetur: quippe in quo & corpori, & animo peſſimè ſit, vt mortem in beneficij loco numeraturus ſit, quam ſibi à Cæſare illatam optat. Qui quoniam odio tantùm non proceſſerit, orat, vt ad hanc gratiam addat aliam, & ſe in exilium mitius transferat.

Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currus,
Miſit in ignotam qui rude ſemen humum.
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones:
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.
Nunc ego iactandas optarem ſumere pennas
Siue tuas Perſeu, Dædale ſiue tuas:
Vt, tenera noſtris cedente volatibus aura,
Aſpicerem patriæ dulce repentè ſolum.
Deſertaq́ domus vultus, memoreſque ſodales,
Caraque præcipuè coniugis ora meæ.
Stulte, quid hæc fruſtra votis puerilibus optas?
Quæ non vlla tibi fertque feretque dies?
Si ſemel optandum eſt, Auguſti numen adora,
Et, quem ſenſiſti, ritè precare Deum.
Ille tibi pennáſque poteſt, curruſq́ volucres
Tradere: det reditum, protinus ales eris.
Si precer hæc (neque enim poſſum maiora precari)
Ne mea ſint, timeo, vota modeſta parum.
Forſitan hoc olim, cùm iam ſatiauerit iram,
Tunc quoque ſollicita mente rogandus erit.

Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me iubeat quolibet ire locis.
Nec cælum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ:
Heu mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis:
Siue mei causa est in regione mali.
Vt tetigi Pontum, vexant me insomnia, vixque
Ossa tegit macies, nec iuuat ora cibus.
Quiq́ per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quæ noua læsit hyems:
Is mea membra tenet: nec viribus alleuor vllis:
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo, quàm corpore, mente: sed ægra est
Vtraque pars æquè: binaque damna fero.
Hæret & ante oculos veluti spectabile corpus
Astans fortunæ forma videnda meæ.
Cumque locos, moresque hominum, cultusque, sonumque
Cernimus, & quid sim, quid fuerimque subit:
Tantus amor necis est, querar vt de Cæsaris ira,
Quòd non offensas vindicet ense suas.
At quoniam semel est odio ciuiliter vsus,
Mutato leuior sit fuga nostra loco.

COMMENTARIVS.



NVNC EGO TRIPTOLEMI, &c.] A Eleusin vrbs est Atticæ prouinciæ, non procul Athenis. In qua cum regnaret Celeus, & Cererem quærentem filiam Proserpinam à Plutone raptam liberali hospitio excepisset, illa regi pro munere omne genus agriculturę indicauit: filium quoque ipsius Triptolemum recens natum per noctem igne fouit, & per diem diuino lacte nutriuit, atque alatis serpentibus superpositum, per totum orbem, ad vsum frumentorum hominibus indicandum misit. Seruius in 1. Georg. Athenienses, & finitimos affirmare ait Pausan. in Atticis, Triptolemum Celei filium fuisse, qui primus satlonem, & frugum cultum tradiderit. Ibidem plura de eius parentibus.

IN IGNOTAM HVMVM] ignotam semini, quod appellat rude, quia nunquam expertum erat terram. Sic Catullus Amphitriten, id est, mare, nominat rudem, quia antequam id Argonautæ sulcarent, ignota erat ei nauigatio: siquidem illi omnium primi nauigasse feruntur. 5. Metamorph. de Cerere.

Atq; leuem currum Tritonida misit in vrbem
Triptolemo; partimq; rudi data semina iussit
Spargere humo. partim post tempora longa recolta.

MEDEÆ VELLEM FRÆNI DRACONES] Cum obiiceretur Iasoni, habere illum Medeam vxorem peregrinam, & veneficam, Creusam Creontis, Corinthiorum regis filiam superinduxit. Eius contumeliæ impatiens Medea coronam, & vestem nouæ nuptæ per filios suos ex Iasone progenitos muneri misit. Quibus illa indutis, ob veneni vim, quo imbuta erant, conflagrauit, vna cum patre, qui opem laturus accurrerat, ipsaque regia. Mactatis deinde etiam liberis suis Medea, Corintho Athenas venit, ibique AEgeo Pandionis filio nupsit. Postea sacerdos Dianæ illam exagitare, & negare se castæ sacrificare posse, quamdiu illic mulier venefica, & scelerata consisteret. Medea igitur iūctis draconibus Athenis in Colchos rediit. Hæc summatim ex Hygini cap. 25. &

26.

26.Ouid.tamen,vt cernis,draconibus Corintho profugisse memorat, vt etiam Metamorph. 7.

Hinc Titaniacis ablata draconibus intrat Palladias arces.

Et boc illi Hypsipyle, à Iasone repudiata,tanquã pellici suæ precatur in epist.

Cum mare,cum terras consumpserit,aëra tentet:
Erret inops,exspes,cæde cruenta sua.

ARCE CORINTHE TVA] Arx græce est ἀκρόπολις, quod arces in editiore vrbis parte, quò inde facilius hostis arceretur, ædificari solebant. Vel ipsam Corinthum arcem accipe, quo sensu Virgil.dixit 1.AEneid.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat,Tyrias olim quæ verteret arces.

Et Horat. Ode 7.Epod.

Non vt superbas inuida Carthaginis
Romanum arces vreret.

Græciæ lumen vocat in Maniliana Cicero. Florus lib.2.cap.6.Florus lib.2.cap.6. Achaię caput. Græciæ decus inter duo maria, AEgæum, & Ionium quasi spectaculo exposita.

IACTANDAS PENNAS] volando scilicet. Tum enim eas agitari, & ita aërem, tanquam remigio aliquo tranari necesse est.

SIVE TVAS PERSEV] Perseus è Ioue, & Danaæ Acrisij Arginorum regis filia natus, talaria, & falcatum ensem, cui nomen harpe, à Mercurio, à Minerua scutum ægidem accepit, quibus instructus, Medusam, vnam ex Gorgonibus, cui angues pro capillis erant, quorum intuitu homines in lapides conuertebantur, capite multauit. Metamorph.4.in extremo,& 5.

DÆDALE SIVE TVAS] Notissima fabula de volatu Dædali, & Icari filij Metam.8. Meminit Virgil.lib.6.

Dædalus vt fama est, fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

Plura ibid. in Symb.nostris.

VT TENERA NOSTRIS CEDENTE,&c.] Caussam adiungit, ob quam volare posse desideret. Vt breui spatio temporis, citraque periculum, per vacuum aërem, vt itinere tutissimo, Romam allabi queat.

REPENTE] improuisus, nec opinantibus meis. Nam volatus quoque per tantum interuallum repentinus, & quasi momento fieri non poterat. Nullo antea nuntio super aduentu meo allato, quo is iucundior, & admirabilior illis accideret.

PATRIÆ DVLCE SOLVM] Nihil vtique cuique nostrûm patria dulcius. Qua de re multa dici possent. Ipse eleg.4. lib.1.de P.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Detinet, immemores nec sinit esse sui.

DESERTÆQVE DOMVS VVLTVS] Distributio. Tria videre gestit in patria. Domum desertam, siue ædes, siue familiam cum ædibus à se desertis. Sodales puta amicos, vxorem, & hãc præcipue, quam superioribus elegiis sibi præ

A omnibus charissimam esse, & de qua noctes & dies cogitet, testatus est.

STVLTE QVID HÆC FRVSTRA,&c.] ἀποστροφὴ ad se ipsum, vt temere, & inconsiderate optantem, quæ fieri non possint.

SI SEMEL OPTANDVM,&c.] Si optandum sit, & quidem quod fieri possit, optandum vt mollescat Augusti animus, & is vt numen idcirco adorandus. Qui si reditum concesserit, eam concessionem sibi pro alis, & curribus futuram.

ADORA] Adorare quid esset ex vi verbi, docuimus in eleg.3. lib.1. ibi. *Hac prece adoraui superos ego,&c.*

QVEM SENSISTI] dum te in exilium eii-
B ciens, quasi fulmine, vt alter Iupiter percussit.

SI PRECER HÆC,&c] occurrit, visum iri audacem nimis, & insolentem, qui rem maximam petat, & qua maiorem petere non possit. In precibus autem seruare modum oportere. Itaque sententiam ante prolatam confutat: sic tamen, vt preces huiusmodi potius in commodũ tempus, quando videlicet diuturnitate ira eius deferbuerit, & iam nulla fuerit, differendas, quã nunquam omnino vsurpandas statuat.

QVOD MINVS INTEREA EST] minus beneficium ipso reditu, mutatio exilij, seu loci.

INSTAR MIHI MVNERIS AMPLI] Quã amplum sibi munus hoc futurum sit, liquet ex mox sequentibus. Quemlibet enim locum, quã-
C tumcunque durum, & incommodum præ isto amplecti paratus est. Ita muneris magnitudo sæpe non in re ipsa, nec in voluntate, aut iudicio dantis, sed in opinione accipientis est.

IVBEAT QVOLIBET IRE] Lib.5.eleg.3.

Hunc ego dum muter, vel me Zanclæa Charybdis
Deuoret, atq; suis ad Styga mittat aquis.
Vel rapida flammis vrar patienter in Ætna:
Vel freta Leucadij mittar in alta Dei.

Lib.4.de P.eleg.14.

Ipsa quoq; est inuisa salus, suntq; vltima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire locis.
Nulla mihi cura est, terra quò mittar ab ista,
Hac quia quam video gratior omnis erit.
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdim
D *Mittite, præsenti dum careamus humo.*
Styx quoq; (si quid ea est) bene cõmutabitur Istro,
Si quid & inferius quam Styga mundus habet.

Habes in his eandem sententiam, quam supra: sed copiosius, & verbis mutatis expressam, quod sæpissime facit, quoniam huius rei magnam ei, & promptissimam facultatem ingenij præstans excellentia largitur.

NEC CÆLVM, NEC AQVÆ FACIVNT &c.] Querimonia miserabilis, & quæ συμπάθειαν mereatur. Singillatim recenset quibus vexetur, & opprimatur malis, homo cæteroqui corpore molli, & rebus asperioribus minimè assuetus. Similis lamentatio præcessit eleg. 3. *Nec cælum patior, nec aquis assueuimus istis,&c.* Nomine cæli si hic

aspirationem cæli, vt vocat Cicero, id est, aërem intelligamus, in quo ad valetudinem in vtramque partem haud parum est momenti, verbo *auræ* accipiemus aut ventos, aut leues motus aëris. Nam, vt inquit Isidorus, aura dicta est ab aëre, quasi aërea, quod lenis sit motus aëris. Agitatus enim aër auram facit. Vnde & Lucretius aëreas auras. Quin & odorum afflatus auræ dicuntur.

NEC FACIVNT] Imperfecta locutio. Perfecta esset, nec faciunt ad sanitatem meam cælum, aquæ, &c.

PERPET. CORP. LANGVOR HAB.] Absque intermissione, corpori meo male est.

SEV VITIANT ART. ÆG. CONTAG. MENTIS] AEgritudo animæ longior tabefacit corpus, quod Artemisiæ reginæ Cariæ, Mausolum maritum ademptum sine vlla intermissione, & acerbe semper lugēti euenit. Cic. 2. Tuscul. Idem euenisse crediderim, Octauiæ sorori Aug. quæ Marcelli filij sui lugendi nullum modum fecit, talis tota reliqua vita, qualis in eius funere. Seneca in Consolat. ad Martiam. Dehortantur nos ab ea diuinæ litteræ, proposito quod inde sequitur ingenti malo. *Tristitiam longe fac à te: multorum enim occidit tristitia, & non est vtilitas in ea.* Item, *à tristitia festinat mors.* Tamē eleg. 2. lib. 5. valere se corpore, quod longo vsu aduersus incommoda indurauerit, mente licet ægra, confirmat. *Pone metum, valeo, corpusque, &c.*

SIVE MEI CAVSSA EST IN REGE MALI] In vtroque, mi Naso. Quomodo enim sub cælo tam graui bene tibi fuerit, quamuis omni mæstitudine vacuo? Et quomodo rursus tam mærenti, & ἑαυτοντιμωρουμένῳ non male, quamuis sub cælo saluberrimo?

VT TETIGI PONTVM] ex quo appulsus sum ad regionem istam Ponticam. Verbum nauticum *tangere*. Virgil. 1. Georg. *Cum pressa tum iam portum tetigere carinæ.* Catull. de nupt.

Iupiter omnipotens, vtinam nec tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent littora puppes.

VEXANT ME INSOMNIA] Insomnia accepit Ciofan. numero singulari, ἀϋπνίαν, pro impotētia dormiendi, & legit *vexat* pro *vexant*, profertque locum ex Eunucho. *Nam aut iam reuertēre, aut mox noctu te adiget horsum insomnia.* Qua voce vsi etiam Cæcilius Comicus, Sueton. Plautus. Sed non constat modulus syllabæ in *vexat*, nisi adiicias pronomen accusandi casu *me*, quomodo illum legisse credo. Capimus *insomnia* vt neutrum plurale, quibus certum est insomniam effici, seu somnum turbari, ac impediri. Macrob. lib. 1. in Som. Scip. cap. 3. exponens genera somniorum, tertium ait esse ἐνύπνιον, quod insomnium dicitur. Eius descriptionē operæ fuerit legere. Quod autem insomnia turbent dormientes, siue somnum ipsum, liquet ex 4. AEneid. vbi de Didone, *hærent infixi pectore vultus. Verbaque. nec placidam membris dat cura quietem.* Et ipsa Dido Annæ sorori. *Anna soror. quæ me suspensam insomnia terrent?*

OSSA TEGIT MACIES] Virgil. eclog. 3. de agnis. *vix ossibus hærent.* Conueniunt in Ouid. sic constitutum illa Ergasili de se ex Capt. Plauti.

Marcesco, consenesco, & tabesco miser:
Ossa, atq; pellis sum misera macritudine.

NEC IVVAT ORA CIBVS] nec beat, nec prodest quem sumo vllus cibus. Non concoquitur, nō me nutrit. Et quoniam cibus iuuat, Græcis vocatur ὄνειαρ. Homerus sæpius οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα, προκείμενα χεῖρας ἴαλλον. Idem Ergasilus.

Neq; vnquam quidquam me iuuat quod edo domi,
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.

Catull. ad Licinium.

Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos.

QVIQVE PER AVTVMNVM, &c.] Similitudine foliorum, primi autumni frigore adustorum, & flauescentium pallorem suum declarat.

QVÆ NOVA LÆSIT HYEMS] Noua hyems, vt nouum ver, noua æstas apud Maronem, pro principio, seu prima parte hyemis, veris, æstatis, seu pro ingrediente hyeme, vere, æstate. Est igitur vt noua, sic adulta, & senescens, seu præceps hyema. Quod idem affirmatum volo de aliis tribus anni temporibus.

MEA MEMBRA TENET] tanquam capta occupat, & in sua potestate habet.

NEC VIRIB. ALLEVOR VLLIS] nulla medicina mihi succurritur. Omni corporis leuamento carendum est mihi.

ET NVNQVAM QVERVLI. C. DOL. ABEST] Semper est quod doleam. Vocat querulum dolorem, quia querulos facit, quod adiectiuum à nobis crebrius in vitio ponitur. Queribunda vox, est apud Cic. pro Sylla.

NEC MELIVS VALEO. Q. CORP. MENTE] Saltem mens haberet bene, nec ita cruciaretur,

ÆGRA EST VTRAQVE PARS ÆQVE] E corpore, & animo constamus, è duabus partibus, quarum quis dubitet animum esse meliorem, & illius incolumitatem ducendam potiorem? Miratur M. Tull. procemio 3. Tusculan. cum constemus ex animo & corpore, corporis curandi, tuendiq; caussa quæsitam esse artem eius: animi autem medicinam nec tam desideratam antequam inueniretur: nec tam cultam posteaquam cognita est: nec tam multis gratam, & probatam, pluribus etiam suspectam, & inuisam. Iam verò philosophia, & *iatrikè* medicinæ ambæ, & conseruatrices sunt, illa animi, ista corporis. Et illam 5. Tuscul. vitæ ducem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, legum inuentricem, magistram morum, ac disciplinæ appellat.

HÆRET] animo, cogitationi.

ANTE OCVLOS VELVTI SPECTAB. CORP.] Calamitas mea nō secus quam idolum quoddam in oculos meos assiduissimè incurrit.

CVMQVE LOCOS MORESQVE HOMIN. &c.] Per [illegible], seu frequentationem docet, vnde cupiat emori potius, quam diutius versari in tantis malis.

TANTVS AMOR NECIS EST] Eleg. 1. lib. 4. *Heu nimium fati tempora lenta mei.*

QVERAR VT DE CÆSARIS IRA] Magnitudo ærumnarum facit, vt mihi Cæsar non satis videatur iratus: quippe qui me penitus extinguere, non relegare debuerat. Contrà, caussa exilij, & tam intolerandi exilij facit, vt nimium videatur iratus. Hinc est, quod cum toties me exilium meruisse confitear, toties nihilominus nec

A exilium, nec tam horribile exilium meruisse me affirmem.

QVID SIM, QVID FVERIMQVE] dum præteritos annos meos tam beatos cum præsentibus tam miseris comparo.

ODIO CIVILITER VSVS] non tyrannicè, sed vt ciuem tractari decuit. Habent notionem moderationis, & humanitatis verba *ciuile*, & *ciuiliter*. Hinc de Neptuno 12. Metamorph. Achilli ob Cygnum filium ab eo occisum plus æquo, & diutius irato, *sæuumq; perosus Achillem Exercet memores plusquam ciuiliter iras.* Sueton. cap. 51. Clementiæ, ciuilitatisque eius multa, & magna documenta sunt, &c.

SIT FVGA LEVIOR] In mutatione loci se leuius exilium inuenturum confidit.



ELEGIA NONA.

VERILOQVIVM TOMI.

ARGVMENTVM.



VNde oppidum, vbi exulat, nomen inuenerit. Inuenit autem ab Absyrto, Medeæ fratre paruulo, quē illa patre Æeta inscio, in Argo naui, Iasonem rapto vellere aureo è Colchis redeuntem secuta, secum abduxit, atque vt eundem patrem suum re comperta se insequentē retardaret, in frusta dissecuit, quæ locis illis colligenda dispersit. Tomi enim, seu Tomus ἀπὸ τοῦ τέμνειν à secando. M. Tullius orat. pro lege Manilia huius elegiæ argumentum quodammodo tāto ante nos complexus est his verbis. *Primùm ex suo regno Mithridatis sic profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis quò se parens persequeretur, dissipauisse: vt eorum collectio dispersa, mærorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Lege Apollod. lib. 1.* Strabo lib. 7. hāc cædem, & dilaniationem factam narrat in insulis, quæ ab Absyrto, proinde Absyrtides appellatæ sint. Idem affirmat Plin. lib. 3. cap. 26.

Hic quoq; sunt igitur Graiæ (quis crederet?) vrbes,
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoq; Mileto missi venere coloni?
Inq; Getis Graias constituere domos?

Sed vetus huic nomen, positáque antiquius vrbe,
Constat ab Absyrti cæde fuisse loco.
Nam rate, quæ cura pugnacis facta Mineruæ,
Per non tentatas prima cucurrit aquas:
Impia desertum fugiens Medea parentem,
Dicitur his remos applicuisse vadis.
Quem procul vt vidit tumulo speculator ab alto:
Hospes, ait, nosco Colchide vela dari.
Dum trepidant Minyæ, dum soluitur aggere funis,
Dum sequitur celeres anchora tracta manus:
Conscia percussit meritorum pectora Colchis,
Ausa, atque ausura multa nefanda manu.
Et quanquam superest ingens audacia menti,
Pallor in attonita virginis ore fuit.
Ergo vbi prospexit venientia vela: tenemur,
Et pater est aliqua fraude morandus, ait.
Dum quid agat quærit, dum versat in omnia vultus
Ad fratrem casu lumina flexa tulit.
Cuius vt oblata est præsentia, vicimus, inquit:
Hic mihi morte sua causa salutis erit.
Protinus ignari, nec quicquam tale timentis,
Innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita diuellit, diuulsáque membra per agros
Dissipat, in multis inuenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
Pallentésque manus, sanguineumque caput:
Vt genitor luctuque nouo tardetur, & artus
Dum legit extinctos, triste retardet iter.
Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

COMMENTARIVS.


HIC QVOQVE SVNT VRBES GRAIÆ] nó lingua (cuius vestigia in paucis extant) & moribus, sed origine. Habitasse tamen etiam Græcos Tomis, colligitur ex lib. 5. eleg. 9.

Vix ope castelli defendimur: & tamen intus
Mista facit Graiis barbara turba metum.

Verùm illi oriundi erant à Græcis colonis, lingua sua amplius non vtentes. Alioqui cur quereretur Ouid. in posterioribus elegiis, neminem A habere se, quicum loqueretur latinè, cum haberet quibuscum loqueretur græcè? Nam illum græcè loqui sciuisse, satis indicat, quod ait eleg. 12. nisi quod mallet latinè colloqui.

Rarus ab Italia tantum mare nauita transit,
Littora rarus in hæc portubus orba venit.
Siue tamen græca scierit, siue ille latina
Voce loqui, certe gratior huius erit.

INTER INHVMANÆ NOM. BARB.] Inter vrbes barbaris nominibus, non græcis, nec

latinia nominatas: ficut ipfi incolæ barbari,& inhumani funt:Græci enim humanifsimi.

MILETO MISSI VEN.COLONI] Tomi colonia Milefiorum. Miletus vrbs Ioniæ,à qua colonias magno numero profectas autumat Strabo lib. 15. totum quippe Euxinum pontum ab iis fuiffe habitatum. Quin & Propontidem,& alia loca. Quam ob cauffam,quo fructu,& modo Romani, iuuento Romuli colonias deduxerint. Lipfius in Admirand. lib.1. cap.6. Quem Græci in fuis coloniis morem tenuerint, mihi quidem nondum eft compertum.

INQVE GETIS GRAIAS CONST.DOMOS] Signatè hoc, propter magnam morum difsimilitudinem,& quafi admirabundus dicit.

POSITAQVE ANTIQVIVS VRBE] antequam eo loci vrbs conderetur, nedum poft deductam eò coloniam,dictus eft locus Tomi, fine Tomus, ex cauffa fupra relata, quam ftatim fubnectit,cædem Abfyrti.

RATE QVÆ CVRA PVG. F. MINERVÆ] pugnacis Mineruæ, quoniam eadem Pallas, & Dea bellica,vt Mars. Ratis hæc fuit Argo nauis, eius inftinctu,& procuratione confecta. quod & Catull. narrat: quanquam & ipfam manus admouiffe operi quidã tradiderũt. Vocat currum.

Diua quibus retinens in fummis vrbibus arces
Ipfa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexa texta carinæ.

Attius apud M. Tull. 2. de nat. deor. vehiculum: vterque ναυπηγησιμος. Ex quo autem genere arboris fabricata fit hæc nauis,variant auctores. Ex piuu Euripides (ea enim eft πεύκη) Catull. Ouidius,Propertius: Ex abiete Ennius. Ex piceis,& quercubus Orpheus. Ex alno Valer. Flaccus. Plin. lib.13. cap.22. confectam teftatur ex eone arbore, fimilem robore vifcum ferente, quæ nec aquæ, nec igni corrumperetur.

PER NON TENTAT. P. CVCVRRIT AQVAS] Non fuerat mare ante id tempus follicitatum vllo nauigio, & erat adhuc fuftinendæ nauigationis imperitum. Catull. *Illa rudem curfu prima imbuit Amphitriten.* De hac nauigatione, & cauffa illius Apollonius,& Valer. Flaccus. Ipfam nauim Ouid. ep. Medeæ inexpertam puppim appellauit.

DESERT. FVG. MED. PARENTEM] Exprobrat ipfa hoc factum fuum Iafoni in epiftola. *Proditus eft genitor, regnum, patriamq; reliqui.* Cic.3. de nat. deor. Quid Medeæ refpondebis? quæ duobus auis, Sole, & Oceano, AEeta patre, matre Idyia procreata eft.

HIS REMOS APPLICVISSE VAD.] in hunc portum delata. Cic. 2. Philipp. Si ille ad eam ripam quam conftituerat, non ad contrariam nauim applicuiffet. Vada funt loca in fluminibus, & mari non profunda, per quæ pedibus, aut equo vadere pofsis, & iuxta littora. Prouerb. res in vado eft, cum eft extra periculum, & in tuto.

QVEM PROCVL VT VID. SPECVLAT.] A AEetes rex fuga filiæ cognita, claffe celeriter inftructa, eam, vt fugientem retraheret, velis remifque infecutus eft. Speculator proprie, qui ante exercitum fpeculandi gratia mittitur. Explorator, qui inter hoftes verfatur, & eorum fecreta cognofcit, vt fuis renuntiet, & proditoris loco habetur, & pœnam capitalem fubit. Ille munus belli honeftum præftat.

HOSPES, AIT] Iafonē compellat fpeculator.

COLCHIDE VELA DARI] pro *dari* quidam legunt *venit*, antecedente colo, fiue πλεῖς στιγμῇ, vt fic exponamus hunc verficulum. Nofco Colchide vela,feu Colchica vela. *Venit*, fubaudi AEetes, Medeæ pater, cum multis aliis. Alij fic, nofco hæc vela, quæ video è Colchide dari. E Colchide B foluit hæc clafsis, nofco enim vela. Aut ita, verbis fic ordinatis. O hofpes Iafon, Colchide nos claffe infequitur, & venit, fubaudi AEetes Medeę parens; agnofco enim vela. De Colchis fusè Stukius in Periplum Arriani, maris Euxini.

DVM TREPIDANT MINYÆ] Sic dicti funt Argonautæ, à regiuncula Theffaliæ. Eorum nomina recenfentur ab Apollodoro lib.1. Nauis fabricata eft in Theffalia quoque, ad montem Pelion, & Iafon Theffalus. Ouid. Metamorph.7. *Iamq; fretum Minya Pagafæa puppe fecabant.* Hypfipyle Iafoni. *Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide puppi?* In verbo *trepidare* ineft notio feftinationis cum quodam metu, quæ vox nonnunquam adiicitur. Virgil. 2. AEneid.

C *Nos pauidi trepidare metu, crinemq; flagrantem*
Excutere, & fanctos reftinguere fontibus ignes.

DVM SOLVITVR AGGERE FVN.] Virgil. 3. AEneid. *Sed fugite, ô miferi, fugite, atq; ab littore funem Rumpite.* Ora proprie funis is, quo nauis in littore palo alligatur. Inde oram foluere. Græcis πρυμνήσια, numero multitudinis.

ANCHORA TRACTA] dum anchora celeriter fubducitur.

CONSCIA MERITORVM] in deteriorem partem, vt fit hoc etiam ambiguæ fignificationis, quomodo fortuna, dolus, præmium, & alia multa. Ipfa fibi fceleris confcia.

PERCVSSIT PECTORA] vt in dolore.

AVSA ATQVE AVSVRA. M. NEF. M.] vtrumque ad cædem fratris, & liberorum D pertinere poteft.

ET QVANQVAM SVPER ING. AVD. MENTI] etfi erat audacifsima. Etfi audacia illi non modò non deerat, fed fuperabat etiam.

PALLOR IN ORE FVIT] Audaces admodum ne pallent quidem. At Medea quantumcunque audax, non potuit tamen, quin ad confpectum clafsis expallefceret.

ATTONITÆ VIRGINIS] ftupentis, nec fatis explicatum habentis, quid ageret in tali articulo: Virginis nomen à viridiore ætate ductum eft, vt antea demonftrauimus.

VT PROSPEXIT VENIENTIA VELA] cũ iam nauem paternam in confpectu haberet.

TENEMUR] depreheusi, seu capti sumus à venatoribus prædam insequētibus. Plaut. Capt. *Teneor manifestò miser.* Cic. 1. Verrin. Manifestò tenetur auaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia.

ALIQUA FRAUDE MORANDUS] aliquo dolo, seu facinore fraudulenter excogitato ab insequēdo retardandus. Dolus proprie est quænis callida machinatio ad circumueniendum, & lædendum alterum adhibita. Fraus leuior captiuncula, vnde sibi quis aliquid acquirit. Sed poëtæ audent aliquid in verbis.

DUM VERSAT IN OMNIA VULTUS] dū circumspicit omnia.

AD FRATREM] Absyrtum. Cic. 3. de nat. deor. Quid huius (Medeæ) Absyrto fratri, qui est apud Pacuuium AEgialeus? Sed illud nomen veterum litteris vsitatius. Plerique volunt fuisse germanum fratrem, Sophocles in Scythis vterinum tantùm, &c. Delrius in Medeæ Com. pag. 79. num. 963.

CASU] non dedita opera, sed forte fratrem vidit.

VICIMUS, INQUIT] vincemus, enallage temporis. Et tractum est à re militari. Imperatores ita concludunt concionem ad milites, certissimam iis victoriam spondentes. Si hoc, & hoc feceritis, vicimus milites. Annibal in concione ad suos, postquam superatis Alpibus in Italiam descendit, apud Liuium, lib. 21. initio belli 2. Punici. Si hoc bene fixum omnibus, destinatumque in animo est, iterum dicam, vicistis.

MORTE SUA CAUSSA SALUTIS] eo modo qui deinceps sequitur. Nam dum colligit disiectos filij artus pater, Medea interim naui longius, quam vt eam postea consequi posset, abscessit. Atque ita impendentem sibi à patre perniciem effugit.

NEC QUIDQ. TALE TIMENTIS] quid à sorore frater, & innocens, & puer timeret?

PERFORAT ENSE LATUS] Virgil. 9. *transadigit costas.* Et 12. *latus haurit apertum.* Non igitur viuum, sed morientem discerpsit.

ATQUE ITA DIVELLIT] suis ne manibus? Etiam. Fuit enim venefica, qualium mulierum magnum robur cum volunt, adiuuante scilicet cacodæmone, cuius illæ ad nocendùm humano generi aptissima sunt instrumenta. Deplorat hanc immanitatem suam in epist. ad Iasonem.

> *At non te fugiens sine me, germane, reliqui:*
> *Deficit hoc vno littera nostra loco*
> *Quod facere ausa mea est, nō audet scribere dextra.*
> *Sic ego. Sed tecum dilaceranda fui.*

Meminit quoque apud Senecam

> *——inclytum regni decus*
> *Raptum, & nefanda virginis parum comes*
> *Diuisum ense, funus incertum patri,*
> *Sparsumq; ponto corpus.*

Totam rem poëta vetus apud Cic. de nat. deor. his carminibus descripsit.

> *Post quam pater appropinquat, iamq; pene vt comprehendatur,*
> *Puerum interea detruncat, membraq; articulatim diuidit,*
> *Perq; agros passim dispergit corpus: idq; ea gratia,*
> *Vt dum nati dissipatos artus captaret parens,*
> *Ipsa interim effugeret: illum vt mæror tardaret sequi,*
> *Sibi vt salutem familiari pareret parricidio.*

NEU PATER IGNORET, &c.] vt sciat pater, & agnoscat filium dilaniatum, frusta quædam in scopulo, quæ è nauigio videret, illi proponit, reliqua per terram dissipat, vt exscendere, eaque conquirere compellatur. Apollodorus tamen κατὰ βυθοῦ [illegible] per profundum dispergit.

SANGUINEUMQUE CAPUT] vt floreum pro florido, ita hîc sanguineum pro eo quod stillat sanguine, seu perfusum est sanguine. Poëtarum idiotismus.

LUCTUQUE NOVO] Luctus propter filiam cūm fratre abrepto fugientem veterascebat. At videre filij dilacerati membra, hoc faciebat aliū, & nouum luctum.

INDE TOMUS DICTUS LOCUS, &c.] Hoc vltimum distichum est instar totius argumenti huius elegiæ. A Ptolemæo τόμος numero multitudinis, à dissectione, seu dilaceratione. Non desunt, qui à Tomyri regina Massagetarū, quæ Cyro interfecto id oppidum exædificarit, ita nominatum scripserint. Addit hæc Apollodorus. Multos deinde Colchorum ad Argo nauim perquirendam misit (AEetes) & nisi Medeam captam ad se retrahant, id illos supplicij, quod Medea subitura esset, daturos comminatur. Tum ij alius aliò dispersi, in perquirendis Argonautis occupātur, Eridanum amnem prætereuntibus. At Iupiter ob Absyrti cædem iratus, ingenti immissa tempestate, Argonautis errores iniicit, &c.



ELEGIA DECIMA.

EXILII SVI DIRITAS.

ARGVMENTVM.

HAbitare se sub Arcto, cinctum Sauromatis, Bessis, Getis, in medio barbarorum, cis Istrum, quo flumine per æstatem prohibeatur hostis. Iis locis per hybernos menses sæuire Aquilonem vehementissimè, niues niuibus cumulari, nec liquari. Indigenas pellibus hirsutis contectos ingredi. Vina, & præterfluentes gelu consistere, peditibus, equitibus, & curribus peruios. Pontum Euxinum glacie duratum vidisse, & ambulasse. Per Istrum frigore concretum hostes solere irruptionem facere, populationibus, cædibus, incendiis omnia miscere, multos captiuos abducere. In pace quoque incursionum metu agriculturam deseri. Non illic vineas, non arbores frugiferas extare. Omnino regionem infælicem esse. Inscriptio vulgata huius elegiæ hæc est. *QVIBVS CVM GENTIBVS VIVAT.* Atqui hoc vnico disticho exequitur. Illud potius propositum fuit poëtæ, per ὑποτύπωσιν ostendere, quam algida, horrida, infesta, inculta regione cogatur viuere, ad miserationem lectoribus commouendam.

Siquis adhuc istic meminit Nasonis adempti,
Et superest sine me nomen in vrbe meum:
Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor,
Me sciat in media viuere barbaria:
Sauromatæ cingunt fera gens, Bessiqúe, Getæqúe,
Quàm non ingenio nomina digna meo?
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro:
Ille suis liquidus bella repellit aquis:
At cum tristis hyems squalentia protulit ora,
Terraqúe marmoreo est candida facta gelu,
Tum patet & Boreas, & nix iactata sub Arcto:
Tum patet has gentes axe tremente premi.
Nix iacet: & iactam nec Sol, pluuiæq́ resoluunt:
Indurat Boreas, perpetuamq́ facit:
Ergo, vbi delicuit nondum prior, altera venit:
Et solet in multis bima iacere locis.

Tantaq; commoti vis est Aquilonis, vt altas
Æquet humo turres, tectaq; rapta ferat.
Pellibus, & sutis arcent mala frigora braccis,
Oraq; de toto corpore sola patent.
Sæpe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu.
Nudaq; consistunt formam seruantia testæ
Vina: nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar? vt cuncti concrescant frigore riui?
Deq; lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis:
Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur: & vndas
Frigore concretas vngula pulsat equi.
Perque nouos pontes, subter labentibus vndis,
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.
Vix equidem credar: sed cùm sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est: durum calcauimus æquor:
Vndaque non vdo sub pede summa fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.
Tum neq; se pandi possunt delphines in auras
Tollere conantes dura coërcet hiems.
Et quanquam Boreas iactatis insonet alis.
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.
Inclusæq; gelu stabunt vt marmore puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces hærere ligatos,
Sed pars ex illis tunc quoq; viua fuit:
Siue igitur nimij Boreæ vis sæua marinas,
Siue redundatas flumine cogit aquas:
Protinus æquato siccis Aquilonibus Istro
Inuehitur celeri barbarus hostis equo.
Hostis equo pollens, longéque volante sagitta,
Vicinam latè depopulatur humum.

Diffugiunt alij: nullisque tuentibus agros,
Incustodita diripiuntur opes.
Ruris opes parua, pecus, & stridentia plaustra:
Et quas diuitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura, laremque suum.
Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quæ nequeunt secum ferre, aut abducere, perdunt:
Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tum quoque, cùm pax est, trepidant formidine belli:
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem.
Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hîc pampinea dulcis latet vua sub vmbra.
Nec cumulant altos feruida musta lacus.
Poma negat regio: nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominæ verba legenda suæ.
Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos:
Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo tam latè pateat cum maximus orbis:
Hæc est in pœnas terra reperta meas.

COMMENTARIVS.



I QVIS. A. ISTIC MEM. NAS.] A Dubitat meritò, num adhuc sui memores Romæ habeat, Nam iuxta prouerbium germanicum, procul ab oculis, procul à corde. Et idcirco absentes ab absentib⁹ sæpenumero in litteris sui memoriam petunt.

ADEMPTI] Verbum hoc, vt alibi planum faciemus, frequenter in significatione mortui vsurpat. Vult enim se quodammodo viuorum numero iam exemptum haberi.

ET SVPEREST NOM. IN VRBE. M.] non, si adhuc cum honore nominor Romæ: nomen quippe sæpius valet gloriam, & quod dicimus, bonum nomen. Sed, si quoquo modo adhuc nominor: si fit mentio mei, & est aliquis qui de me loquatur, & scire cupiat, vbi terrarum sim, &c.

STELLIS NVNQ. TANG. ÆQVOR] Vrsa maior, astrū constans septem stellis, nunq̄ occidit, vt alibi iam dictū. De hoc exilij sui situ eleg. 4.

Ergo erat in fatis Scythiam quoq; visere nostris,
Quæq; Lycaonio terra sub axe iacet?

Et eleg. 4.

Proxima sideribus custos Erymanthidos vrsæ
Me tenet, astrictа terra perusta gelu.

SAVROMATÆ, BESSIQVE, GETÆQVÆ] Consule Thesaurum Geographicum Ortelij.

QVÆ NON ING. NOM. DIGNA. M.] Propter feritatem suam, summamque barbariem indignas indico gentes hasce scriptis meis, & quas vel nominem. Eleg. 8. lib. 5. *Sunt homines bestiæ. vix sunt hoc nomine digni.*

DVM TAMEN AVRA TEPET]. AEstatis tempore, cum cælum est mitius. Signatè inquit *tepet*. Non enim ibi feruida æstas, non caletur, vt Plautus ait in Capt.

MEDIO DEFEND. ISTRO] Intercedens Danubius, eorum à nobis furorem arcet, cum careant nauigiis, quibus traiiciant. Cum multas admodum regiones irriget, ad Illyricum vsque Danubius, deinceps Ister nuncupatur. Plin. lib. 4. cap. 12. Ideo non mirum à Græcis vocari Istrū, à Romanis Danubium, quoniam illi eius ostiis, hi fontibus viciniores sunt.

CVM

CVM TRIST. HYEMS SQVAL. P. ORA] προσωποποιΐα. Corpus affingit rei non corporeæ. Hyems enim non nisi frigus, seu aëris qualitas est, & affectio. Simili fictione quatuor anni tempora 2. Metamorph. soli astantia induxit, vbi speciatim de hyeme, *Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.* Et quoniam hyeme omnia squalent, calore destituta videlicet, scitè faciem ei squalidam affingit.

MARMOREO CAND. FACTA GELV] Gelu vocat marmoreum, quod rebus mollibus marmoream quandam duritiem inducat. Albescit autem terra, cum frigore constringitur.

DVM PATET ET BOREAS] dum libere spirat per apertos campos.

ET NIX IACTATA SVB ARCTO] dum cernuntur niues per Arctoam plagam.

TVM PATET HAS GENTES, &c.] tum manifestum fit, hos populos ventis furentibus cælo propemodum trementi subesse.

NON SOL, PLVVIÆQVE RESOLVVNT] Quia rarò per id tempus cernitur sol: & pluuiæ, vt alibi, non cadunt Virgil. 3. Georg.

Sed iacet aggeribus niueis deformis. & alto
Terra gelu latè, septemq; assurgit in vlnas.

PERPETVAMQVE FACIT] 4. de Ponto eleg. 4. *Fert vbi perpetuas obruta terra niues.*

VT ALTAS ÆQVET HVMO TVRRES] De impetu venti huius 3. Georg.

Qualis hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiæq; hyemes, atq; arida differt
Nubila: tum segetes altæ, campiq; natantes. &c.

Rabiem ventorum descripsit eleganter Lucret. lib. 1. *Principio venti vis verberat incita pontum. &c.* Virgil. quoque 1. AEneid. *Illi indignantes. &c.*

PELLIB. HIRSVT. A. M. FRIG. BRACCÆ] Id est, braccæ ex pellibus hirsutis, & villosis confectæ. Femoralia, inquit Isidor. appellata, quod femora tegunt, ipsæ & braccæ. quod sint breues. & verecunda corporis illa velentur. Legunt quidam. *Pellibus, & sutis arcent mala frigora braccis*, vt vox *pellibus* ad reliquum corpus pertineat, quod pellibus nondum laboratis, & adhuc lanosis contegant. Romanis fuisse fascias, quod aliis braccas, obseruat in Aug. Suetonij cap. 82. vir eruditus in Animaduersion. suis. Braccas enim Græcos, Romanosque auersatos, vt lib. 5. Trist. eleg. 11. non sine indignatione referat: Ponti accolas quosdam braccas gestare, cũ essent à Græcis oriundi.

Hos quoq; qui geniti Graia creduntur ab vrbe
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

Existimabant enim, inclementis cæli id esse argumentum. Hygin. poët. astron. lib. 1. Hinc intelligimus illic maximum frigus, & in æstiuo circulo calorem esse, quod quà terra habitatur, eos videmus qui proximè sunt arcticon finem, vel braccis, & eiusmodi vestitu vestiri.

ORA SOLA PATENT] Etiam caput contra frigus muniunt, eo genere vestis fortasse, quod Germanis est Nebelkappen.

A *SONANT MOTI GLACIE P. CAP*] Apparet eos promissis fuisse crinibus, vnde stiriæ penderent. Non itaque crines etiam totos velabant, humeris infusi nimirum. Quod de barbis Virgil. 3. Georg. transfert ad capillos. *Stiriaque impexis induruit horrida barbis.*

INDVCTO CAND. BARBA GELV] Barba non per se candida, seu cana, sed gelu caneus, seu candida facta (sicut supra de terra dixit) nitet, quasi argenteis ramentis aspersa.

NVDAQVE CONSISTVNT] fracto vase, seu dolio.

FORMAM SERVANTIA TESTÆ] κεραμικῆς. 4. de P. eleg. 7. *Ipse vides rigido stantia vina gelu.* Virgil. 3. Georg. de frigoribus Scythiæ, cum agit.
B *cæduntq; securibus humida vina.* Vide Scalig. (ψευδώνυμον alioqui Villiomaxum contra Titium) lib. 6. cap. 7. vbi ex Strabone hoc epigramma producitur, rei propositæ haud alienum.

εἴ τις ἄρ' ἀνθρώπων μὴ πείθεται οἷα παρ' ἡμῖν
γίνεται, εἰς τήνδ' ἐλθὼν γνώτω ἰδὼν ὑδρίαν.
ἣν οὐχ ὡς ἀνάθημα θεοῦ καλόν, ἀλλ' ἐπίδειγμα
χειμῶνος μεγάλου θῆχ' ἱερεὺς Στράτιος.
Qui nondum credit, nos vel frigore magno,
Conciliare fidem huic vrna gelata potest.
Quam non vult Stratius pulchrum esse anathema
Ast argumentum frigoris immodici. (sacerdos.

CVNCTI CONCRES. FRIG. RIVI] Virgil. 3. Georg. *Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.* Quomodo poëtæ concretionem aquarũ
C ex frigore variè extulerint, videat qui volet Lud. Cerdium in 4 Georg. pag. 499.

FRAGILES AQVÆ] tanquam terra è scrobe effodiuntur hîc aquæ, quæ frangi possunt quod contra illarum naturam est maximè. Sunt enim liquidæ, non solidæ: ac proinde non effodi, sed hauriri deberent.

PAPYRIFERO QVI NON ANGVST AMNE] Danubius, siue Ister æque latus vt Nilus, & sex ostiis sese in mare exonerans, vento astrictus, sub testa, seu glacie in mare labitur: nec enim ad fundum vsque in glaciem coit. Plin. lib. 4. cap. 12. ait, eum 60. amnes recipere. Papyrum genus fruticis, quod fert Nilus, considerat idem lib. 13. cap. 11.

D *QVAQVE RATES IERANT, PEDIB. &c.*] In Appendice Virgiliana amnis glacie concretus variè ludente copia describitur.

VNGVLA PVLSAT EQVI] 1. de Ponto eleg. 3. *Bistonij cineres vngula pulsat equi.* Virgil. lib. 8. *Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.* Ennius Annali 17. *It eques. & plausu caua concutit vngula terram.*

PERQVE NOVOS PONTES] Glacies densa, est illis pro ponte: & hoc est nouũ genus pontis, nec sublicium, nec lapideum, sed aqueum, multis gentibus nunquam visum, & ignotum prorsus: nec homines modò, sed insuper equos, & currus transeuntes sustinens. Spectat huc & Maroniani versus 3. Georg.

Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

DICVNT BARB. PLAVST. BOVES] 4. de P, eleg. 7.

Ipse vides onerata ferox vt ducat Iazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

VIX EQVIDEM CREDAR, &c.] προθεραπεία, seu præmunitio est, qua paratur animus lectorũ, ne pro falso explodat, quod mox narrabitur.

SED CVM SINT PRÆMIA FALSI NVLLA] Homines persæpe alicuius commodi spe mentiuntur. Quod cum sibi nullum sit propositum, probat inde, dictis suis habendam fidem. Cicer. pro Q. Roscio. Si quando me vis peierare, vt paululum tu compendij facias, paratum fore scito.

VIDIM. IPSO. GLACIE CONSIST. PONT.] Minus mirum, & facilius creditu, consistere flumina, & riuum. Sed vastum pelagus glaciari, hoc valde mirum, & creditu difficillimum. Sed oculi testes fidelissimi. 4. de Ponto eleg. 7. *Ipse vides rigida glacie concrescere pontum.*

LVBRICAQVE IMMOT. TESTA. P. AQVAS] Lubrica testa, seu crusta faciebat aquas immotas, alligabat eas. Germanicus Cæsar in rotundo epigrammate de puero in Hebro glacie astricto habente, & ea fracta in profundum cadente, ac pereunte.

Dumq; imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abscidit heu tenerum lubrica testa caput.

NEC VIDISSE SAT EST] Etsi oculatus testis vnus valet plus quam auriti decem, tamen si audieris, si videris, si tetigeris, tam incredulus nemo erit, qui quartum testem requirat.

VNDAQVE NON VDA. S. P. SVMMA. P.] summa vnda, tergum seu superficies aquarum fuit sub pede non vdo. Vt si dicat. Tetigi pedibus aquas, manserunt sicci, cùm naturale sit aquæ munus humectare.

SI TIBI TALE FRETVM LEAND, &c.] Quando natabas Abydo Sestum ex Asia in Europam, per angustum mare interiacens, ad Hero, turpes delicias tuas, propter quas etiam aliquando fluctibus vento incumbente contris miserabiliter summersus periisti. Alibi.

Sæpe petens Hero iuuenis tranauerat vndas.
Tunc quoque tranasset, sed via cæca fuit.

Martial. lib. Spectacul. epig. 25. Virgil. 3. Georg. vbi hominum, & animantium ardores in amando persequitur, vnum hunc exemplum pro omnibus ponit. *Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem, &c.* Fertur de his poëmatium Musæi, poëtæ antiquissimi.

PANDI DELPHINES] Pandus est incuruus. Ita Ouidio pandus asellus 1. Fast. rostrum pandum 14. Metamorph. Lances pandæ, carinæ pandæ Virg. 2. Georg.

IN AVRAS TOLLERE] Plin. lib. 9. cap. 8. Nam eum fame conciti, fugientem in vada ima persecuti piscem, diutius spiritum continuere, vt arcu emissi ad respirandum emicant, tantaque vi exiliunt, vt plerumque vela nauium transuolent. Et

A infrà. Hominem non expauescit vt alienum obuiam nauigiis venit, alludit, exultans, &c.

QVAMQVE BOREAS IACT. INS. ALIS] Alæ tribuuntur ventis ob celeritatem. De Noto quidem 1. Metam. *madidis Notus euolat alis.* Virgil. 2. Georg. *Ille volat, simul arua fuga, simul æquora verrens.* Et 12. Aeneid. *Ante volant, sonitumq; ferunt ad littora venti.* Quantumcunque Boreas flauerit, non tamen fluctus excitare poterit in gurgite indurato, atque ita veluti obsesso.

IN GVRGITE] μετωνυμικῶς pro mari. Virgil. 1. Aeneid. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* Catull. de nupt. *Nutricum tenus extantes è gurgite cano.*

STABVNT IN MARMORE] A læuore, & nitore, qualis est marmoris, poëtæ nonnunquam

B mare vocant marmor, aut marmora pelagi, ponti. Virgil. 7. Aen. *& in lento luctantur marmore tonsæ.*

PISCES HÆRERE LIGATOS] frustis glacialibus præpeditos, vt natare non possent. Aut ipsi glaciei impactos, & mortuos.

SIVE IGITVR NIMII BOREAE, &c.] siue mare, siue Ister concrescit, insanius flante Borea.

REDVNDATAS AQVAS] Verbum nouatum.

PROTINVS ÆQVATO ISTRO] mox vt Ister gelatus æquabiliter fuerit.

SICCIS AQVILONIBVS] creat siccitatem Aquilo, est enim serenificus. Contrà, Austrum appellat humidum Virgil. 1. Georg.

INVEHIT CEL. B. HOSTIS EQVO] Irrumpit in agrum Tomitanum, seu in loca Tomis fini-

C tima, eaque deprædatur.

HOSTIS EQVO P. L. VOL. SAGITT.] equitandi, & sagittãdi peritus. Ab equo iaculis pugnare sciens.

LATE DEPOPVLATVR] magnas prædas agit.

RVRIS OPES PARVAS] Sunt enim etiam magnæ opes, vt quibus arantur centena iugera, quique habent greges ouium, & armentorum maximos, cellas, apothecas, horrea, & plena omnia, &c. Ruris honores Horatio Ode 17. lib. 1. omnia, quæ ruri nascuntur.

——hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

ET QVAS DIVIT. INCOLA PAVP.] Videntur pugnantia. Si pauper, quas habeat diuitias?

D Sed vnicuiq; diuitiæ sunt, quibus est contentus. Sen. ep. 4. Cui cũ paupertate bene cõuenit, diues est. Et rursum ep. 16. Si ad naturam viues, nunquã eris pauper: si ad opinioné, nunq̃ diues. Iam tu lector cogita quales diuitiæ pauperis esse possint.

VINCTIS POST TERGA LACERTIS] Virg. 2. Aen. *Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctũ.* Pars capta vincitur, & in seruitutem abripitur.

RESPICIENS P. R. LAREMQVE] Desiderio recipiendi, eoq; redeundi sæpe retorquens oculos. Cic. 2. Catilin. de parricida illo, vrbe Roma iam egredi coacto. Iacet ille nũc prostratus Quirites, & se perculsum, atque abiectum esse sentit, & retorquet oculos profectò sæpe ad hanc vrbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget.

HAMATIS SAGITTIS] Hamatæ ſagittæ difficulter è vulneribus extrahuntur, & vulnera ipſa difficilè ſanantur.

NAM VOLVCRI. P. TINCTILE VIR.] quare cadant ſtatim, cauſſa eſt etiam venenum, quo liniuntur ſagittæ. Eleg. 8. lib. 5. *Teláque vipereo lurida felle gerunt.* 1. de Ponto eleg. 2.

Qui mortis ſæuæ geminent vt vulnere cauſſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

Et lib. 4. eleg. 10. *Hic agri infrondes, hîc ſpicula tincta venenis.* Virgil. lib. 9. *quo non felicior alter Vngere tela manu, ferrumq́ armare veneno.* Et lib. 12.

Armatam ſæui Parthus quam felle veneni,
Parthus, ſiue Cydon telum immedicabile torſit.

Ad quem locum in Symbolis oſtendi, quæ gentes ſagittas, ac tela venena ſolerent inficere.

QVAE NEQVEAT S. FERRE AVT AVF. PARN.] Plautinus Philto in Trinummo, reprehendens mores auaros, & rapaces ſui ſæculi.

——*quod manu non queunt tangere,*
Tantùm fas habent quo manus abſtineant.
Cætera, rape, trahe, fuge.

Sed hoc quiddam humanitatis habet, illæſum relinquere, quod auferre nô poſsis. Perdere vero idipſum, (quod militari licentia factum aliquoties audiuimus) prorſus inhumanum eſt, & pęna dignum ampliore, propter ſummam malitiam.

ET CREMAT INSONT. HOST. T. CASAS] Exemplum rei iam dictæ vnũ: incendere domos exinanitas ſpoliationibus, in quo ineſt etiam maxima impietas, & crudelitas, niſi factum hoſtilitas paria minantis, & facturi, ſi copia ſit, excuſet. Eſt tamẽ quatenus huiuſmodi hoſti in hoſtem licent. Caſa, inquit Iſidor. agreſte habitaculum, palis atq; virgultis, arundinibusq́; contextum, quibus poſſunt homines ſe tueri à vi frigoris, vel caloris iniuria. 1. Faſt. *Dum caſa Martigenam capiebat parua Quirinum.*

CVM PAX EST, TREPID. FORMID. BELLI] Hoc miſerrimum eſt, etiam in pace bellum formidare. Nunquã igitur animo trãquillo eſſe conceditur.

PRESSO VOMERE SVLCAT HVMVM] Metamorph. 12. *Fortè boues preſſo ſubigebant vomere terram.* Virgil. 1. Georg.

Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

CESSAT INERS TERRA] non aratur, non ſeritur, non colitur. De hoc verbo plura in ſuperioribus, in eleg. 7.

NON HIC PAMPINEA, &c.] non inſtituuntur vineta. Eleg. 12. *Nam procul à Getico littore vitis abeſt.* 1. de P. eleg. 4. *Non ager hîc pomum, nô dulces educat vuas.* Eleg. 8. *Non habeat regio nec pomũ ſata, nec vuã.*

DVLCES VVA] Partes vuæ, ſeu botri ſunt ſcapus, pediculus, acinus ſiue granum. Racemus idem quod vua. Acini partes folliculus, ſuccus, caro (in duracinis Plinio callus) nucleus. Folliculum idem modo appellat corium, modo corticem, interdum cutem. Succum quidam è veteribus ſanguinem terræ, multi ſanguinem vuæ. Sic

A Geneſ. cap. 49. Nucleos Columella, & Palladius vocant etiam vinacia: quæ ſunt potius folliculi. Hæc breuiſsimè ex Animad. Cauſaboni in Suet. pag. 152. vt propriè deinceps loquamur, quod in rebus innumeris adhuc neſcimus.

ALTOS LACVS] Lacus eſt vas excipiendo vino de torculari defluenti. Tibull. eleg. 1. lib. 1. *& pleno pinguia muſta lacu.*

POMA NEGAT REGIO] Virgil. 3. Aen. *victum seges ægra negabat.* Nuces dicuntur omnia, quę foris corio duriore teguntur, & intus habent quod eſt eſui, vt auellanæ, iuglandes, caſtaneæ, amygdala. Poma ſunt, quæ foris habent quod alendo eſt, & durum intus includunt, vt tradunt Macrobius, & Seruius. Frequenter tamen nomen generale eſt,
B quo continetur omnis fructus arborũ, eſui aptus ſiue molli corio tegatur, ſiue duro. Qua ratione nuces, ficos, & vuas eſcarias poma eſſe Iureconſulti ſcribunt: & Plin. lib. 15. poma vocat nuces iuglãdes, Palladius caſtaneas. Ita etiam pomarium pro omni horto, in quo fructus arborũ quilibet naſcuntur, & Pomona dea omnium hortorum, 14. Metam. Vide Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 19.

NEC HABERET ACONT. IN QVO, &c.] Inter heroidum epiſtolas Acontij ad Cidippen. Eius argumenti partem adſcribam, quo diſtichon hoc clarum fiat. Profectus ad ſacra Dianæ Acontius, quæ in Delo inſula frequenti virginum extra celebrabantur, viſam Cidippen puellam nobilem ex forma adamauit, & vxorem ſibi concupiuit.
C Cum autem ob generis inæqualitatem ſollicitare eam ad coniugium non auderet, in pomo pulcherrimo inſcripſit hoſce duos verſus.

Iuro tibi ſanè per myſtica ſacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, ſponſamq́ futuram.

atq; illud ad pedes virginis proiecit. Quę fraudis inſcia, cum imprudens legeret, viſa eſt ſe vxorem Acontio paciſci. Nam quæ ante deos in templo Delio Dianę dicerentur, rata eſſe debere lex erat. Sed pater rei ignarus, eam alteri deſpondit, &c.

DOMINAE SVAE] loquendi figura poëtica: non quę eſſet, ſed futura, vt putabat, Virg. 4. Aen. *Quos ego ſum toties iam dedignata maritos:* qui cuperent eſſe mariti: vocauit enim paulò ante procos. Horat. epiſt. 2. lib. 1. *Sponſi Penelopes:* quorum vnuſ-
D quiſque ſponſum ſe fieri optabat.

SINE FRONDE, SINE ARB. CAMP.] ſine frondiferis arboribus. Virg. 1. Aen. *molemq́ & montes inſuper altos impoſuit.* Id eſt, molem altorũ montium. Virgulta enim vtiq; non deerant ad paſcendum pecus. Eleg. 12. *Nam procul à Geticis finibus arbor abeſt.*

HAEC EST IN PONT. T. REPERT. MEAE] Cum indignatione. In toto orbe nô potuit alius inueniri locus ad me cruciandum, præter hunc. Arguit latenter crudelitatis Auguſtum, qui tam atrociter ipſum punierit, trudendo in terras inhoſpitas, & infrugiferas, & omnium incommodorum pleniſsimas. Elegia ſequenti.

Pendimus en profugi (ſatia tua pectora) pœnas
Exilioq́ graues, exilijq́ loco.

ELEGIA

ELEGIA VNDECIMA.

MALEDICI INHVMANITAS.

ARGVMENTVM.

ELEGIA copiosa, & irarum plena. Miratur hunc vnum repertum, qui de se detrahere non reformidet, nihil penitus miseratus ęrumnas suas tam graues, in quibus iaceat, quasque percenset, ob quas eum vel nocentem misericordia prosequi debuisset, si micam humanitatis haberet reliquam. Indoliturum fortunæ suæ vel carnificem. Ipsum immitiorem videri Busiride, & Phalaride. Quo loco historiam de tauro æneo à Perillo fabro ærario, ad reos inclusos igne subdito torquendos subiungit. Ad extremum monet hominem, vti humanæ sortis memor sit, ne quid etiam sibi gemitibus, & lacrymis dignum eueniat.

Si quis es, insultes qui casibus improbe nostris,
Méque reum demto fine cruentus agas:
Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino:
Et dicam silices pectus habere tuum.
Quis gradus vlterior, tua quò se porrigat ira,
Restat? quidue meis cernis abesse malis?
Barbara me tellus, & inhospita littora Ponti,
Cumq; suo Borea Mænalis vrsa videt.
Nulla mihi cum gente fera commercia linguæ:
Omnia sollicitè sunt loca plena metus.
Vtq; fugax auidis ceruus deprensus ab vrsis,
Cinctáque montanis vt pauet agna lupis:
Sic ego belligeris à gentibus vndique septus,
Terreor, hoste meum pæne premente latus.
Vtque sit exiguum pœna, quòd coniuge cara,
Quòd patria careo, pignoribusque meis:
Vt mala nulla feram, nisi nudam Cæsaris iram:
Nuda parum nobis Cæsaris ira mali est?

Et tamen eſt aliquis, qui vulnera cruda retractet,
Soluat & in mores ora diſerta meos.
IN CAVSSA FACILI CVIVIS LICET ESSE DISERTO:
ET MINIMAE VIRES FRANGERE QVASSA VALENT.
Subruere eſt arces, & ſtantia mœnia, virtus:
Quamlibet ignaui præcipitata premunt.
Non ſum, qui fueram: quid inanem proteris vmbram?
Quid cinerem ſaxis, buſtáque noſtra petis?
Hector erat tunc, cum bello certabat: & idem
Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo.
Me quoque, quem noras olim, non eſſe memento:
Ex illo ſuperant hæc ſimulacra viro.
Quid ſimulacra ferox dictis inceſſis amaris?
Parce precor manes ſollicitare meos.
Omnia vera puta mea crimina: nil ſit in illis,
Quod magis errorem, quàm ſcelus eſſe putes.
Pendimus en profugi (ſatia tua pectora) pœnas
Exilióque graues, exiliíque loco.
Carnifici mea flenda poteſt fortuna videri,
Te tamen eſt vno iudice merſa parum.
Sæuior es triſti Buſiride, ſæuior illo,
Qui falſum lento torruit igne bouem:
Quique bouem Siculo fertur donaſſe tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.
Munere in hoc rex eſt vſus, ſed imagine maior:
Nec ſola eſt operis forma probanda mei.
Aſpicis à dextra latus hoc adapertile tauri,
Hâc tibi, quem perdes, coniiciendus erit.
Protinus incluſum lentis carbonibus vre:
Mugiet, & veri vox erit illa bouis.
Pro quibus inuentis, vt munus munere penſes,
Da precor ingenio præmia digna meo.
Dixerat: at Phalaris, pœnæ mirande repertor,
Ipſe tuum præſens imbue, dixit, opus.
Nec mora: monſtratis crudeliter ignibus vſtus
Exhibuit geminos ore gemente ſonos.
Quid mihi cum Siculis? inter Scythiasq́ Getasq́
Ad te (quiſquis is es) noſtra querela redit.
Vtq́ ſitim noſtro poſſis explere cruore,
Quantáque vis, auido gaudia corde feras:

Tot mala sum fugiens tellure, tot æquore passus,
Te quoque vt auditis posse dolere putem.
Crede mihi, si sit nobis collatus Vlysses,
Neptunique minor quàm Iouis ira fuit.
Ergo quicunque es, rescindere crimina noli:
Déque graui duras vulnere tolle manus.
Vtq́ meæ famam tenuent obliuia culpæ:
Facta cicatricem ducere nostra sine:
Humanaq́ue memor sortis, quæ tollit eosdem,
Et premit: incertas ipse verere vices.
Et quoniam, fieri quod nunquam posse putaui,
Est tibi de rebus maxima cura meis:
Non est quòd timeas: fortuna miserrima nostra est:
Omne trahit secum Cæsaris ira malum.
Quod magis vt liqueat: néue hoc ego fingere credar:
Ipse velim pœnas experiare meas.

COMMENTARIVS.



INSVLT. QVI CASIB. IMPROB. NOSTRIS] Vulgare est, insultare alicui. At Cicero pro Flacco dixit, insultare in miserias alicuius. Et pro Milone. Clodius, qui tot annos in rempub. insultauit.

DEMPTO FINE REVM AGAS] sine fine, perpetuò criminum insimules, accuses, per ora traducas.

NATVS ES E SCOPVL, &c.] Eleg. 7. lib. 1. *Non ego te genitum placida reor vrbe Quirini, &c.* E saxis, è mari, è chalybe, è belluis natos, & à belluis lactatos dicunt poëtæ homines immites, inhumanos, crudeles. Adi Symb. nostras in 4. Aeneid. ibi.

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

QVO SE TVA PORRIGAT IRA?] nihil tibi ad iram reliquum fecisti. ὥστ᾽ εἰς τὴν τῆς ὀργῆς ὑπερβολὴν ἥκοντος. Non est quo irascendo vltra prodeas.

QVIDVE MEIS CERN. AB. MALIS?] Quid ad malorum meorum vel multitudinem, vel magnitudinem accedere potest? diceret orator.

BARBARA ME TELLVS, &c.] Ne putetur rem nimium exaggerasse, & supra verum extulisse, singillatim mala sua profert: & est inductio, qua se calamitosissimum demonstrat. Eleg. 10. *Me sciat in media viuere barbaria.*

INHOSPITA LITTORA PONTI] quæ accolunt homines feri, inhospitales, & hospitibus infesti, & atroces.

A

CVMQVE TRVCI BOREA MAEN. VRSA] Habito ad Aquilonem, sub vrsa. Mænalidem vocat à Mænalo monte Arcadiæ. In Arcadia autem nata Callisto.

NVLLA MIHI, &c. COMMERCIA LINGVÆ] Didicit tandem Geticè, Sarmaticeq́ue loqui, vt ipse in Ponticis narrat. Et scripsit etiam Getico sermone libellum.

SOLLICITI SVNT LOCA PLENA METVS] Nam & in pace bellum timetur, & irruptiones hostium sunt frequentes. Vid. superiorem elegiam.

FVGAX AVID. CERVVS. D. AB. VRSIS] B Ceruus animal timidum, & ideo fugax: vrsus animal ferum, & carniuorum.

CINCTAQVE MONT. AGNA LVPIS] Agna imbellis, lupus audax, & vorax, ouibus natura infestus. Se igitur gentibus illis ceruum, eas sibi vrsos, se agnum, illas sibi lupos esse dicit: tanta est morum differentia.

HOSTE MEVM PAENE PREM. LATVS] Propè supra caput est mihi semper hostis. Cic. 1. Catilin. non iam inter latera nostra sica illa versabitur.

VTQVE SIT EXIGVVM POENAE, &c.] Ex hypothesi. Fac leuem esse pœnam, carere coniuge, patria, charis omnibus, nec aliud patiundum præter iram Cæsaris.

PRONORIBVSQVE MEIS] Propriè liberos sic appellant poëtæ. Dubito an filiam numero plurali hoc loco intelligat. Alioqui nec Ciceroni quidem insolitum est liberos dicere pro vno: & Gellius vnum quoque significari eo verbo notauit. Quid si nepotes velit accipi? Certè eleg. vlt. lib. 4. scripsit,

Filia me mea bis prima florente iuuenta,
Sed non ex vno coniuge fecit auum.

NVDA P. NOB. CAES. TRA. M. EST?] Magnum malum est, cum sit numen, Deus, Iupiter, quibus vocabulis eum crebrò honorat. Iouis ergo ira ecquid parum mali est? Regum ira quoq; terribilis, siquidem eorum longæ manus, latè enim imperant. Herodor. lib. 8. *καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ὁ βασιλῆος ἐστι, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης*, etenim potentia regis plusquam humana est, & manus longissima. Eleg. 8. lib. 5.

Iam miser, hac breuis est nostrarũ summa laborum,
Quisquis & offenso Cæsare viuet, erit.

QVI VVLNERA CAVDA RETRACTET] vulnus, quod nondum coiuit, renouat. Acerbitates animi, quas minuere tempus nondum potuit, mihi acerbiores facit, dum in mores meos, & vitam declamat, & notas improbitatis mihi conatur inurere.

IN CAVSSA FACILI, &c.] in miserum, & absentem quilibet disertus esse potest. Hęc est caussa facilis.

ET MINIMAE VIR. F. QVASSA VA[...]] Vide adagia, mortuo leoni barbam vellere. Et, mortuo leoni & lepores insultant.

SVBRVERE EST ARCES, &c.] Arces editioribus locis constituuntur. Editiora difficilius & oppugnantur, & euertuntur. Stantia mœnia sunt opere, & natura munitę vrbes, quas subigere virtutis est opus.

QVID INANEM PROTERIS VMBRAM?] conculcas. Quid pugnas cum vmbra? *σκιαμαχεῖν* Græci, pro inaniter laborare.

CINER. SAXIS, BVSTAQVE NOST. PETIS] Contra me declamitare, mihique misero, & exuli, & rebus omnibus exuto maledicere, est velut defuncti sepulchrum, aut ossa lapidibus appetere, quæ se vindicare non possunt, & appetentis se stultitiam, impietatemque produnt.

TRACTVS AB AEMON. N. C. HECT. EQVO] De tractu isto c Virg. 1. Aen. *Ter circũ Iliacos raptauerat Hectora muros.* In epitaphio Hectoris Peutadius.

Hunc ferus Æacides circum sua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante suis.

Legatur Homerus Iliad. 22. vbi perfossis pedibus ad Achillis currum alligatum, Priamo, & Hecuba de muro spectantibus trahitur cadauer. De eodem Cicero 1. Tuscul. sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles, lacerari eum, credo, & sentire putat. Ergo hic vlciscitur, vt quidem sibi videtur, &c.

ÆMONIO EQVO] Thessalo: Thessalia quippe dicta est Aemonia, & Achilles Thessalus.

A EX ILLO SVP. H. SIMVLACRA VIRO] *Superare πολύσημον* est, & valet etiam superesse. Cicer. de finib. de eo quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. De Orat. In diuisione generum & superare, & deesse aliquam partem, mendosum est. Mirè autem, non se amplius hominem, sed simulacrum hominis, vt macie suprema confectum, seu *εἴδωλον*, & spectrum potius nominat.

MANES SOLLICITARE MEOS] Vide adagia, cum laruis luctari, & iugulare mortuos. Manum antiqui dicebant bonum, & animas defunctorum vocabant manes, quia bonæ, & sanctæ, & vt addit Nonius, prosperos, quod melior mors sapientioribus, quam vita probetur. Tetigit notionem primam Virgil. lib. 12. *Vos ô mihi manes Este*
B *boni,* Animas melioris meriti post mortem ita vocari confirmat Apuleius de dæmonio Socratis. Quanquam Seruius per *ἀντίφρασιν* manes appellari censet. Immanes quidem sunt minimè boni. Pro ipsis cineribus suis posuit Propertius lib. 2, eleg. 13. *Accipiat manes paruula testa meos.*

OMNIA VERA PVTA MEA CRIM. &C.] *ὑποθετικῶς* iterum. Esto, quæ mihi obiectas, sint vera, & excusari nequeant. An non satis pœnarum luimus, primùm ipso exilio, deinde tali exilio?

PENDIMVS EN PROPRII POEN.] A pecunia, quæ olim appendebatur. Virg. lib. 6. *tum pendere pœnas Cecropidæ iussi.*

SATIA TVA PECTORA] quandoquidem supplicia mea sitis, & esuris. En habes multatum
C sæuissimè. Tomyris regina Scytharum, amputatum Cyri caput in vtrem, humano sanguine repletum coniici iubet, cum hac exprobratione crudelitatis: satia te sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti. Iustinus lib. 1.

CARNIF. FLENDA VID.] Carnificem nominat pro immanissimo. Sunt enim carnifices, aut videntur saltem, immanes, quia suppliciis immanibus vitam sontibus eripiunt.

TE VNO IVDICE] Valde rem auget, cum eo neminem mortalium sibi infestiorem videri cupit.

MERSA PARVM] toto Oceano se obrutum dixit lib. 2.

SAEVIOR ES TRISTI BVSIRIDE] Busiris
D Neptuni filius, rex Aegypti, cum Ioui hospites immolaret, pari exemplo mactatus est ab Hercule, ipsum quoque ausus aris hostiam admouere. Ad eloquentiæ, & ingenij ostentationem hunc tyrannum laudauit Isocrates. Virgil. 3. Georg. *quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras?*

QVI FALSVM LENT. TORR. IGNE B.] Eleg. 6. lib. 3. de Ponto. *Aut solito clausos vrere in ære viros.* Phalaris Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, cui bouem hunc æneum Perillus faber donauit, vt in eo viuos torqueret: qui cum ex dolore eiularent, quasi mugitum edituri, & ita bos æneus veri bouis vocem imitaturus esset. Parœmia est, Phalaridis imperium, de iis, qui potesta-

tem

tem crudeliter exercent. Item φαλαρισμὸς pro immani crudelitate. Cicer. ad Att. lib. 7. Nam istum quidem, cuius phalarismum times, omnia teterrime facturum puto.

SICVLO FERTVR DON. TYRANNO] Digressio. Huc respexit Iuuenal. *Inuidia Siculi non inuenere tyranni Tormentum maius.* Iustinus lib. 4. Tyrannorum, quam Sicilia, nulla terra feracior.

ET DICTIS ARTES CONCILIASSE S.] Et verbis ornasse munus, atque artificium suum, illudque fecisse acceptius.

MVNERE IN HOC VSVS, &c.] Verba Perilli ad Phalaridem, quibus munus suum prædicat, eius vsus docet, præmium poscit.

SED IMAGINE MAIOR] maior est vsus muneris huius, quam apparet: nec in eo spectãdum est solum artificium.

INGENIO PRAEMIA DIGNA MEO] & consecutus est quod petebat. Nam primus omnium in eo tauro mugiit.

POENAE MIRANDE REPERTOR] tu, qui admirabile hoc genus tormenti excogitasti.

TVVM PRAESENS IMBVE OPVS] Primus, & statim experire. Nolo hinc discedas impunitus. Displicuit tyranno immanitas fabri huius. Imbue metaphoricum est, à liquoribus. Horat. ad Pison. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Incidit igitur iuxta diuinum oraculum in foueam quam fecit. 1. de Arte. *nec enim lex iustior vlla est, Quam necis artifices arte perire sua.* Inducit mentionem historiæ huius 1. de Arte, ad confirmandam omnino similem de quodam, cuius cruentum consilium Busiris tyrannus pari mercede pensauit. Versus adnumero.

Dicitur Ægyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annos sicca fuisse nouem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Illi Busiris: fies Iouis hostia primus
Inquit. & Ægypto tu dabis hospes aquam,
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Iustus vterque fuit, neque enim lex iustior vlla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

NEC MORA, MONSTRATIS, &c.] præsens imbue, statim, iam iam.

EXHIBVIT GEM. ORE GEM. SONOS] qui & bubuli, & humani viderentur. Propert. lib. 2. eleg. 25.

Nonne fuit satius duro seruire tyranno,
Et gemere in tauro saeue Perille tuo?

Plin. lib. 34. cap. 8. Perillum nemo laudat, sæuiorem Phalaride tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eum expertus est cruciatum. Sic consilium malum consultori pessimum fuit. ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη, vt ait Hesiod. Et Lucret. lib. 5.

Circumretit enim vis, atque iniuria quemque,
Atque vnde exorta est, ad eum plerumque reuertur.

Multis exemplis hunc locum illustrare liceret,
A nisi ratio Commentariorum vetaret. Insigne est apud Socratem Histor. Ecclesiast. lib. 6. cap. 5. de Eutropio Eunucho, quem pro concione increpuit S. Chrysostomus. Hunc taurum postea Phalaris Delphos misit, vt prodidit Lucianus, munus Apollini, monumentumque; simul & artis exquisitissimę, & inuenti crudelissimi, & pœnę meritò in auctorem retortæ. Non tacendum, quod Persius sat. 3. docet, conscientia desertæ virtutis, & commissorum scelerum, eiusmodi tormentum, & flagellum esse, quantum nec taurus iste Phalaridis. *An ne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci?* Delphi tamen donum hoc, vt tyranno missum, repudiarunt.

QVID MIHI CVM SICVLIS, &c.] Sed quid
B ego tam longè abeo ab instituto, & Siculorum induco mentionem, cum inter Scythas, & Getas degam?

QVISQVIS IS ES] Verisimile est, nouisse quis fuerit. Sed verbum hoc contemptus est sæpe.

VTQVE SITIM NOSTRO. P. EXPL. &c.] Vt quasi noster sanguis canem venaticum, aut vrsum, aut lupum expleat, & ad satietatem gaudeas, dicam amplius de calamitatibus meis. Libentissimè enim audis, quod scio. Cruentum vocauit initiò, quia visus est eius necem optare.

TOT MALA TELLVRE, TOT AEQVORE] terra marique. Eleg. 2. *Plurima sed pelago terraque pericula passum.* *Multum ille & terris iactatus & alto:* de
C Aenea Virgil. lib. 1.

TE QVOQVE VT AVDIT] quamuis inimicum. Virgil. 2. Aeneid. *Quis talia fando, &c.*

SI SIT NOBIS COLLATVS VLYSSES] Cum eo se confert lib. 1. eleg. 4. *Ille breui spatio multis errauit in annis, &c.*

NEPTVNI MIN. EST, QVAM IOVIS IRA] In ead. eleg. *Illum Neptuni, me Iouis ira premit.*

RESCINDERE CRIM. NOLI.] retractare, refricare. Sed respexit ad fascias, & linteola, quibus obligantur vulnera.

VTQVE MEAS FAM. TEN. &c.] vt obliuio memoriam culpæ meæ imminuat.

FACTA CICATRICEM. D. M. SINE] Si tu tacendo vulnus meum quasi cicatricem fines
D ducere, obliuio tenuabit famam culpæ meæ. Paulatim immemores erant Romani peccati mei.

QVAE TOLLIT EOSD. ET PREMIT] Hesiod. principio ἔργ. καὶ ἡμερ.

ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
ῥεῖα δ᾽ ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Nam facile extollit, facile elatumque refrenat,
Et clarum obscurans, obscuri nomen adauget.

Par huic γνώμη est apud Sophoclem in limine Aiacis μαστιγοφόρου. Ioseph. Scalig. Lorarium inscripsit. [illegible], &c. lege perelegans cap. 15. li. 16. variarum. Mureti, de misera rerum humanarum conditione, ex Seneca tragico, aliisque probatis auctoribus.

Otia nunc istic, iunctisq́ ex ordine ludis,
Cedunt verbosi garrula verba fori.
Lusus equis nunc est: leuibus nunc luditur armis:
Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus,
Nunc vbi perfusa est oleo labente iuuentus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.
Scena viget: studiisq́ue fauor distantibus ardet:
Cumq́ tribus resonant terna theatra foris.
O, quantum, & quoties, non est numerare, beatum,
Non interdicta cui licet vrbe frui,
At mihi sentitur nix verno sole soluta,
Quaq́ lacu duro non fodiantur aqua,
Nec mare concrescit glacie: nec, vt antè, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.
Si tamen incipient aliqua huc adnare carina,
Hospitáque in Ponti littore puppis erit:
Sedulus occurram nauta, dictáque salute,
Quid veniat quaram, quisúe, quibusúe locis.
Ille quidem (mirum) nisi de regione propinqua,
Non nisi vicinas tutus araret aquas.
Rarus ab Italia tantum mare nauita transit:
Littora rarus in hac portubus orba venit.
Siue tamen Graca scierit, siue ille Latina
Voce loqui, certè gratior huius erit.
Fas quoque ab ore freti, longaq́ue Propontidos vndis
Huc aliquem certo vela dedisse Noto.
Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
Et fieri fama parsq́ue, gradusq́ue potest.
Is, precor, auditos possit narrare triumphos
Casaris, & Latio reddita vota Ioui.
Téque rebellatrix tandem Germania magni
Triste caput pedibus supposuisse ducis.
Hac mihi qui referat, qua non vidisse dolebo,
Ille mea domui protinus hospes erit.
Hei mihi, iam ne domus Scythico Nasonis in orbe est?
Iamq́ suum mihi dat pro lare pœna locum?
Dÿ facite, vt Casar non hoc penetrale, domumq́ue,
Hospitium pœna sed velit esse mea.



COMMENTARIVS.



RIGORA IAM ZEPHYRI MIN.] A Horat. Ode 4. lib. 1.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauoni,
Trahuntq́ siccas machinæ carinas.

De Zephyro, seu Fauonio Plin. lib. 18. cap. 34. Hic ver inchoat, aperitque terras, tenui frigore salubet. Hic vites putandi, frugesque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi ius dabit, afflatnque nutricium exercebit. Virgil. 2. Georg. vbi ver describit. *Zephyriq́ tepentibus auris Laxant arua sinus.*

LONGIOR ANTIQ. VIS. MAEOT. HYEMS] Hic Merula ne mutit quidem. Micyllum torquet diphthongus in voce *Maotis* correpta, cum apud Latinos, & Græcos tamen extendi soleat. Sensum quoque istum versus, Zephyri minuunt frigora: & postquam annus peractus est, hyems Mæotica tardior, siue longior mihi visa est, quam præteritæ, atque antiquę hyemes, reiicit, præsertim cum non sequantur quæ hyemis moram amplificent: sed quæ temporis qualitatem describant: censetque locum deprauatum. Idem Micyllus postea, eleg. 1. lib. 1. de Ponto affert hanc lectionem. *Tardior antiquis visa recedit hyems.* Seu, vt vulgò legitur, inquit, *Maotis.* Quibus verbis significat, se iam annum in Ponto fuisse, istamque tamen exactam hyemem multò sibi longiorem visam, quam præteritas ac veteres, quibus Romæ vixit scilicet. Hæc ille. Ego vocem *antiquis* non aliò, quam ad antegressas hyemes referri posse arbitror. Nisi dicamus, eam hyemem, de qua hîc loquitur, visam senibus Tomitanis tam longam, vt eius similem nō meminerint. De syllaba in Mæotis secunda correpta certandum non puto. Mæotis hyems dixit pro Scythica hyems: siquidem Scythica palus Mæotis.

QVI NON BENE PERTVL. HELL.] Fabulam de Phrixo, & Helle, ariete conscenso insidias nouercæ fugientibus, & de lapsu Helles in mare, cui nomen fecit Hellespontus, alibi disseruimus. Hero Leandro. *Sola dedit vastis fæmina nomen aquis.* Aries postmodum inter sidera est collocatus. Natal. lib. 6. cap. 9.

TEMP. NOCTVRN. AEQVA DIVRNA FACIT] Arietis signum ingreditur sol mense Martio, & vernum æquinoctium efficit. De altero æquinoctio, autumnali puta, quod fit eodem sole ingresso libram, mense Septemb. Virg. 1. Georg. *Libra die, somniq́ pares vbi fecerit horas.* Aequinoctium Græcis *ἰσημερία.*

IAM VIOLAS PVERIQVE LEGVNT, &c] Puerorum, ac puellarum studium est, flores legere, & corollas nectere. Virgil. eclog. 3.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Et 2.

——————tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallentes violas. & summa papauera carpens,
Narcissum, & florē iungit bene olentis anethi, &c.

Primus autem veris flosculus viola, nominata à vi odoris gratissimi. Huius genera sunt tria purpureum, album, melinum, inquit Isidor. De Proserpina cum sodalibus puellis flores legente in luco ad Pergusam lacum, Ouid. 5. Metamorph. & 4. Fast.

PVERIQVE] Puerorum vocabulo, vt tradit Paulus Iurecos. etiam puella continetur. Nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu. & græci *παιδία* communiter appellantur. Antiquissimi, teste Prisciano, lib. 6. à puero dicebant B puera, & inde puerpera, quę puerum, vel pueram peperit. Pueri autem secundùm Varronem, quod sint puri, hoc est, impuberes. Et inuestes, quod careant lanugine, quæ Virgilio & antiquis vestis. Contra vesticipes Ausonio puberes, & lanugine vestiti.

RVRAQVE Q. NVLLO N. SER. FER.] sensus est. Et legunt pueri ac puellæ, quæ rura ex se *αὐτομάτως* sponte, nullo serente, nullo satu pgignunt quales sunt violæ, & alij flores *αὐτοφυεῖς*, qui seri non solent.

PRATAQ. PVBES. VAR. F. COLOR.] Propert. eleg. 2. lib. 1. *Aspice quos summittit humus formosa colores.* Et Lucret. lib. 1. *tibi suaues Dædala tellus summittit flores.* 1. Fast. vbi etiam hanc anni tempestatem descriptam, ac depictam legimus, & aspicimus. *Omnia tunc florent, tunc est noua temporis ætas.* Cic. 1. Tuscul. ex antiquo poëta. *Vites lætifica pampinis pubescere.* C In Catalect. Virgil. ver multimodis descriptum exhibetur.

INDOCILIQVE LOQ. GVTT. VERNAT AVIS] 1. Fast. *Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.* Propert. eleg. 2. lib. 1. *Et volucres nulla dulcius arte canunt.* Sensus est, volucrum cantum illum, ipsis à natura datum, longè iucundiorem artificiosa modulatione ad aures accidere. Agesilaus rogatus, velletne audire quendam lusciniæ cantum mirabiliter imitantem, inquit, ipsam lusciniam canentem frequens audiui. Faciunt huc Lucretiani versus lib. 1. vbi loquitur de aduentu veris, cuius temporis præses, propter vim procreandi, quæ se tunc exerit, constituitur Venus.

Aëriæ primum volucres te, diua, tuumq́
Significant initum, perculsæ corda tua vi.

Et lib. 2.

Et variæ volucres nemora auia peruolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.

Præterea poëta quidam vetus, cuius fragmentum adducit Lipsius Elect.1. cap.5.

Et canoras non tacere diua iussit alites,
Iam loquaces ore rauco cygni stagna perstrepunt.

Dixit porro, *indocili gutture*. quemadmodum Propert. eadem elegia. *Et sciat indociles currere lympha vias*, quæ viæ non docentur: seu, quas vias non est docta, ἀδιδάκτους. Sic Cic. Academ. 2. Sed incredibilis quædam ingenij magnitudo non desiderauit indocilem vsus disciplinam. Alioqui vsitatius dicimus *indocilem*, qui doceri & erudiri non potest. Idem 2. de nat. deor. Quidam nimis indociles, tardiq́ue sunt. Potius, inquam, personam, quam rem, quæ doctrina comparatur, indocilem dicimus.

VERNAT] ab agris, & arboribus, quas verno tempore lætas, & floridas videmus. Plautus, suiculæ vernant.

VTQVE MALAE CRIM. M. DEP. HIRVNDO] prænuntia veris 2. Fast. Tangit fabulam Prognes vxoris Terei regis Thraciæ, quæ cum marito propter adulterium Itym puerum communem filium coctum apposuisset, ille stricto gladio eam, & sororem eius Philomelam insecutus est. Tum hæc in Luscinam, illa in hirundinem, Tereus in vpupam mutati sunt. Fabula est in 6. Metamor. Vt igitur non videatur amplius malæ matris similis, sed liberorum amantior quam fuit, antequam transformaretur.

SVB TRABIB. CVNAS, PARVAQVE T. F.] nidum construit 1. Fast.

Tunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.

Quam festiua autem catachresi cunas, & paruus tecta nominat? Apum cellas cubilia, thalamos, & aluear, cerea regna grandi catachresi Virgil.

CEREALIBVS OBRVTA SVLCIS] frumentiferis.

EXERIT E TEPID. &c.] 1. Fast. *Prodit & in summum seminis herba solum.* Perpulchre hoc distichon exponunt, & illustrant, quæ leguntur in Catone maiore apud M. Tullium, quo loco de voluptatibus agricolarum, senem rei rusticæ perstudiosum disserentem facit. Quanquam me non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat: quæ cum gremio mollito, ac subacto semen sparsum excepit, primùm id occæcatum cohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est: deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem, &c.

QVOQVE LOCO EST VITIS] In Scythia quidem non est, vt mox dicet.

DE PALMITE GEMMA MOVETVR] 1. Fast. *Et noua de tenero palmite gemma tumet.* Virg. eclog. 7. *cum læto turgent in palmite gemmæ.* Et Georg. 2. *nec metuit surgentes pampinus austros, sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.* Gemmæ per metaph. dicuntur illi quasi oculi vitis, ad sarmentorum nodos verna tempestate in similitudinem gemmarum

A erumpêtes. Necessitate rustici dicunt gemmam in vitibus, ait Quintil. lib. 8. cap. 6. Et Cic. 3. de orat. Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum dictum est, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei quam alieno verbo posuimus similitudo. Ennius, *purpureis gemmauit pampinus vuis.*

NAM PROCVL A GET. LITT. &c.] Eleg. 10.

Non hic pampinea dulcis latet vua sub vmbra,
Nec cumulant altos feruida musta lacus.

TVRGESCIT IN ARB. RAMVS] 1. Georg. *Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.*

PROCVL A GET. FINIB. ARBOR ABEST] Eleg. 10. *Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.*

B Horat. loquens de zona frigida Ode 22. lib. 1.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura.

OTIA NVNC ISTIC] Romæ. Otia scilicet ab armis, quale Horat. ad Pisones. *& apertis otia portis.*

IVNCTISQVE EXORD. LVDIS] dum ludus ludo succedit. Sigillatim agit de quibusdam.

CEDVNT VERBOSI GARRVL. V. FORI] Passerat. in Propert. legit *garrula bella.* Sic eleg. 10. lib. 4. de fratre suo. *Fortia verbosi natus ad arma fori.* Silet forum, cessant iudicia, iustitium est: quod dicit Plaut. Capt. *vbi res prolatæ sunt.* Res puta forenses, & iudiciales ad tempus dilatæ, & reiectæ, & prolatæ, siue propter bella, siue propter ludos,

C siue propter ferias.

LVSVS EQVI EST NVNC EST] Aliquot genera ludorum percenset, quibus per dies & menses vernos Romana se iuuentus oblectabat in campo Martio. Horat. Ode 8. lib. 1.

Cur apricum
Oderit campum patiens pulueris atq; solis,
Cur neq; militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis.

Et Ode 7. lib. 3.

Quamuis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio.

LEVIB. NVNC LVDITVR ARMIS] Qualibus se quoque lusisse scribit lib. 4. eleg. 1. *Nec nisi*

D *lusura mouimus arma manu.*

NVNC PILA] De isto lusu, & generibus quatuor pilæ, multa doctissimus Mercurial. de arte gymnast. lib. 2. cap. 5.

NVNC CELERI VERTIT. ORBE TROCH.] celeriter orbem describit. Est autem & nomen græcum, & ludus ipse. Vnde Horat. Ode 24. lib. 3. *seu græco iubeas trocho.* Nominat hæc duo genera idem ad Pisones.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ, discíue, trochíue quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

VEL PERFVSA L. OLEO LAB. &c.] De notatione. Virgil. 3. Aeneid. *Exercent patrias oleo labente palæstras.* Non itaq; luctaturi tantùm, sed nata-

turi

A turi etiam vugebautur, ad firmandos artus. Meminit huius ludicri & Horat. Ode 8. lib.1. *cur timet flauum Tiberim tangere?* De uatatione Mercurial. lib.3. cap.14.

Defessos artvs] reliquis ludis exercendis, aut exercitio armorum.

Tinoere gavdet aqva] Ciofani lectio ex veteribus libris, *virgine tingit aqua*, de qua Martian. Topographiæ Romanæ lib.6. cap.15. Plin. lib.31. cap.3. & Augustin. Steuchus. Ita portò legendum, argumento est illud ex 3. de Arte.

Nec vos campus habet, nec vos gelidissima Virgo,
Nec Thuscus placidis deuehit amnis aquis.

Retineri tamen potest vulgata lectio, cui fauet ipsemet hoc disticho de Thusco amne, & Veget. lib.1. cap.10. ideo veteres Romani, inquit, quos B tot bella, & continuata pericula ad omnem rei militaris erudierant artem, campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuuentus post exercitium armorum, sudorem pulueremq; dilueret.

Scena viget] actitantur comœdiæ.

Stvdiisqve favor distantibvs ardet] In theatro, amphitheatro, & circo factiones erant, & inde diuersus fauor. Sueton. Caligula. cap.30. Infensus turbæ faueuti aduersus studium suum, exclamauit: vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Herodian. lib.4. de Antonino, & Geta. ἐν τε θεάμασι περὶ τὰ ἐναντία ἐσπούδαζον, in spectaculis erant studiorum contrariorũ. Plura testimonia suggerit Herald. ad Mar- C tial. lib.9. ep.70.

Cvnqve trib. reson. t. theat. fores] De tribus foris, Romano, seu Latio, Iulij Cęsaris, Augusti agit Alex. ab Alex. lib.2. cap.12. & Marlian. in Topograph. Vrbis lib.3. cap.24. & Lipsius in Admirandis lib.3. cap.6. *Resonant* referendum est ad plausus, & gratulatorias, quibus populus spectator scenicos, & alia ludicra exercentes excipiebat.

O qvater, o qvoties m. est nvm. b.] O terque quaterque, ô millies, & iterum millies beatum, cui licet esse Romæ. *Tum demum omnes bona nostra intelligimus, cum, qua in potestate habuimus, ea amisimus.* Plaut. Capt.

At mihi sentit. nix verno s. solv- D ta] Exponit nunc, quali nam ipse fruatur vere. Non alio, nisi quod cernit niues solui, & aquas glacie antea concretas liquescere, quæ ne effodi quidem, nedum hauriri poterant. Effodi tamen dixit eleg.10. Nec mare iam durari frigore, nec per Istrum currus & plaustra agi. In hoc est illi veris amœnitas, & iucunditas.

Nec mare concres. olacis, &c.] quasi per terrestre iter. Vide eleg.10. *Quáque rates ierant. &c.* Seneca Hercule Fur. vtiq; ad exemplum poëtæ nostri, ad quod se fingit mille locis.

Calcauitq́; freti terga rigentia,
Et mutis tacitum litteribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus.

Et qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.

Incipivnt] lege *incipient*, & in pentametro *erit* pro *adest*: nisi velis esse enallagen temporis.

Aliqvas hvc adnare carinas] Virgil.1. Aeneid. *huc pauci vestris adnauimus oris.* Quid facturus sit, nauibus in eam oram delatis.

Dictaqve salvte] Metam.14. *Quam simul aspexit, dicta acceptaq́; salute.*

Qvid veniat] Quam ob caussam.

Qvisve, qvibvsve locis] Virgil.1. Aen. *Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?*

Mirvm ni de reo. propinqva, &c.] Hæc est sententia. Quanquam quid ego quæram vnde veniant naues, quæ huc ad ista littora venient, seu nauta, cui salutabundus occurram, cum non possit esse dubium, venit è loco propinquo, è quibus huc tutius nauigatur. Nam è remotioribus per maria spaciosissima, & crebris tempestatibus obnoxia, tutum non est. Et ideo ob tantam distantiam, ac periculum *Rarus ab Italia, &c.* Potest etiam quasi responsum nautæ accipi. Loquitur eodem modo, frequenter Plaut. mirum ni, mirum quin.

Araret aqvas] Virgil.2. Aeneid. *longum maris æquor arandum.*

Littora in haec portvs vs orba] Hæc est altera caussa, quia loca illa non habent commodos portus, quibus applicentur naues.

Sive tamen Graeca scierit, &c.] (Si tamen aliquis huc venerit, quanquam latinæ linguæ ignarus, si modo græcè scierit (vt multi in Italia Græci versantur) loquar cum eo græcè, & multa exquiram.

Gratior hvivs erit] Libentius nautas alloquar latinè, quia mihi patria lingua est.

Ab ore freti] à primis angustiis, ab Hellesponto, qui vbi expanditur, nomen Propontidis sortitur. Potest quoque fieri, vt quisquam à Propontide huc nauiget.

Memori rvmorem voce referes] Fama indicat, rumor tumultuatur Cornel. Fronto. Quidam ita distinguunt, vt fama sit cum tota ciuitas, seu vicinia, aut certè maior pars aliquid dicit: rumor, si saltem pars aliqua. Quæ differentia non semper obseruatur.

Et fieri famae p. orad. potest] poterit ipse quoq; dilatare famam, & vltra producere narratione sua apud me.

Trivmphos Caesaris] De Rhœtis, & Vindelicis per Drusum & Tiberium, priuignos relatis, de quibus Horat. Ode 4. & 14. lib.4.

Latio reddita vota Iovi] Vota enim concipiebant Imper. ad bellum proficiscentes, quæ victoria potiti soluebant. Eleg.2. lib.4.

Donaq́; amicorum templis promissa deorum
Reddere victores Cæsar vterq; parant.

De Græcis ducibus, & reducib. Penelope Vlyssi.

Argolici rediere duces, altaria fumant,
Ponitur ad patrios barbara præda deos.

Rebellatrix Germania] quæ diu detrectauit iugum. Feta eleg. 2. lib. 4. Perfida eleg. 4. lib. 3. de Ponto.

Tristb caput] contumax, ferox caput.

Quae non vidisse doleo] visa enim auditis non paulo iucundiora, quia etiam certiora, immò certissima.

Protinus hospes erit] hospitio illum accipiam, & quæ libebit, amplius ex eo sciscitabor.

A Iam ne dom. Scyth. nas. in orbe] Quia dixit, domum se recepturum hunc narratorem, præ dolore, quod ciuis Romanus in terra barbara iam pro pœna cogatur habitare, exclamat, *hei mihi, &c.*

Dii facite vt Caesar, &c.] Eleg. 1. lib. 1. *Dij facerent possem nunc meus esse liber.* Facite vt me Cæsar reuocet. Tum enim diuersorium, seu hospitium tantum fuerit, in quo pœnas exoluerim, non domus, seu habitaculum perpetuum.



ELEGIA DECIMATERTIA.

NATALIS ABDICATIO.

ARGUMENTUM.



Natalem suum figura sibi consueta alloquitur, vt frustra ad se exulem, & ærumnosum venientem: debuisse in patria remanere, imitarique amicos, à quibus dicta salute sit dimissus. Nō posse eum celebrare quibus par sit ritibus, quos etiam commemorat. Proinde petere ab eo ne redeat. Hoc elegidio nihil lepidius. Mos celebrandi natalis est peruetus. Et agebant item amicorum, atque Imperatorum natales. Vide Herald. ad Martialem lib. 8. epig. 38.

Ecce superuacuus (quid enim fuit vtile nasci?)
Ad sua natalis tempora noster adest.
Dure, quid ad miseros veniebas exulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor vllus adesset,
Non vltra patriam me sequerère meam.
Quoque loco primum tibi sum malè cognitus infans,
Illo tentasses vltimus esse mihi.
Inq; relinquendo, quod idem fecère sodales,
Tu quoque dixisses tristis in vrbe, vale.
Quid tibi cum Ponto? num te quoque Cæsaris ira
Extremam gelidi misit in orbis humum?
Scilicet expectas solitum tibi moris honorem?
Pendeat ex humeris vestis vt alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis?
Micáque solenni thuris in igne sonet?

Libáque dempro te genitale notantia tempus?
Concipiamq́; bonas ore fauente preces?
Non ita sum positus: nec sunt ea tempora nobis:
Aduentu possim lætus vt esse tuo.
Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
Conuenit: & structis flamma parata rogis.
Nec dare thura libet nil exorantia diuos:
In tantis subeunt nec bona verba malis.
Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum,
In loca ne redeas amplius ista, precor:
Dum me terrarum pars penè nouissima Ponti
Euxinus falsò nomine dictus habet.

COMMENTARIVS.



ECCE SVPERVACVVS NATALIS ADEST] Frustra redit nobis dies natalis anniuersarius. Is fuit XIII. Kalend. Aprilis quinquatriis, quibus diebus Romæ sacra Mineruæ fiebant, Hirtio, & Pansa Coss. anno ab V. C. DCCX.

QVID ENIM FVIT VTILE NASCI] Hac parenthesi continetur caussa, quamobrem superuacuus adsit. Si quis se non gaudet esse natum, nec aduentu natalis diei gaudebit, & parum acceptus illi reuertetur. Homini autem calamitoso non videtur vtile fuisse; siquidem natus est in miseriam. Ergo illi natalis frustra recurrit. Talis autem est Ouidius. Meritò igitur natalem suum auersatur, nec eum potest agnoscere.

DVRE, QVID AD MISEROS VEN. &c.] non fecisse humaniter, quod lætus, & cum lætitia celebrari solitus ad miserum venerit, qui miseros agebat annos. Bella expostulatio.

DEBVERAS ILLIS IMPOSVISSE MODVM] Cum anni mei cœpissent esse miseri, tunc tu debebas finem facere ad me exactis mensibus redeundi.

SI TIBI CVRA MEI] Obserua hac tota elegia, quomodo maxima de nihilo nascitur historia. Facit hoc ingenium eius sollertissimum, vt sæpe item aliàs in multis locis. Non curas me, vt apparet, cum in hæc loca sequeris, & me præsentia tua lætissima despicabiliorem reddis.

VEL SI PVD. VLLVS INESSET] Tibi simul es dedecori. Vt si nobilis ignobilem, diues pauperem, honoratus inhonorum affectetur.

MALA SVM TIBI COGNIT. INFANS] inauspicato, seu infausto sidere, propter euentum, seu paratam mihi miseriam, ob quam fuisset optimum non nasci: proximum, quam primum emori. Quod Silenum captum, docuisse regem

A Crœsum in Tuscul. 1. refert Cicero, & eò respexisse Nasonem reor.

VLTIMVS ESSE MEHI] vidisses me vltimùm. Visisses me extremùm, & valedixisses.

QVOD FECERE SODALES] Amicos sæpe, ob versus commoditatem ita nominat. Alioqui multo plus est amicus quam sodalis.

EXTREM. OBLIDI IN ORBIS HVM.] Toties & questus est, & queretur se in vltimum orbem proiectum. Sed quenquam sua mala sæpius, & apud diuersos deplorare, nihil est mirandum, nec inconsuetum.

SOLITVM TIBI MORIS HONOR.] hypallage, pro soliti moris honorem. Exspectas vtique, quemadmodum solebam, honorem.

PENDEAT EX HVM. VEST. VT ALB.] Cærimonias, & apparatum diei natalis rursum enumerat lib. 5. elegia 6. vbi vxoris natalem cantat. B Prima fuit, candida, seu alba vestis, quam eo die induebant. Color albus lætitiæ, niger mœstitiæ index.

Quæq; semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

CINGAT FLORENTIB. ARA CORON.] Secundo loco floreis sertis ornabantur aræ, in quibus Genio rem diuinam faciebant, cui etiam coronas offerebant.

Araq; graminео viridis de cespite fiat.
Et velet tepidos nexa corona focos.

Tibull. eleg. 2. lib. 2. in Cherinti amici natalem.

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctum florea serta caput.

MICAQVE SOLLEMNI THVRIS, &c.] Tertia cærimonia. Lib. 5. & thuris, & meri meminit, quod in aram fundebatur.

Da mihi thura puer, pingues facientia flammas,
Quodq; pio fusum stridat in igne merum.

Tibull.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener à terra diuite mittit Arabs.

Obserua, quod ait, *sonet*. Nam à sonitu, & crepitu tam thuris, quam lauri ardentium, fælix omen captabat. Sic & eleg. 2. lib. 4.

Altaq; velantur fortasse palatia sertis:
Thuraq; in igne sonant, inficiuntq; diem.

Præterea ex stridore vini in flammam effusi, & lucernæ.

LIBAQVE DEM PRO TE GENITALE, &c.] Quarta cærimonia. Offerebantur liba. Sic lib. 4. eleg. 10.

Lucifer amborum natalibus affuit idem,
Vna celebrata est per duo liba dies.

Et, de Arte.

Quid quasi natali cum poscit munera libo.

Tibull.

Illius (Genij) puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatq; mero.

CONCIP. BON. ORE FAVENT PRECES] Quinta, & sexta. Pro bonis precibus paulò pòst ponit bona verba, vt idem ambobus significauerit, quod putat Achilles Statius. Sic lib. 5.

Lingua fauens adsit nostrorum oblita laborum,
Qua puto dedidicit iam bona verba loqui.

Cæterùm ego bona verba aliò referenda existimo, quod mox videbis. Quod Ouidius dixit *ore fauente*, locuti sunt ita Virgil. & Propert. Ille Aeneid. 5. *Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.* Hic lib. 3. *Sacra facit vates, sint ora fauentia sacris.* De hac cærimonia Tibull. quoque.

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quisquis ades lingua vir, mulierq; faue.

Est igitur idem dicere bona verba, & linguis, siue ore fauere. Nam inprimis diligentissimè cauebant, ne sibi eo die vel imprudentibus vocula excideret vlla, in qua mali ominis aliquid inesset, quod ait Horatius Ode 14. lib. 3. *male nominatis parcite verbis*: & dicebant verba, quibus bene ominari viderentur, & fælicem euentum sacrificio precabantur. Festus, fauentia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes, populum sacrificiis fauere iubebant: fauere enim est bona fari Cicer. in Bruto. Hortensij vox extincta fato suo est, nostra publico. Melius quæso ominare, inquit Brutus. Sed clarissimus est locus I. de diuinat. hominum voces vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis QVOD BONVM, FAVSTVM, FORTVNATVMQVE ESSET, præfabantur, rebusque diuinis, quæ publicè fierent, & fauerent linguis, imperabatur, inque feriis imperandis, vt litibus & iurgiis abstinerent. Adducit hos locos Lamb. in illud Horat. Ode 1. lib. 3. *Odi profanum vulgus, & arceo Fauete linguis.* Vox autem præconum, cuius meminit Cicero, fortassis erat hæc. ἢ σιγᾷ, ἢ εὐφημεῖ φάνε. Et videtur Orpheus huiusmodi bona verba εὐφήμους λόγους appellasse, hymno in Curetas. ἔλθετ' εὐμενέοντες ἐπ' εὐφήμοισι λόγοισιν. Vide quæ attulimus præterea eleg. 8. lib. 5. ibi. *lingua fauens adsit, &c.*

A NON ITA SVM POSITVS] forte pro *constitutum* dixit, hoc intellectu. Non est ea conditio mea, non is status meus, clarius dicitur verbis statim sequentibus.

FVNERIS ARA MIHI FERALI, &c.] Ara natalis cingebatur floribus, ad significandam lætitiam. Funebris cupresso. Rogi enim in formam aræ extruebantur. Et cupresso, vt fætori cadauerum suaueolentia ipsarum obsisteret. Varro apud Seruium II. Aeneid. pyras ideo cupresso circumdari solitas, propter grauem ostrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona, quæ tamdiu stabat, respondens fletibus præficæ, hoc est, planctuum principis, quamdiu

B consumpto cadauere, & collectis cineribus dicebat nouissimum verbum Ilicet, quod ire licet significat.

STRICTIS FLAMMA PARATA ROGIS] tanquam cadaueri exurendo. Postulat enim se iam inter mortuos magis, quam inter viuos duci.

NEC EXORANTIA DIVOS] vtpote cum Cæsare facientes, & implacabiles.

IN TANTIS SVBEVNT NEC BONA VERBA MALIS] nulla occurrunt bona verba quæ dicam; quia mala mea quidquam boni cogitare me non sinunt.

IN LOCA NE REDEAS AMPLIVS ISTA]

C Hoc insinuat, velle se illius penitus obliuisci.

TERRARVM PARS LAENA NOVISS.] terrarum Ponti, regionum quæ sunt ad Pontum.

EVXINVS FALSO NOMINE DICTVS] mihi potius est ἄξενος, inhospitalis: & ita nuncupatus fuit olim, à ferali inhospitalitate, cum quotannis in eo circiter 60. naues perirent, ob crebras, & validas tempestates. Græci item vocant μαυροθάλασσαν. Germani das schwartze Meer, propter nebulas assiduas. Tandem κατ' εὐφημισμὸν appellatus est Euxinus. Eleg. 4. lib. 4.

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti.
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Elegia decimatertia lib. 5. *Euxini mendax cognomine Pontus.*

D



ELEGIA DECIMAQVARTA.

TVTELAE IMPLORATIO, CVM EXECRATIONE.

ARGVMENTVM.



AMico scripta sua, præter illam κακοτεχνίαν, colligenti, conseruantique laudem tribuit, & quod facit, vt facere pergat, hortatur (nec enim libris suis vnà cum auctore indictum exilium) & tanquam orphanis patrem se, ac tutorem exhibeat. Expressè nominat volumen metamorphoseωn, quod optimo iure pluris ęstimat, cui extrema adhuc manus desit. Missa ab exilio adiungi cæteris iubet, multisque rationibus, vsque ad finem, quę in iis reprehendi queant, excusat.

Cultor, & antistes doctorum sancte virorum,
Quid facis ingenio semper amice meo?
Ecquid, vt incolumem quondam celebrare solebas,
Nunc quoque, ne videar totus abesse, caues?
Suscipis exceptis ecquid mea carmina solis
Artibus, artifici quæ nocuère suo?
Imo ita fac quæso vatum studiose nouorum,
Quáque potes retine nomen in vrbe meum.
Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis:
Qui domini pœnam non meruère sui.
Sæpe per externas profugus pater exulat oras.
Vrbe tamen natis exulis esse licet.
Palladis exemplo, de me sine matre creata
Carmina sunt: stirps hæc, progeniésque mea:
Hanc tibi commendo: quæ, quo magis orba parente est.
Hoc tibi tutori sarcina maior erit.
Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti:
Cætera fac curæ sit tibi turba palam.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Carmina de domini funere rapta sui.
Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
Certius à summa nomen habere manu.

Nunc incorrectum populi peruenit in ora,
In populi quicquam si tamen ore meum est.
Hoc quoque nescio quid nostris oppone libellis,
Diuerso missum quod tibi ab orbe venit.
Quod quicunque leget, si quis leget, æstimet antè,
Compositum quo sit tempore, quoque loco.
Æquus erit scriptis, quorum cognouerit esse
Exilium tempus, barbariemque locum.
Inq; tot aduersis carmen mirabitur vllum
Ducere me tristi sustinuisse manu.
Ingenium fregère meum mala: cuius & antè
Fons infœcundus, paruáque vena fuit.
Sed quæcunque fuit, nullo exercente refugit,
Et longo periit arida facta situ.
Non hic librorum, per quos inuiter, alarque,
Copia: pro libris arcus, & arma sonant.
Nullus in hac terra recitem si carmina, cuius
Intellecturis auribus vtar, adest.
Nec quò secedam locus est: custodia muri
Summouet infestos clausaque porta Getas.
Sæpe aliquod quæro verbum, nomenque, locumque:
Nec quisquam est à quo certior esse queam.
Dicere sæpe aliquid conanti (turpe fateri)
Verba mihi desunt, dedidicique loqui.
Threicio Scythicoque ferè circunsonor ore:
Et videor Geticis scribere posse modis.
Crede mihi, timeo, ne sint immista Latinis:
Inq; meis scriptis Pontica verba legas.
Qualemcunque legas, venia dignare libellum:
Sortis & excusa conditione meæ.

COMMENTARIVS.



CVLTOR ET ANTIST. D. S. VIRORVM] Non tantum mei studiose, sed omnium eruditorum huius temporis, ac poëtarum maximè. Alter Mecœnas. Et qui etiam inter doctos istos primas fers. Sic inuenies antistes iuris, legũ, artium, &c. Ductum fortè à miliria, quasi [illegible], aut [illegible]. Catullus. Verannium omnium amicorum suorum antistitem vocauit. Vbi tamen è libris A calamo exaratis quidam pro *Antistes Antistans* legunt. In sacris crebrior est vsus verbi huius. Antistes sacrorum, antistita Phœbi, &c.

SANCTE] Sanctũ Martiano Iurecos. est, quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est, à sagminibus, siue sacminibus, herbis quibusdam, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum Cerycia caduceos. Isidoro à sanguine hostiæ, qui

olim in fœdere iciendo fundi solitus. Agenno Vrbico à sanciendo. Propriè sanctū Vlpiano, quod inuiolabile, & sanctione quadam subnixum, lege videlicet ac pœna, dicunturque sanctæ leges, sanctus senatus, muri, portæ vrbis, & alia quam plurima.

QVID FACIS?] Interrogatio ista admirantis, non responsum petentis est: vt sequens, quæ affirmat potius. Miratur ipsum tam iniquis temporibus suis libris, atq; ingenio suo fauere posse, nec vereri inuidiam.

VT INCOLVM. SOLEBAS] cum starem adhuc. Dum veheret antennas aura secunda meas.

NE VIDEAR TOTVS ABESSE] Aliquid enim sui, partus videlicet ingenij, tanquam sanguis suus Romæ versatur. Quocirca non totus abest. Eleg.1. lib.1.

Vade liber, verbisq; meis loca grata saluta.
Contingam certè quo licet illa pede.

SVSCIPIS EXCEPT. ECQVID. M. CARM. &c.] Ordo verborum est. Ecquid suscipis mea carmina velut in tutelam tuam, exceptis solis artibus, sola amandi arte excepta, quam plerique oderunt, & quæ mihi artifici suo exitio fuit?

IMMO ITA FAC QVAESO] Ad verba alludit, quæ interrogabant tamen. Nunc respondet ipse sibi. Immo caues, & suscipis; & addit cohortationem, quod solemus, cum aliquid facere quempiam affirmamus, quod egregium est, aut nobis placet. Quo quidem modo laudamus ipsum hominem. Eleg.15. lib.5.

Qui monet vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

VATVM STVDIOSE NOVORVM] Hoc etiam coluisse se autumat eleg.10. lib.4.

Temporis illius colui, fouiq; poëtas
Quotq; aderant vates, rebar adesse deos.

Subinde nominat Macrum, Propertium, Ponticum, Battum, Horatium.

RETINE NOMEN IN VRBE MEVM] Retinebis autem libris meis conseruandis, quibus id præscriptum est.

NON EST FVGA DICTA LIBELL.] Eleg.2. lib.2. de Ponto.

Perlege nec mecum pariter mea verba relega
Vrbe licet vestra versibus esse meis.

QVS DOM. POSN. NON MER. SVI] Affectatè quodammodo se librorum suorum dominum sæpius se quam parentem appellat. Inest enim in verbo & sonus, & significatio grandior.

SAEPE PER EXTERN. PROFVG. PAT.] Probatio ab exemplo, in quo se patrem, libellos vero proles suas vult intelligi. Et infra apertè natos nominat.

PALLAD. EXEMPLO DE ME SINE &c.] Palladem è Iouis capite sine matre ortam μυθολογικῶς hoc volt, sapientiam solius Dei munus esse, & eam cum voluptate corporis non consistere. Quam ob caussam Musas quoque virgines finxit antiquitas, etsi quædam sunt ἀνάρθροι.

A STIRPS HÆC, PROGENIESQVE MEA] Ingenij mei fœtus sunt hi, quibus ego fui quod Iupiter Palladi.

HANC TIBI COMMANDO] officium boni parentis exsequitur, filios suos alienæ fidei in suo discrimine commendantis, & committentis.

QVO MAGIS ORBA PARENTE EST] quò desertior à parente suo tam longinquis in oris posito, & planè mortuo. Eleg.6. lib.1. *Orba parente suo quicunque volumina tangis.*

TIBI TVTORIS SARCINA MAIOR ERIT] Hæc tua in illos cura fidelior esse debebit.

TRES MIHI SVNT NATI, CONTAG. N. SECVTI] Libri tres de arte amandi mecum damnati sunt. Nec enim in exilium patrem sunt secuti.

B CVRAS SIT TVRBA PALAM] Cæterorum curam gerere nil te pudeat: nihil enim sunt commeriti.

MVTATAE TER QVINQVE VOLVM. FORMAE] Metamorph. lib.15. volumen hîc pro libro: nam alioqui liber est pars voluminis, volumen totum.

CARMINA DE DOM. FVN. RAPTA SVI] Hunc eundem versiculum habet eleg.6. lib.s. in extremo. Funus nominat discessum in exilium. Eleg.1. lib.1. *Nuper ab exequiis carmina rapta meis.*

CAPTIVE A SVMMA NOM. HAB. MANV] lib.2.

Inspice maius opus, quod adhuc sine fine reliqui,
In non credendos corpora versa modos.

De iisdem libris eleg.6. lib.s.

C *Non tamen illa legi poterunt patienter ab vllo,*
Nesciat his summam si quis abesse manum
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit & scriptis vltima lima meis.

Certius nomen interpretare, non certiorem titulum: nec enim, si emendasset, conuenientiore titulo ornare potuisset. Sed certiorem, solidiorem, commendatiorem.

POPVLI PERVENIT IN ORA] Legitur à populo, & de eo loquitur vulgus: est siquidem pluribus exemplaribus descriptum, & describitur amplius. In ore, atque in oculis omnium fieri dicuntur, quæ propalam fiunt. Et in ore omnium dicuntur esse, de quibus rumor est publicus, seu de quib' vulgatus est sermo. Populus multitudo,

D seu frequentia vnius vrbis: populi multarum.

IN POP. QVID. SI TAMEN ORE MEVM] Si tamen populus exulem me tanti facit, vt de me loquatur, & mea legat.

NESCIO QVID.] summissè dictum, & modus loquendi latinis scriptoribus sollemnis.

DIVERSO AB ORBE] Ab vltimo orbe, à diuersa, & remota parte orbis. Eleg.2. lib.4. *Atque procul Latio diuersum missus in orbem.* Sic dictum, vt illud Virgil.1. Aeneid. *Et quæ sub cœlo tandem.*

SI QVIS LEGIT] vt supra, *In populi quidquam si tamen ore meum est.*

COMPOSITVM QVO SIT TEMP. QVOVE LOCO] Tempus est exilij, locus in media barbaria, vt sequitur.

INQVE TOT ADVERSIS, &c.] *Quia carmina latam sunt opus, & pacem mentis habere volunt.* eleg. 1. lib. 1.

CARMEN DVCERE] à lanificio.

INGEN. FREG. MEVM MALA, &c.] Eleg. 2. lib. 1.

Da mihi Maeoniden, & tot circumspice casus,
Ingenium tantis excidet omne malis.

Eleg. 4. lib. 3. de Ponto.

Nos, quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit.

NVLLO EXERCENTE RESVOIT] cessatione exsiccata est: manet enim in metaphora.

NON HIC LIBRORVM COPIA] magnum adiumentum, & solatium scriptoris, bonorum librorum multitudo. Iidem inuitant ad studendum, & ingenium tanquam cibis pascunt, ac saginant.

RECITEM CVI CARMINA] Idem lib. 4. elegia 1.

Sed neq; cui recitē quisquā est mea carmina, nec qui
Auribus accipiat verba latina suis.

Eleg. 8. lib. 5.

Vnus in hoc non est populo, qui fortè latinè
Qualibet è medio reddere verba queat.

NEC QVO SECED. LOCVS EST] à strepitu,

A & turbis li. 1. eleg. 1. *Carmina secessum, &c.* Lege dialogum nostrum 34. Volum. 1. inscriptū, STVDIVM IN SYLVIS AC NEMORIBVS. De secessu enim aliquo amœno extra vrbem loquitur, quod ex sequenti versu constat.

SAEPE ALIQVOD QVAERO VERBVM, &c.] Illi veteres quærebant hæc à viuis: nos à mortuis.

TVRPE FATERI] Imo non turpe. Neq; enim inauditum est, aliquem nunquàm locutum pluribus annis, suam linguam oblitum. Quare ait elegia 8. lib. 5. se secum ipso latinè loqui, ne sermonem obliuiscatur. Et eleg. 8. lib. 5.

B *Et pudet, & fateor, iam desuetudine longa*
Vix subeunt ipsi verba latina mihi.

ET VID. GET. SCRIB. POSSE MOD.] vt etiam scripsit.

IMMISTA LATINIS PONTICA VERBA] Scythicæ, Geticæ, barbaræ voces, in Pontica regione vsitatæ, & propriæ.

VENIA DIGNARE LIBELLVM] Hanc sæpius petit, vt homo ingenio liberali, qui, quid de se quisq; sentiat, contemnendum minimè putat.

FINIS LIBRI TERTII.

IN TRISTIVM LIBRVM IV.

ELEGIA PRIMA.

VNICVM EX MVSIS SOLATIVM.

ARGVMENTVM.

ENIAM exposcit libris suis, vtpote alienissimo tempore, nec ad famam, sed ad aliquam leuationē miseriarum compositis. Locus communis de lenimine cantus in laboribus, & rebus duris. Laus Musæ, ipsum fideliter in exilium comitatę. A scribundis versibus abstinere non posse, è quibus hoc vtilitatis capiat, vt tantisper mentem à cogitatione malorum suorum auocet. Vis afflatus poëtici. Quam multa grauia exantlarit, & quam nunc inter barbaros cum ærumnosè, tum parum tutò viuat. Summa à latinè scientibus solitudo. Oborientes inter scribendum lacrymæ, pristinique status peracerba recordatio.

Si qua meis fuerint, vt erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore lector habe.
Exul eram: requiesq́ mihi, non fama, petita est:
Mens intenta suis ne foret vsque malis.
Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor:
Indocili numero cùm graue mollit opus.
Cantat & innitens limosa pronus arenæ,
Aduerso tardam qui trahit amne ratem:
Quique refert pariter tentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus vbi incubuit baculo, saxóque resedit.
Pastor, arundineo carmine mulcet oues.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ decipiturqúe labor.
Fertur & abducta Lyrneßide tristis Achilles
Hæmonia curas attenuasse lyra.
Cùm traheret syluas Orpheus, & dura canendo
Saxa: bis amissa coniuge mœstus erat.
Me quoque Musa leuat Ponti loca iussa petentem:
Sola comes nostræ perstitit illa fugæ.
Sola nec insidias inter, nec Thracia tela,
Nec mare, nec ventos, barbariemq́ timet.
Scit quoque, cum perij, quis me deceperit error:
Et culpam in facto, non scelus esse meo.
Scilicet hoc ipso nunc æqua, quòd obfuit antè,
Cùm mecum iuncti criminis acta rea est.
Non equidem vellem (quoniam nocitura fuerunt)
Pieridum sacris imposuiße manum.
Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa sacrorum:
Et carmen demens carmine læsus amo.
Sic noua Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit. (LIS:
SENTIT AMANS SVA DAMNA FERE: TAMEN HÆRET IN IL-
MATERIAM CVLPAE PROSEQVITVRQVE SVAE.
Nos quoque delectant, quamuis nocuere, libelli:
QVODQVE MIHI TELVM VVLNERA FECIT, AMO.
Forsitan hoc studium poßit furor esse videri:
Sed quiddam furor hic vtilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat esse malorum:
Præsentis casus immemoremqúe facit.

Vtq́ suum Bacche non sentit saucia vulnus,
Dum stupet Idaeis exululata modis.
Sic, vbi mota calent sacro mea pectora thyrso,
Altior humano spiritus ille malo est.
Ille nec exilium, Scythici nec littora Ponti,
Ille nec iratos sentit habere Deos.
Vtq́ soporiferae biberem si pocula Lethes:
Temporis aduersi sic mihi sensus abest.
Iure Deas igitur veneror mala nostra leuantes,
Sollicitae comites ex Helicone fugae.
Et partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignatas, vel pede nostra sequi.
Sint, precor, hae saltem faciles mihi: namque Deorum
Caetera cum magno Caesare turba facit.
Méque tot aduersis cumulat, quot littus arenas,
Quotq́ fretum pisces, ouáque piscis habet.
Vere prius flores, aestu numerabis aristas,
Poma per Autumnum, frigoribusq́ niues:
Quàm mala quae patior toto iactatus in orbe,
Dum miser Euxini littora saeua peto.
Nec tamen, vt veni, leuior fortuna malorum est:
Huc quoque sunt nostras fata secuta vias.
Hic quoque cognouit natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.
Vtq́ neque insidias, capitisq́ pericula narrem:
(Vera quidem vidi, sed grauiora fide.)
Viuere quàm miserum est inter Bessósque, Getasque
Illum, qui populi semper in ore fuit!
Quàm miserum est porta vitam muróque tueri:
Vixq́ sui tutum viribus esse loci!
Aspera militiae iuuenis certamina fugi,
Nec nisi lusura mouimus arma manu.
Nunc senior gladióque latus, scutóque sinistram,
Canitiem galeae subiicióque meam.
Nam dedit è specula custos vbi signa tumultus:
Induimus trepida protinus arma manu.
Hostis habens arcus, imbutáque tela veneno,
Saeuus anhelanti moenia lustrat equo.
Vtq́ rapax pecudem, quae se non texit ouili,
Per sata per syluas fertq́ refertq́ lupus:

Sic,

Sic, si quem nondum portarum sede receptum
Barbarus in campis repperit hostis, habet.
Aut sequitur captus, iniectáque vincula collo
Accipit: aut telo virus habente perit.
Hîc ego sollicita iaceo nouus incola sedis:
Heu nimium fati tempora lenta mei:
Et tamen ad numeros, antiquáque sacra reuerti
Sustinet in tantis hospita Musa malis.
Sed neq;, cui recitem, quisquam est, mea carmina: nec qui
Auribus accipiat verba Latina suis.
Ipse mihi (quid enim faciam?) scribóque, legóque,
Tutáque iudicio littora nostra suo est.
Sæpe tamen dixi, cui nunc hæc cura laborat?
An mea Sauromatæ scripta Getæq; legent?
Sæpe etiam lachrymæ me sunt scribente profusæ:
Humidáque est fletu littera facta meo.
Corq; vetusta meum tanquam noua vulnera sentit,
Inq; sinum mœsta labitur imber aqua.
Dum vice mutata qui sim, fuerimq; recordor,
Et, tulerit quò me casus, & vnde, subit:
Sæpe manus demens studiis irata, sibique,
Misit in arsuros carmina nostra focos.
Atque ea de multis, quoniam non multa supersunt,
Cum venia facito, quisquis es, ista legas.
Tu quoque non melius, quàm sunt mea tempora, carmen
Interdicta mihi consule Roma boni.

COMMENTARIVS.



VT ARVNT, VITIOSA] Vnum, ac singulare propemodum huius poëtæ vitium, neglecta lima, qua illam ingenij nimium sibi indulgentis velut in herba luxuriem depasci debuisset. Purgat se tamen vt potest, hîc & alibi, culpamq; omnem in tempus, & locum reiicit. Tolle hoc, cæteris cedit nemini, si non antecedit omnibus. Memineris prodidagmatum.

EXCVSATA SVO TEMP.] Bene lib. I. eleg. I.

Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum
Quærere, quæsito tempore tutus eris.

Itaque tali tempore, exilij videlicet, adeo mirum non est non sine vitio aliquo scribere, cum ipsa scriptione, vt subiungit, non famæ studetur, sed A animi leuatio, & à malis respiratio quantacunque & qualiscunque tandem quæritur. Locum quoque accusat eleg. I. lib. 3.

Si qua videbuntur casu non dicta latinè,
In qua scribebat barbara terra fuit.

Inspice extremum elegiæ vltimæ libri superioris. *Quod quicunq; leget, &c.*

REQVIESQVE MIHI, NON FAMA PETITA] Eleg. postrema huius.

Gratia Musa tibi, nam tu solatia præbes,
Tu curæ requies, tu medicina venis.

Lib. I. eleg. I.

Denique securus famæ liber ire memento,
Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.

Non

Non ita se nobis præbet fortuna secundam,
Vt tibi sit ratio laudis habenda tuæ.

Cic. de studiis Humanit. pro Archia. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium, & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

NON FAMA] quam relinquit aliis, nullo casu oppressis. Eleg. 6. lib. 1. de Ponto.

Gloria vos acuat, vos vt recitata probentur
Carmina, Pieriis inuigilate choris.

MENS INTENTA. S. NE P. VSQVE MAL] atque ita conficerer assiduitate ægritudinis. Seuoco igitur animum à cogitationibus mœstissimis, & solitudinem istam, quam mihi affert necessitas, non voluntas, languere non patior. Deinceps ostendit inductione, cantum facere ad leuandam molestiam. Cantores autem ipsi quoq; poëtæ. Apud Priscianum lib. 8. reperitur vox Ennij, dicẽtis, nunquam se poëtari, nisi podagrum. Cur autem nunquam poëtaretur Ennius, nisi cum cruciaretur podagræ doloribus, caussam fuisse opinatur vir quidam eruditus in Parergis suis, vt ita, sicut Ouid. hoc loco de se confitetur, mens auersa à malis suis, & defixa penitus in scriptione carminis, doloris sensum aut leuiorem, aut nullum etiam efficeret.

HOC EST] Hæc caussa est, obliuio puta mali, & auocatio animi à cogitatione laboris, & molestię. Catul. *Hoc est quod vnum est pro laboribus tantis.*

CVR CANTET. V. QVOQVE COMPEDE FOSSOR] Tibull. eleg. 7. lib. 2.

Spes etiam valida solatur compede vinctum
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

In ergastulo videlicet, & latumiis lapidariis, vbi ex vinculis dare operam cogebantur, qualis in Capt. Tyndarus. Sic enim senex ab eo delusus mandat lorariis,

——————ducite.
Vbi ponderosas, crassas capiat compedes.
Inde ibis porrò in latumias lapidarias.
Ibi cum alij octonos lapides effoderint,
Nisi quotidianum sesquiopus confeceris,
Sexcentoplago indetur nomen tibi.

Huiusmodi operibus plerunque serui ob contumaciam, aut aliud quodpiam peccatum addicebantur.

INDOCILI NVMERO] quem non est doctus. De hac voce *indocilis* dixi lib. 3. eleg. 12. ibi, *Indocilisq; loquax gutture vernat auis.*

CVM GRAVE MOLLIT OPVS] cum laborem sibi cantando minuit, lenioreḿque reddit. Graue Martis opus dixit pro militia in 8. Virgil.

CANTET ET INNIT. &c.] De celeumate helcyariorum, ad laborem, & contentionem sese exhortantium, & tamen hoc ipso sibi laborem lenientium, locus accipiendus. De iis 4. Fast.

Sedula fune viri contento brachia lassant,
Vix subit aduersas hospita nauis aquas.

A *Sicca diu fuerat tellus, sitis vsserat herbas,*
Sedit limoso pressa carina vado.
Quisquis adest operi, plusquã pro parte laborat,
Adiuuat & fortes voce sonante manus.

Martial. lib. 1.

Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.

ADVERSO TARDAM, &c.] Aduerso amne tardius vtique trahuntur, quam secundo sponte labuntur, aut remigio impelluntur naues.

REFERT PARIT. LENT. AD. F. REMOS] Virgil. 5. Aeneid. eundem gestum, sed nauium cursu colludentium sic expressit. *adductis spumant freta versa lacertis.* Et 3. Aeneid.

Vela cadunt, remis insurgimus, haud mora nautæ
B *Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.*

De cantu remigum, & nautarum eodem libro.

Nauticus exoritur vario certamine clamor,
Hortantur socij Cretam, proauosq; petamus.

IN NVM. PVLSA. D. VERS. AQVA] Hoc norunt optimè, qui nauigarunt. Virgil. de fabris cyclopibus 4. Georg.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantq; tenaci forcipe ferrum.

Eclog. 6. *Tum verò in numerum Faunosq; ferasq; videres ludere.* Iam vt hîc pulsa aqua, ita eleg. 1. lib. 3. de Ponto dixit. *Æquor Iasonio pulsatum remige.* Et Catullus an alius, *pellunt vada nautæ.*

SAXOQVE RESEDIT PASTOR] Argus custos vaccę Ius, Mercurio habitu pastoris cum capellis ad se uenienti Metamorph. 1.

C *Quisquis es, hoc poteris mecum considere saxo,*
Argus ait: neque enim pecori fœcundior vllo
Herba loco est.

Verba Philoctetæ ex Aeschylo in 2. Tuscul. sunt.

Heu quis salsis fluctibus mandet
Me ex sublimi vertice saxi.

Ipsum montem Oetam saxum appellat. Saxum igitur per [illegible] locus editior, & saxosus, siue collis, siue mons, siue rupes. Occurrit & alius ex Marone locus. *Stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.*

ARVNDINEO CARMIN. MVLCET OVES] Virgil. de Orpheo lib. 4. Georg. *Mulcentem tigres.*
D Cantu fistulæ arundineæ delectat oues. Musica quippe, siue cantus etiam brutas animantes recreat, ad pascendum alacriores efficit, vt videmus quotidie. Hinc in eclogis fistulæ, calamorum, auenæ, cicutæ, & cantus tam crebra mentio.

DATA PENSA TRAHENTIS] Iustinus lib. 1. de Sardanapalo. Inuenit eum (Arbactus Medorum præfectus) inter scortorum greges purpuram colo nentem. Fœminis ancillis in Germania satis vsitatum, quemcunq; laborem suum mollire cantu. Briseis Achilli. *Nos humiles, famulæq́ue tuæ data pensa trahemus.* 2. Fast.

Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant,
Inter quas tenui sic ait illa sono.

In epi-

In epistola Penelopes aliter, sed eodem plane sensu. *Et tantùm lanas non finit esse rudes.* Pensum absoluere, persoluere, est suas partes præstare, & officio suo fungi. Sumptum à lanificio, in quo singulis certum lanæ pondo, in opus distribuebatur. Cic. 3. de orat. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus, pensumque reuocabo. Plaut. Bacchid. *ego meum pensum lepidè accurabo.*

ABDVCTA LYRNESAIDE] Excusi habent *Briseide*, & id est apertius, & cum narratione Homerica 1. Illad. conuenit.

AMON. CVR. ATTENVASSE LYRA] Vide 9. Iliad. Aemonia lyra, Thessalica, fuit enim Thessalus Achilles. Horat. Ode 32. lib. 1. alloquena testudinem, siue barbiton suam.

O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iouis, ô laborum
Dulce lenimen, mihicunque salue
Rite vocanti.

CVM TRAHERET SYLVAS ORPHEVS] Post iterum amissam Eurydicen vxorem hoc factum retulit Virgil. 4. Georg. Tum se cithara, qua syluas, & saxa trahebat, consolabatur. Horat. Ode 12. lib. 1.

Aut in vmbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidoue in Hæmo,
Vnde vocalem temerè insecutæ
Orphea syluæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

BIS AMISSA CONIVGE] Fabulam Orphei, & Eurydices, quomodo bis rapta fuerit, & quam mœstus septem menses *rupe sub aëria deserti ad Strymonis vndam fleuerit, etc.* ibidem persequitur Maro, ab eo loco. *Illa quidem dum te fugeret, per flumina præceps, &c.* Ouid. Metamorph. 10.

ME QVOQVE MVSA LEVAT] Cantus meus est carmen, & canunt etiam poëtæ. Hæc vna res mihi leuamini, leuarioni, leuamento est.

SOLA COM. NOST. PERSTIT. ILLA FVGAE, &c.] Infra.

Iure deas igitur veneror mala nostra leuantes,
Sollicitas comites ex Helicone fugæ.

Amici aliquando amicos in exilium sequebantur. Sueton. de illustrib. Grammat. cap. 6. Dimissa autem schola Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnæ, simulque consenuit. Max. Tyr. serm. 4. διὰ δὲ φιλίας πολλοὶ ἤδη καὶ φυγῆς ἐκοινώνησαν, καὶ ἀτιμίας συναπέλαυσαν, καὶ θανάτου μετέσχον. Amicitiæ caussa multi iam & exilij, & ignominiæ socios sese præbuerunt, atque adeo mortem exceperunt. Imitatus est hunc locum Seuerin. Boët. de consolat. Philosophiæ lib. 1. metro 1.

Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

A *Gloria fœlicis olim, viridisque iuuentæ*
Solatur mœsti nunc mea fata senis.

SOLA NEC INSIDIAS INTER, &c.] Hoc est quod gloriatur lib. 3. eleg. 7. ad filiam.

En ego, cum patria caream, vobisque, domóque,
Raptaque sint, adimi quæ potuere mihi.
Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque,
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc sæuo vitam mihi finiat ense,
Me tamen extincto fama perennis erit.

ET CVLPAM IN. F. NON SCELVS] lib. 3. eleg. 6.

Idque ita si nullum scelus est in pectore nostro,
Principiumque mei criminis error habet.

CVM MECVM IVNCT. CRIM. A. RVA] Exponit, quomodo antea obfuerit. Nam in arte illa conscribenda crimē commune cum ipso perpetrauit. Nunc ergo res arctè damnum, nec eum vult deserere.

B (marginal letter beside "ponit")

NON AQVIDEM VELLEM, &c.] optat nunquam se dedidisse componendis versibus, quandoquidem res eius huc reciderunt. Ita solemus optare omnes, qui re quapiam non deceproa dolemus, non vidisse, non tetigisse. &c.

PIERID. SACRIS IMPOS. MAN.] Lib. 1. de Ponto eleg. 6. *Et repeto nollem quas coluisse deas.* Imponere manum hic est aggredi. Vltimam, extremam manum imponere, est finire.

VIS ME TENET IPSA SACROR.] Nequeo hæc studia deponere. Cælestia sacra nominat elegia vltima huius vbi legimus. *Inque suum furtim Musa trahebat opus.* (C)

CARMEN DEMENS CARM. LAESVS AMO] Diligere vnde læsus sis, dementiæ est. Eleg. 1. libro 1.

Vitaret cælum Phaëton. si viueret, & quos
Optauit stulte tangere nollet equos.

Infrà. *Quodque mihi telum vulnera fecit amo.*

DVLICHIO LOTOS GVSTATA PALATO] Exemplis illustrat, quod de sua dementia confessus est. Auctor Homerus Odyss. 9. Vlysis socios gustata apud lotophagos herba loto, redire ad nauim noluisse, nisi compulsos verberibus. Dulichium insula parua Vlysis.

SENTIT AMANS SVA DAMNA, &c.] Generalis γνώμη. A rebus adamatis, quanquam nocentibus, difficillimè auellimur. Exempla suppeditaur in animatis, & anima carentibus. (D)

DELECTANT, QVAMVIS NOCVERA] Non eum delectant libelli amatorij, qui nocuerunt: sed libellis scribēdis etiamnum delectatur, cum tamen scriptio illi damno fuerit. Lib. 1. eleg. 8.

Quamuis interdum quæ me læsisse recordor
Carmina deuoueo, Pieridasque meas.
Cum bene deuoui, nequeo tamen esse sine illis,
Vulneribusque meis tela cruenta sequor.

QVODQVE MIHI TELVM, &c.] *Saxa memor refero rursus ad icta pedem.* Telum, vt scribit Caius Iureconsultus lib. 1. ad leg. 12. Tabul. vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur; sed

nunc

nunc omne id significatur, quod mittitur manu. Itaque sequitur vt & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur, dictumq; ab eo, quod in longinquum mittatur, græca voce figuratum, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, & hanc significationem inuenire possumus, & in græco nomine: nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, eoque nomine vulgò quidem id significatur, quod ab arcu mittitur; sed non minus omne, quod mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι.

FORSITAN HOC STVD. POSSIT FVROR] Eleg. 6. lib. 1. de Ponto.

An populus verè sanos negat esse poëtas,
Sumq; fides huius maxima vocis ego?

Appellet aliquis hoc studium furorem. Dicat aliquis me insanire hoc facientem. Monet nos tacitè illius, quod poëtæ dicuntur furere, ἐνθουσιάζειν, & diuino numine afflari. Democritum sanos poëtas Helicone excludere, ait Horat. ad Pison.

QVIDD. VTILITAT. HABET] Respondet obiectioni, & ait se de nomine non laborare: sibi hunc furorem non esse infructuosum.

IN OBTVTV MALORVM] in contemplatu mali. Sic eleg. 10. lib. 1.

Seu stupor huic studio, siue est insania nomen,
Omnis ab hac cura mens releuata mea est.

PRÆSENT. CAS. IMMEM. FACIT] Hæc est de qua dixerat vtilitas, mentis aberratio à cogitatione malorum. Eleg. 8. lib. 5.

Detineo studiis animum, falloq; labores,
Experior curis & dare verba meis.

BACCHE NON SENT. SAVCIA VVLN. Dei huius sacerdotes fœminæ plerunq; fuerunt, quæ nunc ab insania Mœnades: nunc ab impetu, & furore Thyades, siue à Thya, quæ prima Bacchi sacra instituit: nunc ab inconditis clamoribus Bacchæ vocabantur. Currebant cum tædis, & funalibus accensis per noctem, quibus vtebantur in illis sacrificiis, atque crinibus passis ita clamabant currentes euhæ, quæ voces sunt bene, ac fæliciter precantium. Natal. lib. 5. cap. 13. Vide præterea Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. cum Tiraquello, & obserua solitas se Bacchas cultellis incidere, quemadmodum sacerdotes Baal, vt Regum narrat historia.

IDÆIS EXVLVLATA MODIS] vlulans, more Gallorum, sacerdotum Cybeles, magnæ illi matri sacra in Ida monte Phrygiæ celebrantium.

VBI MOTA CAL. S. MEA. THYRSO] In sacris Bacchi sacerdotes eius gestabant thyrsos, hastas pampinis circumuolutas, & implicatas, pampineas hastas vocat Virgil. AEneid. 7. ipsi thyrsigeri dicti, Græcis ναρθηκοφόροι. Sensus est. vbi pectus meum sacro furore concitatum est: nam in Bacchanalibus furebant sacerdotes, dicebanturque θυρσοπλῆγες, diuino furore in eius cærimoniis agitati. Et poëtæ quoque propter furorem suum Baccho dicati sunt. Lucretius item ingens

A desiderium gloriæ apud posteros comparandæ, thyrsum laudis nominauit, lib. 1.

——sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum.

ALTIOR HVMANO SPIR. ILLE MALO] Quem ante furorem, nunc spiritum, & 3. Art. etiam deum nominat.

Est deus in nobis, sunt & commercia cæli;
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Spiritus itaq; poëticus animũ occupans meum, omnibus illum malis superiorem facit, vt nec in exilio se esse, nec Augustum cum diis iratum sibi curet.

B *SOPORIF. BIB. SI POCVL. LETHES*] Quàm funditus deponat malorum suorum memoriam, fabulosa similitudine (ea enim sunt poëtarum familiaria exempla) demonstrat. Lethe fluuius inferorum ab obliuione nomen accepit. Eum animæ in corpora reuersuræ duas ob causas bibebant, vt obliuiscerentur earum deliciarum, quibus fruebantur in campis Elysiis: & vt fierent immemores earum molestiarum, quas ante in vita pertulissent. Quarum rerum si perduraret memoria, nemo reperiretur, qui vellet reuiuiscere, &c. Natal. lib. 3. cap. 20. Itaque Anchises lib. 6. AEneæ filio inter cætera.

——exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus.
C *Donec longa dies perfecto temporis orbe*
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Æthereum sensum, atq; aurai simplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores, supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

IVRE DEAS IGIT. VENER.] Epicurus, tametsi doceret deos res mortalium non curare, nihilominus preces, vota, sacrificia, eorumq; venerationem propter eorum naturæ præstantiam non tollebat. Si ergo dij, quia dij, colendi sunt: quanto magis si etiam profuerint? Ouidius itaque Musas mala sua leuantes, iure optimo veneratur.

D *EX HELICONE*] socias exilij mei inde vsque ab Helicone. Parnassus Thessaliæ mons, Bocotiæ vicinus in duo iuga finditur, Helicona Musis: & Citherona Libero patri sacrum. Inde poëtæ Heliconem dicuntur colere, quoniam Heliconidas, id est, Musas colunt. Propert. lib. 3. eleg. 4. *Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta.*

PARTIM PELAGO, PART. VESTIG. TERRA] Versu sequenti vtrique suum redditur, pelago ratis, vestigiis pes.

SINT PRECOR HÆ SALT. FACIL. MIHI] Ex tanto deorum numero optat vnas Musas sibi in posterum quoque propitias; quasi metuens, ne ab aliis diis iræ Cæsarianæ subscribentibus corrumpantur. Verbo *facilis* hoc significatu

vſus eſt & Virgil. eclog. 3. *Et quo, ſed faciles nymphæ riſere, ſacello.*

QVOT LITTVS ARENAS, &c.] Et Græcos, & Latinos ſcriptores arenæ vocabulo infinitatẽ quandam declaraſſe, docet in Adagiis ſuis Iunius. Nec ſacris Bibliis hæc proœmiæ ſpecies ignota eſt. Geneſ. cap. 41. Ioſeph. tantam frumenti vim in hotrea congeſsiſſe dicitur, vt arenam maris æquaret, &c. Huiuſmodi hyperbolis in multitudine malorum ſuorum exprimẽda gaudet etiam eleg. 4. lib. 1.

Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent,
Paruaq; quot ſiccus corpora puluis habet.

Et 10. lib. 4.

Totq; tuli pœnas terra, pelagoque, quot inter
Occultum ſtella, conſpicuumq; polum.

VERE PRIVS FLORES, &c.] ab impoſsibili, ſæpe aliâs ἱερὸν τίνα poëta quidam eleganter vocauit.

TOTO IACTAT. IN ORBE DVM, &c.] Etiam antequam Tomos, in exilij ſibi deſcripti locum perueniĩt, grauia ſe, & multa perpeſſum teſtatur.

NEC TAMEN VT VENI, LEVIOR, &c.] Non ſe fuiſſe meliore conditione, vbi locum deſtinatum attigit, quàm in itinere; non magis de vita ſecurum puta.

NATALIS STAMINA NOSTRI] quæ mihi Parcæ naſcenti neuerunt.

STAMINA DE NIGRO VELLERE F.] Et nere, & canere hominibus totius vitæ ordinem dicuntur Parcæ à poëtis. Tibull. lib. 1. eleg. 7.

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non vlli diſſoluenda deo.

Harum deſcriptionem, & Achillis fata quæ canunt, & nent in nuptiis Pelei, ac Thetidis, vide apud Catull. Nigrum, quod alibi docebamus, ad infelicitatem conditionemque miſeram pertinet. Dicit ergo, Parcas ſibi fata infælicia neuiſſe; quippe de lana nigra, non candida.

VERA QVI D. VIDI, &c.] Hunc verſiculum parentheſis nota includendum, & τελείαν στιγμὴν tollendam putarim.

VIVERE QVAM MISER. E. INTER, &c.] vt taceam alia mala, annon hoc maximum cenſeas, viuere inter tam feros & barbaros illum, qui, &c. Eleg. 10. lib. 3.

Sauromatæ cingunt fera gens, Beſſique, Getæque,
Quam non ingenio nomina digna meo?

QVI POP. SEMP. IN ORE FVIT] qui vocitauit per ora virûm, vt de ſe glorians dixit Ennius *At vt peruenias in ora vulgi*, dixit Catullus, cuidam iambos minitans, quibus illum notum redderet, & eius ſcelera per omnium ora diſſeminaret. Sic περιβόητον εἶναι in vitio, & in laude poni à Græcis, productis è Lyſia. & Demoſthene locis oſtendit Victor. lib. 8. cap. 10. Accommodatè his etiam eleg. vlt. libri huius. *Carmina cum primùm populo iuuenilia legi, &c.*

PORTA VITAM, MVROQVE TVERI] Ob frequentes vicinorum hoſtium irruptiones vrbis portæ propemodũ ſemper clauſæ manebant. Vnde Horat. ad Piſon. *& apertis otia portis*, cum nihil timetur, pace firmiſsime conſtituta. Eleg. 14. lib. 3. *cuſtodia muri ſummouet infeſtos, clauſaq; porta Getas.*

SVI LOCI VIRIBVS] munitione, quæ quo maior, eò vires maiores ad reſiſtendum, & hoſtem aditu prohibendum.

ASPERA MILITIÆ CERTAMINA] Virgil. de Carthagine 1. AEneid. *ſtudiiſq; aſperrima belli.* Explicat hanc aſperitatem aliquantum Horatius Ode. 2. lib. 3.

Anguſtam amici pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta
Vitamq; ſub dio, & trepidis agat
In rebus.

Trepidas res expone duras, terribiles. Euander 8. AEneid. Pallantem filium AEneæ committens, vt tyrunculum militem,

—— ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Adeo denique aſpera militia, vt in prouerbio ſit, dulce bellum inexpertis.

IVVENIS FVGI] Cum eſſet tempus militiæ idoneum. Iuuenes à iuuãdo, quod tum patriam ferendis armis defendere, & iuuare queant. De toto exercitu, Romana, Troiana iuuentus. Cenſeri autem ab anno 17. ad 46. docet apud Gell. Cincius. lib. 10. cap. 28.

LVSVRA MANV] Animi tantùm gratia, & pro ludicro tractaui gladium, arcum, haſtam, vt ſunt adoleſcentum ſtudia.

NVNC SENIOR GLADIOQVE LAT. &c.] nunc æui maturus, lateri accommodare enſem, clypeoque inſertare ſiniſtram, galea canos premere compellor.

SIGNA TVMVLTVS] ſignum hoſtis aduentantis, qui facit timorem multum: ea quippe vocis huius notio. Cic. Philipp. 8. Quid eſt enim tumultus, niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur. Vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Magna, & repentina perturbatio, vel ex hoſtili incurſione, vel ex populari ſeditione exorta.

TREPIDA MANV] nos trepidi, feſtinabundi in timore tanto.

IMBVTAQVE TELA VENENO] Infra, *telo virus habente*, lib. 3. eleg. 10. *Nam volucri ferro tinctile virus ineſt.*

ANHELANTI MOEN. LVST. EQVO] obequitat mœnia, equo iam ex curſura inter pugnandum lapſo. Mœnia, Feſto docente, ſunt muri, aliaque muniendæ vrbis gratia facta. Seruius ad 2. AEneid. propriè mœnia tantum eſſe muros, quaſi munia, à munitione ciuitatis. Mœnia item pro munia, id eſt, officia, ſcribebant antiqui, vt mœri pro muri & alia multa eodem modo.

A *PECVDEM, QVÆ SE. N. TEX. O.*] ouem, quæ deerrauit à grege, nec venit tempori in ouile. Similitudo perquam apposita.

AVT SEQVITVR CAPTVS, &c.] Eleg. 10. lib. 3.

Pars igitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura, laremq; suum.
Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis.

SOLLICITÆ SEDIS] Sollicitæ, propter hostes assiduos. Et adhuc *nouus incola*. Nam 1. de P. eleg. 1. *Naso Tomitanæ iam non nouus incola terræ.*

NIM. FATI TEMP. LENTA MEI] Eleg. 8. lib. 3.

Tantus amor necis est, querar vt de Cæsaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas.

Quia restitutionem in patriam desperat, ideo mortem inuocat, vt malorum omnium depultricem videlicet.

ET TAMEN AD NVMEROS, &c.] Semetipsum miratur, quomodo in tantis ærumnis resumere possit studium carminis, cum præsertim habeat nullum cui recitet. Res enim, & bona nostra dum communicantur, dulcescunt.

IPSE MIHI SCRIBOQVE, LEGOQVE] cum caream amicis, quorum Romæ iudicium exquirebam. Hoc erat verissimè sibi, & Musis canere.

TVTAQVE IVD. LITT. NOSTRA SVO EST] sui auctoris, qui non nimis seueram fert sententiam. In Ponticis. *Auctor opus laudat.*

SÆPE TAMEN DIXI] apud animum ita mecum locutus sum.

LACRYMÆ SVNT ME SCRIB. PROFVSÆ] ex contemplatione solitudinis meæ, & tantæ, in qua versor barbariæ, adeoque commutatæ in deterius conditionis meæ. Lib. 1. eleg. 1.

Neue liturarum pudeat. Qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiat esse meis.

Vide annota. ibid.

HVMIDA LITTERA] charta litteris exarata.

TANQVAM NOVA VVLNERA] quæ diuturnitate ipsa iam coire in cicatricem debuerãt, adhuc ipso sensu recentia, & tanquam nuper facta sunt.

INQVE SIN. MOESTÆ. LAB. IMB. AQVÆ] mœsta aqua est mœsti aqua. Et ὑπερβολικῶς imber. Maro ὑπερβολικώτερον 1. AEneid. *Largoque humectat flumine vultum.* & 4. AEneid. de Didone. *Sic effata, sinum lacrymis impleuit obortis.*

MANVS STVD. IRATA SIBIQVE, &c.] Venustè, quod suum est manui, velut ratione præditæ, tribuit. Sed huiusmodi lepores omnes in B eo notare, nimis laboriosum, parumque necessarium sit.

MISIT IN ARSVR. CARM. N. ROGOS] Sicut qui amaram potionem sumpserunt, ipsum quoque poculum vnde hauserunt postmodum oderunt: ita Ouidius, quia carmine perierat, interdũ carmina sua in ignem coniiciebat. Quod vtinam ne fecisset. Etenim, vt vides ipse, nos minorem eorum partem adeptos autumat, cui veniam petit.

TV QVOQVE ROMA, &c.] apostrophe, qua rogat, vt æquo animo carmen cum ipsis temporibus suis consentiens, hoc est, non dolatum, non elaboratum, & miserabile, legere velit.

CONSVLE BONI] 3. de P. eleg. 8. *Tu tamen hæc quæso consule missa boni.* Seneca lib. 1. de Benef. Hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas. Idem est, æqui bonique facias.



ELEGIA SECVNDA.

AVGVRIVM GERMANIAE TRIVMPHATAE.

ARGVMENTVM.



E Germania auspiciis Augusti, & virtute Tiberij subacta agendi triumphi luculenta descriptio, immistis tamen, quę in eo triumpho non fuerunt. Quem cum oculis coram intueri non detur, mente conspecturum, & eatenus saltem in patria futurum: siquidem ea nullis locis excludatur. Auditurũ quo-

que ab iis qui interfuerint, quæ nunc fingere cogatur: quanquam in tam remota loca vix venturum qui narret. Sed si venerit, mira cum voluptate auditurum, licet pridem transactorum iam senescente memoria; atque illo die, publica priuatis anteferentem, luctum omnem valere iussurum. De bellis Tiberij Germanicis Sueton. cap. 9. Exhinc Rhæticum, Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico, atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Brencos, & Dalmatas subegit. Germanico XL millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocauit. Quas ob res & ouans, & curru vrbem ingressus est: primus, vt quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. Qui triumphum Romanum strictim descriptum legere volet, habet dial. meum 20. secundæ Tertij, & Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. Describitur & paucis 1. Art. ab eo loco,

Ergo erit illa dies, qua tu pulcherrime rerum
Quattuor in niueis aureus ibis equis, &c.

quem de Parthis Tiberio Augusti filio, aut Caio nepoti ominatur, vt quidem videtur.

Iam fera Cæsaribus Germania, totus vt orbis,
Victa potest flexo succubuisse genu.
Altaque velantur fortasse palatia sertis:
Turaque in igne sonant, inficiuntque diem:
Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingit humum:
Donaque amicorum templis promissa Deorum
Reddere victores Cæsar vterque parant:
Et qui Cæsareo iuuenes sub nomine crescunt,
Perpetuò terras vt regat ista domus.
Cumque bonis nuribus pro sospite Liuia nato
Munera dat meritis, sæpe datura, Deis:
Et pariter matres, & quæ sine crimine castos
Perpetua seruant virginitate focos.
Plebs pia, cumque pia lætatur plebe senatus:
Paruaque cuius eram pars ego nuper, eques.
Nos procul expulsos communia gaudia fallunt:
Famaque tam longè non nisi parua venit.
Ergo omnis populus poterit spectare triumphos:
Cumque ducum titulis oppida capta leget:
Vinclaque captiua reges ceruice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos:

Et cernet vultus aliis pro tempore versos:
Terribilesque aliis, immemoresque sui,
Quorum pars causas, & res, & nomina quaeret:
Pars referet, quamuis nouerit illa parum.
Hic, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,
Dux fuerat belli: proximus ille duci.
Hic, qui nunc in humo lumen miserabile fixit,
Non isto vultu, cùm tulit arma, fuit.
Ille ferox, & adhuc oculis hostilibus ardens,
Hortator pugnae, consiliumque fuit.
Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
Squallida demissis qui tegit ora comis.
Illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro,
Saepe recusanti corpora capta Deo.
Hic lacus, hi montes, haec tot castella, tot amnes,
Plena ferae cadis, plena cruoris erant.
Drusus in his meruit quondam cognomina terris,
Quae bona progenies digna parente fuit.
Cornibus hìc fractis viridi malè tectus ab vlua
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.
Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis inuicti sub pede moesta sedet:
Collaque Romanae praebens animosa securi
Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.
Hoc super in curru Caesar victore veheris
Purpureus populi ritè per ora tui.
Quaq; ibis, manibus circumplaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias.
Tempora Phoebea lauro cingentur: ioque
Miles iô magna voce triumphe canet.
Ipse sono, plausuque simul, fremituque calentes
Quadriiugos cernes saepe resistere equos:
Inde petes arcem, & delubra fauentia votis:
Et dabitur merito laurea vota Ioui.
Haec ego summotus, qua possum mente, videbo:
Erepti nobis ius habet illa loci.
Illa per immensas spatiatur libera terras:
In caelum celeri peruenit illa via.
Illa meos oculos mediam deducit in vrbem:
Immunes tanti nec sinit esse boni.

Inuenietque animus, qua currus spectet eburnos:
Sic certè in patria per breue tempus ero.
Vera tamen capiet populus spectacula felix:
Lætaque erit præsens cum duce turba suo.
At mihi, fingenti tantum, longeque remoto,
Auribus hic fructus percipiendus erit.
Atque procul Latio diuersum missus in orbem,
Qui narret cupido vix erit ista mihi.
Is quoque iam serum referet, veteremque triumphum,
Quo tamen audiero tempore, lætus ero.
Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam:
Causaque priuata publica maior erit.

COMMENTARIVS.

IAM FERA GERMANIA] Rebellatricem vocauit eleg. 12. lib. 3.

Teq; rebellatrix tandem Germania magni
Triste caput pedibus supposuisse ducis.

Horat. Ode 16. *Nec fera cærulea domuit Germania pube.*

TOTVS VT ORBIS] Paret Cæsaribus totus orbis: iam tu quoque Germania parebis, & illis genua flectes, eorum armis domita videlicet. Totum orbem paruisse Romanis, etiam de habitatis locis omnibus, non est verum. De flore autem Asiæ, Africæ, Europæ verum est. Vide Lipsium in Admirand. lib. 1. cap 3.

ALTAQVE VELANT. F. PALAT. SERTIS] Eleg. 1. lib. 1.

Forsitan exspectas an in alta palatia missum,
Scandere te iubeam, Cæsareamq; domum.

Virgil. de Didone in 4. *intenditque locum sertis.* Sed de moritura, & alio quodam sertorum genere, B funebri inquam. Domos igitur Imperatorum victorum velari festis frondibus, & sertis consueuisse vel hinc apparet. Quanquam & delubra viæ proxima intendi sertis, & suffitionibus suaueolentibus repleri solerent.

THVRAQVE IN IGNE SONANT] Eleg. 13. lib. 3. *Macaq; sollemni thuris in igne sonet.*

INFICIVNTQVE DIEM] Volat enim vapor ater ad auras. cœlique serenitatem infuscat.

ADDVCTA SECVRI] in altum sublata. Mactabantur boues albi, cornibus inauratis, vittis ac sertis euincti.

VICTIMA] 1. Fast.

Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur.
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

DONAQVE AMICOR. T. PROMISS. DEOR.] Vel dona, quæ Imperatores templis deo- A rum sibi fauentium: vel dona amicorum, quæ pro Imperatoribus amici ipsorum diis promiserant. Nam liberi, vxores, & propinqui in militiam abeuntium vota suscipere, & dona promittere solebant. Prior sensus commodior.

CÆSAR VTERQVE] Augustus, & Tiberius.

CÆSAREO IVVENES SVB NOMINE] Germanicus Drusi, & Drusus Tiberij filius, ambo Cæsares dicti.

DOMVS ILLA] domus Augusti. Et ostendit quo fine vota suscepta sint: nempe vt penes domum Augusti perenne sit orbis imperium. *Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis,* terris imperitent.

CVMQVE BONIS NVRIBVS] Cum bonis, ac piis matronis. Non enim est hîc, vt nec alibi apud poëtas, τῶν πρός τι, seu ex iis, quæ cum aliquo conferuntur, seu ad alia affecta sunt, quæ vulgo B dialecticorum relatiua, & correlatiua. Aut cape dictum de vxoribus, Germanici Agrippina, Iuliæ & Agrippæ filia, & de Liuia Germanici sorore, nupta Druso iuniori, Tiberij filio. Nam & nepotum vxores auiæ nurus sunt. Auia autem Liuia.

PRO SOSPITE NATO] Pro Tiberio, quem, vt Drusum, ex Claudio Tiberio Nerone genuerat.

MERITIS SÆPE DATVRA DEIS] propter plures victorias. Paulò infrà: *Et dabitur merito laurea vota Ioui.* Lib. 1. eleg. 10. *Hæc si contigerint, merita cadet agna Mineruæ.*

ET PARITER MATRES] ob filios sospites.

PERPETVA SERVANT VIRGIN. FOCOS] annos 10. sacra discebant. 10. faciebant. 10. docebant. Post annum demum 30. solutæ sacerdotio nubere poterant. Quæ nupsisset, tota vita

reliqua intamiam subibat. Minorem quam annos 6. maiorem quam annos 18. natam, capere non licebat. Lege Gell. lib. 1. cap. 12. Caussæ, quare ministræ huius Deæ, Vestæ puta, virgines, sunt hæ quatuor. Quoniam ipsamet virgo. Quoniam Vesta ignis, qui nihil gignit. Quoniam aduigilant facilius ad custodiam ignis, vtpote liberæ à viris, prolibus, aliis curis. Quoniam mulieres sentire debent, in natura fœminarum omnem castitatem peti: seu, vt est in aliis libris, naturam fœminarum omnem castitatem pati. Plenius hæc Lipsius de Vesta & Vestal. cap. 5.

PLEBS PIA CVMQVE PIA, &c. SENAT.] Senatus populusque, omnis ordo, sexus, ætas in veste candida ad triumphãtem velut numen aliquod vidẽdum, excipiendumq; se foras dabant.

PARVA PARS EGO NVP. EQVES] etiam equites occurrebant, in quibus ipse nuper vt parua pars numerabatur. Vide Prodidag.

NOS PROCVL EXPVLSOS, &c.] nos in alium orbem relegati, cõmunibus interesse gaudiis vetamur. Sed hoc incommodum vtcunque toleraremus, nisi etiam fama, & nuntiis carere cogeremur.

CVMQVE DVCVM TIT. OPPID. CAPTA LEG.] Propert. lib. 3. eleg. 4. *& titulis oppida capta legam.* In prima pompa, & ceu in fronte agminis longissimi, ordine longo præportabantur simulacra montium, fluuiorum, oppidorum, atque vrbium, quas acquisissent triumphatores, ex ebore, & auro omnia. 2. de P. eleg. 1. vbi de hoc ipso triumpho agit, oppidorum simulacra argentea prælata dicit. Ante currum ibant reges capti, nobiles, duces bello clariores, constrictis à tergo manibus. Simul autem de foro versus capitolium currus triumphalis flectebat, duces in carcerem abduci iubebat Imp. vbi vel æternis in vinculis retinebantur; vel securi statim feriebantur. Gestabantur item tabulæ, in quibus grandibus elementis præscriptus nauium captarum numerus, vrbium expugnatarum, in fidem receptarum, tributo affectarũ, gentium debellatarũ, regum deuictorũ nomina, qui tituli dicebantur.

VINCLAQVE CAPT. REG. CERV. GERENT.] Plin. Panegyr. Videor iam cernere non spoliis prouinciarum, & extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumq; regum catenis triumphum grauem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula, & sua quemque facta vinctis manibus sequentem, &c. De Zenobia, quam Aurelianus Imp. in triumpho duxit. Vopiscus. Incedebat etiam Zenobia gemmis ornata, catenis aureis, quas alij sustentabant.

ANTE CORONATOS EQVOS] triumphãtis currum trahebant equi candidi quatuor, qui & ipsi lauro coronabantur. Martial. lib. 7.

Festa coronatus ludet conuitia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

A *ALIIS PRO TEMP. VERSOS*] intuebitur populus captiuorũ vultus, horum quidem pro conditione, & fortunæ mutatione mœstos, & in humum deiectos: illorum autem adhuc terribiles, truces, minaces, quales erant in ipso prælio.

IMMEMORESQVE SVI] præ iracundia in victorem non animaduertentium quid agant, & quos tam toruè aspiciant.

PARS CAVSS. ET RES, ET NOM. QVÆR.] plebis pars interrogabit, pars respondebit quod audiuerit, incerta cum certis.

SIDONIO FVLG. SVBLIM. IN OSTRO] Cic. 2. Catilin. qui nitent vnguentis, qui fulgent in purpura. μίμησις est narrantium, & digito commonstrantium. Hic fuerat hostium summus Imperator.

B

PROXIMVS ILLE DVCI] Ille erat ei honore, & potestate secundus.

IN HVMO LVM. MISERAB. FIXIT] præ pudore. Cic. Catilin. 3. de coniuratis in senatum introductis. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima sunt visa argumenta, atq; indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique vniuscuiusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant; sic terram intuebantur: sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, vt non iam ab aliis indicari, sed ipsi à se viderentur.

NON ISTO VVLTV] non tam humili, & abiecto. Spirabat Martem ipsum.

C *CONSILIVMQVE FVIT*] duci hostium à consiliis fuit.

ILLVSIT FRAVDE LOCORVM] Vnum è strategematis, intercipere hostem locorum angustiis. Fauces appellant.

DEMISS. QVI TEG. ORA COM.] qui est promisso, & hispido capillo, vt lugentes, & rei solent esse.

ILLO MINISTRO] ministrum sacrorum, siue sacerdotem intellige.

RECVSANTI DEO] Aiunt illũ, quem monstrant, sæpe diis suis quamuis nolentibus mactasse captiuos. Sic eleg. 4. dicit Dianam crudelia sacra perosam : hospites enim illi in regione Taurica cædebantur.

D *HIC LACVS, HI MONTES, &c.*] quorum simulacra præferri vides.

DRVSVS IN HIS MER. Q. COP. TERRIS] In Germaniam missus ab Augusto Drusus, magnum sibi nomen peperit. Florus lib. 4. cap. 12. ab eo loco. Missus in eam prouinciam Drusus, domuit Vsipetes, &c. De cuius victoriis Horat. Ode 14. lib. 4.

——mox graue prælium
Commisit, immanesq; Rhætos
Auspiciis pepulit secundis.
Spectandus in certamine Martio
Deuota morti pectora libera
Quantis fatigaret ruinis.
Indomitas prope qualis vndas

Exercet Auster Pleïadum ebero
Scindente nubes, &c.

Et Ode 4. eiusdem libri.

Videre Rheti bella sub alpibus
Drusum gerentem. Vindelici, &c.

Tota Ode est de eius laudibus. Obiit in Germania fracto crure. vt Liuius lib. 140. morbo, vt Suetonius narrat. Eam mortem longiusculo carmine ad Liuiam deplorat seu Albinouanus, seu Ouidius. De eius cognomine (dictus est Germanicus, sed post obitum) Florus. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iunene, ipsi, quod nunquam aliâs alteri, senatus cognomen ex prouincia dedit. Memorabile item quod prodidit Plin. ep. 5. lib. 3. Nam vbi auunculum suum Plin. libris XX. omnia bella, quæ cum Germanis pop. Rom. gessit collegisse, & inchoasse retulit, hæc addit. Adstitit enim ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latissimè victor, ibi periit. Commendabat memoriam suam, orabatque, vt se ab iniuria obliuionis assereret.

DIGNA PARENTE FVIT] Vero, & naturali parente suo Tib. Claud. Nerone, de cuius maioribus eadem Ode. *Quid debeas Roma Neronibus, &c.*

CORNIBVS HIC FRACTIS, &c.] Fluminibus cornua tribuuntur propter obliquitatem riparum. ἀλληγορικῶς dicit eius potentiam esse fractam. Rhenum bicornem nominat Maro in extremo 8. quoniam etiam fluuiorum ostia, & ora dicuntur cornua. Duobus autem ostiis exit in mare.

MALE TECTVS AB VLVA] præ timore delitēs sub vlua. Formidinem accolarum exprimit. Sinon 2. AEneid. *Limosóq; lacu per noctem obscurus in vlua Delitui.*

CRINIB. GERM. PASSIS] Bella personæ effictio. Passus capillus in muliere doloris, & luctus indicium. Virgil. 2. AEneid. *interea ad templum non aqua Palladis ibant Crinibus Iliades passis.* Liuius lib. 1. ab V.C. Tum Sabinæ mulieres, quarum ex Iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissaque veste, victo malis muliebri pauore, ansæ se inter tela volantia inferre.

VINCVLA FERT ILLA MANV] Deducibus suprà, eos ferre collo iniecta vincula.

HOS SVPER IN CVRRV VICT. VEHER.] post hos, antecedebant enim victi duces, & reges. Victorem currum vocat, quem nos triumphalem. Erat autem inauratus, gemmis distinctus, turri rotundæ similis. duabus rotis sustinentibus, deorum imaginibus mire decoratus. Aureum appellat Horatius Ode 9. Epod. & Philostratus in vita Dionis. A Tarquinio Prisco, Roman. rege V. ait venire Florus lib. 1. cap. 5. quod aureo curru quatuor equis triumphatur. Plin. panegyr in Traianum. Videor intueri mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo.

PVRPVREVS] per enallagen, pro purpuratus. Sic Horat. Ode 35. lib. 1. ad Fortunam.

Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesque gentesque, & Latium ferox
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.

Imperator triumphans veste purpurea, auro intertexta fulgebat, quali extra hanc pompam vti nemini licebat, caput reuinctus corona laurea, tenens vna manu ramum laureum, altera sceptrum eburneum. Quid differant vestis purpurea, & coccinea, docet Brodæus lib. 1. cap. 6. Miscellan.

MANIBVS CIRCVMPLAVD. TVOR.] Plausus signum lætitiæ, quo clari viri etiam in theatrum venientes à populo excipiebantur. Colligitur ex Horat. Ode 20. lib. 1.

VNDIQVE IACTATO FLORE TEG. VIAS] Eleg. 1. lib. 2. de P.

Quaq; ierit, felix adiectum plausibus omen,
Saxaq; tactatis erubuisse rosis.

Et 1. Amor. eleg. 2. de Cup.

Læta triumphanti de summo mater olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Aliâs item pop. Roman. floribus aspergere, coronas, & lemniscos piicere solebat in eos, quos cohonestare volebat. Liuius lib. 33. ludis vero dimissis, cursu prope omnes tendere ad Imperatorem Romanum (Q. Flaminium) vt ruente turba in vnum, adire, cōtingere dextram cupientium, coronas, lemniscosque iacientium, haud procul periculo fuerit. Capitolin. in M. Antonino. In Saliatu omen accepit imperij. Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ aliis locis hæserunt, huius velut manu capiti Martis aptata est. Tacit. annal. lib. 14. Octauiæ imagines gestant humeris, spargunt floribus. Locus est etiam insignis in Commodo Herodiani. Tota quoque via, qua triumphus ducebatur, aulæis ad parietem suspensis ornabatur: flores, & odores vndique: vtrinque sedilia, & tabulata, seu ponticuli pro spectaculis disponebantur: & quo esset aptior, expeditiorque via, ministri baculos inauratos ferentes, turbam è medio summouebant.

TEMP. PHOEBEA LAVRO CING.] Licebit hoc accipere de Tribunis, Centurionibus, Præfectis, equitibus, peditibus insignioribus de exercitu, qui nimirum donis militaribus ob egregia facinora cohonestati fuerant, quæ dona palam quoque conspicienda ferebantur, erantque varia coronarum genera, torques, phaleræ, armillæ. Hi omnes lauro coronati currum præcedebant, Iô triumphe clamantes. Quod etiam faciebant victrices legiones per turmas diuisæ, & agmen claudentes, ipsæ similiter laurea serta gestantes. Erant præterea coronati citharœdi, tibicines, & ministri omnes.

MILES IO MAG. VOCE TRIVMPH.] Horat. Ode 2. lib. 4.

Tuq; dum procedis, Iô triumphe
Non semel dicemus, Iô triumphe
Ciuitas omnis, dabimusq; diuis
Thura benignis.

Martial. lib. 9. *Rursus iô magna clamat tibi Roma triumphos.* Varro lib. 5. de ling. latin. Triumphare appellatum, quod cum Imperatore redeuntes milites, clamitant per vrbem in Capitolium eundo, iô triumphe. Liuius lib. 45. Militum quidem propria caussa, qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt insignes, triumphum nomine cient. Atque hoc futurum prænuntiauit Apollo 1. Metamorph.

Tu ducibus latis aderis, cum lata triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

QVADRIIVGES CERNES. S. RESIST. EQVOS] Propert. eleg. 4. lib. 3.

Qua videam spatiis oneratos Cæsaris axes
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.

Tantæ, & tam multæ voces gratulantium, & εὐφημούντων, & iô triumphe exclamantium, faciunt equos illos quatuor, currum triumphalem trahentes, exterritus sæpius resistere.

INDE PETES ARCEM] Per viam sacram procedebat pompa in Capitolium, quam nominat arcem, quod situm in loco edito, monte Tarpeio.

DELVBRA FAVENTIA VOTIS] propter Iouem ibi cultum, qui fauit votis Imperatoris ad bellum exeuntis, & pop. Romani.

DABIT MERITO LAVREA VOTA IOVI] Suprà *meritis sæpe datura deis.* In Capitolium cum esset ventum, Imp. victor diis gratias conceptis verbis agebat. Tum magna cærimonia victimæ cædebantur, & corona aurea cum pretiosis manubiis, & spoliis opimis Ioui dicabatur. Ouid. nihilominus ait, dari solitam lauream, eamque ex voto. Rursum eleg. 4. lib. 3. de P. *Danda Ioui laurus dum prior illa viret.* Quam quidem non ipsos triumphantes gestare; sed seruum in curru eodem, qui supra illius verticem eam teneret, post se habere tradunt. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. Triumpho finito, in gremio Iouis Capitolini deponebatur, vel templis dicabatur: Seneca Consolat. ad Albinam. Plin. lib. 15. cap. 30. Et lib. 6. cap. 4. Plin. iunior in Panegyrico.

EREPTI NOB. IVS HAB. ILLA LOCI] Vbi corpore adesse non possum, ibi mente, & cogitatione versari quis me prohibeat?

ILLA PER IMMENSAS IN CÆLVM CELERI, &c.] Locus communis de libertate ac celeritate mentis, cui nihil est nimis remotum, neque inuium, cœlum, terrasque momento temporis perambulat, &, vt est in 1. de nat. deor. cogitatione quiduis potest depingere. Huius distichi velut paraphrasin elegantissimam inueni apud Lactant. de opificio dei, cap. 16. quam ad verbũ attexo. An potest aliquis admirari, quod sensus ille viuus, atque cælestis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ nobilitatis est, vt ne tum

A quidem, cum consopitus est, conquiescat: tantæ celeritatis, vt vno temporis puncto cœlum omne collustret? &, si velit, maria peruolet? terras, ac vrbes peragret? omnia denique quæ libuerit, quamuis longè, lateque summota sint, in conspectu sibi ipse constituat? Et miratur aliquis, si diuina mens. &c.

MEOS OCVL. MED. DED. IN VRB.] oculis meis omnia repræsentat, quasi essem in media vrbe.

IMMVNES TANTI BONI] inexpertos tantæ voluptatis. Nihil enim triumpho Romano splendidius, ac magnificentius, ad quem omnes pompæ nostræ quid sunt nisi somnium?

INVENIESQVE ANIM. QVA SPECTET.]
B omnibus locis occupatis licet, tamen animus meus inueniet vnde spectet. Immò hic, qui locum non occupat, ex omni loco spectare poterit.

CVRRVS EBVRNOS] inauratos supra fuisse dicebamus. Sed poterat ipsum ebur auro ornari.

PER BREVE TEMP. ERO] quandiu durat hæc pompa. Erat autem tantus plerumque apparatus, tantaque rerum visendarum copia, vt aliquando noctes, & dies, totumque triduum ducendo triumpho consumeretur.

VERA TAMEN CAP. P. SPECTACVL.] Auditis sæpe admiscetur mendacium, oculi non falluntur. Facetè anus lena in Casina, ni fallor.
C *Oculatæ sunt manus nostræ, credunt quod vident.*

LÆTAQVE ERIT PRÆSENS TVRBA, &c.] Aliud est lætari præsentem videndo; aliud solùm cogitatione, & imaginatione præsentem. Ego sola auditione, non etiam aspectu ipso hunc fructum percipiam.

VIX ERIT] Eleg. 12. lib. 3.

Rarus ab Italia tantum mare nauita transit,
Littora rarus in hæc portubus orba venit.

ILLA DIES VENIET] illucescet aliquando dies ille.

CAVSSAQVE PRIVAT. PVB. M. ERIT] Plus valebit lætitia publica, quæ me quoque exhilarabit, quam priuatus mœror.

D





ELEGIA TERTIA.

CONIVGI SE DOLORI ESSE GAVDET; PVDORI ESSE VETAT.

ARGVMENTVM.

VRsam vtramque rogat, vt quæ nunquam occidant & circum polum voluantur semper, summamq́ue cæli arcem teneant, & intueantur omnia Romam, & vxorem ibidem suam aspicientes, & considerantes sibi nuntient, ecquid sui memoriam adhuc conseruet? Mox semet dubitantem corrigens, & memorem sui autumat, & ipsius erga se amorem incredibilem ex magnitudine doloris illius, & desiderio mariti egregie demonstrat. Ac fletum quidem, & dolorem pro solatio illi concedit. Mallet tamen in patria extremo die perfunctus ab ipsa defletus fuisse. Hortatur ne calamitatem suam sibi pudendam ducat, & amplificationem addit ab exemplis: sed eam fortitudinis, quæ elucet in aduersis, materiam sibi faciat. Imperfectè, & ineptè huius elegiæ, vt aliarum multarum, inscriptio in vulgatis concepta est. *ALLOQVITVR VTRAMQVE VRSAM.* Verum hoc. Sed quinque primis distichis tantùm; reliquis 37. vxorem alloquitur. Quid autem ei diceret, strictim indicatum oportebat; id quod nos argumentis, & lemmatis nostris propositum habemus.

Magna, minorq́; feræ, quarum regis altera Graias,
Altera Sidonias, vtraque sicca, rates:
Omnia cum summo positæ videatis in axe:
Et maris occiduas non subeatis aquas,
Ætheriamq́; suis cingens amplexibus arcem
Vester ab intacta circulus extet humo:
Aspicite illa precor, quæ non bene mœnia quondam
Dicitur Iliades transiluisse Remus.
Inq́; meam nitidos dominam conuertite vultus:
Sitq́; memor nostri necne, referte mihi.
Hei mihi, cur timui? quæ sunt manifesta requiro?
Cur labat ambiguo spes mea mista metu?

Credo

Crede quod est, & vis: ac desine tuta vereri:
  Deq; fide certa sit tibi certa fides.
Quodq; polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ:
  Non mentitura tu tibi voce refer:
Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est:
  Quodque potest, secum nomen habere tuum.
Vultibus illa tuis tanquam præsentibus hæret:
  Teque remota procul, si modò viuit, amat.
Ecquid, vbi incubuit iusto mens ægra dolori,
  Lenis ab admonito pectore somnus abit?
Tunc subeunt curæ, dum te lectusq; locusq;
  Tangit, & oblitam non sinit esse mei?
Et veniunt æstus, & nox immensa videtur?
  Fessaq; iactati corporis ossa dolent?
Non equidem dubito, quin hæc & cætera fiant:
  Detq; tuus mœsti signa doloris amor:
Nec cruciere minus, quàm cùm Thebana peremptum
  Hectora Thessalico vidit ab axe rapi.
Quid tamen ipse precer dubito: nec dicere possum,
  Affectum quem te mentis habere velim.
Tristis es: indignor, quòd sim tibi causa doloris:
  Non es: vt amisso coniuge digna fores.
Tu verò tua damna dole, mitissima coniux:
  Tempus & à nostris exige triste malis:
Fleq; meos casus: EST QVAEDAM FLERE VOLVPTAS:
  EXPLETVR LACRYMIS EGERITVRQVE DOLOR.
Atque vtinam non vita tibi lugenda, sed esset
  Mors mea: morte fores sola relicta mea.
Spiritus hic per te patrias exisset in auras:
  Sparsissent lacrymæ pectora nostra piæ:
Supremóque die notum spectantia cælum
  Texissent digiti lumina nostra tui:
Et cinis in tumulo positus iacuisset auito:
  Tactáque nascenti corpus haberet humus:
Denique dum vixi sine crimine, mortuus essem:
  Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.
Me miserum, si tu, cùm diceris exulis vxor,
  Auertis vultus, & subit ora rubor.

Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri:
Me miserum, si te iam pudet esse meam.
Tempus ubi est illud, quo te iactare solebat
Coniuge? nec nomen dissimulare viri?
Tempus ubi est, quo te, nisi non vis illa referri,
Et dici (memini) iuuit & esse meam?
Vtq; proba dignum est; omni tibi dote placebam:
Addebat veris multa fauentis amor,
Nec, quem præferres, (ita res tibi magna videbar)
Quémue tuum malles esse, vir alter erat.
Nunc quoque ne pudeat quòd sis mihi nupta: tuusque
Non debet dolor hinc, debet abesse pudor.
Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu,
Non legis Euadnen erubuisse viro.
Nec quia rex mundi compescuit ignibus ignes,
Ipse suis Phaëthon infitiandus erat.
Nec Semele Cadmo facta est aliena parenti,
Quod precibus periit ambitiosa suis.
Nec tibi, quòd sæuis ego sum Iouis ignibus ictus,
Purpureus molli fiat in ore rubor.
Sed magis in nostri curam consurge tuendi:
Exemplumq; mihi coniugis esto bonæ:
Materiamq; tuis tristem virtutibus imple.
ARDVA PER PRAECEPS GLORIA VADIT ITER.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
QVAE LATET, INQVE BONIS CESSAT NON COGNITA REBVS,
APPARET VIRTVS, ARGVITVRQVE MALIS.
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas quà tua tollat habet.
Vtere temporibus, quorum nunc munere freta es:
En patet in laudes area magna tuas.



COMMEN-

COMMENTARIVS.

MAGNA, MINORQVE FERA,&c.] Vtsa maior, & minor, quas communi nomine Arctos vocat in Georg. Virgil. Constat vtraque stellis 7. Minor Cynosura dicitur, maior Helice. De vtraque Hygin. lib.2. principio. A Phœnicibus potissimùm Cynosura inter nauigandum obseruatur. Sidon quippe in Phœnicia. Maior autẽ à Græcis. Ouid.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet.

De his duobus astris, eorumque obseruatoribus 3. Fast. Aratus in Phænom. Valer. Flaccus lib.1.

VTRAQVE SICCA] neutra occumbit, quod dicunt poëtæ in oceanum descendere, quemadmodum & de sole eodem genere locutionis vtuntur, quoniam ita sensus nauigantium iudicat, & in continente quoq; versantium, qui post terræ spatium aspectu definirum, mare imaginantur. Statim siccitatem istam expianat, *& maris occiduas non subeatis aquas.*

ÆTHERIAMQ. S. CINO. AMPL. ARCEM] Circulus arcticus est breuissimus, ab vrsis nominatus, quæ sunt astra vicina polo septentrionali, atq; ideo nequeunt occidẽdo quasi terram contingere, vt alia, quæ dum occidunt, sub terras labi dicuntur.

QVÆ NON BENE MOEN. QVONDAM,&c.] Fast.3.

Mœnia conduntur, quæ quamuis parua fuerunt,
Non tamen expedit transiluisse Remo.

Cum duæ opiniones ferantur de interitu Remi, fratris Romuli (siquidem orti ambo ex Ilia Numitoris Albanorum regis filia) vna, post captatum augurium Remo priori sex vultures, Romulo posteriori duodecim venisse, & vtrumque sua multitudo regem consalutasse, & tempore illos præcepto, at hos numero auium regnum traxisse; inde cum altercatione congressos, à certamine irarum ad cædem versos, atque ibi in turba Remum cecidisse; alteram vulgatiorem affirmat Liuius lib.1. nimirum hanc. Ludibrio fratris Remum nouos transiliisse muros. Inde ab irato Romulo, eum verbis quoque increpitans adiecisset: sic deinde quicunque alius transiliet mœnia mea, interfectum. Verba Romuli fratrem percutientis apud Ennium annali 1. videntur hæc, relata à Columna ex Macrob. lib.6. cap.1.

Nec pol homo quisquam faciet impune animatus
Hoc, nisi tu: nam mi calido das sanguine pœnas.

INQVE MEAM DOMIN.] Necesse non est testimonia repetere, quibus doceamus vxores olim dominarum appellatione ornati solitas. Infra eleg.10. *Inq; sinu Domina.*

NITIDOS VVLTVS] propter stellarum nitorem, quo nihil nitidius.

A SITNE MEM. N. REFERTE MIHI] Miretur quispiam, cur potissimùm huius rei nuntias sibi Arctos esse cupiat: nam quod illis sensum, & intelligentiam affingit, mysterium poëticum est. Sed huic quæstioni in argumento per ὑπόληψιν occurrimus. Quod verò præ omnibus vxorem sui optat esse memorem, argumento est, illam præ cæteris sibi charam, quod alibi non dissimulauit. Iam quo quispiam nobis charior, eo nos illi etiam chariores esse, & mutuum nobiscum facere cupimus.

HEV MIHI CVR TIMVI? &c.] Hic versus sincerius legitur. Aut ira *Heu mihi, cur nimium, quæ sunt manifesta requiro?* Aut *Heu mihi, cur timeo? cur quæ manifesta requiro?* Lipsiensis editio habet, *Heu mihi, cur timui? quæ sunt manifesta requiro?* non placet. Ob

B iurgat semetipsum de dubitatione sua, hortaturque ad credendum de illius erga se fide, & amore omnia.

LABAT SPES MEA MISTA METV] Cur fluctuo inter spem, & metum? labare est ruere, & repente cadere. Virgil.2. Aeneid. *Labat ariete crebro ianua.* Labi verò est leniter, sensimque deorsum ire, vt labuntur flumina, labitur cælum.

DEQVE FIDE CERTA. S. TIBI. C. FID.] Traductio gemina, quam sic definit Cornificius lib.4. Quæ facit, vt cum idem verbum crebrius ponatur, non modò non offendat animum; sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto. Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Huiusmodi repetitio eiusdem vocis in casuum varietate spectatur.

POLO FIXAE FLAMMAE] Ex eorum dogmate, qui astra obtinere naturam igneam asseruerunt. Sic Catull. in carm. nuptial. *Hespere, qui cælo*

C *lucet crudelior ignis.* Et Virg. lib.8. de Lucifero, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* Horat. Ode 12. lib.1.

——micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

NON MENTITVRA VOCE] Tu ipse respondeti tibi responsione verissima, & certissima, quæ sequitur.

DE QVA TIBI MAX. CVRA EST] Eleg.3. lib.3.

Te loquor absentem, te vox mea nominat vnam,
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.

NOMEN TVVM] nomen non in charta, nec in pictura aliqua, sed in pectore, id est, memoriam, & vultus, qui hærent illi in præcordiis, vt sequitur.

SI MODO VIVIT, AMAT] Quasi dicat, dum vixerit, quamuis interuallo maximo abs te disiuncta, te amare non desinet.

A Vt incvrvit ivsto. m. aeo. dol.] vt se dedidit dolori, vt dolori habenas laxanit.

Ab admonit. p. somnvs abit?] Virg. 4. Aeneid. de Didone.

At non infelix animi Phœnissa, nec vnquam
Soluitur in somnos, oculisue, aut pectore noctem
Accipit, ingeminant curæ.

Et:

Sola domo mæret vacua, stratisq́; relictis
Incubat; illum absens absentem auditq́; videtq́.

Lectvsqve, locvsqve tangit] hypallage, dum tu lectum, & locum tangis, in quo scilicet quiescere mecum consueueras. Penelope absenti Vlysſi scribens, lectum suum appellat desertum.

B Oblitam non sinit esse mei] I. de Ponto eleg. 5. de patria. *& immemorem non finit esse sui.*

Et veniunt aestvs] Virgil. 12. Aeneid. *varie nequidquam fluctuat æstu.* sic ponitur æstuare à Cicerone. Verrin. 4. Quod vbi auditum est, æstuare illi qui dederant pecuniam. De Arusp. resp. Ille exanguis atq; æstuans se è curia repente proripuit.

Et nox immensa vid.] Penelope Vlysſi.

Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.

Apollodorus apud Athenæum τοῖς γὰρ λυπουμένοις τι, ϗ μεριμνῶσι μακρὰ ἅπασα νὺξ ἴσως φαίνεται, tristibus, aut sollicitis nox omnis videtur longa.

C Fessaqve iactati corp. oss. dol.] Alibi.

Sum vacuus somno, noctem quam longa peregi,
Lassaq́; versati corporis ossa dolent.

Volutant, & versant corpus nunc in hoc, nunc in illud latus, vsque ad lasſitudinem, qui præ sollicitudine, angore, aliòue impotente affectu somnum capere nequeunt. Catull. ad Licinium.

Atq; illinc abij, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisq́ue,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Vt tecum loquerer, simulq́; vt essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iucunde, tibi poëma feci, &c.

Cvm Theban. crvent. Hect. &c.] Talem, tantumq́ue putat esse cruciatum vxoris ob maritum ademptum, quantus fuit Andromaches Eetionis Thebarum regis filiæ, cum corpus viri sui Hectoris, currui Achillis Theſſali alligatum circum vrbem raptari de muro conſpexit. Ne pigeat inspicere Symb. nostras in illud 1. Aeneid. *Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.*

Affect. qvam te ment. hab. velim] Dubitatio, prohibeat, an permittat ei dolorem, & lacrymas. Dolere, tristari, lugere te mea caussa ægre fero.

Non es] subaudi tristis: vellem esses. Quare tandem?

Vt amisso conivge digna for.] vt faceres, quod decet piam coniugem. Deficit oratio in pentametro. Existimo in vtroque carmine adhibendam interrogationem, & ita legendum. *Tristis es? indignor, &c. Non es? vt amisso coniuge, &c.* Plus enim inesset in verbis acrimoniæ.

Tv vero tva damna dole] Indulget, & laxat fræna dolori eius, ac dubitationis suæ partem posteriorem amplectitur: nec solum non vetat dolere; sed suadet etiam. *Tua damna,* quæ me pulso incurristi, cum dimidium tui perdidisti.

Temp. actoa triste] ipsa tristis quod reliquum est temporis viue.

A nostris malis] post exilium meum.

Est qvaed. flere volvpt. &c.] Flentes enim ante oculos sibi cōstituunt res charas, quibus priuati sunt; amicorum vultus, colloquia, & quidquid inde iucunditatis aliquando perceperunt. Quarum rerum cogitatio & dulcem fletum excitat, & excitatum auget. Testem laudo Senecam, epist. 99. Inest quiddam dulce tristitiæ, cum occurrunt sermones eorum quos amisimus iucundi, conuersatio hilaris, officiosa pietas. Tunc oculi velut gaudio relaxantur. Non enim simpliciter in omni lacrymatione est voluptas: immo in quibusdam ira magna, & furor, & non nisi acerbus dolor, qui profectò ipsis lacrymis etiam non expletur, nec egeritur. Menander lacrymas nihil prodesse dicit: mœrorem tamen eas non secus atque arbores suos fructus producere.

Τί οὖν πλέον ποιοῦμεν; οὐδέν. ἡ λύπη δ᾽ ἔχει
Ὥσπερ τὰ δένδρα καρπὸν τὰ δάκρυα.

Vtinam lvgend. tibi non vita, &c.] Quamuis gratum habet se lugeri ab ea viuum, & exulem, mallet tamen multò in patria decesſisse, inter manus eius, vt eum potius mortuum luxisset.

Mors mea, morte fores, &c.] Rursum duplex traductio, figura eadem superiori. *Déque fide certa, &c.* Vtinam te viduam reliquissem sola morte, non exilio.

Spirit. hic. p. te pat. exiss. in avr.]
D Excepisses vltimum halitum meum ore tuo. Sanguine proximi corpus morientis, dum traheret animam, amplexi, & vultum vultui imponentes, quasi fugientem animam osculo excipiebant, mox defuncti oculos, & os claudebant. Cicer. 7. Verrin. matresq́ue miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Ad Liuiam noster.

Sospite te saltem moriar, Nero, tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Apud Virgil. 4. Aeneid. Anna, cum Dido sibi iam gladium in pectus adegisset,

—————date, vulnera lymphis

Abluam. & extremus si quis super halitus errat,
Ore legam.

IN PATRIAS AVRAS] In auras patriæ. Medea Iasoni. *Spiritus ante meus tenues vanescat in auras.* De forma ista ioquendi, spiritum, animam exire in ventos, in anras, alibi diximus.

SPARSISS. LACRYM. CORP. N. PIAE] Quod in his iocis nemo mihi faciet. Et tamen, vt legimus in vita, Tomitæ, iicet barbari, non absque lactymis enm tumularunt.

TEXISSANT DIGITI TVI] oculos meos apertos, vt fit morientibus, clausissent digiri tui. Credebant enim nefas, decedẽtium oculos spectari à viuentibus. In rogo antem rursum aperiebantur, qnod illos cælo non ostendi æque nefas crederent. Testis vtrinsque Plinius iib.11. cap.37. Ciaudebant vxores maritis, mariti vxoribns, parentes liberis, iiberi parentibus, fratres fratribns, amici & cognati amicis, & cognatis. Et mos hic Græcis, ac Latinis commnnis, quem illi his verbis exprimere soliri, καθαιρεῖν, συγκαμμύειν, συγκλείειν, τοὺς ὀφθαλμοὺς. ἢ βλέφαρα: hi, condere, formate, operire, premere, comprimere ocuios, lumina. Testimonia liceret congerere pænè innumera. Iocus Bionis apud Laërtium. εὔκολον ἔφασκε τὴν εἰς ᾅδου ὁδόν· καταμύοντας γοῦν ἀπιέναι, faciiem aiebat esse ad inferos viam: clausis enim oculis iilnc iri. Licebir fortasse ritus huius caussas præter illam à Piinio recitatam & has adducere. Vel qnod indicarent mortem esse somnum qnendam. Vel qnod sic cauerent, ne quid præsentes horrescerent, si à mortuo velut aspici se, & obtortis oculis putarent. Vel qnod ita gratum facerent obeuntibns, qnibns tum curæ est, vt composité iaceant, & decoré, destituti anima. Certè Augustus vltimo illo die, vt didicimus ex Suetonio cap. 99. petito speculo, capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit.

CINIS IN TVMVL. IACVISS. AVITO] Cadanerum combustorum cineres in vrnam collecti, humi defodiebantur. Iacere antem in sepulchris maiorum suorum, optabiie, & honorificumest. Cùm enim sepnichra duûm generum fuerint, vnius, qnod quis sibi, vel coniugi suæ duntaxat fecisset: aiterius, qnod sibi, famiiiæ, ac posteris suis, hoc posterius cõmune dicebatnr. Commnnia alio nomine sepnlcra maiorum, patria, auita, gentilia, vel gẽtilitia. Erant porrò subterranea ędificia arcnato opere, panimentis strata, ac parietibus circumsepta, in quæ veiut cellas quasdam per gradns descẽdebatur, foribus conditorij clausis, vel apertis, vt vsus reqnirebat.

TACTAQVE NASCENTI] Soiebant infantes, simul editi essent, humi deponere, & Opem deam innocare, quæ nascentibus opem ferret. Quos autem alere, non abdicare, aut exponere decernebant, eos humo tollebant, cni rei deam Leuanam præficiebãt, quæ scilicet pueris de terra lenandis præesset. Inde illud in And. *Quidquid peperisset, decreuerunt tollere.*

A DVM VIXI SINE CRIM. MORT. ESSEM] Vtinam mortuns essem, dum viuebam in patria innocens, etsi non semper.

NEC MEA SVPPL. V. PVD. POR.] Supplicium, hoc est, exiiium pro snppiicio mihi irrogatum facit, vt me pudeat viuere.

ME MISERVM, SI TV, &c.] Angebit dedecns, & miseriam, si tu quoq; virum exulem erubesces.

ET SVBIT ORA RVBOR] Eleg.8. lib.5. *Te sensi nostris erubuisse malis.* Briseis Achilli. *Flaua verecundus tinxerat ora rubor.* Catull. ad Ortalum. *Huic manat tristi conscius ore rubor.* Tibull. eieg. 4. lib. 1.

Vt innenis primùm virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

ME MISERVM, SI TVRPE PVTAS, &c.] Hoc
B distichho nil aliud dicirur, quam proximè superiore: vt sit vel expolirio; vel, quam in hoc poëta notauit Quintil. iasciuia, seu indulgens sibi ingenium.

QVO TE FACTAM SOLEA. CONIVGE] Apparet hoc matrimonio viri equestris ordinis, & summi poëtæ solitam snperbire.

NISI NON VIS ILLA REFERRI] nisi commemoratio ista tibi fastidio est, ac nauseæ.

VTQVE PROBA DIGNVM EST] Pndica, & proba vxor marirum colit vnicè, & formosiorem, meliorem, sapientiorem putat quam est, amore iudicium præstringente scilicer.

ADDEBAT VER. M. PAVENT. AMOR] & vera de me prędicabas; & falsa etiam non pauca ve-
C ris adiungebas, qnò te beatiorem faceres.

QVEMVE TVVM MALLES, &c.] omnibus me anteponebas. Catull.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi, non si se Iupiter ipse petat.

NVNC QVOQVE NE PVDEAT, &c.] cum tibi tam charus, tamque iucundus fuerim temporibus secundis, non debes me his aduersis abiicere: & dolendus sum tibi, non pudendus.

CVM CECIDIT CAPANEVS] Exemplis demonstrat, propinquos, & necessarios in eorum rebus miseris recognoscendos. Capaneus vnus de VII. ducibus, cum Polynice ad Thebarum expugnationem profectus. Qui, quòd Iouem contemneret, ab eo fulmine ictus interiit. Euri-
D pid. Phœniss. Ab hoc scalas, quibus in muros ascenditur, inuentas refert Veget. lib. 4.

NON LEGIS EVAD. ERVBVISSE VIRO] Ardentissime virum suum diiexit, cuius apud Thebas interitum vt accepit, dolore obriguit. Deinde se in eundem rogum, quo cadauer eius cremabatur, coniecit. Apollodorns lib. 3. Propertius iib. I. eleg. 15.

Coniugij Euadne miseros elata per ignes,
Occidit, Argiuæ fama pudicitiæ.

Euadnes nomen accepit, quod à viro Capaneo bene dotata esset. ἕδνα siquidem vocabant nuptialia munera, & soiebant vxores à viris, non viri ab vxoribus dotem accipere. Iphidis filium facit interpres Pindari, vnde Iphias Ouidio.

NEC QVIA REX MVNDI] Iupiter, mundi dominus. Alibi regem mundi vel à nostro, vel ab alio appellatum non memini. Regem ætheris alti in 12. vocat Virgil.

COMPESCVIT IONIB. IONES] Phaëthontem inscitè, ac perniciosè aurigantem, & curru solis quem ducebat supera atq; infera incendentem, fulmine excussit, & in Eridanum proiecit. Hoc ita expressum extat 2. Metamorph. vbi fabula narratur.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam: pariterq; animaq; rotisq;
Expulit, & saeuis compescuit ignibus ignes.

SVIS] Clymene matri, sororibus, Cygno cognato nō erat inficiandus: quanquam quod maiora viribus tentasset, ob superbiam interiisset.

B

NEC SEMALE CADMO, &c.] Cadmum haud puduit agnoscere pro filia Semelen, tametsi illa ob stultam, & arrogantem petitionem suam fulmine conflagrasset. 3. Metamorph.

SAEVIS ROO SVM IOVIS IONIB. ICTVS] Iram, & pœnam ab Augusto sibi inflictam, vult tanquam fulmen à Ioue immissum haberi. Iouis ignes pro fulmine dixit iam sæpius.

PVRP. MOLLI. F. IN ORE PVD.] Suprà, *& subit ora rubor.* Metamorph. 12. *niueos infecit purpura vultus.*

IN NOSTRI CVRAM CONSVRGE TVANDI] Age potius caussam meam, & doce, immerentem me talia perpeti.

C

EXEMPL. CONIVG. ESTO BONAE] hoc enim faceret vxor bona, & fidelis.

MATERIAMQ. TVIS. T. VIRTVT. IMPLS] Tristi materiæ, calamitati ferendæ tua virtute, fortitudine animi scilicet, par esto. *Tu, ne cede malis, sed contra audentior ito,* vt est in 12. Aeneid.

ARDVA PER PRAECEPS. G. VAD. ITER] Periculoso itinere incedit gloria, & est in alto sita. His duobus difficultas eius consequendæ ostenditur. Sequuntur exempla, quibus hæc γνώμη illustratur.

HECTORA QVIS NOSSET, &c.] Troia tot annos fortissimè contra Græcos defensa, Hectori nomen æternum dedit. Homero ἀνδροφόνος homicida, Virgilio sæuus, Propertio ferus. Pentadius in epitaphio.

D

Defensor patriæ iuuenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis,
Occubuere simul spesq;, salusq; Phrygum, &c.

PVBLICA VIRTVT. P. MALA. F. VIA EST] Per mala publica facta est via, seu patuit Hectori via ad virtutem. Itaque Hectori materiam fortitudinis, & ex fortitudine laudis, & gloriæ sempiternæ bellum Troianum præbuit.

ARS TVA TIPHY IACET, &c.] Rector primæ omnium nauis Argus, qua delecti iuuenes nobilissimi totius Græciæ in Colchos ad rapiendum vellus aureum traiecerunt, fuit Tiphys, cuius ars in ea nauigatione inter fluctus, & procel-

A

las eluxit. Meminit huius Virg. eclog. 4. *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo Delectos heroas.* Domitor freti Senecæ in Medea. Poëta vetus apud Carisium lib. 4. *Tiphyn aurigam celeris fuisse carinæ.* A Claudiano principio belli Getici laudatur in hunc modum disertissimè.

Intactis cum claustra freti coëuntibus aquor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
Æetam, Colchosq; petens propiore periclo,
Omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
Incolumem tenui damno seruasse carinam
Fertur, & ancipitem montis vitasse ruinam, &c.

Iacet autem ars, quæ despicabilis, ingloria est, quæ nullum nomen habet, quæ contemnitur. Cicer. 1. Tuscul. iacentq; ea semper, quæ apud quosque improbantur.

ARS TVA PHOEBE IACET] *Non est opus valentibus medico,* inquit Saluator. Morbi sint oportet, vt quantus quisq; medicus sit, perspiciamus. Phœbus 1. Metam. sibi medicinæ inuentionem adscribit. *Inuentum medicina meum est, &c.*

INQVE BONIS CESSAT NON COGNITA REBVS, &c.] Quid sit Latinis cessare, expositum est alio loco. Res bonas appellat prosperas, fælices: malas, infælices. Sententia est, latentem, & incognitam virtutem sese exerere, & prodere in rebus calamitosis. Loquitur autem non de virtute absolutè: sed de fortitudine, magnanimitate, tolerantia, &, si quibus aliis nominibus continetur. Hæc nomē commune, vt Homerus poëtæ, facit suum. Quia cum à viro dicta sit virtus, vt est in 1. Off. propria viri virtus fortitudo est.

DAT TIBI NOSTRA LOCVM, &c.] Calamitas mea parat tibi viam ac titulum ad laudem, & decus. Lib. 1. eleg. 1. *Donec eram sospes titulis tangebar amore.*

CAP. CONSP. PIET. QVO TOLLAT] Tollunt caput, qui supra cæteros ad virtutem enituntur; vnde & supra cæteros clarescunt.

VTERE TEMPORIBVS] serui, & accommoda te tempori, quod est sapientis. Vtere occasionibus, quæ tibi offeruntur. Nam hîc tempus est καιρός.

QVORVM NVNC MVN. FRETA ES] Quia interpres exponit adiuta, & sustentata es, legerim libentius *fulta es*, aliquanto ad seosum commodius.

ET PATET IN LAVD. AREA MAG. TVAS] ἰσονόμος es. Penelope Vlyssi. *Et patet in curas area lata meas.* Quem alibi campum, nunc aream vocat. Magna datur occasio adipiscendæ famæ. Cæterùm si punctum statuas versu præcedente, & in hoc legas *En* pro *Et*, efficies quiddam elegantius: non enim idonea est hic copula.



ELEGIA

ELEGIA QVARTA.

IVSTA CAVSSA SCRIB. ATROCITAS EXILII SVI. HISTORIA ORESTEA IN REG. TAVRICA.

ARGVMENTVM.

MEMORAT amici decora, nobilitatem, virtutem, candorem, eloquentiam. Esse ipsum per se notum omnibus. Laudationem Ouidij exulis nihil ei obfuturam, cum Cæsar ipsemet, alter Iupiter, ab eo laudari se patiatur. Etiam stante fortuna, & à pueritia se gratiosum apud eius parentem fuisse. Non se vllo scelere periisse, quod & Augustus sentiat, qui sibi nec vitam, nec facultates ademerit, à quo saltem propinquius exilium optat. Locus exilij describitur, & historia Pyladis, Orestisque, insuper sororis eius Iphigeniæ, sacerdotis Dianæ Tauricę, quæ sublatis sacris cum fratre inde aufugit, attexitur. Clauditur elegia voto.

O qui, nominibus cum sis generosus auitis,
Exuperas morum nobilitate genus:
Cuius inest animo patrij candoris imago,
Non careat numeris candor vt iste suis:
Cuius in ingenio est patriæ facundia linguæ,
Qua prior in Latio non fuit vlla foro:
Quod minimè volui, positis pro nomine signis
Dictus es: ignoscas laudibus ipse tuis.
Nil ego peccaui: tua te bona cognita produnt.
Si, quod es, appares: culpa soluta mea est.
Nec tamen officium nostro tibi carmine factum
Principe tam iusto posse nocere puto.
Ipse pater patriæ (quid enim ciuilius illo?)
Sustinet in nostro carmine sæpe legi.
Nec prohibere potest, quia res est publica, Cæsar,
Et de communi pars quoque nostra bono est.
Iuppiter ingeniis præbet sua nomina vatum,
Séque celebrari quolibet ore sinit.

Caussa tua exemplo superorum tuta duorum est,
Quorum hic aspicitur, creditur ille Deus.
Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen habebo:
Non fuit arbitrij littera nostra tui.
Nec noua, quòd tecum loquor, est iniuria nostra:
Incolumis cum quo sæpe locutus eram.
Quo vereare minus, ne sim tibi crimen amicus:
Inuidiam, si qua est, auctor habere potest.
Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis
(Hoc certè noli dissimulare) pater:
Ingeniumq́; meum (potes hoc meminisse) probabat:
Plus etiam, quàm me iudice, dignus eram.
Déque meis illo referebat versibus ore,
In quo pars alta nobilitatis erat.
Non igitur tibi nunc, quòd me domus ista recepit,
Sed prius auctori sunt data verba tuo.
Nec data sunt (mihi crede) tamen: sed in omnibus actis,
Ultima si demas, vita tuenda mea est.
Hanc quoque, qua perij, culpam scelus esse negabis:
Si tanti series sit tibi nota mali.
Aut timor, aut error, nobis prius obfuit error.
Ah sine me fati non meminisse mei.
Néue retractando nondum coëuntia rumpe
Vulnera: vix illis proderit ipsa quies.
Ergo vt iure damus pœnas: sic abfuit omne
Peccató facinus, consiliumque meo.
Idq́; Deus sentit, pro quo nec lumen ademptum est,
Nec mihi detractas possidet alter opes.
Forsitan hanc ipsam, viuat modò, finiet olim,
Tempore cùm fuerit lenior ira, fugam.
Nunc precor hinc aliò iubeat discedere: si non
Nostra verecundo vota pudore carent.
Mitius exilium, paulóque propinquius oro:
Quique sit à sæuo longius hoste, locum.
Tantáque in Augusto est clementia, si quis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret.
Frigida me cohibent Euxini littora ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Nam neque iactantur moderatis æquora ventis:
Nec placidos portus hospita nauis habet.

Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aqua.
Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
Pæne sub eiusdem frigoris axe iacent.
Nec procul à nobis locus est vbi Taurica dira
Cæde pharetratæ spargitur ara Deæ.
Hæc prius (vt memorant) non inuidiosa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hic pro supposita virgo Pelopeia cerua
Sacra Deæ coluit qualiacunque sua.
Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes
Exactus furiis venerat ipse suis,
Et comes exemplum veri Phocæus amoris,
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant:
Protinus euincti tristem ducuntur ad aram,
Quæ stabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen hunc sua mors, nec mors sua terruit illum:
Alter ab alterius funere mœstus erat,
Et iam constiterat stricto mucrone sacerdos:
Cinxerat & Graias barbara vitta comas:
Cùm vice sermonis fratrem cognouit, & illi
Pro nece complexus Iphigeneia dedit.
Læta Deæ signum crudelia sacra perosæ
Transtulit ex illis in meliora locis.
Hæc igitur regio magni pæne vltima mundi,
Quam fugêre homines, Diìque, propinqua mihi est.
Atque meam terram prope sunt funebria sacra:
Si modò Nasonis barbara terra sua est.
O vtinam venti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant & mea vela Deo.

COMMENTARIVS.

NOMINIBVS GENEROS. AVITIS] Qui maioribus inclytis es oriundus. Atauis editus nobilissimis. Nomen, vt docuimus ad elegiam 4. li. 3. etiam notionem nobilitatis, gloriæ, opulentiæ, & potentiæ habet. *Viue tibi, & longe nomina magna fuge.* eleg. 4. lib. 3. Aristoteles inter εὐγενὲς nobilitatem, & γενναῖον generositatē discrimen constituit. Nam illud dicit esse τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους, τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἀπὸ τῆς φύσεως. Nobile quod ex bono genere prodiit: generosum quod à sua natura non degenerauit. Quare generosus à se, nobilis aliunde pendet. Poëtæ sunt liberiores.

EXSVP. MOR. NOBILIT. GEN.] sed tamen virtute, quam sanguine nobilior. Eleg. 3. lib. 2. de Ponto.

Maxime, qui clarū nomen virtutibus æquas,
Nec finis ingenium nobilitate premi.

Eleg.2.lib.1.

Maximo, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus.

PATRII CANDORIS IMAGO]qui candore imitaris patrem tuum. Ex quo elucet candor patrius.

NON CARSAT NVMERIS SVII]Habet suos numeros, & est perfectus candor. Prouerbium, omni numero, seu omnibus numeris; tractum à musicis, cum quippiam absolutum, & consummatum iudicare volumus. Quintil.præfat.lib.8. Quam vt per omnes numeros, & penitus cognoscere ad summam scientiæ necessarium est, &c.

PATRIAE FACVND. LINGVAE] Hæc est altera collatio cum parente, secundùm eloquentiam Romanam, seu latinam. Et quidem in hac non solum patri, sed omnibus etiam, qui in foro Romano hactenus caussas egerunt, præfertur. Latium, Latinum, Romanum forum idem sunt.

QVOD MINIME VOLVI] Maluissem multò te vero nomine appellare, & expressè: nunc ab adiunctis, & signis te significare cogor. Quamobrem amicorum vocabula taceat in his libris, caussam duplicem attulit lib.3. eleg.4. quia eorum bonori timeat: & ita volentibus gratificandum putet.

Vos quoq; pectoribus nostris hæretis amici,
Dicere quos cupio nomine quemq; suo.
Sed timor officium cautus compescit, & ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.

IGNOSCAE LAVDIBVS IPSE TVIS]si illæ in versibus meis positæ, tibi, tanquam mihi, qui tantùm apud Cæsarem offendi, amico, nocuerint. Ego sanè animo bono hæc scribo.

TVA TE BONA COGNITA PROD.]Latere non potes, quamuis me tacente. Tua te virtus omnibus velut in conspectu ponit.

SI QVOD ES APPARES] Liberat me à culpa, quòd appares quod es. Quod talis haberis ab omnibus: vir nempe præclarissimus, qualis es reuera.

OFFICIVM NOSTRO. T. CARMINE FACTVM] Aliunde suspicionem offensionis remouet, à iustitia Augusti. Officium est laudare benè meritos, & laude dignos.

PRINCIPE TAM IVSTO] Augustus est iustus: igitur quod iustè fit, non improbabit. Sed quod tibi facio, iuste facio, quia officium facio. Nō ergo improbabit. Ac proinde nihil est quod metuas, ne tibi propter me succenseat. A coniugatis.

IPSE PATER PATRIAE, &c.] Ab exemplo. Quod sibi non censet infamiæ, nec in altero odit fieri. Vnde hic titulus *pater patriæ* illi obtigerit, dictum lib.2. Quare Liuia Drusilla Augusti coniux mater patriæ nominata à nonnullis, habes apud Xiphilin. in Tiberio: quòd multos senatores conseruauisset, educassetque eorum liberos, ac complures filias eorum in matrimonium collocauisset.

A QVID ENIM CIVILIVS ILLO]His verbis declaratur caussa, quare sustineat legi in libris Ouidij. Ciuilitas græcè *ἰσονομία*, virtus est, quæ ciui quà ciuis est, conuenit. Et cum ciuitas æquo iure constet, ciuis, quà ciuis, virtus est, æquabilitatem iuris tueri. Ciuilitatem *ἁπλῶς* in Principe damnare, est negare eum ciuem esse. Quo posito, sequitur, quemadmodum docet Aristoteles, vt sit vel Deus, vel fera. Quare nullum erit ius commune Principi cum subditis. Plinius laudat. Traiani sæpe eum ciuem appellat. Plura in Animaduers. ad Sueton. Caussab. pag.136. Videtur *ciuilitas* hîc potius humanitatem, ac moderationē quandam sonare.

SAEPE] Totus liber 2. est ad eum, & in omni- B bus pæne elegiis nominatur.

QVIA RES EST PVBLICA CAESAR]quod nos dicimus, est publica persona. Sicut sol, sicut aër, sicut profluentes communia sunt, quibus licet vti omnibus: ita de Cæsare communi omnium domino loqui, eiusque in scriptis frequentare memoriam, fas est.

ET DE COMMVNI PARS QVOQVE NOST.] Mihi quoque de communi bono pars debetur, alioqui non sit commune. Ideo prohibere me loqui de se haud potest.

IVPPITER INGENIIS P. SVA NOMINA VATVM]à maiore ad minus. Si Iuppiter de se multa scribi à poëtis non recusat, eorumque carmina tantus Deus non dedignatur, cur recusaret C Cæsar?

QVOLIBET ORE]nullius laudationem contemuit. Disertorum indisertorum, bonorum iuxta ac malorum poëtarum laudes admittit. Quin etiam, vt Seneca prodidit, ioca in se, & probrose scripta tolerat, & eam licētiam poëtis permittens, ridet.

SVPERORVM DVORVM] Augusti, & Iouis. Superum appellat Augustum, quia hinc ad ordinem superorum deorum transferendus.

QVORVM HIC ASPICITVR]Augustus. Virgil. eclog.1. *Hic illum vidi iuuenem, Melibæe, quotannis, &c.* Horatius Ode 2. lib.1. versus alibi protulimus. Huic loco aptum est illud hexametrum. *Iuppiter in cœlis, Cæsar regit omnia terris.*

D HOC EGO CRIMEN HABEBO] Ex hypothesi. Vt non debuerim te laudare, teque idcirco gloriosum reddere, quia ego laudauerim, cuius te amicum videri turpe sit tibi, tamen meum erit peccatum, non tuum. *Ego* pronuntiatione adiuuandum est. Ego, non tu.

NON FVIT ARBIT. LITT. N. TVI] Ratio dicti. Quid ego scriberem, non fuit tuum mihi præscribere. Non fuit in manu tua quid ego, aut cui scriberem.

NEC NOVA EST INIVRIA NOSTRA] Si iniuriosus sum in te, quia scribo ad te, ante fui, cum nempe adhuc saluus essem in patria, tecumque coram sæpissime colloquerer.

QVO VERSARE MINVS NE SIM, &c.] tE

vt mi-

vt minus timeas, ne amicitia mea tibi detur vitio. Ne ob amicitiam meam ponaris in crimine.

INVID. AVCTOR HAB. POTEST] Non primùm tecum mihi intercessit amicitia. Sed cùm patrem tuum coluerim adhuc adolescens, quod nosti, illiq́; placuerim, si peccatum in hoc est, illi prius, & potius est. Patrem eius vocat auctorem, hoc est ducem, & præcursorem huius amicitiæ.

HOC SALTEM NOLI DISSIMVL.] sicætera dissimulas.

PLVS QVAM ME IVO. DIG. ERAN] Pluris faciebat ingenium meum, quam ego in memet reperiebam.

ILLO ORE] illa grauitate orationis suæ, qua nobilitabatur, de versibus meis pronuntiabat iudicium suum.

QVOD ME DOM. ISTA RECEP.] quòd familia vestra me fouit, & amplexata est.

AVCTORI TVO] ne exponas, *parenti tuo*: sed vt suprà exposuimus, *Inuidiam si qua est, auctor habere potest*. Tametsi hic idem auctor, fuit etiam parens eius.

SVNT DATA VERBA] Prius deceptus est, qui tibi ingenium meum probando, & honorifice de meis versibus sentiendo, ac loquendo in hac amicitia præiuit. Dare verba *παραγωγικῶς* pro fallere, sæpe legitur. Terent. And. *cui verba dare difficile est*. Martial. lib. 2. *Cui nil ipse dabas, is tibi verba dedit.* Ad animi curas, & mœrorem eleganter transtulit eleg. 8. lib. 5.

Detineo studiis animum, falloq́; labores,
Experior curis & dare verba meis.

NEC DATA SVNT] Non est deceptus in me parens tuus.

VLTIMA SI DEMAS] lib. 2.

Me miserum, potui, si non extrema nocerent,
Iudicio tutus non semel esse tuo.

VITA TVENDA MEA EST] defendi potest. Nihil criminis mihi potest obiici.

SI TANTI SERIES E. T. NOTA MALI] si nosti vt quidq; prius, aut posterius acciderit.

AVT TIMOR, AVT ERROR, &c.] Nusquam, quod recordor, in peccatis suis timorem, semper errorem seu culpam, & versus nominat.

SINE ME PATI NON MEMINISSE MEI] Etiam ipsa memoria culpæ suæ torqueri se indicat. Eleg. 6. lib. 3.

Mensq́; reformidat veluti sua vulnera. tempus
Illud, & admonitu fit nouus ipse dolor.

NONDVM COEVNTIA VVLNERA] Vulneris oræ in vnum attrahuntur. Oræ vulneris se glutinarunt. Emplastrum, quod celeriter vulnera ad cicatricem perducit.

VIX ILLIS PROD. IPSA QVIES] vix etiam non retractata coibunt.

ERGO VT IVRE DAMVS POENAS, &c.] Non satis intelligo, quo modo se meritas pœnas dare fateatur, cum facinus, aut scelus admisisse neget. Potius ita argumentaretur. Ergo vt nul-

A lum facinus, aut scelus nullum commisimus: sic non iure pœnas damus, tam graues puta: nam delicta leuiora pœnis leuioribus punienda sunt, si iustitiæ ducitur ratio. Sed totum hoc datur auribus.

IDQVE DEVS SENTIT] Cæsar iudicat me abesse à scelere. Quare nec vt sceleratum puniuit.

NEC LVMEN ADEMPTVM] Virg. 3. Aeneid. de Polyphemo ab Vlysse exoculato. *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* Hic autem lumen est vita ipsa. Vnde cassus lumine 2. Aeneid. Lucret. lib. 5. Stat. 2. Thebaid. pro mortuus, & hoc cæli lumine priuatus. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Lucret.

NEC MIHI DETRACT. P. ALTER OP.] quas
B dicit esse modicas eleg. 7. lib. 3. Exuebantur bonis exules, eaque in fiscum redigebantur.

FORSITAN HANC IPSAM, &c] Eleg. 12. lib. 3.

Dij faciant, vt Cæsar non hoc penetrale, domumq́;
Hospitium pœna sed velit esse mea.

TEMP. CVM FVERIT LEN. IRA] cum longinquitate ipsa deferbuerit. Eleg. 1. lib. 3.

Forsitan & nobis olim minus asper, & illi
Euictus longo tempore Cæsar erit.

Eleg. 8.

Forsitan hoc olim, cum iam satiauerit iram,
Tunc quoq; sollicita mente rogandus erit.

NVNC PRECOR HINC ALIO, &c.] Eleg. 5. lib. 3.

Spes igitur superest, facturum vt molliat ipse
Mutati pœnam conditione loci.

C SI NON NOSTRA VERECVND. &c.] Si non impudenter peto. Elegia 8. lib. 3. *Ne mea sint timeo vota modesta parum.*

MITIVS EXIL. PAVLOQVE PROP.] lib. 2.

Mitius exilium si das, propiusq́; roganti,
Pars erit è pœna magna leuata mea.

TANTAQVE IN AVO. EST CLEMENTIA] Blanditiæ. Lege de eius clementia Suet. cap. 51.

SI QVIS HAEC PET. PRO ME] Rogat multos in his, & Ponticis, vti pro se rogent. Sed arbitror id paucos, aut neminem facere ausum apud Cæsarem, quantumcunque clementem.

FRIGIDA ME COHIB.] Creber est in frigoribus oræ illius commemorandis. Pluribus ea describit eleg. 10. lib. 3.

D DICTVS AB ANTIQ. AXENVS] Plin. lib. 6. cap. 1. Pontus Euxinus, qui quondam Axenus appellatus, peculiari inuidia naturæ sine vllo fine indulgentis auiditati maris, & ipse inter Europam, Asiámque funditur.

NEC PLACIDOS PORTVS] Importuosum mare. Elegia 2. lib. 3. vocauit *mare portubus orbum*. Eleg. 11. lib. 5. *Quem tenet Euxini mendax cognomine pontus.*

QVAE PRAED. SANO. QVAER.] legenda eleg. 10. lib. 3.

NEC MINVS INFIDA TERRA TIMETVR AQVA] Infida est aqua propter tempestates, & quia portubus orba. Infida est terra propter latrocinia.

Sub eiusd. frig. axe] ſub eodem cælo, A ſeu Zona frigida. Eiuſdem pæne climatis ſunt.

Vel Taurica dira caede, &c.] Plenius narratam habes hanc ſiue hiſtoriam ſiue ſabulam lib.3. de Ponto eleg.2. Clemens Alexand. ad Gentes. Tauri autem populi, qui habitant circa Tauricam Cherſoneſum, quoſcunque hoſpites apud ſe ceperint, ex iis qui mari aberrarunt (hoc eſt, qui tempeſtate ad eorum littora diſpelluntur, & eiiciuntur) Dianæ Tauricæ eos ſtatim ſacrificant. Hæc autem hominum ſacrificia decantat Euripides Iphigenia in Tauris. Gyraldus legendus, Syntag.12.

Pharetratae deae] ἰοχέαιραν ſagittis gaudentem nominat Homerus. Eſt enim venatrix, B & in venatu vſus ſagittarum, quarum thecæ pharetræ. Metamorph.

Nec niſi finita per plurima vulnera vita
Ita pharetratæ fertur ſatiata Diana.

Sic Virgil. Camillam dixit pharetratam libro vndecimo.

Non invid. hspand. nec cup. bonis] Quæ regna debent inuideri ſceleratis propter ſummam incolarum feritatem: nec expeti à bonis, quibus indigna ſunt.

Regna Thoantis] 3. de Ponto. *Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora.*

Pro suppusit. viro. Pelop. cerva] Cum ex reſponſo Calchantis iam eſſet Dianæ immolāda Iphigenia Agamemnonis filia in Au- C lide, quod pater ceruam ipſi peculiarem addita verborum contumelia confixiſſet (de qua cauſſa naues ad Troiæ excidium proficiſcentes detinebat) Diana ceruam ſuppoſuit, puellam in regionem Tauricam tranſtulit, ſibique ſacerdotem inſtituit, quæ hoſpitibus deæ mactandis præerat. Lucret. Iphianaſſam vocat, agens de eius immolatione lib.1. de qua & Horat. lib.2. ſat.3. Sophocles Electra, Euripid. Iphigen. Aulidenſi. Tangit Virgil.2. Aeneid. *Sanguine placaſtis ventos, &c.* Vide ibi Symb. noſtras. Ouid.12. Metamorph.

Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerua.
Ergo vbi qua decuit lenita eſt ita Diana.
Et pariter Phœbes, pariter maris ira receſſit,
Accipiunt ventos à tergo mille carinæ,
Multaq; perpeſſa Phrygia potiuntur arena. D

Pelopeia viroo] Agamemnonis pater Atreus, Atrei Pelops. A proauo igitur deriuatum epitheton.

Qualiacunque] Quia crudelia, & indigna ſacrorum vocabulo. Eleg.3. lib.3. de Ponto. *Innita peragens triſtia ſacra manu.*

Dubium pius, an sceler at.] matricidio, de quo plurima Euripid. in Oreſte, Sophocles in Electra, vbi interficitur, & eſt tritiſsimum thema rhetorum, habens partem honeſtatis, partem turpitudinis, vocaturque genus cauſſæ ambiguum. Velleius lib.1. Hunc (Aegiſthum) matremque, ſocia conſiliorum Electra, virilis animi fæmina, obtruncat. Factum eius à diis com- A probatum ſpatio vitæ, & fælicitate imperij apparuit: quippe vixit annos X C. regnauit L X X.

Exactus furiis] agitatus, cùm nuſquam nec animo, nec corpore poſſet conſiſtere. Vide Oreſtem Euripid. Terrores quibus matricida Nero interdiu, noctuque vexatus eſt, recenſet Xiphilin. In pleriſque locis ſcriptum legebatur Romæ, Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι Nero, Oreſtes, Alcmæon matricidæ.

Exempl. veri Phocaeus amor.] Pylades Strophij Phocenſium regis filius, Oreſti cognatione iunctus, fidiſsimus eius, & indiuiduus comes. Repetitur eadem res li.3. de Ponto, eleg.2.

Qui duo corpor. mentib. unus] Re- B ſpectum ad illud Ariſtoteleum. ἐρωτηθείς, τί ἐστι φίλος, ἔφη, μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, interrogatus quid ſit amicus, vna, inquit, anima in duobus corporibus habitans.

Protinus evincti] Vittis ornabantur victimæ. Sic de Iphigenia Lucret. lib.1.

Quæ ſimul infula virgineos circumdata comptus
Ex vtraq; pari malarum parte profuſa eſt.

Tristem ad aram] hypallage. Immitem dixit ſupra.

Ante fores] delubri.

Alter ab alter. fun. mosst.] Vterq; mortem alterius dolebat, neuter ſuam. Scripſit ſabulam hanc M. Pacuuius. Cic. in Lælio. Qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis, & amici mei M. Pacuuij noua ſabula: cum ignorante rege vter C eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, vt pro illo necaretur: Oreſtes autem ita vt erat, Oreſtem ſe eſſe perſeueraret? Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuiſſe futuros?

Cinxer. et Graias barbara vitta comas] Quia Oreſtes, & Pylades Græci, quorum capita, vt hoſtiarum, vittis iam circumdata erant. Sinon 2. Aeneid.

Iamq; dies infanda aderat: mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Supra. *Protinus euincti.* Niſi illud malimus ad coronas referri: nam & coronabantur victimæ.

Vice sermonis] alterno ſermone, ex interrogatis & reſponſis. Virgil. 6. Aeneid. *Hac vice* D *ſermonum roſeis aurora quadrigis, &c.*

Deae signum] ſimulacrum Dianæ. Apud Cic. ſignum æneum marmoreum. Martis ſignū. Salluſt. in Catilin. Ibi primùm inſueuit exercitus populi Romani amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa cælata mirari. Signum, & ſtatua ita differunt, vt genus & ſpecies. Signum eſt exemplum & Dei, & hominis, & bruti: ſtatua eſt Dei tantum, & hominis. Ita ſtatua omnis ſignum eſt, non contrà. Et ſtatua ponitur in foro, aut in alio publico, & conſpicuo loco: ſignum in templis, vel ædibus priuatis. Signum interdum habet dimidiam eminentiam, & hæret in ipſa materia, in qua vel inciſum eſt, vt in gemma, vel incruſtatum, aut affixum, vt in vaſe cælato, vel intextum, vt in veſte:

ſtatua

statua vero integra vndique, & solida prominer, nec materiæ, vnde facta est, inhæret. Auson. Popma. de different. verb.

CRVDEL. SACRA PEROSA] Non postulabat Diana sibi huiuscemodi hostiis sacrificari. Sed ea erat Thoantia immanitas, vt ei hospites mactandos censeret. Sic eleg. 2.

Illo qui sequitur duunt mactata ministro
Sæpe recusanti corpora capta Deo.

IN MELIORA] Aufugiens cum fratre Iphigenia, transtulit secum deæ signum in loca meliora qua moribus qua humanitate. De hac trãslatione, & fuga Iphigeniæ Pausan. in Atticia ita scripsit. A Marathone non multum abest Brauron, quo cum Iphigeniam Agamemnonis filiam

A cum Taurica Diana primùm appulisse, eaque ibi relicta Athenas, deinde Argos venisse perhibent.

MAGNE PARNA VLT. MVNDI] Eleg. 3. lib. 3.
Dum me terrarũ pars pæne nouissima Ponti Euxinus, &c.

QVAM FVGERE HOMINES, DIIQVE] mirifica auxesis, & exaggeratio. Quam inhospitam, & incommodam oportet esse terram, vbi nec homines, nec dij manere potuerunt? Et tamen in ea mihi degendum est.

ATQVE MEAM TERRAM PROPE] anastrophe. Propé meam terram. Italiam contra.

SI MODO NASONIS] Correctio.

QVIBVS EST ABLATVS ORESTES] Quibus ex illis locis nauigauit.

PLACATO DEO] Augusto reconciliato.

ELEGIA QVINTA.

ΕΥΓΝΩΜΟΣΥΝΗ CVM COHORTATIONE.

ARGVMENTVM.

EXVLTAT solatio sibi ab amico transmisso. Silentium nominis eius excusat. In patrocinio sibi præstando vti perseueret, rogat, cum bonis contrà precibus, qui illi mos est, vt homini gratissimo, & maximè ingenuo.

O mihi dilectos inter sors prima sodales,
Vnica fortunis ara reperta meis:
Cuius ab alloquiis anima hæc moribunda reuixit,
Vt vigil infusa Pallade flamma solet:
Qui veritus non es portus aperire fideles
Fulmine percussæ confugiumque rati:
Cuius eram censu non me sensurus egentem,
Si Cæsar patrias eripuisset opes:
Temporis oblitum dum me trahit impetus huius,
Excidit heu nomen quàm mihi pæne tuum!
Tu tamen agnoscis: tactusq; cupidine laudis,
Ille ego sum, cuperes dicere posse palàm.
Certè ego, si sineres, titulum tibi reddere vellem:
Et raram famæ conciliare fidem.
Ne noceam grato vereor tibi carmine: néue
Intempestiuus nominis obstet honor.

Quod

Quod licet, & tutum est, intra tua pectora gaude,
Méque tui memorem, téque fuisse pium.
Vtq; facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura Deo:
Et tutare caput nulli seruabile: si non,
Qui mersit, Stygia subleuet illud aqua.
Téque (quod est rarum) præsta constanter ad omne
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Sic tua processus habeat fortuna perennes:
Sic ope non egeas ipse, iuuesq; tuos:
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni,
Incidat & vestro rara querela toro:
Diligat & semper socius te sanguinis illo
Quo pius affectu Castora frater amat.
Sic iuuenis tibi consimilis sit natus: & illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum.
Sic faciat socerum teda te nata iugali,
Nec tardum iuueni det tibi nomen aui.

COMMENTARIVS.

DILECTOS INTER PARS PRIMA SODALES] meorum amicorum antistes, antesignane, dux, princeps. Inter amicos meos ὁ κορυφαῖος. De Ponto lib. 1. eleg. 6. *Ille tuos quondam non vltimus inter amicos.* A

VNICA FORTVNIS ARA REPERTA MEIS] A supplicibus translatio, ad aras deorum in periculis, & desperatione salutis confugere, eas tangere, & simulacra deorum, quorum fide tuti essent, amplexari solitis, ea erant asyla, & sacrosancta perfugia. Virgil. 2. Aeneid.

Ædibus in mediis, nudoq; sub ætheris axe B
Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus
Incumbens aræ, atq; vmbra complexa penates.
Hic Hecuba, & natæ ne quidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ
Condensæ, diuûm amplexæ simulacra tenebant.

Vsitatum quoque, quorum ope & auxilio in calamitate nitimur, eos vocare præsidia, portus, columina, tutelas, spes nostras. In scena duæ ponebantur aræ, dextera Liberi, sinistra eius Dei honori, cuius ludi celebrarentur. Hinc aram parare legimus in approbatissimis diei. Terentius. *Nemo te accusat Syre, nec tu aram tibi pararis.* Idipsum agnoscit hoc versiculo Ouidius. Astipulatur & Cicero pro Roscio Comœdo, aras fuisse sanctioris asyli loco. Sicuti in aram, inquit, confugit in huius domum. Et Plutarch. de superstit. Est serno ara, ad quam confugiat, quam vocat φύξιμον βωμὸν. Athenis fuisse aram misericordiæ testatur in rhetoricis Apsinus, &c. Rhodig. lib. 6. cap. 17. Vide & Stuckium de sacris, & sacrif. Gentilium, pag. 65.

CVIVS AB ALLOQVIIS] Alloquium, & allocutionem valere consolationem Latinis auctoribus, & alloqui esse consolari, docuimus lib. 1. eleg. 7.

ANIMA HAEC MORIBVS REVIXIT] Anima interdum totus homo & sacris, & non sacris scriptoribus Se igitur moribundum, hoc est, pene exanimem, & luctu perditum literis eius consolatoriis reuixisse confirmat.

VT VIGIL INFVSA PALLADE FLAMMA SOLET] Elegia quarta, libro primo, de Ponto.

Et iam deficiens sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso vena redire mero.

Ergo, vt videmus vigilem flammam oleo redintegrato vigescere, & maiorem lucis copiam fundere. *Vigilem* vocat vt Horat. lucernas vigiles Ode 8. lib. 3.

Sume Mæcenas cyathos amici
Sospitis centum: & vigiles lucernas
Perfer in lucem.

Et eiusdem lib. Ode 21. vinas, *vinoq; producent lucernæ Dum rediens fuget astra Phœbus.* Pallas pro oleo, vt Bacchus pro vino μετωνυμικῶς.

PORTVS APERIRE FIDELES] tu fidelis. Quem principio aram suam, nunc portum nominat, & est sermo allegoricus vtrobique. Eleg. 8. lib. 2. de P. alloquens Augustum, & Tiberium. *Vos estis nostræ portus, & aura fugæ.*

FVLMINE PERCVSSÆ CONF. RATI] Pœnam exilij sui melius quam appellatione fulminis non potest exprimere. Conditionem autem, ac statum suum millies cymbam, nauim, ratem nominat.

CVIVS ERAM CENSV, &c.] qui ære tuo, facultatibus, & fructibus tuis me aluisses. Census, vt Grammatici exponunt, est fortunarum æstimatio, secundùm quam vectigalia, & tributa reipub. persoluebantur. Inde censum agere, habere, deferre in censum. Sæpe pro ipsis facultatibus. Hinc esse tenui, amplo censu, nullo censu. Ouid. 1. Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper vbiq; iacet.

SI CÆS. P. ERIP. OPES] si me patrimonio multasset. Quod illum non fecisse, confessus est elegia superiore. *Nec mihi detractas possidet alter opes.*

TEMP. OBLIT. DVM ME, &c.] dum temporibus meis abripior in cogitationes cruciantes, & varias, & simul de te cogito, propemodum edidissem nomen tuum.

TV TAMEN AGNOSCIS] tu scis quem significem, licet non proferam nomen tuum.

TACTVSQVE CVPID. LAVD. &c.] & vt reliqui etiam scirent, desiderio adipiscendæ laudis non inuitus exclamares, ego sum.

SI SINERES TIT. TIBI REDD. VELLEM] Docuimus antea, cur in his elegiis supprimat amicorum nomina. Et id se nolentem facere, confitetur elegia antegressa. *Quod minime volui, positis pro nomine signis Dictus es.*

ET RARAM FAMÆ CONCIL. FID.] Videtur hypallage, pro, raræ famæ, quæ de te est, testimonio de te meo fidem astruere.

AT NOCEAM GRATO TIBI CARM] Ne ego gratus, per carmen meum tibi noceam.

INTEMPESTIVVS HONOR] Hoc tempore exilij mei non conuenit te apertè, & nomine posito à me honorari. Id enim esset ἄκαιρον. Iam vt est verbum Isocratis, τὸ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν. Molestum est semper, quod intempestiuum est.

INTRA TVA PECTORA GAVDE] Virgil. 1. AEneid. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.* Tibull. *Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.* Plaut. Epid. *Quod boni est, id tacitè taceas tute tecũ, & gaudeas.* Propert. lib. 2. eleg. 25. *In tacito cohibe gaudia clausa sinu* Cic. 4. Tuscul. gaudeo in sinu.

A MEQVE TVI MEM. TEQVE. F. PIVM] Gaude dupliciter: & quia ego tui memoriam retineo: & quia in me pius fuisti, hoc est, conscientia tuæ erga me pietatis.

REMIS AD OPEM LVCTARE FEREND.] Omnem adhibe conatum. Parœmiæ nos admonet, remis velisque contendere. Quod cum nautæ faciunt, nauem velo, remisque impellentes, summè adnituntur. Plaut. Asin. *Remigio, veloq; quãtum poteris festina, & fuge.*

DVM VENIET PLACID. MOLL. AVRA DEO] Lenito Cæsare ventus erit placidior, & cursu secundo nauis nostra feretur. Habebimus quod volumus.

SI NON QVI MERSIT STYG. &c.] Quã-
B quam Augustus Ouidium non interfecit, vt illum ad aquas stygias misisse dici verè possit, ipse tamen exilium, seu pœnam hanc tam atrocem, amissionem videlicet patriæ, & habitationem inter populos barbaros, in finibus orbis, pro morte habet. Sensus ergo est. Solus ille qui me occidit, ac perdidit, reuocare ad salutem, reditum puta donando, potest. Ita lib. 1. eleg. 1.

Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.

QVOD EST RARVM] Vt se quis constantem præbeat ad omne officium amico in aduersis præstandum, hoc rarum est: plerique cum fortuna mutantur, & quo illa, eodem hominum
C fauor inclinat.

SIC TVA PROCESS. HAB. F. PERENNES] faustè procedat, nunquam offendat fortuna tua. Multa, & varia bona illi precatur. Fortunam secundam, eamque perpetuam, concordiam coniugalem, amorem fraternum, filium æque moratum, ex filia nepotes.

SIC OPE NON EGEAS, &c.] Non solum opto, ne quid desit tibi, sed vt supersit etiam. Lysiteles frugi adolescens Philtoni patri suo in Trinummo.

Deûm virtute habemus & qui nosmet vtamur, pater,
Et aliis qui comitati simus nostris beneuolentibus.

SIC ÆQVET TVA NVPT. VIR.] Sic vxor
D tua moribus tuis respondeat. Te probitate, & religione æquet. Nupta tonantis est Iuno poëtis. Nouæ nuptæ, quæ recens inierũt matrimonium. Catull. de coma Beren. *Estne nouis nuptis odio Venus?* Cum aliquo nuptam esse, modus loquendi Ciceronis.

INCIDAT ET VESTRO. R. Q. TORO] Crebræ sunt rixæ, & litigia coniugum in toro, quod significauit Plautinus seruus in Mostellar. Nam cum Simo senex, qui vxori repugnarat, dixisset,

Clanculum ex ædibus me edidi foras,
Tota turget mihi vxor, nunc scio, domi:
subiicit ille,
Res parata est mala in vesperum huic seni.
Nam & cœnandum, & cubandum est intus malè.

Iuuenal. sat. 6.

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.

Aut torum sumpsit pro societate coniugali, & precatur illis perpetuam pacem, & irruptā concordiam. Vide Hortulos, tit. Coniugium.

DILIGAT ET SEMP. SOCIVS TE SANG.] periphrasis est fratris. Græcis ὁμαίμων consanguineus. Qua voce pro fratre vsus est & Virgil. lib. 6. *Tum consanguineus lethi sopor.*

QVO PIVS AFF. CAST. FRAT. AMAT] Eleg. 8. lib. 1. de P.

Adde quod est frater tanto mihi iunctus amore,
Quantus in Atridis, Tyndaridisq; fuit.

Castor, & Pollux fratres fuerunt, ex Leda matre: sed ille cum Clytæmnestra ex patre Tyndaro, hic cum Helena ex patre Ioue. Vno nomine Castores sæpe, & græce Διὸς κῶροι Iouis proles dicuntur. Et hi immortales, illi mortales. Sed Pollux immortalitatem suam cum fratre diuisit, ita vt alternis diebus viueret. Quare Homerus ἑτερημέρους vocat. Virgil. 6. AEneid. *Si fratrem Pollux alterna*

A *morte redemit, Itque reditque viam toties.* Lege ibid. Symb. nostras.

SIC IVVENIS SIMILISQVE TIBI SIT NATVS] Pars fælicitatis est etiam, perduci filios ad iuuentutem, & referre mores parentum. Philto senex Lysiteli filio in Trinummo. *Meo modo, & moribus viuito antiquis.*

MORIB. AGNOS. Q. ESSE TVVM] Terent. *Facile probes illum esse tuum, quia consimilis est moribus.*

SIC SOCERVM. F. TÆD. T. NAT. IVG.] Tædam iugalem appellat coniugium per metonymiam, vt cum fasces pro imperio dicimus: quoniam sponsæ cum ad sponsum noctu deducebantur, faces præferebantur. Metamorph. 1. *Illa velut crimen tædas exosa iugales.* Martial. lib. 12.

Prætulerat faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.

NEC TARDE IVVENI, &c.] pariat citò, vt adhuc iuuenis nomen aui adipiscare.





ELEGIA SEXTA.

DIEM SIBI AVGERE MISERIAM.

ARGVMENTVM.

HÆc inconsideratius cum superioribus coniunguntur, cum vnius separatæ elegiæ argumentum videantur exequi. Tractatur locus communis de vi temporis, seu consuetudinis, qua, cum mitigentur, & tolerabiliora euadant omnia, non tamen mitigari curas, & angores suos. Mala sua ipsa mora ingrauescere, & exasperari. Et corpore, & animo se deficere, cruciarique tam iis quæ non videat, quam quæ videat. Spem vnam leuationis in morte sibi repositam.

TEMPORE RVRICOLAE PATIENS FIT TAVRVS ARATRI:
PRAEBET ET INCVRVO COLLA PREMENDA IVGO.

Tempore

Tempore paret equus lentis animosus habenis:
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum:
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet.
Quæque sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua seruitium tempore victa subit.
Tempus vt extentis tumeat facit vua racemis:
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas:
Et, ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc tenuat dentem terram findentis aratri:
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sæuas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus: mœstaque corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas.
Vt patria careo, bis frugibus area trita est:
Dissiluit nudo pressa bis vua pede.
Nec quæsita tamen spatio patientia longo est:
Mensque mali sensum nostra recentis habet.
Scilicet & veteres fugiunt iuga sæpe iuuenci:
Et domitus fræno sæpe repugnat equus.
Tristior est etiam præsens ærumna priore:
Vt sit enim sibi par, creuit, & aucta mora est.
Nec tam nota mihi, quàm sunt, mala nostra fuerunt:
Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, grauant.
Est quoque non minimum vires afferre recentes:
Nec præconsumptum temporis esse malis.
FORTIOR IN FVLVA NOVVS EST LVCTATOR ARENA:
QVAM CVI SVNT TARDA BRACHIA FESSA MORA.
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quàm cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites nauis modò facta procellas:
Quamlibet exiguo soluitur imbre vetus.
Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius antè
Quàm mala sunt longa multiplicata die.
Credite, deficio: nostroque à corpore (quantum
Auguror) accedunt tempora parua malis.
Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat:
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.

Corpore sed mens est agro magis ægra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.
Vrbis abest facies: absunt mea cura sodales:
Et, qua nulla mihi carior, vxor abest.
Vulgus adest Scythicum, braccataque turba Getarum:
Sic mala, quæ video, non videoque, nocent.
Vna tamen spes est, quæ me soletur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

COMMENTARIVS.

EMP. RVRICOL. P. F. TAVR. ARAT.] Comparatio, seu antithesis suæ, & alienorum calamitatis. In alienis valere, quod alibi dixit, *nihil assuetudine maius. Quod male fers, assuesce: feres bene.* Ruricolam intelligo rusticum, seu colonum, agricolam, cuius bos aratro ducendo paulatim assueuit. Virgil. 3. Georg. *debinc vbi libera colla Seruitio assuerint.* Propert. lib. 2. eleg. 3.

At veluti primo taurus detrectat aratra,
Mox venit assueto mollis ad arua iugo.

INCVRVO COLL. PREM. IVGO] Tibull. lib. 1. *Duxit aratores sub iuga curua boues.* Et lib. 4. *Hinc & colla iugo didicit summittere taurus.*

PARET EQ. LENT. ANIM. HABEN.] Horat. Sat. 1. lib. 1. *vt si quis asellum In campum doceat parentem currere frenis.* Lentę habenæ, sunt flexibiles, tractabiles. Virgil. eclog. 1. *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Georg. 4. *Seu lento fuerint aluearia vimine texta.*

DVROS ACCIP. ORE LVP.] Lupati, & lupi à lupinorum dentium similitudine, ob asperitatem, & inæqualitatem; seu à lupo instrumento ferreo, vnco, & tortuoso, instar dentium lupinorum. sunt fræna, quibus equi ferociores coercentur, Græcis λυκοσπάδες. Horat. Ode 8. lib. 1.

Cur neq; militaris
Inter æquales equitet; Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis.

TEMP. POEN. COMP. IRA LEON.] Tibull. lib. 1. eleg. 4. *Longa dies homini docuit parere leones.* Pœnorum, id est, Africanorum, magni enim leones ibi nascuntur. Est autem iracundum animal leo. Vnde Horat. Ode 16. lib. 1. ait Prometheum, cum hominem è luto fingeret, cogereturq; particulas vndique decerptas, & desectas eidem adiungere, à leone iram sumpsisse. Versus subtexo.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Furentem, & insanientem describit poëta magnus initio 12. AEneid.

A *——Pœnorum qualis in aruis*
Saucius ille graui venantum vulnere pectus
Tum demum mouet arma leo, gaudetque, comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum. & fremit ore cruento.

Et per vestigia Maroniana incedens Seneca in OEdipo.

Qualis per arua Libycus insanit leo,
Fuluam minaci fronte concutiens iubam,
Vultus furore toruus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus, spumat, & voluit minas.

Primus Romæ leones ad currum iunxit M. Anton. & quidem ciuili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento B temporum, generosos spiritus iugum subire, illo prodigio significans. Plin. lib. 8. cap. 16.

INDA BELLVA] elephas, κατ᾽ ἐξοχήν. Indici elephantes Afris maiores sunt, quos & Virgil. 1. Georg. videtur præferre cæteris. *India mittit ebur.* Cic. 1. de nat. deor. Elephanto belluarum nulla prudentior. Ibid. intercedere eidem cum humano genere societatem quandam. Scripsi de elephantis, & leone dialogo 43. primæ Tertij.

TEMP. VT EXTENT. TVMEAT, &c.] extentis racemis, longis, & de vite dependentibus. Tibull. eleg. 4. lib. 1. *Annus in apricis maturat collibus vuas.* Virgil. 2. Georg.

Non ego te mensis, & dijs accepta, secundis
C *Transierim, Rhodia, & tumidis bumaste racemis.*

RACEMIS] Racemi proprie sunt vuæ minores, granis exilioribus, qui plerunque à vindemiatoribus sub pampino latentes fallentesque relicti, post colliguntur. Vuæ maiores, crassioribus acinis, Plin. lib. 4. Quando non racemos, sed vuas alias gignunt.

VIXQVE MER. CAP. GRANA Q. INT. HAB.] acini pæne rumpuntur, adeo vino turgent.

TEMP. ET IN CAN. SEM. PROD. ARIST.] Tempore semen conuertitur in canas, albescentes, & maturas ad messem aristas. Ciofan. accipit *incanas* vnam vocem, & *semen* vult esse appositionem, hoc sensu. Tempus etiam valde canas pro-

ducir aristas, quæ sunt semen. Quæ explicatio A contortior videtur.

NE SINT TRISTI POMA SAP.] Tempore mitescunt poma, omne inquam genus fructus cortice molliore. Virgil. eclog. 1. *Sunt nobis mitia poma.* Mitia, inquit Seruius, quæ non remordent cum mordentur. Sic mites vuæ, mitis vindemia. Et contrà, immitia poma, immitis vua pro acerba, & gustatu iniucunda, quales sunt nondum maturæ. Mitescere enim est maturescere. Plin. lib. 15. cap. 13. reliquorum prunorum velocitas citò mitescentium transuolat.

HOC TENVAT DENTEM TERR. &c.] Tempore atteritur vomer, & dens aratri. Eleg. 10. *Et teritur pressa vomer aduncus humo.* 2. de Pont. eleg. 7. *Nec magis assiduo vomer tenuatur ab vsu.* Lucret. lib. 1. *Ferrum occultè decrescit vomer in aruis.* Virgil. 1. Georg. *durum procudit arator Vomeris obtusi dentem.*

HOC RIGID. SIL. ADAM. TERIT] Durissima quæque tempus absumit. Exempla proponuntur silex, & adamas, quibus nihil durius. Virgil. 6. AEneid. *Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.* Et,

Porta aduersa ingens, solidoque adamante columnæ,
Vis vt nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ valeant.

HOC ETIAM SÆVAS. P. MITIG. IRAS] Ira tempore languescit: nec longo solum, sed breui etiam, quantum 24. Græcorum litteris tacitè pronontiandis consumitur. Super iram vero Christianorum non permittet solem occidere C magister gentium.

NEC MINVIT LVCTVS, &c.] Seruius Sulpit. Cic. lib. 4. ep. 5. Nullus est dolor, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat.

CVNCTA POTEST IGITVR, &c.] Conclusio inductionis. in rebus omnibus maximam esse vim temporis, curis tantum suis exceptis, quas attenuare, & imminuere, & hebetare nequeat.

TACITO PED. LAPS. VETVST.] Alibi. *cito pede labitur ætas.* Eleg. 10. *Interea tacito passu labentibus annis.* Tibull. lib. 1. eleg. 10. de morte loquens. *Imminet, & tacito clam venit illa pede.*

PRÆTERQVAM CVRAS MEAS] Cura dictaquod cor vrat. Cum voce sollicitudo freqnēter copulatur. Terent. Phorm. *Quanta me cura & sollicitudine afficit gnatus!* Cic. ep. 15. lib. 15. magna cura, & sollicitudine me, & Atticum liberabis. Sueton. Calig. in testificanda sollicitudine, & cura de incolumitate eius.

BIS FRVGIB. AREA TRITA EST] biennium est, ex quo sum in exilio. Ita solent poëtæ numerare annos, per numerum scilicet eorundem mensium, vt per tres decembres, per messium, per autumnorum, per æstatum, &c. ab adiunctis, siue *κατὰ λόγον*. Exempla notentur cum occurrerint. *Area*, quæ in ipso agro ad exterendas fruges statim in ipsa messe conficitur, de qua Virgil. 1. Georg.

Area cumprimis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci,

DISSILVIT NVD. PRESS. BIS VVA. P.] 2. Metamorph. *Stabat & autumnus calcatis sordidus vuis.* Non dissiluit ipsa vua sub pede prementis, & calcantis. neque acini ipsi, sed humor seu vinū ex acinis tumentibus expressum. Spitzen Germania.

NON QVÆSITA TAMEN SPATIO, &c.] Et tamen tam longo spatio non potui asuefieri cum æquanimitate ferendo dolori, & ærumnæ.

MENSQVE MALI SENS. RECENT.] non veterascit dolor meus. AEquè vt à principio feruet.

ET VETERES FVG. IVGA. S. IVVENCI] B Similitudine taurorum, & equorum, iuga, & fræna consueta sæpe excutientium, impatientiam exilij sui, quamuis post longum tempus, exprimit.

TRISTIOR PRÆS. ÆRVM. PRIORE, &c.] Ait se nunc difficilius ferre miserias suas, quamnis non malores, quam fuerint à principio: sed ipsa tamen diuturnitate facta acerbiores.

NEC TAM NOTA MIHI, QVAM SVNT, &c.] magis magisque intelligo magnitudinem malorum meorum, & eorum perfectior notitia magis animum excruciat.

VIRES AFFERRE RECENTES] Vt intolerabilius mihi sit exilium, faciunt etiam imminentæ vires corporis, quas tempus elapsum consumpsit. Accommodantur similitudines rei illustrandæ.

FORTIOR IN FVLVA. N. E. LVCT. AR.] Ex quinque ludorum generibus, in quatuor sacris Græciæ certaminibus, de quibus est primū epigramma lib. 1. Anthol. fuit etiam lucta. Fuerunt autem saltus, cursus, discus, iaculum, lucta. De his eodem libro hoc extat distichon,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

πένταθλον quinquertionem, seu quinquertium latinè dices. Vide Brod. ibidem.

TARDA BRACHIA FESSA MORA] cui brachia, & lacerti senio marcent. Cic. in Lælio. Quæ enim vox potest esse contemptior, quam Milo- D nis Crotoniatæ? Qui cum iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse: at hi quidem iam mortui sunt.

INTEGER EST MEL. GLADIAT.] recens. qui nondum in arena depugnauit.

QVAM CVI TEL. S. SANG. T. RVB.] quam qui tela, non sua, sed aduersarij, sanguine suo iam tinxit, & est lassus.

QVAMVIS EXIG. SOLVITVR IMBRE] De procella non satis commodè videtur transire ad pluuiam, siue imbrem, cum loquatur de naue recentiore, & vetusta. Quamobrem adducor vt credam, isto loco verbum *imber* Ouid. vsurpare eadem notione qua Virgil. 1. AEneid. in descri-

ptione tempestatis. *Laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisq́; fatiscunt.* Vbi hæc in Symbolis ex Nonio. Consuetudo induxit imbrem solum dici agmen cælestium aquarum, & pluuiarum, cum tamen auctoritas variet, significetque omnem humorem aqueum. Lucret. *Ex igni, terra, atq; anima nascuntur, & imbri.* Quod ergo Virgil. ait, laxari laterum compages, vno verbo perstrictum est à nostro, *solui*.

TVLIMVS PATIENTIVS ANTE] principiò, & quasi gladiatores, ac luctatores noui, & recentes.

QVAM MALA SVNT. L. M. DIE] quam ferimus cum ea iam diu, & cum ipsis diebus, & mensibus multiplicata sunt.

QVANTVM AVGVROR] Quantum præsentio, & præuideo. Quantum ex corpore meo coniicere possum. Sic autem versus interpungi debet. *Credite, deficio, nostroq; à corpore (quantum Auguror) accedunt, &c.* Cic. 1. Tuscul. eique qui venenum præbuerat, mortem verè est auguratus. Vtitur eodem verbo cum certis ablatiuis. Pro Murena. quantum ego opinione auguror. Et 1. de Orat. ego quantum coniectura auguror.

ACCED. TEMP. PARVA MAL.] non diu viuam in his malis. Vixit tamen adhuc quinquennium.

NAM NEQVE SVNT VIRES] Hæc sunt argumenta, siue coniecturæ, & signa mortis non longe absentis. virium defectio inprimis.

NEC QVI COLOR ESSE SOLEB.] secunda coniectura, pallor. Bonitas coloris plerumque indicat bonam valetudinem, & tuendum exercitationibus corporis ait 1. Off. M. Tullius.

VIX HAB. TEN. Q. TEG OSSA CVT.] *Ossa atq; pellis sum misera macritudine*, ait Plaut. in Capt. Macie suprema confectus sum, vt Virg. de Achæmenide in 3. AEneid.

CORP. SED MENS EST ÆGRA. M. ÆGRA] Hoc verò pessimum, ægrotare eam partem, & vehementer, quæ fouere, sustentare, recreare in morbis, & malis alterum debebat.

MALIQVE INCIRCVMSP. S. S. FINE SVI] A speculatoribus. Noctes, & dies mala sua contemplatur, semper defixa est in cogitandis, recogitandisque miseriis suis.

VRBIS ABEST FACIES, &c.] Recenset, quorum absentia mœreat. Sunt autem Roma, amici, vxor.

ET QVA NVLLA MIHI CHARIOR, VXOR] Non quod illi mulieres etiam aliæ sint charæ, nihil enim hoc ad institutum: & hîc amores suos erga alias fœminas infercire fuisset ineptum planè. Sed subaudiendum *res*, & qua nulla res mihi charior. Vide eleg. 5. lib. 1. & 3. lib. 3.

Omnia cum subeant, vincis tamen omnia coniux,
Et plus in nostro pectore, chara, tenes.

Eleg. 8. eiusdem.

Desertoq́; domus vultus, memoresq́; sodales,
Charaq́; præcipuè coniugis ora meæ.

VVLGVS ADEST SCYTHICVM, &c.] Docet nunc, quorum præsentia torqueatur.

BRACCATAQVE TVRB. GETAR.] Eleg. 10. lib. 3.

Sauromatæ cingunt, fera gens, Bessique, Getæque,
Quæ non ingenio nomina digna meo.

Alibi etiam Getas vocauit braccatos, aut braccas illis tribuit.

HÆC FORE MORTE. M. N. DIVTVR. MALA.] Consolatur quosdam in epistolis Cicero, quod eos diu in illis molestiis, ac miseriis suis non futuros pollicetur. Sed commune omnium, quamuis ingentium, & diuturnarum miseriarũ mors, & vicina mors solatium. 1. Tuscul. A malis mors abducit, verum si fateri volumus, non à bonis. Cui dicto geminus est locus ille in orat. Cæs. apud Sallust. suadentis, ne coniurati interficiantur. De pœna possum equidem dicere id, quod res habet, in luctu, atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissoluere: vltra neque curæ, neque gaudio locum esse. Quam sententiam vel Cæsarem, vel Sallustium à Sophocle mutuatum putat Muret. lib. 19. cap. 22. vbi sic Antigone.

ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
ζῇ, πῶς ὅδ᾽ οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;
Nam quisquis, vt ego, in plurimis vixit malis,
Quid ni ille mortem esse in lucro putet sibi?



ELEGIA SEPTIMA.

EXPROBRATIO. EXCVSATIO. COHORTATIO.

ARGVMENTVM.

Dvorum annorum summum silentium amico parcius exprobrat, cum præsertim maior sibi vsus cum eo fuerit, quã cum aliis, quorum litteras acceperit. Scripsisse quidem illum; sed tanto locorum interuallo epistolas fortasse periisse. Prius enim omnia, licet absurdissima, crediturum, quam immutatum esse. Ad extremum monet, vt quotquot tandem, & quibuscunque modis epistolæ impediri possint, scribere ne omittat, & casum vincat.

Bis me sol adiit gelidam post frigore brumam,
Bisq́; suum tacto pisce peregit iter.
Tempore tam longo cur non tua dextera versus
Quamlibet in paucos officiosa fuit?
Cur tua cessauit pietas, scribentibus illis
Exiguus nobis cum quibus vsus erat?
Cur quoties alicui dum chartæ vincula demsi,
Illam speraui nomen habere tuum?
Dij faciant, vt sæpe tua sit epistola dextra
Scripta, sed ex multis reddita nulla mihi.
Quod precor, esse liquet. Credam prius ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis:
Esse canes vtero sub virginis, esse Chimæram,
A truce quæ flammis separat angue leam.
Quadrupedesq́; homines cum pectore pectora iunctos,
Tergeminumq́; virum, tergeminumq́; canem.
Sphingáque, & Harpyias, serpentipedesq́; gigantes,
Centimanumq́; Gygen, semibouémque virum:
Hæc ego cuncta prius, quàm te, carißime, credam
Mutatum, curam deposuisse mei.
Innumeri montes inter me téque, viæque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca iacent.

Mille potest causis, à te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras rara venire manus,
Mille tamen causas scribendo vince frequenter:
Excusem ne te semper amice mihi.

COMMENTARIVS.

B*IS ME SOL ADIIT GELIDÆ*, &c.] Aliter bienuium περιφραστικῶς elegia superiore expressit, nempe sic.

Vt patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis vua pede.

Bruma dicta, quod tum breuissimus dies est, ait Varro de ling. lat. lib. 5. anni enim initium facit. 1. Fast.

Bruma noui prima est, veterisque nouissima solis,
Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

BISQVE SVVM TACTO. P. PEREG. IT.] Bis permeauit signum Zodiaci, quod vocant piscem, mense Februario.

CVR NON. T. D. VERS. Q. IN PAVCOS] Cur tanto spatio non exarasti versus saltem paucos ad me, vt officio satis faceres?

SCRIBENTIB. ILLIS EXIGVVS NOBIS, &c.] A minore ad maius. Cic. pro Cluent. mihi cum eo vicinitas, & magnus vsus est. In Lælio. quibuscum vsu coniuncti esse possunt. Ep. 23. lib. 13. Nam & inter nosmetipsos vetus vsus intercedit.

ALICVI CHARTÆ SVA VINCVL. DEMPSI] Epistolæ nec semper vna, pluribusue conscribebantur paginis: nec inuoluebantur. Complicatis itaque. & lino traiectis. qui mercatorum hodie mos est, annulus imprimebatur. Vide plura apud Ald. Manut. de quæsit. per epistolam. cap. de epist. vbi, ni fallor, hic locus adducitur. Adhibuisse autem veteres linum ad tabellas, & litteras obsignãdas. constat etiam ex Plauti Pseudolo, vbi Calidoro adolescenti, per ceram, & linum, litterasque interpretes salus mittitur. Et Bacchid. Chrysalus ad scribendam. obsignandamque epistolam afferri sibi iubet stylum, ceram, tabellas, & linum. *Age, obliga, obsigna citò.*

DII FACIANT, VT SÆPE TVA SIT EP. &c.] Optantis est. quo modo loquendi & ipse. & alij sæpius vtuntur: vt & illo, dij faxint. Sententia est. Vellem, & opto, te frequentes ad me dedisse litteras: sed scito nullas adhuc mihi redditas.

QVOD PRECOR ESSE LIQ.] Corrigit sese, & affirmat factum quod cupiebat. additque argumenta ab impossibili, vt vocant, seu ab incredibilibus.

ORA MEDVSÆ GORG. ANGVIN.] Medusam vocat Gorgonem, quia iisdem parentibus

A nata, Phorco scilicet, & Ceto, quibus Gorgones, de quibus Natal. lib. 7. cap. 12. De Medusa duplex fertur narratio. Quidam scribunt, quod in templo Mineruæ Neptunũ passa esset, iratam deam, comam primùm, qua Neptuno placuerat. In serpentes conuertisse. Isaacius, Medusam fuisse Pisidæ omnium mulierũ suę ætatis pulcherrimam. Quæ cum magnopere, capillorum præsertim, pulchritudine gloriaretur, sese vel Pallade pulchriorem affirmabat. & ausa est de forma vel cũ dea contendere. Quam arrogantiam, & impudentiam illa grauiter ferens, prius crines, quibus maximè se iactabat, in turpissimos, maximeque formidabiles angues conuertit, vt qui spectare illam inposterum ausus esset, fieret saxeus. &c. Lege plura apud Natal. lib. 7. cap. 11. Prouerb. Tanquam Gorgone conspecta, de repente attoB nito, metuque perculso. Vide Iunium.

ESSE CANES VTERO SVB VIRGIN.] Duæ fuerunt Scyllæ. Vna filia Nisi regis Megarensium, de qua hîc non est sermo: quanquam nonnulli etiam hæc ad eam pertinere volunt. Altera Phorcynidis. & Hecatei filia, quam monstrũ marinum factum ita depingit Maro 3. AEneid.

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Et eclog. 8.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
C *Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Volue, si lubet, Natal. lib. 8. cap. 12. & vtrobique Symb. meas. Cic. 1. de nat. deor. Quid quod eiusdem hominis imagines aliæ in meum animum incurrunt, aliæ in tuum? Quid quod eorum, quæ nunquam omnino fuerunt, neque esse potuerunt, vt Scyllæ, & Chimæræ, &c. Fabulæ istæ de hisce monstris, & canum latratibus vnde natæ, memorat Iustinus initio lib. 4. vbi Siciliam describit.

ESSE CHIMÆRAM] Chimæra monstrum fuit triforme. Prima enim parte leonem, media capram, postrema draconem referebat, & naribus ignem spirabat, quod Bellerophon interemit. adiutus equo Pegaso. qui è capite Medusæ à

Perſeo amputato alatus profiluerat. Vide Natal. lib.9.cap.4. Homerus.

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Prima leo, poſtrema draco, mediaq; capella.

Reuera autem huius nominis mons fuit in Lycia, cuius ſumma, ſeu iugum habitabant leones, medium, quia locus paſcuus, capræ, ima ſerpentes. Quem montem quia Bellerophon reddidit habitabilem, monſtrum hoc interemiſſe fingitur.

A TEVCE. Q. FLAM. SEP. ANG. LEAM.] Difficilis verſiculus, & qui indicet in medio arſiſſe hunc montem, quod poëtæ ad monſtri nares tranſtulerunt. De capris autem tacetur.

QVADRVPEDESQVE HOMINES CVM PECT. &c.] Centauros, animantes ex equo & homine compactos. Quidam putarunt inferiorem partem ad collum vſq; formam fuiſſe equinam, & ab equino ventre pro collo ventrem, & formam hominis conſurgere, ita vt equitantis hominis forma in faciem intuentibus videretur. Lucret. lib. 5. negat centauros extare potuiſſe. *Sed neq; Centauri fuerant, &c.* De quibus, & aliis portentis hîc nominatis lege doctiſsimam diſputationem Hieron. Magij Miſcell. lib.1.cap.20.

TERGEM. VIRVM] Geryonem Chryſaoris Iberiæ regis filiũ, qui tricorpor, tergeminus, ter amplus, triceps à poëtis dicitur. Vnde fabula confecta, Gyrald. in Hercule. Lucret. lib.5. *quidue tripectora tergemini vis Geryonai.* Virgil. lib.8. *Tergemini nece Geryonis, ſpoliiſq; ſuperbus.* Horat. Ode 14. lib.1. *qui ter amplum Geryonem, Tityumque triſti compeſcit vnda.* Tergeminum porrò non ſex, ſed tria: & ſeptem geminum, nõ quatuordecim, ſed ſeptem tantum ſignificat.

TERGEM. CANEM] Cerberum, cui tria capita. Cuſtos eſt inferorum. Virgil. lib.6.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, aduerſo recubans immanis in antro.

Ex eius capite angues pro villis pependiſſe indicat Horat, Ode 11. lib.3.

Ceſſit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ.
Cerberus, quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atq;
Spiritus teter, ſanieſq; manet
Ore trilingui.

Conſule Natal. lib 3. cap.5.

SPHINGAQVE] Sphinx muliebri facie, ac pectore fuiſſe proditur, pedibus, & cauda leonis, pennis autem volucris. Clearchus caput, & manus puellæ, corpus canis, vocem hominis, caudam draconis, vngues leonis, alas auis illam habuiſſe memoriæ tradidit. Hæc ſingulis prætereuntibus in Phyceo collo reſidens, obſcura ſanè ænigmata proponebat, &c. Natal. lib.9.cap.18.

ET HARPYIAS] Hoc genus monſtri 3. AEneid. ſic depingitur.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla
Peſtis, & ira deûm ſtygiis ſeſe extulit vndis.

A *Virginei volucrum vultus, fœdiſsima ventris*
Proluuies, vncæq; manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Has Iouis canes fuiſſe memorant poëtæ, ac rapaces dæmones, ad dirum Phinei ſupplicium immiſſas. Natal. lib.7.cap.6.

SERPENTIGEROSQVE GIGANT.] Propter pedes anguineos. Ouid.5. Faſt.

Terra feros partus immania monſtra gigantes
Edidit, auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,
Atq; ait, in magnos arma mouete deos.

CENTIMANVMQVE GYGEN.] Lambin. & Muret. legunt *Gyan.* Heſiodus Cottum, Briarium, Gygen, ſeu Gyan fratres centimanos facit

B in Theogon. Horat. Ode 17. lib.2.

Me nec chimæra ſpiritus ignea,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas
Diuellet vnquam.

Et Ode 4. lib.3. *Teſtis mearum centimanus Gyas ſententiarum notus.*

SEMIBOVEMQVE VIRVM] Minotaurum, monſtrum ex Paſiphaë, Minois Cretẽſium regis vxore, & tauro natum, de quo Ariadna Theſeo.

Nec tua mactaſſet nodoſo ſtipite, Theſeu,
Dextera, parte virum, dextera parte bouem.

Virgil. in cælatura Ianuæ templi, artificio nempe dædaleo explicando.

Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaq; furto
Paſiphaë, mixtumq; genus, prolesq; biformis

C *Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.*

Virgil. lib.6. Enumerata mõſtra fere omnia collocat in veſtibulo Orci.

Multaq; præterea variarum monſtra ferarum.
Centauri in foribus ſtabulãt, Scyllæq; biformes, &c.

HÆC EGO CVNCTA PRIVS CRED] quæ falſiſsima, & rerum naturæ penitus pugnantia ſunt. Mihi tamen credibiliora videntur, quam te mutaſſe animum.

INNVMERI MONTES INTER. &c.] Veriſimilis conjecturæ ætiologia. In tanta locorum diſtantia potuerunt literæ tuæ vel intercipi, vel aliqua negligentia amitti.

MILLE CAVSSIS] Alioqui & trecenta, & ſexcenta pro ingenti numero, Latinis trita ſunt.

D *EXCVSEM NE TE SEMP.*] Non ſit credibile, ſi crebrò ſcripſeris, nunquam mihi redditum iri. Quod ſi rarò ſcripſeris, ſemper neceſſe habebo te excuſare. Frequentia vincit caſum.



ELEGIA OCTAVA.

EREPTVM SENECTVTI OTIVM.

ARGVMENTVM.

SE iam senescere, & cum id ætatis deberet otio frui, omnis metus expers, atque inter amicos in patria studiis suis oblectari, diis aliter visum, à quibus in Sarmatiam compulsus sit, cum tamen & nauibus, & equis olympicis, & militibus vacatio concedatur. Priora tempora placida sibi, & optata, posteriora immitia & dura, prope metam curriculi sui (quippe circiter annum quinquagesimũ) contigisse. Offensa Cæsaris angitur, cui vitam suam debeat. Si quæ oracula quondam hæc sibi futura prædixissent, non fuisse crediturum. Omnia, quantumcunque valida, & sublimia, diuino arbitrio, potentiæque subiici. Præcipitur amicis, caueant, ne Augustum diis æqui parandum offendant.

Iam mea cycneas imitantur tempora plumas:
Inficit & nigras alba senecta comas:
Iam subeunt anni fragiles, & inertior ætas:
Iamq; parum firmo me mihi ferre graue est.
Nunc erat, vt posito deberem fine laborum
Viuere me nullo sollicitante metu:
Quæq; meæ semper placuerunt otia menti
Carpere, & in studiis molliter esse meis:
Et paruam celebrare domum, veteresq; penates,
Et quæ nunc domino rura paterna carent:
Inque sinu dominæ, carisq; nepotibus, inque
Securus patria consenuisse mea.
Hæc mea sic quondam peragi sperauerat ætas:
Hos ego sic annos ponere dignus eram.
Non ita diis visum, qui me terraq; marique
Actum Sarmaticis exposuêre locis.
In caua ducuntur quassæ naualia puppes,
Ne temerè in mediis dissoluantur aquis.

Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
Miles vbi emeritis non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.
Sic igitur tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari iam rude, tempus erat.
Tempus erat nec me peregrinum ducere cælum,
Nec siccam Getico fonte leuare sitim,
Sed modò, quos habui, vacuos secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus, & vrbe frui.
Sic animo quondam non diuinante futura
Optabam placidè viuere posse senex:
Fata repugnarunt: quæ, cùm mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora grauant.
Iamque decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitæ deteriore mea.
Nec procul à metis, quas penè tenere videbar,
Curriculo grauis est facta ruina meo.
Ergo illum demens in me sæuire coëgi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet:
Ipsaque delictis victa est clementia nostris,
Nec tamen errori vita negata meo est.
Vita procul patria peragenda sub axe Boreo est,
Quà maris Euxini terra sinistra iacet.
Hæc mihi si Delphos, Dodonaque diceret ipsa:
Esse videretur vanus vterque locus.
Nil adeò validum est, adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius igne Iouis.
NIL ITA SVBLIME EST, SVPRAQVE PERICVLA TENDIT,
NON SIT VT INFERIVS SVPPOSITVMQVE DEO.
Nam quanquam vitio pars est contracta malorum,
Plus tamen exitij numinis ira dedit.
At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Æquantem superos emeruisse virum.



COMMEN-

COMMENTARIVS.

A *IAM MEA CYG. IMIT. TEMP. PLVM.*] Cygno quid candidius? & tempora hominis primùm occupat canities. 3. Metamorph. *ille mouens albentia tempora canis.* Virgil. 5. AEneid. *aemula necdum Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* κρόταφον Graeci nuncupant. Dixit etiam numero singul. tempus Maro lib. 9. *it hasta Tago per tempus vtrumque.* Et Cornificius lib. 4. Et dubitanti Graccho quid esset, neque tamen locum, in quo constiterat relinquenti, percutit tempus.

INFICIT ET NIG. ALB. S. COMAS] Eleg. 10.

Iam mihi canities pulsis melioribus annis
Venerat, antiquas miscuerat{que} comas.

B Eleg. 5. lib. 1. de Ponto. *Iam mihi deterior canis aspergitur aetas.* Tibull. lib. 2. *dum tarda senectus Inducat rugas, inficiat{que} comas.* Et lib. 3. *Et nondum cani nigros laesere capillos.* Niger capillus facilius ruso canescit. Plaut. Mostell. *Sapere istac aetate oportet, qui sunt capite candido.* Canities Horatio capitis niues Ode 13. lib. 4. Cana anilitas est apud Catullum.

IAM SVBEVNT ANNI FRAGIL.] Anni aetatis fragilis, hoc est infirmę ad resistendũ morbis. & morti. Virgil. 3. Georg. *subeunt morbi, tristis{que} senectus.*

ET INERTIOR AETAS] inepta rebus agundis. Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Iam subrepet iners aetas.* Deteriorem vocat 1. de Ponto.

C *PARVM. F. ME MIHI FERRE GRAVE EST*] Vix possum incedere sine adminiculo scipionis. Iam est vt tertio pede indigeam. Parum firmus, cui vires sunt exiguae, infirmus. Nam vox haec mala consuetudine loquentium in morbo ponenda non est.

NVNC ERAT VT POSITO, &c.] ἰδιωτισμός. Dido AEneae. *Quando erit vt condas instar Carthaginis vrbem?* Nunc tempus erat illud, cum mihi initium requiescendi, atque animum ad Musarum studia referendi fore iustum, & prope ab omnibus concessum arbitrarer. Sed hanc spem cogitationũ mearum tristissimus casus fefellit. Vide principium libror. de Orat. quod sibi accommodare Naso non incommodè queat.

D *VIVERE*] Apud poëtas *viuere* saepius est vitam iucundam, suauem, omniumque molestiarum ignaram degere. Declarat vetus illud. *Amici, dum viuimus viuamus.* Virgil. in epigram. *Mors aurem vellens viuite, ait, venio.* Martial. lib. 1. ep. 16. *Sera nimis vita est crastina, viue hodie.*

QVAEQVE MEAE. S. PLACVER. OTIA MENTI] quae me à principio aetatis delectarunt. Eleg. 10.

Et petere Aonia suadebant tuta sorores
Otia, iudicio semper amata meo.

CARPERE] translatio, vel à floribus, & fructibus carpendis, vel à lanificio. Vsum verbi huius ostendit Lambin. in illud Horat. Ode 11. lib. 1. *Carpe diem, quam minimùm credula postero. Illic mihi carpitur aetas*, dixit Catull. ad Mallium. In quem locum vide Achillem Statium.

ET IN STVD. MOLLITER ESSE MEIS] conquiescere in studiis meis, & reliquum aetatis habere in litteris, qua vita nihil suauius.

ET PARVAM CELEB. DOMVM] ornare versibus meis familiam nostram, non ita conspicuam, & florentem. lib. 2.

Parua quidem periit, sed sine labe domus.
Sic quoque parua tamen, patrio dicatur vt aeue
Clara, nec vllius nobilitate minor.

QVAE NVNC DOM. RVRA PAT. CAR.] me, qui sum dominus eorum. Erant autem in Pelignis, & Romae.

INQVE SINV DOMINAE] in complexu vxoris.

CHARISQVE NEPOTIBVS] Bis se ex filia factum auum narrat eleg. 10.

SECVRVS PATRIA. CONSEN. MEA] Consenescere extra patriam, tantùm iis non est molestum, quos non tangit charitas patriae.

HAEC MEA SIC QVONDAM] Verba sic ordinanda sunt. Haec mea aetas, senilis scilicet, quondam sic peragi sperauerat. Id est, ego quondã speraueram, sic me senectutem meam transacturum.

HOS EGO SIC ANNOS PONERE DIGNVS] Alibi, *Tempus & assueta ponere in arte iuuat.* Decebat me hos vltimos annos sic consumere. Postulabant hoc mores mei, & vita praeterita. Senectus, ait Seneca ep. 58. vt non concupiscenda, ita ne recusanda quidem. Iucundum est esse secum quam diutissimè, cum quis se dignum quo frueretur effecit.

NON ITA DIIS VISVM] Ne palam deos reprehenderent, & condemnarent, tanquam malorum suorum auctores, ita loquebantur, diis aliter visum, sic visum superis, &c.

TERRAQVE, MARIQVE IACTVM] Iactum pro iactatum. De vtriusque periculis aliquoties fit mentio in superioribus libris, & elegiis. Virgil. *terris iactatus, & alto.*

IN CAVA D. QVASSAE NAVALIA PVPPES] Eleg. 2. lib. 1. *Soluere quassata parcite membra ratis.* Virgil. 1. AEneid. *Quassatam vento liceat subducere classem.*

IN ME-

IN MEDIIS DISSOLV. AQVIS] digressis, pro, dissoluantur. Supra, eleg. 5.

Fert bene præcipites a avis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo soluitur imbre vetus.

MVLTAS PALM. INHONEST. ADEPT.] Loquitur de cursu equestri in ludis circensibus, aut certaminibus olympieis, quinto quoque anno fieri solitis, de quibus Horat. Ode 1. lib. 1.

Sunt quos curriculo puluerem olympicum
Collegisse iuuat, metaq; feruidis
Euitata rotis, palmaq; nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos.

Ennius:

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit olympia: nunc senio confectu' quiescit.

Ad quos respexit Horat. ep. 1. lib. 1.

Solue senescentem maturè sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Summa autem, vt ibidem notat Torrentius, non agitatorum modò, sed & equorum, qui ad metas decurrebant gloria. Hinc Volucer, hinc Incitatus, hinc Aquilo, & Hirpinus nobilia equorum nomina, quorum etiam palmæ in vetustis marmoribus enumerantur.

LANGVID. IN PRAT. GRAM. CARP.] Equos vetulos iam, ac bene de dominis suis meritos, pascendo libere vagari sinebant, & cuipiam Deo consecrabant, hanc illis gratiam referentes.

MILES VT EMERIT. &c.] Ex libris Vaticanis Ciofan. legit *annis* pro *armis*, & exponit, propter longam ętatem, senectutem. Inde intelligis, quid alibi velit, cum dixit, *Turpe senex miles.* Horat. sat. 1. lib. 1.

O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, longo iam fractus membra labore.

Emeriti vocantur, qui impletis stipendiis, labore militiæ soluuntur post annos XX. Et emerita dicuntur præmia, quę dantur militia perfunctis.

PONIT AD ANTIQ. Q. ARMA LAR.] Penelope Vlyssi. *Ponitur ad patrios barbara præda deos.* Solebant & gladiatores, & milites emeriti arma sua diis suspendere. Horat. epist. 1. lib. 1. *Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro.* Immò qui artem aliquam desinerent, eius instrumēta diis, & potissimùm eius artis præsidibus suspendebant.

TARDA SENECTA] ad incessum pertinet; vnde etiam senes tardigradi, & opus habent tertio pede.

ME QVOQVE DONARI IAM RVD. TEMP.] Gladiatores, quibus permittebatur vacatio à munere gladiatorio, donabantur virga, cui vocabulum rudis, & ipsi rudiarij. Horat. ep. 1. lib. 1. ad Mœcenatem ἀπολογητικῶς.

Spectatum satis, & donatum iam rude quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.

Cic. 2. Philipp. Tam bonus gladiator rudem tam citò accepisti? Vide prouerbia, rudem accipere, rude donari.

PEREGRINVM DVCERE CAELVM] ducere A spiritum sub peregrino cælo. Sæpius cælum pro aëre, vt tenue, crassum, salubre cælum. Et pro eodem anima. Cicer. pro Sex. Roscio de parricidis culeo insutis, & in flumen deiectis. Ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant.

NEC SICC. GET. FONTE LAVARE SIT.] De aqua ista questus est eleg. 3. lib. 3. *Nec cælum patior, nec aquis assueuimus istis.* Ibid. eleg. 8. *Nec cælum, nec aquæ faciunt.* Caussa affertur 3. de Ponto eleg. 1.

Non tibi sunt fontes, latices sed pene marini,
Qui potus dubium sit sistat, alat ne sitim.

VACVOS SECED. IN HORTOS] Elegia vlt. lib. 1. *Non hæc in nostris, vt quondam, scribimus hortis.* Secessum optat, quo vtebatur carmina scripturus, de quo eleg. 1. lib. 1. *Carmina secessum scribentis,* B *& otia quærunt.*

HOMINVM VISV] conspectu, & congressu.

ANIMO NON DIVINANTE FVTVRA] non sunt mihi hæc præuisa. Nec minima fuit horum apud me suspicio.

FATA REPVGNARVNT] Alibi. *Sed me mea fata trahebant.* Fatum eius defensores definierunt vim quandam siderum, certis locis constitutorum, nec Dei subiectam potestati, & hominum voluntatibus dominantem, quam siderum collocationem, cum quis nasceretur, obseruabant. Et ea dicebant fatalia, quę præter diuinam, & humanam voluntatem necessariò ex ordine caussarum euenirent. Qui ordo ex certa siderum inter C se compositione pendens, nullo Dei consilio regeretur, & nulla eius facultate immutari posset. Et quidquid demum inter nos accideret, ex certa siderum collocatione flueret. Hæc Ioannes Viperan. opusculo aureolo de diuina prouidentia lib. 2. cap. 13. vbi stultam hanc opinionem copiosè, & eruditè conuellit. Vide præterea quæ de fato à me disseruntur lib. 5. in eleg. 4. & lib. 1. eleg. 3.

TEMP. PRIMA MOLLIA, &c.] Expertus est Ouidius in se quoque, neminem beatum ante obitum, & suprema funera dici posse.

DECEM LVSTRIS OMNI. S. LABE PER.] Lustrum pro quinquennio, vt Græci olympiadem: etsi sunt, qui rantùm quatuor, cum initio, seu parte quinti huic tribuant. Sed poëtis con- D cessa est in verbis libertas. In Ibin. *Tempus ad hoc, lustris mihi iam bis quinque peractis.*

PARTE PREM. VITAE DETER. MEAE] Dixit enim iam, *posteriora grauant.* Et senectus est ętas deterior.

NEC PROCVL A METIS] Metas vocat extremum vitæ, seu ipsam mortem, vt ad Liuiam. *Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam.* Et meritò metas, quandoquidē totum vitæ humanæ tempus curriculum, & spatium nominatur.

CVRRICVLO MEO] Curriculum vitæ, crebrum bonis auctoribus. Cic. pro Rabir. exiguum nobis vitę curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ. Non fuit inoffensus vitæ meæ cursus ad finem vsque.

IN ME SAEVIRE COEGI] propter illud visum.

MITIVS IMMENS. Q. NIHIL. ORB. HAB.] Summa laus, esse omnium hominum mitissimum. Alibi. *Quique dolet quoties cogitur esse ferox.*

IPSAQVE DELICT. VICTA EST CLEMENT.] Si Cæsar est omnium mortalium mitissimus, & delicta Ouidij sunt maiora illius clementia, necesse est eum in tam mitem virum sceleratissimum extitisse. Sed istis exaggerationibus vtitur sæpiculè, vt illum ad misericordiam flectat, cum tamen vt delictum, culpam, peccatum, crimen, errorem fatetur, sic scelus, & facinus semper neget, quæ propriè, si enormia sunt, Principum clementiam vincunt.

NEC TAMEN ERRORI] Error leuis est, & ignosci facilè non solum potest, sed etiam debet. Et hunc errorem alibi partem, alibi principium sui criminis ait esse.

SVB AXE BOREO] Vnde venit Boreas, qui aliàs Aquilo. Sub stellis septem nunquam tangentibus æquor, vt ait eleg.10. lib.3. & rursum 11.

Barbara me tellus, & inhospita littora Ponti,
Cumque truci Borea Mænalis vrsa videt.

MARIS EVXINI TERRA SINISTRA] Ad sinistrum latus Ponti Euxini.

DELPHOS, DODONAQVE DICERET] 4. de Ponto eleg.3.

Littus ad Euxinum si quis mihi diceret ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ,
I, bibe dixissem purgantes pectora succos,
Quidquid & in tota nascitur Anticyra.

Numero multitudinis vsitatius est *Delphi*. Oraculum Delphicum præcipuè consulebatur. De Dodonæo legend. Natal. lib.6. cap.12.

VANVS VTERQVE LOCVS] Videretur falsum vtrumque oraculum. Ea enim aliquando vis est verborum *vanus*, & *vanitas*. Cic.3. off. qui in vendendo orationis vanitatem adhibent. Pro Quintio. Qui amicum prodit, vanum se fateatur necesse est.

ADAMAS LICET ALLIG. ILLVD] Lapis hic inde nomen sortitur, quod domari, frangique non possit, propter summam duritiem. Plinius lib.37. cap.4. de Indico, & Arabico, plura enim sunt genera. Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens. Vnde & nomen indomita vis græca interpretatione accepit. Paulò infra docet, quomodo hircino sanguine rumpatur. Hinc firmissima, & inexpugnabilia cum indicare volumus, adamantina vocamus. Vide Chiliad.

VT MANEAT RAPID. FIRM. IGNE IOVIS] vt resistat potentiæ Iouis: hanc enim per eius ignem, id est, per fulmen intelligere oportet, quo terret non solum homines, verum etiam ipsos deos.

SVPRAQVE PERICVLA TEND.] extra periculum, ac securum est.

PLVS TAMEN EXIT. N. IRA. D.] ostendit numen in eo suam vim, & potestatem, quod me supra meritum puniuir, & quantum collibuit, non quantum mea noxa commeruit.

NOSTRIS QVOQVE CASIBVS] meo exemplo. Pub. Syrus. *Sapiens ex alieno periculo emendat suum.*

AEQVANTEM SVPEROS] non solum diis parem virtute, & potentia: sed etiam *præsentem, conspicuumque Deum.*

EMERVISSE] votia conciliasse. Amicum retinuisse.



ELEGIA NONA.

COMMINATIO IGNOMINIAE SEMPITERNAE.

ARGVMENTVM.



N maledicum obtrectatorem, cui, nisi desistat, quamuis in vltimo orbis angulo iaceat, vltionem, & è versibus suis stigmata indebilia ex augurio immortalitatis scriptorũ suorum apud posteritatem minatur. In extrema elegia quasi in

arena

arena constitutus, cum aduersario congredi gestit. Omnia plena sunt acrimoniæ, & vehementissimi spiritus.

Si licet, & pateris, nomen facinusq; tacebo:
Et tua Lethæis acta dabuntur aquis:
Nostráque vincetur lacrymis clementia seris:
Fac modò te pateat pœnituisse tui.
Fac modò te damnes: cupiasq; eradere vitæ
Tempora, si posis, Tisiphonea tua.
Sin minus, & flagrant odio tua pectora nostro:
Induet infelix arma coacta dolor.
Sim licet extremum, sicut sum missus, in orbem,
Nostra suas istinc porriget ira manus.
Omnia, si nescis, Cæsar mihi iura reliquit:
Et sola est patria pœna carere mea.
Et patriam, modò sit sospes, speramus ab illo:
SAEPE IOVIS TELO QVERCVS ADVSTA VIRET.
Denique vindictæ si sit mihi nulla facultas:
Pierides, vires & sua tela dabunt.
Vt Scythicis habitem longè summotus in oris:
Siccáque sint oculis proxima signa meis:
Nostra per immensas ibunt præconia gentes:
Quodq; querar, notum quà patet orbis erit.
Ibit ad occasum, quicquid dicemus, ab ortu:
Testis & Hesperiæ vocis Eous erit.
Trans ego tellurem, trans altas audiar vndas:
Et gemitus vox est magna futura mei.
Nec tua te sontem tantummodò secula norint,
Perpetuæ crimen posteritatis eris.
Iam feror in pugnas: & nondum cornua sumpsi:
Nec, mihi sumendi caussa sit vlla, velim.
Circus adhuc cessat: spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto iam pede pulsat humum.
Hoc quoque, quam volui, plus est: cane Musa receptus,
Dum licet huic nomen dißimulare suum.

COMMENTARIVS.



I LICET, ET PATERIS] Si per te licet, & me irritare desinis. Si potes hoc à temet impetrare, vt taceas.

NOMEN FACINVSQVE TACEBO] In Ibin, *Quisquis is est (nam nomen adhuc, vitiumq; tacebo.)* Citius quis facinora sua, quam nomen cum facinoribus euulgari patietur. Hinc Martialis ad vitandam offensionem, nomina eorum,

quorum vitia insectaretur, se tacuisse confitetur, pro quibus ficta substitnit.

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Itaque Posthumius, Tongilius, Nasidienus, &c. & in fæminis Galla, Lycoris, Pontia, &c. suppositicia nomina sunt.

Et tva lethaeis. a. dab. aqvis] Obliuiscar quod mihi fecisti. Eleg. 7. lib. 1. *Cunctáne lethaeis mersa dabuntur aquis?* Et lib. 3. de arte. *Nec mea lethaeis scripta dabuntur aquis.*

Vincet. lacrym. clement. seris] Mutæ quidem, sed valentissimæ preces lacrymæ, etiam feræ, etiam in hoste. Et quoniam homo animal mite, & mansuetum, & συμπαθητικὸν natura, sæpe in alicuis nnn tenet suas.

Poenitvisse tvi] Pœnitet aliquem sui, cum consilia, & facta sua damnat, sibique displicet. Explanat ipse hoc, sequenti versu. *Fac modò te damnet.*

Eradere vitae tempora] cupias illa nunquam fuisse, &, si queas, non modo de reliquo spatio vitæ tollere, verum etiam funditus tollere, & exscindere, & (quod ἐμφατικώτερον est) eradere.

Tisiphonaea] quasi dicat, furialia, quibus tu mihi furia fuisti, meque lingua tua tanquam facibus, & flagellis insectatus es. Tres furiæ, Alecto, Tisiphone, Megæra, de quibus Gyrald. syntag. 6. Furias quosdam improbos vocat Cicero. Et 3. de nat. deor. Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, & vindices facinorum, & scelerum.

Flagrant odio tva pect. nostro] si ardes odio mei. Cic. pro Milone; omnia tum in illum odia ciuium ardebāt desiderio mei. Idem, flagrare odio, cupiditate, desiderio, amentia.

Indvet infelix. a. coacta dol.] Ego infelix, & dolens, tua pertinacia compulsus, arma sumam, vt iniurias meas vindicem. In Ibin. *Cogis inassuetas sumere tela manus,* metaphoricè. Virgil. 9. Aeneid. de Euryalo. *quo pulchrior alter Non fuit Æneadûm, Troiana nec induit arma.*

Sim licet extrem. missvs in orb.] & ideo videar tibi non timendus, quia longissime absim.

Nostra svas istvc porriget ira manvs] Allegoria est. Non euades manus meas. Efficiam, vt istic, vbi es, mihi pœnas des. Archilochus poëta à quodam conuitio lacessitus, respondit, τὸν τέττιγα πτεροῦ συνείληφας cicadam ala corripuisti, clarius enim tunc obstrepit: sic poëta, si ei occasionem dederis, in vtramq; partem te posteritati commendabit, vt Ouid. Ibin, si læseris. Quare Plato monebat, ne quis poëtam sibi redderet inimicum.

Omnia mihi ivra reliqvit] Quod ius est ciui in maledicum, & obtrectatorem, hoc mihi Cæsar non ademit. In ius per amicos vocaturum subindicat.

Et patriam, modo sit sosp. sper.]

A Modò vita diutius illi suppeditet, vt aliquando compositis maioribus curis, & negotiis de me cogitandi habeat otium, non despero reditum. Spei huius significationes non sæpe dat, desperationis sæpius, & tantummodo mitius exilium rogat.

Iovis telo qvercvs adveta viret] Et Iouis ignes, & Iouis telum periphrases fulminis.

Vindictae si sit mihi nvlla facvlt.] Si aliter me vlcisci non potero. Vindicta factum punit, vel futurum prohibet, atque propulsat: vltio persequitur contumeliam, vel iniuriam factam, aut damnum datum. Et vindicta etiam legitima est, & ad magistratus in reos animaduersionem pertinet; vltiò aliorum quotumlibet est.

B

Pierides vires, et sva tela dab.] sic de eo, quem Ibin vocat, se vlciscitur, carminibus scilicet amarulentis, & inuectiuis. Sic vltus est se de Lycambe sorero Archilochus, cum acerbitate versuum suorum ad laqueum illum adegit. Talem pœnam interminatur in se iniurioso, si quis extiterit, sat. 1. lib. 2. Horat.

Nec quisquam noceat cupido mihi pacis. At ille
Qui me commorit (melius non tangere clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe.

Plato in Minoë bonæ existimationis studiosum mouet, vti poëtas lacessere, aut offendere caueat, exemplo Minois: qui quamuis rex clementissi-
C mus, iustissimus, optimus, quia tamen tragicorum poëtarum offensionem, odiumque subiisset, & clementiæ, & iustitiæ suæ fructu caruisse, & insustum esse inhumanitatis, crudelitatis, & iniustitiæ notis sempiternis.

Sicca signa] nunquam occidentia, in mare, seu oceanum videlicet, vt poëtæ fingunt.

Nostra per immens. ib. praec. gentes] per gentes toto orbe, qui est immensus, positas. Horatius, etsi ipse quoq; sibi gloriam è carminibus suis perennem promittit Ode vlt. lib. 3. tamen præconia sua non per immensas gentes, sed per minora spatia peruagatura dixit.

Dicar quà violens obstrepit Aufidus.
Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
D *Regnauit populorum, ex humili potens*
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Satis tamen gloriosè in eadem Ode.

——sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Propertius quoque splendidè de se elegia 1. lib. 3. Omitto Virgilium, Lucretium, & alios, famam æternam sibi spondentes.

Notvm qva patet orbis erit] Querimonia de te mea nota erit mortalibus, quia libri mei erunt noti omnibus.

Ibit in occas. qvicqvid. d. ab ortv] Non quod dicetur ab ortu, ibit in occasum:

nec

nec enim in oriente est poëta: sed quidquid à me A dicetur de te, id cum aliis scriptis meis celebrabitur per orientem, & occasum: quibus duobus vocabulis τῶ ἀντολιῶν totum terrarum orbem expressit.

TESTIS ET HESP. VOCIS EOVS] Inuertit quod dixerat. Dixerat autem iterum quod scripsisset ab ortu in occasum: nunc ait, iterum ab occasu in ortum. Vides, quod docti in eo notarût τὸ πιεσφῆς. Nam & quod mox sequitur. *Trans ego tellurem, &c.* non aliud est, quam quod dixit antea.

GEMIT. VOX EST MAG. FVT. MEI] Ideò magna, quia latè exaudietur, trans tellurem, & altas vndas scilicet, toto orbe.

PERPETVAE CRIMEN POSTER. ERIS] Ignominiæ notis inureris, & nobilitaberis ad æ- B ternitatem. Omnium sæculorum infamia. Crimen nonnunquam valet vel accusationem, vel reprehensionem, vel calumniam. Cic. pro Sylla, & ex eo crimen aliquod in P. Syllam quæris. Pro domo sua, cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum.

ET NONDVM CORNVA SVMPSI] Nondum sumpsi calamum, & chartam, quibus re petam, vt cornibus taurus feras, in arena secum depugnantes. Inde & metaphoram duxit Horat. Ode 6. Epod. in maledicum.

Caue caue, namq; in malos asperrimus
Parata tollo cornua.

CIRCVS ADHVC CESSAT] Nondum irritatus est in circo taurus obiectu panni rubri, quem colorem odit. Ouid. 12. Metamorph.

Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas vestes, elusaq; vulnera sentit.

Solebant igni, ferro, stimulis, pilis puniceis ad pugnam incitari. Pilæ fuerunt humana effigie fœnea, vel straminea simulacra, cooperta veste rubra, quæ ipsis obiectabantur. De circo, Indisq; Circensibus extat præclarus Iulij Cæsaris Bulengeri liber.

SPARGIT TAMEN ACER ARENAM] Virg. 12. Aeneid. de tauro irato in syluis.

Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

HOC QVOQVE QVAM VOLVI PLVS EST] Supra affirmabat, nolle se esse caussam sumendi cornua, & contra voluntatem suam se sumpturum. Nunc etiam in his ipsis nimio longiorem se fuisse, quam voluisset, affirmat, vt moderationem eius intelligamus.

CANE MVSA RECEPTVS] Militaris locutio. Canitur receptui in prælio, cum tuba signum datur in castra è prælio redeundi, seseq; recipiendi. Metaphoricè Cic. 2. Philipp. Quis enim reuocante, & receptui canente senatu properet dimicare? Dixit autem, *cane receptus*, ποιητικὸν πάρος, ne cogeretur dicere, *cane receptu*, quod ipsum quoq; in dandi casibus quartæ inflexionis fas, & iura poëtis concedunt. *Parce metu Cytherea. Suspendit currus, etc.* Quod Ciosan. ex Maffeiano codice probat *recessus*, & addit ex 1. Metamorph. *& cecinit iussos inflata recessus*, nobis minus probatur. Ac forrasis ibi quoque legendum sit *receptus*.

ELEGIA DECIMA.
VITA OVIDII.
ARGVMENTVM.

BREVIARIVM rerum suarum exhibet. Docet nos patriam suam, tempus natale, familiam, educationem cum fratre, vtriusque studia, suos ad poësin impetus, honores ab se gestos, amicitiam familiarem cum illius æui poëtis. Item de scriptis suis. De tribus vxoribus. De filia, ac nepotibus. De vtriusque parentis obitu, quem contigisse ante exilium suum gaudet, in quod senex, nullo suo scelere eiectus sit. De vexationibus in itinere terrestri iuxta ac maritimo, etiam à comitibus. De poëticis occupationibus in

exilio, per quas tempus fallat, famamque, & gloriam nunquam intermorituram consequatur.

Ille ego qui fueram tenerorum lusor amorum,
Quem legis, vt noris, accipe posteritas.
Sulmo mihi patria est gelidis vberrimus vndis,
Millia qui nouies distat ab vrbe decem.
Editus hinc ego sum: nec non vt tempora noris,
Cùm cecidit fato Consul vterque pari.
Si quid id est, vsque à proauis vetus ordinis hæres,
Non modò fortunæ munere factus eques.
Nec stirps prima fui, genito sum fratre creatus,
Qui tribus antè quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Vna celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ festis de quinque Mineruæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.
Protinus excolimur teneri, curáque parentis
Imus ad insignes vrbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo,
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi iam puero cœlestia sacra placebant,
Inq́; suum furtim Musa trahebat opus.
Sæpe pater dixit: Studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis: totóque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:
Et quod tentabam scribere, versus erat.
Interea tacito passu labentibus annis
Liberior fratri sumpta mihíque toga est.
Induiturq́ue humeris cum lato purpura clauo:
Et studium nobis, quod fuit antè, manet.
Iamq́; decem vitæ frater geminauerat annos
Cùm perit, & cœpi parte carere mei.
Cepimus & teneræ primos ætatis honores,
Déque viris quondam pars tribus vna fui,
Curia restabat: claui mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus nec mens fuit apta labori:
Sollicitaq́ue fugax ambitionis eram.

Et

Et petere Aoniæ suadebant tuta sorores
Ocia, iudicio semper amata meo.
Temporis illius colui fouíque poëtas:
Quotq; aderant vates, rebar adesse deos.
Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer,
Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Iure sodalitio qui mihi iunctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo,
Dulcia conuictus membra fuêre mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum: nec auara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedêre meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Vtq; ego maiores, sic me coluêre minores:
Notáque non tardè facta Thalia mea est.
Carmina cùm primùm populo iuuenilia legi:
Barba resecta mihi bisue semélue fuit.
Mouerat ingenium totam cantata per vrbem,
Nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem scripsi: sed, quæ vitiosa putaui,
Emendaturis ignibus ipse dedi.
Tunc quoque cùm fugerem, quædam placitura cremaui,
Iratus studio carminibusq; meis.
Molle, cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodq; leuis caussa moueret, erat.
Cùm tamen hoc essem, minimóque accenderer igne,
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.
Pæne mihi puero nec digna, nec vtilis vxor
Est data, quæ tempus perbreue nupta fuit.
Illi successit, quamuis sine crimine, coniux,
Non tamen in nostro firma futura toro.
Vltima, quæ mecum seros permansit in annos,
Sustinuit coniux exulis esse viri.
Filia me mea bis prima fœcunda iuuenta,
Sed non ex vno coniuge, fecit auum.
Et iam compleat genitor sua fata: nouemque
Addiderat lustris altera lustra nouem:

Non aliter fleui, quàm me fleturus ademtum
Ille fuit: matris proxima busta tuli.
Fælices ambo, tempestiuéque sepulti,
Ante diem pœna quòd periêre mea.
Me quoque fælicem, quòd non viuentibus illis
Sum miser: & de me quòd doluêre nihil.
Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant,
Et gracilis structos effugit vmbra rogos:
Fama parentales si vos mea contigit vmbra,
Et sunt in Stygio crimina nostra foro:
Scite precor caußam (nec vos mihi fallere fas est)
Errorem iußa, non scelus, eße fuga.
Manibus hoc satis est. Ad vos studiosa reuertor
Pectora, quæ vitæ quæritis acta meæ.
Jam mihi canities pulsis melioribus annis
Venerat, antiquas miscuerat'q́; comas:
Postq́; meos ortus Pisæa vinctus oliua
Abstulerat decies præmia victor eques.
Cùm maris Euxini positos ad læua Tomitas
Quærere me læsi principis ira iubet.
Caußa meæ cunctis nimium quoque nota ruinæ,
Iudicio non est testificanda meo.
Quid referam comitumq́ue nefas? famulosq́ue nocentes?
Et quæ multa tuli non leuiora fuga.
Indignata malis mens est succumbere, seq́ue
Præstitit inuictam viribus vsa suis.
Oblitusq́ue mei, ductaq́ue per otia vita,
Insolita cepi temporis arma manu.
Tótque tuli terra casus pelagóque quot inter
Occultum stellæ, conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
Hic ego finitimis quamuis circumsonor armis:
Tristia, quo poßum carmine, fata leuo.
Quod, quamuis nemo est, cuius referatur ad aures,
Sic tamen absumo decipióque diem.
Ergo quòd viuo, longisq́ue laboribus obsto,
Nec me sollicitæ tædia lucis habent:
Gratia Musa tibi: nam tu solatia præbes:
Tu curæ requies, tu medicina venis.

Tu dux & comes es: tu me subducis ab Istro,
In medióque mihi das Helicone locum.
Tu mihi, quod rarum est, viuo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet,
Nec, qui detrectat præsentia liuor, iniquo
Vllum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum secula nostra poëtas,
Non fuit ingenio fama maligna meo.
Cumq́, ego præponam multos mihi, non minor illis
Dicor: & in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præsagia veri,
Protinus vt moriar, non ero terra tuus.
Siue fauore tuli, siue hanc ego carmine famam:
Iure tibi grates, candide lector, ago.

COMMENTARIVS.



ENSROR. LVSOR AMOR.]Eleg.3. lib.3. præcipit vxori de epitaphio sibi in marmore super tumulo incidendo, nempe hoc.

Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perij Naso poëta meo, &c.

Cum toties stultitiam suam deploret, qui amores luserit, & eleg.1. lib.5. dicat, se illorum iuuenilium pigere, optareq́ue ne esset in numero eorum, qui lasciua scripserunt, miror adhuc isto epitheto leuissimo gloriari. Potius se à conscriptis corporum mutationibus appellaret, *Ille ego qui, etc.* quod & maius est opus, & dignitatē habet.

VT NORIS] vt melius cognoscas.

SVLMO MIHI PATRIA SST] Metropolis in Peliguis.

GELIO. VBERRIM. VNDIS] gelidis fontibus frequens. Aquæ frigidulæ iucundiores.

B MILLIA QVI NOVIES, &c.] quæ vrbs abest Roma X C. milliaribus. Hodie autem vix L X X. Vnde colligit Ciofan. milliaria illo tempore fuisse breuiora hodiernis Italicis.

CVM CECIDIT FATO CONS. VTERQVE. PARI] Anno ab V. C. D C C X. Aul. Hirtius, & C. Pansa in prælio contra Antonium occubuerunt. Pansa quidem, vt narrat Cic. 14. Philipp. duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus è prælio vitam reipublicæ reseruauit. Sed tamen paulò post obiit. Antonius relictis qui Cæsaris, & Hirtij castra apud Mutinam oppugnarunt, clam venienti Pansę Bononiam versus occurrerat. Cui cum victoria redeunti Hirtius se obtulit, ac fusis eius copiis cladem Pansæ correxit. Paucis post diebus ad Mutinam summo prælio pugnatum

A est. In quo fugatus, & castris, atque exercitu exutus Antonius, Hirtius post victoriam in castris inimicorum saucius decessit. Vide & Tacit. 1. Annal. Natus eodem anno & Tibullus, quod testatur ipse eleg. 5. lib. 3.

Natalem primo nostri videre parentes
Cum cecidit fato consul vterque pari.

Pentametrū hunc à Tibullo mutuatus est Ouid.

SI QVID ID EST] *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco,* ait Aiax 13. Metam.

VSQVE A PROAVIS VETVS ORDIN. HÆRES, &c.] non nunc, & recens, fortunæ munere: sed longa successione, & inde vsque à maioribus hæres sum dignitatis equestris. Per manus hanc nobilitatem accepi. Eleg. 8. lib. 4. de Ponto.

Si genus excutias, equites ab origine prima
Vsque, per innumeros inueniemur auos.

B Hæc idcirco dicit, quod ætate sua multi erant milites, aliiq́ue obscuro loco nati homines, qui à Iulio Cæsare, & ab Augusto, quibus bello vsui fuerunt, eum dignitatis gradum acceperunt, vt notauit Ciofan.

NEC STIRPS PRIMA FVI] Liuius libro 1. Breui stirps ex nouo matrimonio fuit, cui Ascanium parentes dixere nomen. Arnob. dulcissimas liberorum stirpes procreare.

QVI TRIB. ANTE QVAT. MENSIB. ORT.] duodecim mensibus ante me. Nomen ei fuit Lucius Ouidius Naso. Eodem pater vocabatur.

LVCIF. AMB. NATAL. IDEM] Eodem die anno vertente natus sum, quo frater. Lucifer pro die, vt Propertius eleg. 19. lib. 2. *Venturum paucis me tibi luciferis.* Virgil. autem soles dixit pro diebus 3. Aeneid.

Tres adeo incertos caca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

Vna celeb. est per. ovo lib. oies] Idem dies natalis (quanquam non eiusdem anni) mibi illique celebratus. De libo eleg.13. lib.3. *Libáque dem pro te genitale notantia tempus.* Vide ibi annotata, & adde. *Quid quasi natali cum poscit munera libo.* & Tibul. lib.3. *Ter tibi sit libo, ter dea casta mero.*

Haec ast armif. fest. d. Minervae] Mineruam, seu Palladem pingebant cum galea in capite, clypeo in dextera, lancea in sinistra, quoniam ita è capite Iouis exiliuisset. Quinquatria Suetonio sollemnia quinquatrium festa Mineruæ, dicta à quinque diebus quibus celebrabantur à XIII. Kalend. April. Primo die à victimis, & cæde abstinebatur. Altero, tertio, & quarto sacrificabatur, & gladiatorum spectacula edebantur. Testatur ipsemet Ouid.3. Fast.

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Caussa, quod est illo nata Minerua die.
Altera, tresq; super strata celebrantur arena,
Ensibus exertis bellica læta dea est.

Quod ait diem primam puram à sanguine, sic interpretatur Lipsius de gladiat. lib.1. cap.10. vt pugnauerint quidem, sed rudibus, non ferro. Firmat sententiam ex Dione. Multa de quinquatribus Alex. ab Alex. lib.2. cap.22. & ibidem Tiraquell. Natus est ergo Ouidius XII. Kalend. Apriles, id est, XXI. Martij: siquidem primo cruentorum quinquatrium, qui fuerunt quatuor post primum incruentum. Hi dies cum hilaritate agebantur. Augustus Tiberio apud Suetonium. Nos, mi Tiberi, quinquatrus satis iucundè egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus.

Protinvs excolimvr teneri] Pueri adhuc tradimur magistris. Quintil. lib.1. cap.1. etiam ante annum septimum, contra quorundam sententiam pueros litteris informádos putat. Verbum *excolere* in ingenio, & litteris similiter posuit Cic. in Hortensio. Literis, talibusque doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, ac præparari decet. Et pro Archia, nisi animos nostros doctrina excolamus.

Insignes ab arte] ad Grammaticos, & Rhetoras illustres, quales describit Sueton. libello peculiari.

Frater ad eloq. tender.] frater ab adolescentibus sese eloquentiæ studio dedebat. Fratres germani, quales hi fuerunt, vtroque scilicet eodem parente nati, Græcis sunt ὁμοπάτριοι; altero tantum communi, si matre ὁμογάστριοι, latinis vterini: si patre ὁμοπάτριοι. Latinum nomen his haud scio num sit.

Virior ab ævo] & virere, & florere, & deflorescere ætas dicitur.

Fortia verb. nat. ad arma fori] Quidam legunt *clamosi*, pro *verbosi*. Lib.3. eleg.12. *Cedunt verbosi grandia verba fori.* Fauebat ei natura,

A quę non minus in oratore, quam in poëta requiritur. Fortia verba vocat oratorum orationes, propter summam eloquentiæ vim, quæ animos quo vult adducit, & vnde vult deducit. *Verbosi fori.* Hoc dicit vt poëta, & qui suam facultatem pluris faciat. Aut respicit ad quosdam garrulos causidicos, qui inani verborum profluentia eloquẽtiam imitantur. Cic.1. de orat. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum, atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia? In eodem libro Crassus in laudibus eloquentiæ artem bene dicendi, seu eloquentiam vocat arma. Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis; vel te vlcisci lacessitus?
B Martem forensem nominat noster in Ponticis. Et 1. Fast. de Germanico.

Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.

Sic Propertius lib.4. eleg.21. *Illic aut studium linguæ, Demosthenis arma.* Vide illic Passerat.

At mihi iam. p. coelest. s. placeb] sic vocari à poëtis ipsorum studium, iam sæpe vidimus. *Cœlestia* addit ad auxesin. Nec enim omnia sacra sunt cœlestia: quia nec omnes dij cœlestes.

Inqve svvm fvrt. M. traheb. opvs] Furtim, quia pater fieri me poëtam nolebat, oratorem volebat. Itaq; eo inscio factitabam versiculos, quod est opus Musæum, qua voce delectatur Lucretius.
C
Stvdivm qvid inutile tentas?] ad otiosam duntaxat oblectationem. Siquidem nõ est de pane lucrando, vt hodie loquuntur. Non implet arcam nummis. Contrà de arte oratoria, siue eloquentia scriptum est à M. Tullio 1. de orat. Ac ne illud quidem verè dici potest, aut plures cæteris artibus inseruire: aut maiore delectatione; aut spe vberiore, aut præmiis ad discendum amplioribus commoueri. Et infrà. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita caussarum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmiis, &c.

Maeonides nvll. ipse reliq. opes]
D Poëtas fuisse pauperes semper inductione probare poterat pater Ouidij. Sed exemplo vno, & principis omnium contentus fuit; & inest in eo simul comparatio à maioribus. Si præcipuus omnium, & Deus quidam poëtarum Homerus nihilominus in paupertate summa vixit, & stipem coëgit, quid tu poësi tua consequeris aliud, nisi vt egeas? *Mæonides* ab educatore suo Mæone. 2. de Arte.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris ibis, Homere, foras.

Facit huc illud Martial. lib.1. hortantis Flaccum poëtam pauperem, vt desinat à poëticis scriptionibus, & in foro caussis agendis quæstum faciat, cum carminibus pæne nullus honos deferatur.

Pierios differ cantusq́, chorosq́, sororum,
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Idem lib.11.
Dicitur & nostros cantare Bononia versus,
Quid prodesset nescit sacculus ista meus.

TOTOQVE HELICONE RELICTO] Relicta poësi. Helicon mons sacer Musis. Inde pro ipsis Musis, seu studio pangendi carminis.

VERBA SOLVTA MODIS] Dicitur soluta oratio, non quod numeris plane soluta sit, cum in præceptis rhetoricis agatur etiam de numeris, & pedibus: sed quod non ita astricta certis numeris, ac perpetuis, vt oratio poëtarum, quæ metrum dicitur à mensuris. 3. de Orat. nec verba alligata sint, quasi certa aliqua lege versus: nec ita soluta, vt alligentur. Audi & Quintil. lib. 9. cap. 4. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in soluta oratione, vt in ea frequenter, non sentientibus nobis omnium generum excidant versus. Et contrà, nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quędam versiculorum genera. Prosam orationem sunt qui malint dicere prorsam. Pedestres historias nominat Horat. Ode 12. lib. 2. Ad Pisones autem cum dicit. *Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri*, intelligit solutiores, ac tardiores numeros, qualis est oratorum πεζὸς λόγος, vt eum Plato in Sophista nuncupat.

SPONTE SVA CARM. N. VEN. AD APTOS] Tam verum hoc de Ouidio, quam de nullo præterea. Vt non sollicitè, non meditatò, sed velut aliud agens, aut dormiens fundit carmina? Alij parturire prius, & cruciari videntur, antequam pariant. Hic fœtus suus edit facillimè. Nec iam disputo, quid illi ad poëmatis commendationem, & perfectionem desit, quod sibi deesse ipsemet præclarè, & ingenuè, nec vno loco testificatus est: sed iudico, quid illi ita adsit, vt in omnibus, eo solo excepto, desideretur; vbertas nempe, & fælicitas ingenij maxima, qua sine controuersia vicit omnes, & à Seneca non immeritò appellatus est omnium poëtarũ ingeniosissimus.

TACITO PASSV LABENT. ANNIS] 6. Fast. *Tempora labuntur, tacitisq́, senescimus annis.* Virgil. 2. Aeneid. *tot iam voluentibus annis*, παλιντρόπως.

LIBERIOR FRAT. SVMPT. MIHIQVE TOGA] De toga virili, prætexta deposita intellige, quæ sumebatur anno ætatis XVII. Liberam vocat & Propert. lib. 4. eleg. 1.

Mox, vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga.

Dicitur eadem toga pura, quod purpura ei non prætexebatur. Catull. ad Mallium. *Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est.* Dabatur autem liberalibus, id est, festo die Patris Liberi, XVI. Kalend. April. Ouid. 3. Fast. caussas huius rei indagans, inter alias & hanc ponit, quod cum ipse dicatur Liber, vitæ liberioris tum initium fiat. *Restat vt inueniam. quare toga libera detur, &c.*

CVM LATO PVRPVR. CLAVO] Purpurea vestis regum, & magistratuum, colore suo sanguinia imperium, & mortis inferendæ potestatem significabat. Ab Hercule primùm lanam hoc colore tinctam affirmat Pollux, canis admonitu, qui purpuras in littore cum edisset, labra earum colore intincta habuit. Fatetur porrò Ciofanus, hunc locum intellectu perquam difficile, quem sibi doctissimi viri, quos consuluerit, declarare non potuerint. Dicendum tamen aliquid pro munere nostro. Latus clauus fuit insigne senatorij ordinis, quanquam gesserint eundem omnes, qui patre vel senatore, vel equite nati essent: non quidem per omnem ætatem: sed ab anno XVII. quo virilem togam induebant, ad annum ætatis senatoriæ, qui erat XXV. Quo anno curiam ingredientibus remansit eiusdem tunicæ ius, addito reliquo iure senatorio. Sin autem senatoriam dignitatem non adipiscerentur, aut eandem oblatam recusarent, vt Mæcenas fecit, deponebant latum clauum, & angustum sumebant in vita reliqua. Lege Ald. Manut. de quæsitis per epist. De toga Roman. Optimè etiam de eodem Causabon. in August. Sueton. cap. 38. pag. 113. num. 22. Vide & Lipsium in 13. Annal. Taciti, pag. 151. in fol. Budæum in Pand. & Raderum nostrum in epigramma Martial. 17. lib. 5.

ET STVD. NOB. Q. FVIT ANTE, MAN.] Perseuerabamus in iisdem studiis.

DECEM VITAE DEMIN. ANNOS] Iam annum vicesimum compleuerat.

CVM PERIT] Etiam indicatiuo, & præsenti, particulam *cum* iunctam inuenimus, vt hîc Virg. 1. Aeneid. *Cum venit, aulæis iam se regina superbis.* Mostellar. *Quin tu te exornas lepidis moribus cum lepida tute es?* Propert. eleg. 1. lib. 1.

Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen aduersos cogor habere deos.

COEPI PARTE CARERE MEI] Quia frater, vt ait Festus, aut à græco φράτηρ; aut quod sit fere alter. De vxore, quam in exilium se prosequi volentem ægre deterruerat, dixit quiddam ἐμφαντικώτερον. *Et pars abrumpi corpore visa meo est.*

CEPIM. ET TEN. PRIM. AETAT. HON.] Qui sint, mox indicat, triumuiratus scilicet. Sed cum triumuirũm fuerint plura genera, cuius generis ipse fuerit, quis dicet?

CVRIA RESTABAT] dignitas senatoria, vt allegerer in senatum, gestato clauo lato ad annum ætatis XXV. qua recusata, clauum angustum sumpsi.

MAIVS ERAT. N. VIRIB. I. O.] Hæc prima caussa recusationis, quam diuidit sequenti versu in duas.

NEC PATIENS CORP. N. M. F. APTA LAB.] Senatoria munera vocat Cic. 1. Tuscul. quibus se tandem omnino, aut magna ex parte aliquando liberatum gaudet. Ea erant sententiæ dictio, pręscriptio auctoritatis, & nominis in senatusconsultis, censere, decernere. Quæ quamuis ad animum magis, quã ad corpus videantur pertinere, curæ tamẽ magnæ etiam corporis vires carpunt.

SOLLICITASQ. FVGAX. AMBIT. SRAM.] Tertia caussa est fuga ambitionis, quæ facit sollicitos. Metonymia. Cic. 1. off. miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio. Et pro Milone. Scio enim quam timida sit ambitio, quantaque, & quam sollicita cupiditas consulatus. Auaritiam, & ambitionem inter se confert Muretus lib. 16. cap. 16.

ET PETERE AONIAS SVAS. T. SOROR.] Quarta caussa, amor studiorum a suctoru. Callimachus in epitaphio patris sui posuit, quos Musæ pueros aspexerint, eos per totam vitam Musis amicos manere. Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας, ἄχρι βίου πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους. Quo allusit Horatius Ode 3. lib. 4.

Quem tu Melpomene semel
Nascentem placido lumine videris, &c.

Obseruauit Muret. lib. 4. cap. 2.

OTIA EVOICIO. S. AMATA MEO] Eleg. 8.

Quæq. mea semper placuerunt otia menti,
Carpere & in studiis molliter esse meis.

TEMP. ILLIVS COLVI, FOVIQVE POST.] Aliis enim temporibus, siue sæculis alij fuerunt: sed optimi, ac lectissimi illo Augusti, quos hic nominatim recenset, prætermisso Catullo, qui omnibus iis ætate prior fuit, & Ciceronis æqualis *Colui* ad reuerentiam, admirationem, & beneuolentiam, *foui* ad conuictum pertinet.

QVOTQVE AOSRANT VAT. RSB. ADESSE OSOS] Tanquam numina eos suspiciebam, ac venerabar. Veteres, quos eximia laude dignos censebant, ac magnopere suspiciebant, deos, & diis genitos appellabant ὡς θεοειδεῖς. Cic. 2. de orat. In quo tu mihi Deus esse videris, id est, singularis, ac summus. Terent. Adelph. *Deum te facio*, id est, exquisitissimis laudibus effero. Lacones, quoties aliquem bonum virum laudabant, θεῖος ἀνήρ aiebant. Et apud Homerum sollemnia sunt θεοείκελος, θεοειδής, ἰσόθεος φώς. Deo similis, diuina specie, Deo par, admodum diuinus. Plura Chiliast. In prouerb. Deum esse, Deum facere. Quadrant huc illa Tibulli eleg. 5. lib. 2. *At sacri vates, & diuûm cura vocamur.* Et alibi. *nam diuûm seruat tutela poëtas.*

SAEPE SVAS VOLVCRES LEGIT MIHI MACER] Poëtæ inuicem, & amicis inuitatis legebant sua carmina, vt eorum auditis iudiciis, meliora facerent, & in ordinem, ac numerum poëtarum venire possent Hoc fiebat plerumque in æde Apollinis, quo homines eruditi conueniebant, eoque sua scripta deferebant, athletas imitantes, qui antequam in agonistas legitimos referrentur, nomen dare, & probari tenebantur, quod ἀπογράφεσθαι & ἐγκρίνεσθαι dicebant. Augustum recitantes benigne, patienterque audiuisse, nec tantum carmina, & historias, sed etiam orationes, & dialogos, auctor est Sueton. Virgilium ei recitasse secundum, quartum, & sextum Aeneid. narrat Seruius, tanta cum gratia, vt quidam ex auditoribus exclamauerit, optare se illi os furripere. Plin. ep. 19. lib. 1. Magnum prouentum poëtarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies fuit, quo non recitaret aliquis. Iuuat me quod vigent studia: proferunt se ingenia hominum, & ostentant: tametsi ad audiendum pigre coitur: plerique in stationibus sedent, tempusq; audiendo fabulas conterût: ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit; qui dixerit præfationem: qui ex magna parte euoluerit librum. Et epist. 10. lib. 2. Et de editione quidem interim vt voles, recita saltem, quo magis libet emittere: vtq; tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo. Imaginor enim qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat: quo ego cum dico, vel recito, non minus quam clamore delector: sit modo silentium acre, & intentum, & cupidum vlteriora audiendi. Idem ep. 3. lib. 5. vtilitates harum recitationum plures enumerat, quas pretium sit nosse. Hinc ergo exclamat Iuuenal. Sat. 1.

Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam
Vexatus toties rauci Theseide Cordi?
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic elegos? Impune diem consumpserit ingens
Telephus. aut summi plena iam margine libri
Scriptus. & in tergo nondum finitus Orestes?

Acclamationes autem auditorum erãt, pulchre, recte, bene, festiue, decenter, καλῶς, εὐφυῶς, ὀρθῶς, θαυμαστῶς, ἀγαστῶς, &c. Sed ad Macrum veniamus. quem primo loco, vt annis maiorem nominat Aemilius Macer, patria Veronensis, scripsit libros de auibus, de serpentibus, de herbis (ὀρνιθογονίαν, θηριακὰ, βοτανικὰ) imitatus Nicandrum, teste Fabio. Tangit Manil. lib. 2.

Ecce alius pictas volucres, & bella ferarum,
Ille venenatos angues, hic nata per herbas
Fata refert, vitamque sua radice ferentes.

Relicta item ab Homero belli Troiani descripsit. Lib. 2. de Ponto eleg. 10.

Tu canis æterno quidquid restabat Homero
Ne careant summa Troica bella manu.

Plura Gyrald. de poëta. histor. dial. 4. Vide & Crinit. de poëtis latinis lib. 3 Hunc autem Macrum, cuius de herbis circumfertur poëma, non esse Macrum, qui vixit Augusti memoria, & qui hic inter æquales suos recẽsetur, tum ex quibusdam barbaris nominibus, tum ex Plinij ætate, quem citat, qui insuper nec poëta, nec bonus medicus, nec sincerus versificator fuerit, existimat Scalig. poët. lib. 6. cap. 5.

SAEPE SVOS SOLET. RECIT. PROPERT. IONSS] suos libellos, quorum tres priores præter amatoria (isti enim sunt ignes eius) nihil fere continent. In quarto aliquãtum se è meretricio puluere, & sordibus attollit, & ad seria stylum accommodat. Vmber fuit, Meuaniensis, Philetæ Coi, & Callimachi studiosus imitator, cum quibus & à Statio in epithalamio coniũgitur. Vnde etiam se Romanum, id est, latinũ, Callimachum appel-

appellare nõ dubitauit eleg.1. lib.3. Cætera apud Gyrald. & Crinit. lib.3. In elegia præferri illum à quibusdam Tibullo, docet Quintil. lib.10. cap.1. Vide præfationem in illum Gulielmi Canteri, & Ioannis Passeratij quatuor, quibus se totum in eius prædicationem effudit. Verùm non ita, vt nostrum vel verbo vnico præ illo flocci penderet, quem alibi eximiè commendat.

PONTICVS HEROO] Thebanum bellum heroico versu persecutus est. Testis Propert. lib.1. eleg.7.

Cum tibi Cadmea dicantur Pontice Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ,
Atque ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus.

B *BATTVS QVOQVE CLARVS IAMBO*] Ad Ponticum, & Battum hûc extant elegiæ Propertianæ lib.1. Crinitus cum Lyricum facit; auctore Persio, cuius ad eundem versus profert.

DVLCIA CONVICT. MEMB. F. MEI] Conixerunt mihi, vt ita dicam. Conuictores mei fuerunt, ὁμώνυτοι, seu ὁμοτράπεζοι. Cicero F. ep.21. lib.16. vtor familiaribus, & quotidianis conuictoribus, quos secum Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. Conuictus est συμβίωσις, & συσσιτία. 3. Off. non is tollit conuictum humanum. & societatem. Et ep.14. lib.15. vt istis te molestiis laxes, & ad conuictum nostrum redeas. Salis & mensæ communio familiaritatis & amicitiæ arctioris indicium est. Plutarchus ὁ γὰρ συντρυφία ὥσπερ ἐπιτείνει ἐκ τῆς εὐνοίας conuictus beneuolentiam nonsecus quam verticillus in lyra neruos intendit. Facit huc etiam adagium, fasiem, & mensam ne prætereas. Quo monemur, ne amicorum consuetudinem negligamus; neue amicitiæ iura violemus: siquidem istis rebus olim coniungebantur amicitiæ: & olim amici familiaresque inter se conuiuia agitabant.

NVMEROSVS HORATIVS] Natus est ante Ouidium annis XXII. Numerosum vocat propter varia lyricorum genera. De vita eius Gyraid. & Crinitus lib.3. cap.38. Laudes Horatianas copiosissimè pertractauit Lamb. in præfat.

VIRGILIVM VIDI TANTVM] Vidit iam senem ipse puer admodum. Huius Iouis poëtarum latinorum encomia habes, principio Symbolarũ mearum: & copiosissimè apud Cerdium nostrũ ante Notas & Explicationes in eundem.

NEC AVARA TIBVLLI TEMP. &c.] Citius Tibullum fata rapuerunt, quam amicitia inter nos conglutinari potuit: alioqui eodem anno, &, vt quidam scripserunt, etiam eodem die cum Ouidio natum. Tersus, & elegans videtur Fabio. Eius immaturam mortem peculiari elegia defleuit idem Ouid. Cætera apud Gyrald. & Crinit. In catalectis Virgilianis elegans est epitaphium in hunc poëtam, vbi & mentio Virgilij.

Te quoq; Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors iuuenem campos misit ad Elysios.

A *Ne foret aut elego molles qui fleret amores,*
Aut caneret forti regia bella pede.

SVCCESS. FVIT HIC TIBI, GALLE] Virgilius tempore successit Cn. Cornelio Gallo, quem habuit charissimũ, adeo vt eum 4. Georg. à medio ad finem vsque celebrarit; quas laudes postmodum iubente Augusto in fabulam Aristæi commutauit. Plura de Gallo diximus lib.2. Elegiæ autem quæ hodie sub eius nomine feruntur, germanæ non sunt. Duriorem affirmat Fabius.

PROPERTIVS ILLI] Tibullo.

QVARTVS AB HIS. S. TEMP. IPSE FVI] Vt sit hic ordo. Cn. Cornel. Gallus. Alb. Tibullus. Sex. Propert. P. Ouid. Naso. De elegiacis enim loquitur, qualis non fuit Virgil. alioqui Ouidium non quartum, sed quintum dicere oportebit. lib.2. vbi nominauit hosce tres, addit.

Hùs ego successi, quoniam præstantia candor
Nomina viuorum dissimulare iubet.

VTQVE EGO MAIOR. SIC ME COL. MIN.] Quod mihi fuerunt maiores, hoc est, qui me in isto studio antecesserunt, hoc ego fui minoribus, me consecutis.

NOTAQVE NON TARD. F. THAL. MEA EST] Citò peruenit in ora hominum. Et vino vendibili non fuit opus suspensa edera. Hæc Musa ἀπὸ τοῦ θάλλειν à virescendo nomen ducit, quod laus poëtarum virescat in longũ tempus. Quod quidem veriloquium cum eorum de seipsis prædicationibus probe consentit.

C *CARMINA CVM PRIM. POP. IVVENIL. LEG.*] De recitatione scriptorum apud amicos, supra disserui. Solitos etiam legere populo audienti, ex hoc loco patet. Cic. 1. Off. vt pictores. & ij qui signa fabricãtur, & vero poëtæ suum quisque opus à vulgo considerari vult, vt si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur, hique secum, & cum aliis quid peccatum sit exquiraut. Sic aliorum iudicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda sunt. Idem tamen in Bruto, postquam narrauit de Antimacho poëta, vbi conuocatis auditoribus legisset magnum illud volumẽ suum, & legentem ab omnibus præter Platonem fuisse desertum,

D dixisse: legam nihilominus. Plato enim mihi vnus est instar omnium, statim addit. Et rectè. Poëma enim reconditum, paucorum approbationem, oratio popularis assensum volgi debet mouere. Licet ergo poëtæ aliquando parui pendere vulgi iudicium. Orator si multitudini placuerit vehementer, vel summus videri poterit, nec doctorum calculum, ac suffragium magnoperè curabit. Quanquam sæpe, vt ibidem confirmat Tullius, quos disertissimos vulgus censuit, eosdem intelligentes quoque magnis oratoribus adscripserunt.

BARBA RESECTA MIHI] Mirum quam colerent, & obseruarent, & festum agerent Romani diem illum, quo primam barbam, seo ia-

nuginem, & florem illum genarum tonderent. Neronem ludos eo die celabrasse scriptum videbis apud Sueton. cap. 12. & Dionem. Quio & pilos illos iu pyxidem auream, & pretiosissimis margaritis ornatam coniectos. Ioui Capitolino consecrauit. Huius tam festæ lucis meminit Martialis lib. 3, ad Marcellinum.

Lux tibi post idus memoratur tertia Maias
Marcelline tuis bis celebranda sacris.
Imputat ætherios ortus hæc prima parenti,
Libat florentes hæc tibi prima genas.

Musonius apud Stobæum: *τὸν πώγωνα καὶ σύμβολον γεγονέναι τοῦ ἄρρενος ὥσπερ ἀλεκτρυόνι λόφον, καὶ λέοντι χαίτην.* barbam signum esse viri, tanquam gallo cristam, & leoni iubam.

B *MOVERAT INGEN. T. CANT. PER VRBEM, &c.*] Quam ego falso nomine Corionam vocaui in carminibus meis, exemplo Catulli, Tibulli, Propertij, qui suis quoque alia nomina indiderunt, ea propter formam tota vrbe Romana iam decantata, ad scribendum me excitauit. Non puduit etiam Propertium dicere, *Ingenium nobis ipsa puella facit.* Et Martial. *Cynthia te vatem fecit, lasciue Properti.*

MVLTA QVIDEM SCRIPSI] Quam multa nemo vel Græcus, vel Latinus.

EMENDATVRIS IGNIB. IPSE DEDI] Censui melius flamma, quã calamo emeudatũ iri. locus inest in verbo *emendaturis.* Iusserat & Virgil. rapidis aboleri carmina flãmis quæ Phrygium cecinere ducem. Sed Cæsar vetuit, vt canit Sulpitius C in epigr.

TVM QVOQVE CVM FVGEREM] *φεύγειν* Græcis est in exilium abire, *φυγὴ* exilium. Dictum alibi.

QVÆDAM PLACITVRA] lectoribus, quia grauiora, & elegantiora. Mirum, non etiam cremasse Artem, per quam periit. Latere tamen in sordibus illis, quæ homini graui, & erudito placere possint, dubitandum non est.

MOLLE, CVPIDIN. NEC INEXPVG.] Fatetur apertè, se animo nimis molli, & effœminato fuisse, cum se ad nugas illas scribendas dederit. Simulacra illa amoris, per aspectum, & lectionẽ in animũ penetrantia, tela, & faces sunt Cupidinis.

NOM. SVB. N. FAB. NVLLA FVIT] Non fuit rumor vllus de me sinister. Seu, nõ fui aliqua notatus ignominia propter amatoria illa composita. D

PÆNE PVERO] vix pueritiam egresso. Varro à die natali fecit quinq; gradus ætatis humanæ. In primo collocauit pueros, qui sic dicuntur, quod sunt puri, siue pube, impubes, ad annum XV. Ouidius igitur secundùm hanc distributionem non multũ excesserat annum XV. cum primam vxorem duceret. Plura de gradibus ætatis Annotat. in dialog. 33. Volum. 1. Tertull. lib. de veländ. virginib. Tempus etiam ethnici obseruãt, vt ex lege naturæ iura sua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à XII. annis, masculos vero à duobus amplius ad negotia mittunt: pubertatem annis, non sponsalibus, aut nuptiis decer-

A notes. Hoc est ex annorum numero, non habitu corporis puberem indicãtes. Vide & Macrob. lib. 7. cap. 7.

NEC DIGNA, NEC VTILIS VX.] Tres vxores subinde duxit. Cum duabus prioribus fecit diuortium: cum tertia diu vixit, quæ exulem non erubuit, cui ex carminibus suis æternitatem pollicetur. eleg. 15. lib. 5. *Nec digna.* quia nec nobilis, vt ille. *Nec vtilis.* quia sterilis.

FILIA ME MEA BIS, &c.] Hanc filiam ex tertia videtur suscepisse, ad quam est eleg. 7. lib. 3.

COMPLERAT GENIT. SVA FATA] Iam exierat è vita pater, natus annos 90. Datum ac præscriptum à natura viuendi curriculum confecerat.

B *QVAM ME FLETVRVS ADEMPT. IPSE FVIT*] tantis lacrymis eum prosecutus sum, quãtis ipse me prosecutus esset, cui fui charissimus. Mortuos vocabant ademptos. 4. de Ponto. eleg. 10. *Iure igitur lacrymas Celse libamus adempto.* Horat. Ode 4. lib. 2.

& ademptus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Graiis.

MATRI PROXIM. BVST. TVLI] Proximè matris mors secuta est. Non multo post patrem extuli matrem. Bustum locus, in quo mortuus est combustus, & sepulti cineres. Vstrina, & vstrinum vbi combustus tantummodo, alibi verò sepultus. Aliquando tamen bustum locus, in quo C mortuus crematus, non etiam sepultus, vt notat Seruius ad illud 11. AEneid. *semiustaq́; seruant Busta.* Testatur Ciosan. clarissimum Iurecos. Cuiacium hoc loco legere. *matri proxima iusta tuli.*

ANTE DIEM POEN. QVOD PER. MEÆ] Dies hic significat tempus. Fælices pronuntiat parentes ambos, qui tantum dolorem è filij exilio effugerint.

ME QVOQVE FÆLICEM, &c.] Fuissem ego quoque infelix, & dolorem meum auxisset illorum de me dolor. Prædicat fælices Crassum, & Hortensium oratores præfat. 3. de Orat. & Bruti Cicero, quod ante hinc excesserint, quam ciuilia mala viderent. Ita nos maiores nostros felices ducimus, qui varias nostrorum temporum cala- D mitates non viderunt.

SI TAM. EXTIN. A. NISI NOM. REST] Si de mortuis aliquid præter solum nomen superest. Huiusmodi sententiæ, quibus vel negatur animæ immortalitas, vel de ea ambigitur, inueniuntur in poëtis veteribus: vt taceam de Lucretio, qui argumentis probare nititur, eam cum corpore extingui: sed argumentis ne lectu quidem, nedum refutatione dignis.

ET GRACILIS STRVCT. EFFVG. VMB. ROG.] non eodem rogo, quo corpus interit. Propert. lib. 4. eleg. 7.

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit,
Luridaq́; euictos effugit vmbra rogos.

Nec crassum, nec gracile cadit in animam, cum

fit corporis penitus expers. Sed quia quod omni-materia, & iis quæ ſenſu attingnntur vacat, concipere non poſſumns, ideo vt de corporatis cogitamns, quæ ſola natura incorporea conſtãr.

FAMA PARENTAL. SI VOS MEA, &c.] apoſtrophe ad animas parentum ſuorum apud inferos.

ET SVNT IN STYG. CRIM. N. FORO] & ſunt apud inferos indices Minos, AEacus, Rhadamanthns, qni de criminibus eò venientium cognoſcunt. Vide 6. AEneid. Cic. 1. Tuſcul. Dic, quæſo, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus. Cocyti fremitus, tranſuectio Acherôtis, mento ſummam aquam attingens ſiti enectns Tantalns? num illud *Siſyphu' verſat ſaxum ſudans nitendo, neque proficit hilum?* Fortaſſe etiam inexorabiles indices Minos. & Rhadamanthns, apud qnos te nec Licinius Craſſus defendet, nec M. Antonius: nec, quoniam apud Græcos indices res agetur, poteris adhibere Demoſthenem: tibi ipſi pro te erit maxima corona cauſſa dicenda. Iam vero ſciendum, quod tradunt theologi, defunctorũ animas de rebus quæ hîc apud nos geruntur tantum ſcire, quantum Dens ipſis reuelare voluerit.

SCITE PRECOR CAVSSAM] ſcitote cauſſam exilij mei non ſcelere, ſed errore contineri.

NEC VOS MIHI FALLERE FAS EST] reuerentia debetur parentibus, & honor. Si aliis mentiri vellem, vobis certe non auderem.

MANIBVS HOC SATIS EST] Manibus me fuſius excuſare nihil attinet. De manibus affert quædam lectu digna Beroald. in Propert. eleg. 19. lib. 1. Manes, vt AElius Stolo ait, dij inferi, quaſi boni dicuntur à ſuppliciter eos venerantibus, propter metum mortis: vt immanes quoq; pro non valde bonis dicitur. Manes vero ab auguribus inuocabantur, quod per eos omnia maiora, deoſque ſuperos, & inferos credebant, &c. Vide Gyrald. ſyntag. 7.

AD VOS STVDIOS. REVERT. PECT.] Poſt digreſsiunculam ad parentes defunctos, redit ad narrationem pertexendam de vita ſua. Ipſos homines pectora vocat etiam eleg. 3. lib. 1. *O mihi Theſea pectora iuncta fide:* quomodo & capita ſæpe vocamus, & ingenia. Terent. *Qui cum ingeniis conflictatur eiuſmodi.*

IAM MIHI CANITIES] eleg. 8.

Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas.

ANTIQ. MISCVERATQVE COM] Nigris albas inſperſerat.

PVLSIS MELIORIB. ANNIS] Deteriores anni ſunt ſenecturis, quia *multa ſenem circumueniunt incommoda.* Iuuentam, vt docet Nonins, veteres bonam ætatem appellabant. Cic. in Cat. Quod ſi ipſis voluptatibus bona ætas fruitur. Senectutem contrà, malam ætatem. Quoniam, vt inquit Seneca, ep. 109. meliora præteruolant, deteriora ſuccedunt. Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſincerisſimum effluit: granisſimum quodque, turbidisſimumque ſubſidit, &c. Plura Delrins Commentar. in Hippolyt. pag. 180. num. 448.

PISÆA VINCT. OLIVA] Apud Piſam, & Elidem vrbes ad Olympũ montem ludi quinquennales à Græcia celebrantur, in quibus & curſus equeſtres. Præmium victori corona oleagina. Annũ quinquageſimum notat. Ciof. addit menſes 7. dies 21.

CVM MARIS EVXINI] In exilium miſſus eſt quinquagenarins. Euſebianus Corrector addit duos, & facit maiorem quinquagenario.

CAVSSA MEA CVNCTIS, &c.] Quoniam exilij mei cauſſa ignota eſt nemini, tacebo.

QVID REFER. COMITVMQVE NEFAS, &c.] comitum, & famulorum, quos ei Auguſtus attribuerat, à quibus cuſtodiretur, & deduceretur.

IPSEQVE MVLTA TVLI] Lege cum Mureto, & Cioſano, *Et quæ multa tuli,* pro *Ipſeque multa tuli.*

NON LEVIORA FVGA] æque dura vt exilium.

INDIGNATA MAL. MENS. E. SVCCVMB.] Iniurias illas, & contumelias, quas mihi in itinere terreſtri, ac maritimo irrogarunt, animo inuicto pertuli. Pulchrè, *indignata.* Pro indigno habuit ſuccumbere generoſus ſpiritus.

OBLITVSQVE MEI. D. PER OTIA VITÆ] Immemor naturæ meæ tenerioris, corporis delicati, & vitæ molliter actæ, ſine curis ac moleſtiis, in ſumma quiete ac tranquillitate. lib. 3. eleg. 2.

Quiq; fugax rerum, ſecuraq; in otia natus
Mollis, & impatiens ante laboris eram.

Et lib. 5. eleg. 2.

Quiq; prius mollem, vacuamq; laboribus egi
In ſtudiis vitam, Pieridumq; choro.

INSOLITA CEPI TEMP. ARMA MAN.] Accommodaui me tempori, & quæ nõ ſolebam arma corripui. Tolerantiam, & animi fortitudinem intellige: talibus enim armis nos indui, & armari rebus in aduerſis conuenit: ne miſeriam ignauiter ferendo nobis miſeriorem efficiamus.

TOTQVE TVLI POENAS TERRA] Lege cum Ciof. *Totq; tuli terra caſus.* Numerum malorũ ſuorum ſæpe per ingentes numeros ὑπερβολικῶς exprimit. Vt eleg. 4. lib. 1. & lib. 4. eleg. 1. lib. 5. eleg. 1. & 2. Lib. 2. de P. eleg. 7. lib. 4. eleg. 15. Verſus annumerat Cioſan.

QVOT INTER OCCVLTVM STELL. CONSP. POL.] Occultus polus, qui ſcilicet à nobis non videtur, eſt Antarcticus: conſpicuus vero Arcticus. De his duobus Virgil. 1. Georg.

Mundus vt ad Scythiam, Rhiphæaſq; arduus arces
Conſurgit, premitur Libya deuexus ad Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus ſtyx atra videt, maneſque profundi.

Stellas in polo Antarctico referunt qui eo nauigarunt, esse pauciores, sed insigniores.

LONGIS ERRORIBVS ACTO] Perspicimus hine, diu nauigasse, antequam ad locum destinatum perueniret. Virgil. de AEnea lib. 1. *Omnibus errantem terris, & fluctibus.*

FINITIMIS QVAMVIS CIRCVMS. ARMIS] Lib. 3. eleg. 10.

Aut videt, aut metuit locus hic quem non videt hostem,
Cessat iners rigido terra relicta situ.

Eleg. 1. lib. 4.

Quam miserum est porta vitam, muroq; tueri,
Vixq; sui tutum viribus esse loci?

1. de Ponto eleg. 4.

Hostis adest dextra leuaq; à parte timendus,
Vicinoq; metu terret vtrumq; latus.

TRISTIA Q. P. CARM. F. LEVO] Memet consolor scribendo carmine: seu minuo mihi sensum mali scribundis versibus, & iis tamen tristibus. Nam læta scribere qui possim tali tempore? Eleg. 1. lib. 4. *Me quoque Musa leuat Ponti loca iussa petentem.*

CVIVS REFERATVR AD AVRES] eleg. 1.

Sed neque cui referam quisquam est mea carmina, nec qui
Auribus accipiat verba latina suis.

Virgil. eclog. 3. *Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.*

SIC TAM. ABSVMO DECIP. DIEM.] fallo tempus. Eleg. 8. lib. 5.

Detineo studiis animum, falloq; labores,
Experior curis & dare verba meis.
Quid potius faciam desertis solus in oris?
Quamue malis aliam quærere coner opem?

QVOD VIVO. DVR. LAB. OBSTO] Vitam, & rubur suum aduersus calamitatem Musæ in acceptis refert. Horat. ad Melpomen. Ode 3. lib. 4. *Quod spiro, & placeo, si placeo, tuum est.*

GRATIA MVSA TIBI, &c.] Gratiarum actio ad Musam, multis modis de se bene meritam.

NAM TV SOLATIA PRÆBES] Certissimû lenimen malorum litteræ.

TV NOS ABDVCIS AB ISTRO] Dum enim carmina factito, non apud Istrum, sed in Helicone, atque in medio Musarum constitutus mihi videor. Alibi. *A contemplatu summoueo mali.*

QVOD RARVM EST] Ratò viuis fama, & illustre nomen contingit, propter inuidiam, quæ vt vmbra corpus, sic illa virtutem, & quidquid egregium est, comitatur. Martial. lib. 5.

A

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.

Inde pro magno Plin. ep. 1. lib. 2. de Voconio Romano. Legit scripta de se carmina, legit historias, & posteritati suæ interfuit. Quod idem contigisse Licinio erudito homini dicit Martial. lib. 2. *Doctorum, Licini, celeberrime, summe virorum, &c.*

AB EXEQVIIS QVOD. D. FAMA SOLET] 4. de Pouro eleg. 16.

Famaq; post cineres maior venit, & mihi nomen
Tunc quoque, cum viuis annumerarer, erat.

Quem in locum plura dicemus.

QVI DETRECTAT PRÆSENT. LIVOR.] 1. Amor. 15. *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.*

B

VLLVM DE NOST. DENTE MOM. OPVS] Prouerbia, dête theonino rodi, & genuino mordere. Magna igitur fælicitas Ouidij, eiue scripta nullû obtrectatorem esse passa, quæ hodie quosdam Zoilos habeut, de quibus grauiter questum vidisti M. Anton. Muretum in Prodidagmatis. Isti, nisi quod ipsi probant, nihil probandum putant. Terent. Euuuch. *Inuidere omnes mihi, mordere clanculum.*

TVLER. MAG. C. SÆCVL. N. POET] Hos supra enumerauit.

NON FVIT ING. F MALIG. MEO] Inter eos mihi locum reliquit fama. Non se mihi inuidam, sed benignam præbuit. 4. de P. eleg. 16.

Dicere si fas est, claro mea nomine Musa,
Atq; inter tantos, quæ legeretur erat.

CVMQVE EGO PRÆP. MVLT. MIHI]

C

Gallum, Tibullum, Propertium.

NON MINOR ILLIS DICOR] Supra. *Vtque ego maiores, sic me coluere minores.* Quam discrepabant iudicia illius sæculi à iudicio huius nostri? Ita minorem quidam illis nostrum faciunt, vt quasi conuiuæ deorum, & perpetua ambrosia saturi, terrestrem eius cœnam attingere via dignentur. ὦ καιῶν ἠθῶν.

IN TOTO PLVRIM. ORBE LEGOR] nomen pru aduerbio. ἰσαλλαγή.

VATVM PRÆSAGIA] Extremus versus Metamorph. *Si quid habent veri vatum præsagia.*

VT MORIAR, NON ERO TERRA TVVS] Horat. Ode vlt. lib. 3. *Non omnis moriar, magnaq; pars mei Vitabit Libitinam.*

SIVE FAVORE TVLI] siue hanc famam tuus fauor mihi, lector, conciliat: siue eam meretur carmen meum apud te, ago tibi gratias.

FINIS LIBRI QVARTI.

IN TRISTIVM LIBRVM V.

ELEGIA PRIMA.

APOLOGIA LIBRORVM DE TRISTIBVS.

ARGVMENTVM.

HVnc quoque librum præcedentibus fore similem, nempe tristem. Iuuenilia, & lasciua se scripsisse, quorum nunc pigeat, ac proinde in Scythia sua fata instar cygni deflere. Illa apud alios quærenda. Quare se tam profundat in scribendis tristibus. Patriam si recuperet, læta confestim, non tamen impudica editurum. In ærumna sua tacere non potuisse, & inhumaniter facere, qui se querimoniis, fletuque prohibeant. Neminem cogi ad hæc scripta sua perlegenda, quæ obesse nulli queant: quibus non gloriam captet, sed mœrorem suum alleuare conetur: cui tamen satis resistere nõ valeat: & scribere etiam, vt cum amicis quoquo modo versetur.

Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum
Littore, præmissis quattuor adde meis.
Hic quoque talis erit, qualis fortuna poëtæ:
Inuenies toto carmine dulce nihil.
Flebilis vt noster status est: ita flebile carmen,
Materiæ scripto conueniente suæ.
Integer, & lætus læta & iuuenilia lusi,
Illa tamen nunc me composuisse piget.
Vt cecidi, subiti perago præconia casus,
Sumq; argumenti conditor ipse mei.
Vtq; iacens ripa deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem:
Sic ego Sarmaticas longè proiectus in oras,
Efficio tacitum ne mihi funus eat.
Delicias si quis, lasciuaq; carmina quærit:
Præmoneo nunquam scripta quòd ista legat.
Aptior huic Gallus, blandiq; Propertius oris:
Et plures, quorum nomina magna vigent.

Atque vtinam numero nos non essemus in isto:
Hei, mihi, cur vnquam Musa locuta mea est?
Sed dedimus pœnas: Scythicique in finibus Istri
Ille pharetrati lusor Amoris abest.
Quod superest, socios ad publica carmina flexi,
Et memores iussi nominis esse mei.
Si tamen ex vobis aliquis tam multa requiret
Vnde dolenda canam: multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte:
Materia est propriis ingeniosa malis.
Et quota fortunæ pars est in carmine nostra?
Felix qui patitur quae numerare potest.
Quot frutices syluæ, quot flauas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:
Tot mala pertulimus: quorum medicina quiésque
Nulla, nisi in studio est, Pieridúmque mora.
Quis tibi Naso modus lachrymosi carminis? inquis.
Idem, fortunæ qui modus huius, erit.
Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat:
Nec mea sunt fati verba sed ista mei.
At mihi si cara patriam cum coniuge reddas:
Sint vultus hilares, simque quod ante fui:
Lenior inuicti si sit mihi Cæsaris ira:
Carmina lætitiæ tum tibi plena dabo.
Non tamen vt lusit, rursus mea littera ludet:
Sit semel illa ioco luxuriata meo.
Quod probet ipse canam: pœnæ modò parte leuata
Barbariam, rigidos effugiámque Getas.
Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli?
Tibia funeribus conuenit ista meis.
At poteras, inquis, melius mala ferre silendo:
Et tacitus casus dissimulare tuos.
Exigis vt nulli gemitus tormenta sequantur:
Acceptóque graui vulnere flere vetas.
Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bouis ore queri.
Cùm Priami lachrymis offensus non sit Achilles:
Tún' fletus inhibes durior hoste meos?
Cùm faceret Nioben orbam Latonia proles:
Non tamen & siccas iussit habere genas.

Est aliquid, fatale malum per verba leuare:
Hoc querulam Prognen, Halcyonénque facit.
Hoc erat in gelido quare Pœantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.
Strangulat inclusus dolor, atq; cor æstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.
Da veniam potius: vel totos tolle libellos:
Si mihi quod prodest, hoc tibi lector obest.
Sed nec obesse potest vlli: nec scripta fuerunt
Nostra nisi auctori perniciosa suo.
At mala sunt, fateor: quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumpta vetat?
Ipse nec hoc mando: sed, vt hinc deducta legantur,
Non sunt illa suo barbariora loco.
Nec me Roma suis debet conferre poëtis:
Inter Sauromatas ingeniosus eram.
Denique nulla mihi captatur gloria, quaque
INGENIO STIMVLOS SVBDERE FAMA SOLET.
Nolumus assiduis animum tabescere curis:
Quæ tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.
Cur scribam docui: cur mittam quæritis istos?
Vobiscum cupio quolibet esse modo.

COMMENTARIVS.

PRÆMISSIS QVAT. ADDE MEIS] Ergo non simul omnea, sed singulos separatim, & diuersis temporibus Romam mittebar, quod in prima eleg.lib.1.lectorem monuimus.

QVALIS FORTVNA POETÆ] tristia, & flebilis. In ead. eleg. *Fortunæ memorem te decet esse meæ.*

INVENIES TOTO CARM. DVLCE NIHIL] Carmen pro libro integro. Notauimus alibi, & dicemus infra, ibi, *Et quota fortunæ pars est in carmine nostra?* In hoc autem carmine, in hoc libro, vt in præcedentibus quoque, nos sane dulcia inuenimus plurima, & γλυκυτικείαν. Delectat enim nos tam ingeniosa, copiosa, elegans, & erudita scriptio. Delectaremur etiam elegantet, & planè μιμητικῶς depictis in pariete rebus miserabilibus, atrocibus, terribilibus.

FLEB. VT. N. STAT. ITA FLEB. CARM. &c.] Flebile, & ipsa materia quam cōtinet, & ipsis numeris suis flebilibus. Eleg.1.lib.3.

A

Aspice quid portem, nihil hic nisi triste videbis
Carmine temporibus conueniente suis.

INTEGER. ET LÆTVS, &c.] Priua ad fortunam refertur, & est, saluus adhuc, & patriæ compos. Eleg.3.lib.3. *Integer hanc potui nuper bene reddere vitam:* posterius ad animum. Quæ autem sint læta, & iuuenilia ills, patet. Etsi credibile est, plura eius generis scripsisse, quæ emendaturis ignibus dederat, vt supra confessus est.

NVNC ME COMPOSVISSE PIG.] Eleg. 1.lib.3.

Id quoq; quod viridi quondam male lusit in æuo,
Heu, nimium sero damnat, & odit opus.

Bene Stasimus seruus carua. de Lesbonico hero suo male frugi, & nepote, in Trinummo.

Serò atq; stulte, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.

Mus picem gustaui, & quod dedi datum nollem, vt habent prouerbia.

PERAGO SVB. PRÆCONIA CASVS] Postquam deiectus sum de statu meo, & proiectus in hanc miseriam, defleo casum meum, & quantus

fit. omnibus prodo, tanquam si præconium facerem, vt loquitur Cicero ep.18.lib.6.

SVMQVE ARGVM. CONDIT. IPSE MEI] Ipsemet mihi materiam ad scribendum suppeditaui, alij aliunde sumunt: quoniam calamitatis meæ quam deploro, habeo præter me auctorem neminem. *Tute tibi hoc intriuisti, tibi exedundum est*, ait Terent. Conditor hîc auctor, inuentor. Interdum scriptor. Nam, vt inquit Festus, condere est componere, conscribere. Virgil. eclog. 6. *qui dicere laudes Vare tuas cupiant, & tristia condere bella.* In Sallustium nescio quis. *Crispe Iugurthina conditor historiæ.* Tibull. lib. 4. *tantis sim conditor actis.*

VTQVE IACENS RIP. DEFL. CAYSTRIVS ALES] Cayster fluuius, & vicina loca cygnis sunt frequentia, & hos intelligit Maro, cum ait 1. Georg.

Iam varias pelagi volucres, & quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Eundem fluuium intelligit, cum scribit 7. AEneid.

Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.

Cohæret enim eidem Asia palus. Persuasum est vulgo, ex auctoritate poëtarum veterum, cygnos in omni vita canere. Et Plato item in Phædone cygnos cum aliâs, tum sub mortem canoros esse prædicat. Idem Cic. 1. Tuscul. Vtrumque negant Lucian. libello de Electro, siue de cygnis, AElian. lib. 1. var. hist. Plin. lib. 10. cap. 23. Falsum igitur & illud Martialis, alioqui valde decantatum. lib. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Et Didonis ad AEneam.

Sic vbi fata vocant vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Ponamus tamen, cygnos canere, morituros præsertim: aptissimè se iam senem, flebilia carmina sub exitum è vita suum canentem cum cygno comparat, cum poëtæ sæpenumero cygni, & olores appellentur, propter versuum suauitatem videlicet, & quod vtrique Apollini sint dicati.

SARMAT. L. PROIECT. IN ORAS] In voce *proiectus* inest cuiusdam contemptus notio. *Longè*, qui in vltimum orbem.

TACITVM NE MIHI FVN. EAT] ne quasi summo cum silentio diem meum obeam, & efferar quasi citra cantum, symphoniam, designatorem, ludos, pompam, præconem, indictionem, vix prosequente aliquo. Hoc illud esse putant, quod Seneca de tranquillit. vitæ lib. 1. cap. 1. funus tacitum appellarit.

DELICIAS SI QVIS, LASCIVAQVE CAR. &c.] Si quis est cupidus amatoriorum versuum, ne legat hos libros, in quibus lacrymas, & suspiria, & querelas, ac præterea nihil inueniet: nec in his modo, verum etiam iis, qui dicuntur de Ponto.

A *PRÆMONEO QVOD NVNQ. LEGAT*] Cicero particula *quod* pro *ίνα* vsus reperitur: pro *ἵνα* vsum non reperio, vt hîc Ouidius vtitur. Latinè dicimus, miror quod hoc ignoras. Lege dialog. 28. & annotat. in eundem 1. Volum.

APTIOR HVIC GALLVS, &c.] De hoc poëta eleg. vlt. lib. præced. & lib. 2 dictum, vt & de Propertio, & aliis. Blandi oris vocat. Cum enim amatoria scribat, *Carmina mansuetus leuia quæris amor*, vt dixit ipse eleg. 9. lib. 1.

QVORVM NOM. MAGNA VIGENT] qui sermone omnium celebrantur, & manibus teruntur. Eleg. 4. lib. 3. cum ait, *Viue tibi, & longe nomina magna fuge.* ipsos homines illustres, atque opulentos nominat.

B *VTINAM NVM. NOS NON ESSEM. IN ILLO*] Stasimus apud Plaut. Trin. hero Lesbonico optanti se diuitem esse, vti fuerat. *Si antea voluisses, esses; nunc serò cupis.*

CVR VNQVAM MVSA LOCVTA MEA?] Quando quippiam vel semel vehementius nobis obfuit, vsitatum est optare, illud nunquam vidisse, audiuisse, tetigisse, didicisse, factum esse, &c. Ita hîc Ouid. quoniam per carmina in tantam ærumnam deuenit, vellet nunquam carmina fecisse, etiamsi multa sibi ad gloriam sempiternam, nobis ad doctrinam vtilia composuerit.

ILLE PHARETRATI LVSOR AMOR] Iam antea semel, & iterum se lusorem tenerorum amorum nominauit. Hoc loco εἰρωνικῶς ponitur.
C Quasi dicat. Egregiam vero mercedem refero ab Amore, in cuius gratiam multa lusi. Pæne toto orbe exclusus sum. *Pharetrati*, quoniam arcu, & sagittis instructus fingitur, *quod* nihil est sic celere, neque volat, vt Amor, vti Plaut. scripsit in Trinum.

SOCIOS AD PVB. CARM. FLEXI] Non bene editio Lipsiensis, anni 1582. in margine sic explanat hunc locum. Carmina quæ publicaui, ad sodales direxi, ad eos scribendo. Melius Ciofan. vt bella scriberent, vel de patria. Nam lib. 2. *Et pius est patriæ facta referre labor:* Vbi tamen hoc præstiterit non recordor. Nisi dicamus, deplorationem priuatarum, nec pudicarum scriptionũ, esse tacitam cohortationem ad publicas, & ho-
D nestas.

ET MEM. IVSSI NOM. ESSE MEI] Hoc sæpius petit, & vicissim promittit. Sic enim quodammodo cum iis coram sumus, à quibus inuiti absumus.

SI TAMEN EX VOBIS, &c.] Quærat aliquis admirans, vnde illi tot mala, quæ his libris persequitur. Videtur enim nimis rem augere, & falsa veris addere. Respondet, & occurrit lectori, ex rerum similitudine fastidiosiori.

MVLTA DOLENDA TVLI] Quam multa, ex hyperbolicis collationibus nobis coniicienda relinquit. *Quot frutices sylua, &c.*

MATER. EST PROP. INGEN. MALIS] Argumentum malis propriis multiplex, & fœcun-

dum,

dum, me ingeniosum reddit. Sicut priuatum publico, ita proprium opponitur communi. Proprium nonnunquam, quod amitti, aut eripi non potest. Afranius, *dij tibi dent propria quaecunque exoptes bona*. Virgil. eclog. 7.

Si proprium hoc fuerit, leui de marmore tota
Puniceo stabis suras euincta cothurno.

ET QVOTA FORT. P. EST IN CARM. NOSTRÆ?] Cic. 1. Off. quo minus pateat multa in eorum vita, quæ fortuna feriat. *In carmine* sic dictum, quemadmodum 1. Metamorph. *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen*. Et apud Lucret. lib. 6. *quod in primo iam carmine claret*. Id est, in primo libro. Et apud Virgil. 1. AEneid. *Ille ego qui quondam gracili modulatus auena Carmen*. Multitudinem, inquam, versuum, aut librum carmine compositum significat. Etiam numero plurali. Martial. lib. 14. de Ouidiana Metamorph. quæ constat libris 15.

Hæc de multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque, decemque, gerit.

FELIX QVI PATIT. QVÆ NVM. POTEST] Innumerabilia passus sum. Ergo miserorum miserrimus sum, & fui, & calamitas mea cum modum non habeat, facit fælices videri præ me, qui tulerunt, quæ numerari possunt.

QVOT FRVTICES SYLVÆ] Nullus poëta infinitatem numeri tot rerum innumerabilium generibus toties expressit, & fere semper in exaggeranda calamitate sua.

NVLLÆ NISI IN STVD. PIERID. &c.] Eleg. vlt. lib. 4.

Gratia Musa tibi: nam tu solatia præbes,
Tu curæ requies, tu medicina venis.

Infra. *Nolumus assiduis animum tabescere curis.*

QVIS TIB. I. N. MOD. LACRYM. CARM?] quousque flebilia scriptitabis?

IDEM FORTVN. QVI MOD. HVIVS] Desinam lacrymosa scribere, cum desinet caussa lacrymarum meatum.

PLENO DE FONTE MINISTRAT] Eudeutius non potuit. Nam & fons scaturit, nec vnquam exhauritur, & mala sua semper velut scaturire, ac renasci hoc ipso declarat. Fons symbolum plenitudinis, & vbertatis est, non tantum originis. Cic. 2. de Orat. tardi ingenij est riuulos consectari, fontes rerum non videre.

FATI VERBA SED ISTA MEI] Vt supra. *Materia est propriis ingeniosa malis.* Res ipsæ quodammodo has voces emittunt.

MIHI SI CHARA PAT. C. CONIVGE REDD. &c.] Non adeo me confecit mœror ex magnitudine calamitatis, vt si redeat fortuna secunda, non possim hilarescere.

INVICTI CÆSARIS] propter tot bella tam fæliciter gesta.

CARMIN. LÆTIT. IAM TIBI PLENA DAB.] Quod dicit *iam dabo*, innuit facilitatem suam in carmine, inimitabilem.

NON TAMEN VT LVSIT. &c.] Læta compo- A nam carmina: verùm non eo genere lætitiæ, quo illa execranda composui. Lusus vocant poëtæ scripta leuia, & amatoria. Catull.

Multa satis lusi, non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

MEA LITTERA] vt supra dixit *in carmine*. *Et quota fortunæ pars est in carmine nostra?* Alioqui litteræ multitudinis numero tantùm, de libris quoque, quod paucis notum. Sed poëtas metri necessitas interdum excusat, & Grammaticos limites excedere cogit. Ep. 9. lib. 12. ad Att. ipse me per litteras consolatus sum: quem librum ad te mittam. In Bruto librum Attici, quem dicit sibi solatio fuisse, nominat litteras. Præterea littera pro scribentis manu. Cic. ad Att. Alexidis manū B amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuæ litteræ.

MEO LVXVRIATA LOCO] nomine meo, & semel. Nam vt ait Celsus lib. Pand. 1. tit. de leg. & senat. ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter fiunt, & facilè, quam ad ea quæ rarò eueniunt. Quia quæ semel, aut bis, vt ait Theophrastus, accidunt, contemnunt legislatores. Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, παρβαίνουσιν νομοθέται. Chiliast.

QVOD PROBET IPSE CANAM] ad arbitrium ipsius scribam.

POENÆ MODO PARTE LEVATA, &c.] Conditio quam ponit, mutatio exilij. Eam superioribus quoque libris toties desiderauit.

BARBARIAM] Eleg. 10. lib. 3. *Me sciat in media viuere barbaria.* C

TIBIA FVNERIB. CONVEN. ISTA MEIS] De funebribus tibiis multa doctissimè Hieron. Mag. Miscell. lib. 1. cap. 13. Brod. lib. 4. cap. 30. Senatoriis, patriciis, & summis ducibus tuba, minoribus, & plebeiis exequiali tibia canebant tibicines. Seruius in illud 11. AEneid. de funere Pallantis. *It cœlo, clamorque virûm, clangorque tubarum*, mortuos ad tubam deduci solitos ait, citans Persium ex sat 3. In 5 autem AEneid. ibi, *laudumque immensa cupido*, maioris ætatis funera ad tubam proferri solita ex eodem Persio, minoris ad tibias ex Statio probat. Lutatius ad Thebaid. lib. 6. Iubet religio vt maioribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Tiraquell. in cap. 7. lib. 3. Alex. Neapolit. vbi etiam testimonia ex Propertio adducuntur. Hinc in morbis desperatis παρφυσικὸς dicebant, licet ad tubicines mittas. Sed enim in Iulij Cæs. funere tibias quoq; vsurpatas discimus ex Suetonij cap. 83. Et in Claudij ex Seneca. Tibicinum, cornicinum, omnisque generis æneatorum turba tanta, tantus conuentus, vt etiam Claudius audire posset. Omnino tibiæ quorumcunque funeribus adhibitæ, nobilium, ignobilium, diuitum, pauperum, iuuenum, senum: siquidem nænia ad tibiam cantabatur: nænia communis quibuscunque funeribus. Tubarum autem vsus non nisi in Indictiuis, ad quæ per præconem populus euocabatur, fiebantque magno, & sumptuoso apparatu. D

AT POTERAS MEL. MALA FERRE SILENDO] Obiectio. Ipsa tua querimonia, & malorum quæ pateris, commemoratio augent tibi malum tuum. Taceres, & ferres leuius quod fers. *Superanda omnis fortuna ferendo est*. Virgil. lib. 5.

EXIGIS VT NVLLI GEMIT. TORM. SEQ.] Responsio ab impossibili. Quis in magno cruciatu saltem gemitum renere potest? quis fletum in lucnlenta plaga? Proditi sunt tamē memoriæ, qui in acerrimis cruciatibus ne ingemuerunt quidem.

IPSE PERILLÆO PHALARIS, &c.] Aliquot exemplis ab inimicis etiam gemitum, & lacrymas fuisse concessas ostendit. Ne Phalaris quidem tyrannus, quantumcunque crudelis, gemitum vetuit iis, quos in taurū illum æneum, à Perillo factum includebat, & subiecto igne torrebat. Eleg. 11. lib. 3. narratur historia de hoc tauro, vbi Perillus eum Phalaridi offerens.

Protinus inclusum lentis carbonibus vre,
Mugiet, & veri vox erit illa bouis.

CVM PRIAMI LACRYMIS, &c.] quando ad corpus Hectoris sui ab eo pecunia redimendum in eius tentorium venit, vt docnimus alibi, duce Mercurio, qui sumpta persona adolescentis per media Græcorum castra illum eò perduxit. Vide Iliad. ω.

TVN' FLETVS INHIB. DVR. HOSTEM?] à maiore ad minus. Hostis non prohibet lacrymas: quanto minus debet prohibere amicus?

CVM FACERET NIOB. ORB. LAT. PROLES] Niobe regina Thebarū Amphionis vxor, procreauit ex eo filios VII. filias totidem, quas omnes nominat Apollodorus lib. 3. quanquam alij plures, alij pauciores faciunt. Tanta igitur fœcunditate sua superbiens, Latonæ, quæ duos tantum peperisset, se ausa est anteponere. Quare Latona Dianam, & Apollinem suos in ipsam irritauit, & illa filias, hic filios ad vnum omnes sagittis interfecit. Ipsa Niobe Thebis relictis in Sipylum ad Tantalum patrem peruenit, ibique Iouem precata, in saxum commutata est, ac lacrymas dies & noctes effundit. Hanc cædem disertissimè describit 6. Metamorph.

SICCAS IVSSIT HAB. GENAS] eleg. 1. lib. 1. *Carmina nec fletu perlegat ista genis.*

EST ALIQVID FAT. MALVM, &c.] Eleg. 2. lib. 1.

Est aliquid fatoque suo, ferroque cadentem
In solita moriens ponere corpus humo.

Habet quippiam leuamenti, in malo tuo, quod effingere non possis, quiritari, & lamentari. Probar exemplis.

QVERVLAM PROGNEN] Progne Pandionis regis Atheniensium filia, nupta cum Tereo rege Thraciæ, de qua, & sorore Philomela. 6. Metamorph. & Apollod. lib. 3.

HALCYONENQVE] De precibus Halcyones reginæ pro fœlici reditu Ceycis mariti, & de

A eius luctu, postquam eum naufragio periisse intellexit, 11. Metamorph.

IN GELIDO QVARE PÆANT. ANTRO, &c.] Hercules in OEta monte inter Thessaliam, & Macedoniam in rogo sibimet à se extructo moriturus, Philoctetæ Pæantis filio mandauit, ne cui reliquias corporis sui indicaret, & super eo iuramentum poposcit, donauitque eidem sagittas suas. Hæ sanguine hydræ imbutæ fuerunt. Quarum vna cum in pedem Philoctetæ decidisset, teterrimum ex vulnere vlcus secutum est. Cuius fœtorem cum Græci ad Troiam obsidendam proficiscentes ferre non possent, eum in Lemno insula reliquerunt. De quo 2. Tuscul. hos versus ex Philocteta Accij tragœdia producit M. Tull.
B hæc præfatus. Aspice Philoctetam. cui concedendum est gementi. Ipsum enim Herculem viderat in OEta magnitudine dolorum eiulantem. Nihil igitur hunc virum sagittæ, quas ab Hercule acceperat, tum consolabantur.

Cum è viperino morsu venæ viscerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cierent.

Itaque exclamat, auxilium petens, mori cupiens.

Heu quis salsis fluctibus mandet
Me ex sublimi vertice saxi?
Iam iam absumor. Conficit animam
Vis vulneris, vlceris æstus.

Memoria lapsum Ciceronem demōstrat Victor. lib. 2. cap. 15. & Pæantem illas sagittas ab Hercule accepisse, quas filio reliquerit.

C *STRANGVLAT INCLVSVS DOLOR*] celatus dolor cruciat amplius: spiritum ipsa coarctatione opprimit, & suffocat: proditus fit minor, cum præsertim commiserantes inuenerit. *Expletur lacrymis, egeriturque dolor*, eleg. 3. lib. 4.

ATQVE COR ÆSTVAT INTVS] Ad dolorem, curas, sollicitudines, metus, furorem, & affectus vehementes ab æstu maris (nam vt ait Nonius, æstus est marinus impetus, & commotio) petitur sæpe metaphora. Virgil. 10. AEneid.

——— *æstuat ingens*
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

Cic. Verrin. 4. Itaque æstuabat dubitatione, versabat se in vtramque partem, non solum mente,
D verum etiam corpore. In Bruto. sed hunc quoque absorbuit æstus quidam non insolitæ adolescentibus gloriæ. Virgil. 8. AEneid. *Curarum fluctuat æstu*. Ouid. eleg. 3. lib. 4. *Et veniunt æstus, & nox immensa videtur.*

COGITVR ET VIRES MVLTIPLIC. SVAS] Cogitur se intendere, sicut fumus inclusus, aut fluctus cum cohibetur.

DA VENIAM POTIVS] Ignosce ex dolore lamentanti, & tristia scribenti.

VEL TOTOS TOLLE LIBELLOS, &c.] Abiice hæc scripta mēa, si tibi sunt molestiæ, cum ego inde me vtcunque consoler.

SED NEC OBESSE POTEST VLLI] cui tandem nocerent fletus, & gemitus mei?

NEC

A *NEC SCRIPTA.F.NOSTRA NISI AVCT.* &c:] Admonetur scriptorum de Arte, quæ sibi soli nocuerunt.

AT MALA SVNT] ἀνδιωρθωμένα. Tamen incorrecta, & non adeo meditata sunt.

FATEOR. QVIS TE MALA SVM. COGIT?] Concedit, & lectoris imprudentiam castigat. Neminem cogo legere. Si vltro legis, & deceptus non deponis, falsò me accusas.

IPSE NEC HOC MANDO] Ciofan. legit *ipse nec emendo*. quod non satis coognuit cum precedentibus, nisi fallor.

VT HVC DEDVCTA LEGANTVR] Legendú fortassis *hinc*, hoc sensu. Sed vt legantur, quæ hinc à me mittuntur.

B *NON SVNT ILLA SVO BARBAR. LOCO*] De barbarie loci aliquid traxerunt fortasse: veruntamen tam horrida, & barbara non sunt, vt locus: nedum barbariora.

NEC ME ROMA. S. D. CONF. POETIS] Illi enim degunt loco cultissimo, & in magna tranquillitate cum animi, tum rerum omnium, cum hominibus ciuilissimis, vbi potest vigere, & exercere sese ingenium.

INTER SAVROMAT. INGENIOS. ERAM] Inter tam feros, & ab omni humanitate alienos, quibuscum mihi nullum fere commercium, linguæ profectò nullum: & sub cælo tam immiti. Inter hos satis ingeniosus sum, & velut vnoculus inter cæcos rex. 1. de P. eleg. 6.

A
Forsitan audacter faciam: sed glorior Istrum
Ingenium nullum maius habere meo.

NVLLA MIHI CAPT. GLORIA] Elegia 1. lib. 4. *Exul eram, requiesq; mihi, non fama petita est.* De P. eleg. vlt. lib. 3.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Caussa, sed vtilitas, officiumq; fuit.

INGEN. STIMVL. SVBD. FAMA SOLET] 4. de P. eleg. vlt.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Propert. lib. 4. eleg. 12. *Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.*

NOLVM. ASSID. ANIM. TAB. CVRIS] Caussa scribendi, aberratio à curis, & angoribus.

B Eleg. 1. lib. 4. *Mens intenta suis ne foret vsq; malis.*

QVÆ TAMEN IRRVMP. &c.] tamen vsque recurrunt.

CVR MITTAM QVÆRITIS?] Cum nihil prosim vobis; sed potius luctum meum vobiscum communicem.

VOBISCVM CVPIO QVOLIB. ESSE MOD.] Mallem legere, *quo licet esse modo.* Sic eleg. 1. lib. 1. *Contingam certè quo licet illa pede,* de locis Romæ.



ELEGIA SECVNDA.

A CORPORE VALET: VXORIS FIDEM POSCIT.

ARGVMENTVM.




Suetudine ipsa corpus suum iam sufficere ferundis asperis: mentem vsu, & tempore nihilo euasisse firmiorem. Leuibus sanandis prodesse diuturnitatem; grauia tempore ipso augescere. Philoctetam decennio laborasse ex vlcere venenato. Telephus ab Achille saucius cur non perierit. Se quoque ab auctore vulneris sui curari desiderat; quem rogatum vult, vt de pœna sua detrahat, satis enim superfuturum. Iterum mala sua comparationibus infinitatum exprimit. Si ipsa vxor operam dederit, emigra-

turum ex iis locis;tãtam esse Cæsaris lenitatem in hostes quoque. Eum pro se adeat. Si proximi quique se deserant, non habiturum quò confugiat. Nihilominus ad ipsum Cæsarem, tanquam ad aram confugiturum.

Ecquid, vt è Ponto noua venit epistola, palles?
En tibi sollicita soluitur illa manu?
Pone metum: valeo, corpúsque, quod antè laborum
Impatiens nobis, inualidúmque fuit,
Sufficit, atque ipso vexatum induruit vsu:
An magis infirmo non vacat esse mihi?
Mens tamen ægra iacet: nec tempore robora sumpsit:
Affectúsque animi, qui fuit antè, manet.
Quæque mora, spatioq; suo coitura putaui,
Vulnera non aliter, quàm modò facta, dolent.
SCILICET EXIGVIS PRODEST ANNOSA VETVSTAS:
GRANDIBVS ACCEDVNT TEMPORE DAMNA MALIS.
Pæne decem totis aluit Pæantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.
Telephus æterna consumptus tabe perisset:
Si non, quæ nocuit, dextra tulisset opem.
Et mea si facinus nullum commisimus, opto
Vulnera qui fecit, facta leuare velit.
Contentusq; mei iam tandem parte doloris,
Exiguum pleno de mare demat aquæ.
Detrahat vt multum, multum restabit acerbi:
Parsq; mea pœnæ totius instar erit.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quótue soporiferum grana papauer habet:
Sylua feras quot alit, quot piscibus vnda natatur:
Quot tenerum pennis aëra pulsat auis:
Tot premor aduersis: quæ si comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Vtq; via casus, vt amara pericula ponti,
Vt taceam strictas in mea fata manus:
Barbara me tellus, orbisq; nouissima magni
Sustinet, & sæuo cinctus ab hoste locus.
Hinc ego traiicerer (neq; enim mea culpa cruenta est)
Esset quæ debet si tibi cura mei.
Ille Deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.

Quid dubitas? & tuta times? accede, rogáque:
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum, quid agam? si proxima quæq; relinquunt,
Subtrahis & fracto tu quoque colla iugo.
Quò ferar? vnde petam lapsis solatia rebus?
Anchora iam nostram non tenet vlla ratem.
Viderit ipse, sacram quamuis inuisus ad aram
Confugiam, nullas summouet ara manus.



COMMENTARIVS.

ECQVID VT E PONTO, &c. PALLAS?] Pallent qui timent. Sic ipsa acciplens epistulam timere, ac proinde pallere potuit. Timere autem, ne quod nouum malum, morbus, exempli caussa, sibi nuntiaretur.

SOLLICITA MANV] hypallage, ipsa sollicita, & anxia.

SOLVITVR ILLA] Eleg.7.lib.4. *Cur, quoties alicui ibarta sua vincula dempsi.*

QVOD ANTE LABOR. IMPAT.] Elegia 2. lib.3.

Quiq; fugax rerum, securaq; in otia natus
Mollis. & impatiens ante laboris eram.

Eleg 6.lib.4.

Nam neq; sunt vires, nec qui solet esse solebat,
Vix habeo tenuem qua tegat ossa cutem.

IPSO VEXATVM INDVR. VSV] occalluit, vt sensum mali pæne amiserit. Ad animum frequêtius detorquentur callum ducere, & occallescere.

AN MAGIS INF. NON. V. EISE MIHI] An ideo bene iam habet corpus meum, quia omnes inualetudines consumpsit? Alius sensus. An ideo firmum mihi corpus, quia vnde infirmum fit, amplius nihil est?

NEC TEMPORA ROBORA SVMPSIT] Eleg. 6.lib.4. *Mensq; mali sensum nostra recentis habet.* Ibid.

Corpore sed mens est agre magis agra, malisq;
In circumspectu stat sine fine sui.

Eleg.2. lib.3. aiebat animum malia resistere, atq; ab eo etiam corpus confirmari.

Sufficiq; malis animum: nam corpus ab illo
Accepit vires, vixq; ferenda tulit.

SPATIOQVE SVO COIT. PVT.] Eleg.4.lib. 4. *Nene retractande nondum coëuntia rumpe vulnera.* Vulnus, quod alibi notauimus, sæpe in animi dolore vsurpatur. In aduersis si alia desunt solatia, tempus ipsum medicinam facere solet, diuturnum inquam, & in ea spe fuisse, alibi præ se fert. *Tempore ducetur longo fortasse cicatrix.* Sed aliter rem euenire nunc dolenter ait. Quomodo & alio loco, cum tempus omnia infirmet, atterat, debi-

A litet, ipsas quoque iras mitiget, & luctus minuat, tantummodo curas & angores suos attenuare non posse, eleg 6.lib.4.

EXIGVIS PROD. ANNOSA VET.] Bene *annosa.* alioqui non sit vetustas. Dubitet aliquis, quo modo exigua cum sint, tamen annosam vetustatem exspectent, vt tollantur, & euanescant, diu enim durare non poterunt. Hoc sentit, annis succedentibus mala leniora minus sentiri, & tandem non curari, quia vim suam amittunt.

GRANDIA. ACCED. TEMP. DAMNA MALIS] Magna incommoda ab annis incrementum accipiunt, & grauius nocent, & dirius animum discruciant. Quo intellectu dictum est 5. Philipp. Omne malum nascens facile opprimitur: inue-
B teratum fit plerunque robustius.

PAENE DECEM TOTIS, &c.] Probatio ab exemplis. Magnum malum fuit vulnus Philoctetæ quod ei sagitta Herculis venenata in pedem incidens fecit. Quâ de re superiore elegia. Atque ideo decem annis curari vix potuit. Verùm hoc, & quæ sequuntur de Telepho, non ostendunt grandibus malis diuturnitate damnum accedere, eaq; maiora fieri, sed difficilius depelli, & longiore tempore vt sanentur indigere. Verissimum tamen est, in aliquibus malis quod dixit, ea nimirum inueterascendo maiora fieri.

TELEPHVS AETERNA CONSVMPT. TABE, &c.] Vnde, & quare vulneratus Telephus; & quomodo per eandem hastam curatus, dictum fu-
C sius lib.1. eleg 1. ibi.

Namq; ea vel nemo. vel qui mihi vulnera fecit
Solus Achilleo tollere more potest.

VVLNERA QVI FECIT. F. LAVARE VALIT] lib.2.

Forsitan vt quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus, opemq; feret.

EXIGVVM. P. DE MARA. D. AQVAE] Alibi dixit se non fluctibus, sed toto Oceano fuisse obrutum, miseriarum suarum multitudinem, & magnitudinem per superlationem volens exprimere. Mare dixit ἀρχαϊκῶς pro mari, in auferendi casu. In Ibin. *Et summam Libyco de mare carpat aquam.*

Lucret. lib. 1. *E mare primùm homines, è terra posset ori-ri Squamigerum genus.* Varro lib. 3. de gente Rom. à mare separata oppida. Iocus Plauti in Milite.

Caussa maris hercle ego hoc oculo vter minus.

Nam si à mare abstinuissem, tanquam hoc vterer.

Dubites enim, vtrum dicat à mare, pro à mari: an amare verbo amandi. Vide Muret. lib. 3. cap. 17. Catull. ep. 4. *cum veniret à mare nouissime.* Sic enim legit Priscian.

PARSQVE MAL. P. TOTIVS INST. ERIT] Incredibiliter amplificat ærumnam suam, & eam prorsus immensam facit. Quæ enim talia sunt vel numero, vel magnitudine, quantumcunque dempseris, æque magna, aut multa remanent, alioqui immensa & infinita non sint.

LITTORA QVOT CONCHAS] 2. de Orat. sed tamen ita solet narrare Scæuola, conchas eos (Scipionem & Lælium) & vmbilicos ad Caietam, & ad Lucrinum legere consuesse.

SOPORIFERVMQVE PAPAVER] Fuisse in honore semper apud Romanum papauer, indicio est Tarquin. Superbus, qui legatis à filio missis, decuriendo papauera in horto altißima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit. Plin. lib. 19. cap. 8. Papauer item symbolum, seu hieroglyphicum est ciuitatis. Vt enim in ciuitate multi habitant; sic in papaueris capite quasi intra eadem mœnia multa sunt semina. Et vt ciuitas in vicos, & domos est distributa: sic & papaueris caput in multas intus partes est diuisum, multaque intestina habet. Appendix Pierij.

ICARIAE NVM. D. CONSR AQVAE] Liquida non numerantur, nisi in vasis quibus hauriuntur, aut vasa ipsa, quibus implentur. Nec arida, quæ non sunt continua. Itaque cum apud Ciceronem legimus, magnus frumenti, vini numerus, accipiendum est de ipsa copia, quæ per vasa, & modios distributa, numerum ingentem conficit.

STRICTAS IN MEA FATA MAN.] Denecessibi à comitibus in itinere intentata hæc accipe, de quorum scelere conqueritur etiam elegia vlt. lib. 4. *Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes? &c.*

BARBARA ME T. ORAESQVE NOVISS.] Eleg. 11. lib. 3.

Barbara me tellus, & inhospita littora Ponti,

Cumque suo Borea Mænalis vrsa videt.

Lib. 2.

Vltima perpetior medios eiectus in hostes,

Nec quisquam patria longius exul abest.

Et lib. 3. eleg. 1. *Qui procul extremo pulsus in orbe iacet.*

HINC EGO TRAIICERER] Hinc ego transferrer, mitterer, subaudi in locum clementiorem.

NEC ANIM. MEA. C. CRVANT. AST] Non commisi cruentum facinus, & capitale, quod cæde expiari debeat. Potest mitigari supplicium meum. Ad conspirationem contra Augustum

A factam videtur respicere, de qua libro secundo ibi,

Caussa mea est melior, quia nec contraria dicor

Arma, nec hostiles esse secutus opes.

ESSET. Q. DEBET SI TIBI. C. MAI] Multum spei reponit in sollicitudine, & deprecatione vxoris pro se: quam negligentiæ coarguit, cum caussam ipsius aut agere desierit; aut nimis lente agat.

BENE QVO ROM. POT. NIXA] siquidem pater patriæ dictus est. Lib. 2. in extremo. *O pater, ô patriæ cura, salusque tuæ.* In eodem.

Non ea te moles Romani nominis vrget,

Inque tuis humeris tam bene fertur onus.

VICTO LENIS IN HOSTE FVIT] Lib. 2. *Tu*

B *veniam Partho superato sæpe dedisti, &c.*

CAES. NIL INGENS MITIVS ORB. HAB.] Seneca lib. 1. de clement. cap. 22. nullam pœnam putat esse grauiorem, quam quæ à miti viro constituitur. Quid igitur quæ ab omnium mortalium mitißimo?

SVBTRAH. ET. F. TV QVOQ. COLLA IVG.] A bobus ducta allegoria. Frangis iugum, & subtrahis collum.

LAPSIS SOLATIA REBVS] Sincerior lectio, quam *lassis.* Nam & infra sic loquitur.

Nunc tua pro rebus nitatur gratia lapsis.

Et:

Respicis antiquum lapsis in rebus amicum.

C Virgil. 1. Aeneid. paulum diuerse. *Ausus & afflictis melius confidere rebus*, cui etiam fessi, & fessi rerum, & res fessæ de calamitosis, & calamitatibus vsurpantur.

ANCHORA IAM NOST. N. TEN.] Allegoria. Iam ventis ludibrium erit. Iam huc illuc raptabitur. Maximam, ac validißimam anchoram nautæ vocant sacram, quam tum demum iaciunt, cum versantur in extremo discrimine. Vnde prouerb. sacram anchoram soluere.

SACRAM QVAMVIS INVIS. AD ARAM] Consule annotata ad eleg. 5. lib. 4. ibi, *Vnica fortunis ara reperta meis.*

NVLLAS SVMMOVET ARA MANVS] Admittit quemuis supplicem. Occulte significat, se importunitate sua aliquid misericordiæ extortorum ab Augusto.

D



ELEGIA TERTIA.

SVPPLICATIO AD AVGVSTVM.

ARGVMENTVM.

QVOSDAM eruditos hanc elegiam cum antegressa coniungere affirmat Ciofan.& factum probat. Verùm minus εὐλόγως. Quæremus enim, num eadem epistola (si vna est) ad vxorem, & ad Cæsarem scribi potuerit. Quia igitur pluribus versibus impensè ipsum rogat, quod extremo disticho superioris elegiæ facturum se dixerat, vt motus ærumna sua, alium locum tolerabiliorem concedat, duas elegias faciamus necesse est.

Alloquor en absens absentia numina supplex:
Si fas est homini cum Ioue posse loqui.
Arbiter imperij, quo certum est sospite cunctos
Ausoniæ curam gentis habere deos:
O decus, ô patriæ per te florentis imago!
O vir non ipso, quem regis, orbe minor!
Sic habites terras, & te desideret æther:
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas:
Parce precor: minimamq; tuo de fulmine partem
Deme: satis pœna, quod superabit, erit.
Ira quidem moderata tua est: vitamq; dedisti:
Nec mihi ius ciuis, nec mihi nomen abest.
Nec mea concessa est aliis fortuna: nec exul
Edicti verbis nominor ipse tui.
Omniáque hæc timui, quoniam meruisse videbar:
Sed tua peccato lenior ira meo est.
Arua relegatum iussisti visere Ponti,
Et Scythicum profuga scindere puppe fretum.
Iussus ad Euxini deformia littora veni
Æquoris: hæc gelido terra sub axe iacet.
Nec me tam cruciat nunquam sine frigore cælum:
Glebáque canenti semper obusta gelu:

Nesciáque est vocis quòd barbara lingua Latina,
Graiáque quòd Getico mista loquela sono est:
Quam quod finitimo cinctus premor vndique Marte.
Vixq; breuis tutum murus ab hoste facit.
Pax tamen interdum est: pacis fiducia nunquam.
Sic hic nunc patitur, nunc timet arma locus.
Hinc ego dum muter, vel me Zanclea Charybdis
Deuoret: atque suis ad Styga mittat aquis:
Vel rapidæ flammis vrar patienter in Ætna;
Vel freta Leucadij mittar in alta dei.
Quod petimus, pœna est: neque enim miser esse recuso:
Sed precor, vt possim tutius esse miser.

COMMENTARIVS.



ALLOQVOR AN ABSENS ABSENTIA NVMINA] Talia numina, cum extra tunicam suam nusquam sint, meritò præsentia nobis, & absentia dicuntur: atque adeo per epistolam, & internuntios cum absunt alloquenda sunt.

SI FAS HOM. CVM IOVE POSSA LOQVI] Vide quantum illi honorem habet. Posse loqui est periphrasis, pro, loqui. Nam hoc verbum *possum* cum aliis verbis copularum, eorum vicem periphrasticè implet: vt cum potuisse aliquem dicere, vel facere aliquid pro dixisse, vel fecisse scribunt. Virgil. eclog. 6. *Soluite me pueri, satis est potuisse videri.* Iuuenal. *Antoni gladios potuit contemnere, &c.* Plura exempla ex pluribus refert Gulielm. Canter. nouar. lect. lib. 2. cap. 2. ex Ouidio inprimis, qui hac loquendi figura tam crebrò vtitur, vt eam studiosissimè quæsisse videatur.

ARBITER IMPERII] Summe monarcha, imperator vrbis, & orbis. Arbiter, inquit, Festus, dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium, ac facultatem. Prænuntia eius imperij, & monarchiæ portenta fuerunt, vt Xiphilin. retulit, Actia mater, antequam pareret, somniauit viscera sua sublimè in cælum tolli, & in totum terrarum orbem diffundi. Et eadem nocte Octauius pater solem è natura vxoris prodire per quietem vidit. Omitto alia.

QVO CARTVM AST SOSP. CVNCTOS] Signum fauoris deorum erga Italiam, imperij sedem certissimam, sospitas Cæsaris, & vita diuturna. Etenim bonus princeps subditorum salus.

O DECVS, ô PAT. P. TE FLOR. IMAGO] Patriæ bis accipiendũ. O decus patriæ, ô imago patriæ per te florentis. Florentis diuitiis, legibus, ædificiis, & rerum omnium copiis. Lege Sueton.

A Huc mihi quadrare videntur verba Dionis apud Xiphilinum, postquam de eius morte, & funere narrauit. Itaque Romani, inquit, adducti his rebus omnibus Augustum luxerunt. Sed inprimis quod regnum cum repub. permiscuerat, libertatemque conseruauerat, seque ita armauerat, & securos reddiderat, vt populi temeritate, & tyrannorum iniuriis liberari, simul in moderata libertate, atque regno quietam, & securam vitam agerent, regerenturque sine seruitute, & absque vlla seditione rempub. obtinerent. Nam etsi plerique recordabantur, quæ superioribus bellis ciuilibus facta fuerant, tamen eorum omnium culpam in tempora, & necessitatem conferebãt, putabantque ex eo tempore esse animum eius spectandum, ex quo cœpit sine controuersia regno potiri.

NON IPSO QVAM REO, ORAE MINOR.]
B tanti faciende, quanti totus simul orbis. Par orbi.

SIC HABITES TERRAM] Genus hoc blandimenti aliâs & sæpius notauimus, poëtas, inquã, solere bona optare, à quo boni quippiam petũt, siue Deo, siue homine, idq; vel ante, vel post petitionem. Petiturus ergo mitius exilium ab hoc Deo, prius ei vitam longam, deinde sedem cælestem precatur. Virg. quoq; 1. Georg. hunc Deum cum cæteris inuocans, dubitat, cum cælo successerit, quam prouinciam sit habiturus, seu in quo ordine deorum locandus. *Tuq; adeo, quem mox, &c.*

AD PACTA TIBI SID. TARD. EAS] Lib. 2. *Optaui peteres cælestia sidera tarde.* 1. Fast. *Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.* Serus in cælum redeas. Horat. Ode 2. lib. 1.

PARCE PRECOR, MINIMAMQVE, &c.] Hæc est petitio, de qua in fine, *Quod petimus pœna est, &c.*

SATIS POENAE QVOD SVPERAE. ERIT] Elegia superiore.

Detrahat vt multum, multum restabit acerbi,
Parsq; mea pœna totius instar erit.

Superare est supereſſe, reſtare. Cic. de Finib. de eo quod ipſis ſuperat, aliis gratificari volunt.

IRA QVID. MODER. TVA EST] quia, vt ſequitur, vitam mihi dediſti, quam poteras eripere. Lib. 2.

Vita data est, citraq; necem tua constitit ira,
O princeps parcè viribus vſe tuis.
Inſuper accedunt te non adimente paterna,
Tanquam vita parum muneris eſſet, opes, &c.

SED TVA PECCATO LEN. IRA MEO] Ergo & mortem merebatur, quam tamen ſe meruiſſe negat, quoties ſe non ſcelus, nec cruentum facinus admiſiſſe aﬃrmat: & alicubi hanc ipſam cauſſam affert, cur ipſum Cæſar iugulari non iuſſerit. Sed homini afflictiſsimo, & perturbatiſsimo inconſtantia huiuſmodi ignoſcenda eſt. Qui ſecus exiſtimat, illi dicat Terentius. *Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.*

NEC EXVL EDICT. VERB. NOMIN.] Lib. 2. *Quippe relegatus, non exul dicor in illo.* Vide & eleg. 12.

PROFVGA SCIND. PVPPE FRETVM] 7. Metamorph. *Iamq; fretum Minyæ Pagaſæa puppe ſecabant.* Horat. Ode 1. lib. 1. *vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.* Seneca Hippolyt. *Nondum ſecabant credula Pontum rates.*

AD EVXINI DEFORMIA LITTORA] Littus propriè maris eſt, ripa fluminis. Illud commune eſt, nec in vllius dominio cenſetur: hæc pertinet ad eos, qui habent proxima prædia. 1. Metam. *campoq; recepta Liberioris aquæ pro ripis littora pulſant.* Interdum generaliter appellatur littus quidquid iuxta aquam eſt, auctore Seruio. Vnde & littus fluminum dicunt poëtæ. Virg. 3. Aeneid.

Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis vndam
Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus.

Et lacuum. Catull. *Comi mœnia, Lariumq; littus.* Faſtor. 5. *Sunt tibi Flaminius, Thraſimenaq; littora teſtes.* Ripam vero etiam maris. Horat. Ode 27. lib. 3.

Hoſtium vxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis Auſtri,
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Deformia autem interpretare ſqualida, deſerta, inculta, frigida.

GELIDO SVB AXE] ſeptentrionali.

NVNQVAM SINE FRIG. CAELVM] hyems perpetua. Eleg. 2. lib. 3.

Plurima ſed pelago, terraq; pericula paſſum
Vſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet.

Vide eiuſdem libri eleg. 10.

CANENTI SEMP. OBVSTA GELV] Eleg. 4. lib. 3. *Me tenet aſtricto terra peruſta gelu.* Canentia frigora alibi appellauit, quod quaſi canitiem terræ inducant. *Obuſta*, quia & frigus vrere dicitur. Virgil. 1. Georg. *aut Boreæ penetrabile frigus adurat.* Vide ibid. Symb. noſtras.

NESCIAQ. EST VOCIS QVOD BARB. &c.] eleg. vlt. lib. 3.

Nullus in hac terra recitem cui carmina, cuius
Intellecturis auribus vtar, adeſt.

GRAECAQVE QVOD GET. MISTA LOQ. SONO] Propter colonos è Græcia eò deductos. Eleg. 9. lib. 3.

Hic quoq; ſunt vrbes Graiæ (quis crederet poſſet)
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoq; Mileto miſsi venere coloni,
Inq; Getis Graias conſtituere domos.

Si mere loquerentur græce, haberet cum ipſis linguæ commercium. Nunc non poteſt.

VIXQVE BREVIS TVTOS MVR. AB H. FACIT] Eleg. vlt. lib. 3. *cuſtodia muri Summouet infeſtos, clauſaq; porta Getas.* Breuis pro humilis, non altus, ἀπυργώτερον.

PACIS FIDVCIA NVNQVAM] Pax infida eſt. Nam & per inducias irruptionem in hunc agrum faciunt vicini hoſtes. De hoc & eleg. 10. li. 3. *Tum quoq; cum pax eſt, trepidant formidine belli, &c.*

SIC HIC NVNC PAT. N. TIMET. A. LOCVS] nihil eſt tertium. Quid ergo miſerius, quam tali loco degere?

VEL ME ZANCLEA CHARYBD. DEVORET, &c.] Modò tutiore loco ſit, etiam in aſperrimis, & periculoſiſsimis eſſe non recuſat. Zancle vrbs Siciliæ, vnde Zanclea charybdis. De charybdi in fabulis eſt, fuiſſe fœminam voraciſsimam, quæ, quia Herculis boues rapuiſſet, à Ioue icta fulmine, in mare præcipitata eſt, & in huiuſmodi conuerſa monſtrum, quod adhuc priſtinam ſeruat naturam. Abſorbet enim vniuerſa, quæque abſorbuerit, ea circa Tauromiritanum egerit littus. Plura Chiliaſtes prouerb. Euitata Charybdi in Scyllam incidi. Similis locus eleg. 14. lib. 4. de Ponto.

Nulla mihi cura eſt, terra quò mittar ab iſta,
Hac quia quam video, gratior omnis erit.
In medias ſyrtes, mediam mea vela charybdim
Mittite, præſenti dum careamus humo.
Styx quoq; ſi quid ea eſt, bene commutabitur Iſtro,
Si quid & inferius quam ſtyga mundus habet.

VEL RAPIDAE FLAM. VRAR. P. ÆTNAE] Coniiciar in Aetnam, quam Virgil. ſic deſcribit 3. Aeneid.

Ipſa ſed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis:
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollitq; globos flammarum, & ſidera lambit:
Interdum ſcopulos, auulſaq; viſcera montis
Erigit, eructans, liquefactaq; ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq; exæſtuat imo.

LEVCADII DEI] Apollinis, qui Leucade colebatur.

QVOD PETIMVS POENA EST] ſed minor pœna iudicio miſeri. Nam reuera maior eſt deuorari à Charybdi, & exuri flammis. Nec video, quomodo quiſpiam apud Charybdim, aut Aetnã tutius ſit miſer. Sed affectui dandum aliquid.

ELEGIA QVARTA.

A BACCHO QVAESITVM AVXILIVM.

ARGVMENTVM.

ALLOQVENDI, & orandi Bacchi occasionem sumit à die festo, quo illum venerentur poëtæ. Apud quem statũ, ac miseriam suam deplorans, modeste vt ingratum accusat, qui cultorem suum tutatus non sit: & quanquam fato calamitosus sit, posse tamen vel eius exemplo, qui ipse quoq; fataliter dura pertulerit, & in cælum tandem ascenderit, beatum adhuc euadere, si ipse sibi succurrerit. Quod vt faciat, bene eidem precatur. Poëtas insuper studiorum consortes rogat, vti apud Bacchum sibi patrocinentur.

Illa dies hæc est, qua te celebrare poëtæ,
Si modò non fallunt tempora, Bacche solent:
Festáque odoratis innectunt tempora sertis:
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.
Inter quos memini, dum me mea fata sinebant,
Non inuisa tibi pars ego sæpe fui:
Quem nunc suppositum stellis Erymanthidos vrsæ
Iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.
Quique prius mollem, vacuamqúe laboribus egi
In studiis vitam, Pieridumque choro:
Nunc procul à patria Geticis circumsonor armis,
Multa prius pelago, multáque passus humo.
Siue mihi casus, siue hoc dedit ira deorum:
Nubila nascenti seu mihi Parca fuit:
Tu tamen è sacris hederæ cultoribus vnum
Numine debueras sustinuisse tuo.
An dominæ fati quicquid cecinêre sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse Dei?
Ipse quoque æthereas meritis inuectus es arces,
Quò non exiguo facta labore via est.

Nec patria est habitata tibi, sed adusque niuosum
Strymona venisti, Marticolamque Geten,
Persidáque, & lato spaciantem flumine Gangem,
Et quascunque bibit decolor Indus aquas.
Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ
Stamina bis genito bis cecinêre tibi.
Me quoque, si fas est exemplis ire deorum,
Ferrea sors vitæ, difficilisque premit.
Illo nec melius cecidi, quem magna locutum
Reppulit à Thebis Iuppiter igne suo.
Ut tamen audisti percussum fulmine vatem:
Admonitu matris condoluisse potes.
Et potes, aspiciens circum tua sacra poëtas,
Nescio quis nostri, dicere, cultor abest.
Fer bone Liber opem; sic altera degrauet vlmum
Vitis, & incluso plena sit vua mero:
Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnaua iuuentus
Adsit: & attonito non taceare sono.
Ossa bipenniferi sic sunt malè pressa Lycurgi:
Impia nec pœna Pentheos vmbra vacet.
Sic micet æternum, vicináque sidera vincat
Coniugis in cælo clara corona tuæ.
Huc ades, & casus releua pulcherrime nostros:
Vnum de numero me memor esse tuo.
Sunt diis inter se commercia: flectere tenta
Cæsareum numen numine, Bacche, tuo.
Vos quoque consortes studij, pia turba, poëtæ,
Hæc eadem sumpto quisque rogate mero.
Atque aliquis vestrûm Nasonis nomine dicto,
Deponat lachrymis pocula mista suis:
Admonitusque mei, cùm circumspexerit omnes:
Dicat, vbi est nostri pars modo Naso chori?
Idque ita, si vestrum merui candore fauorem:
Nullaque iudicio littera læsa meo est:
Si, veterum dignè veneror cùm scripta virorum,
Proxima non illis esse minora reor.
Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen:
Quod licet, inter vos nomen habete meum.



COMMENTARIVS.

A ILLA DIES HAEC EST, &c.] Poëtæ etiam Baccho, non modo Apollini sunt sacri: concitantur enim & ipsi, vt sacerdotes Bacchi: atque ideo & edera coronantur, quod antea quoque locis ita postulantibus dictum recordor. Quare ipsos ei festum diem agere, vt Apollini, non est mirandum.

ODORAT. INNECT. TEMP. SERTIS] Magnus olim sertorum vsus in diebus festis, sacrificiis, symposiis, pompis: quia signum lætitiæ. Ad locutionem quod attinet. 5. Fast. *Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis*. Tibull. lib. 3.

Iam pridem Tyria madefactus tempora lauro
Debueram sertis implicuisse caput.

Lucret. lib. 3. *& inumbrant ora coronis.*

B ET DICVNT LAVO. AD. T. VINA TVAS] inter pocula, seu, dum tibi vino faciunt.

DVM ME MEA FATA SINEB.] Aen. 4. *Dulces exuuiæ, dum fata Deusq; sinebant*. In antiquo epigram. *Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore*. Rursum 4. Aeneid. *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis*. Georg. 4. *si quem Numina læua sinunt, auditq; vocatus Apollo*. Definiuimus fatum (vt veteres de eo loquuntur) & docuimus quid esset fatale, seu fatalis necessitas in eleg. 8. lib. 4. Nos autem Christiani fatum esse statuimus vel connexionẽ caussarum ex Dei voluntate, quę omnium caussarum princeps est pendentem: vel ipsam Dei æternam, & immutabilem voluntatem, certo, & constanti rerum ordine vniuersa instituentem, & regentem: C qui scit omnia antequam fiant, & nihil inordinatum relinquit, sed cuncta sapienter, suauiterque disponit. Quocirca fatum nonnulli dictum volunt à fando, quod sit Dei iussum, & scitum, lex inquam ipsa diuina. Nullo igitur pacto fati nomine quædam necessitas, diuina, & humana voluntate superior intelligenda est. Nec vero mobilium rerum mutatio vllam diuinę voluntatis inconstantiam, sed caussarum, à quibus proficiscuntur mutabilitatem arguit. Ipsa Dei voluntas semper est eadem, qui caussarum necessariarum certos effectus, non necessariarum vero incertos euentos esse voluit: sed quod omnes ipse, qui, qualesue futuri sint, semper vt præsentes videt. D Hæc, quia paucis nota, & scitu necessaria, atq; ad sensus auctorũ percipiendos commoda, hæc ex Viperano tanto libentius transcripsimus.

NON INVISA TIBI] Inuisus, quem æquis oculis aspicere nequeas, exosus. 2. Off. Quò quis callidior, & versutior est, hoc inuisior, & suspectior, detracta opinione probitatis. 1. Aeneid. *Et genus inuisum.*

PARS EGO SAEPE FVI] 2. Aen. *Et quorũ pars magna fui*. Valer. Max. Asinius etiam Pollio non minima pars Romani styli: hoc est, non minimus inter scriptores Romanos. Huius generis est, cum quempiam dicimus alicui rei, aut ad rem aliquam, aut alicuius rei caput.

QVEM NVNC SVPPOSIT. STELL. ERYM. VRSAE] Eleg. 10. lib. 3. *suppositum stellis nunquam tangentibus æquor.*

CRVDIS GETIS] Si crudum dicitur à cruore, crudum erit quasi cruentum, & adhuc recens. Vnde crudum vulnus. Talis autem est cruda caro, nondum videlicet cocta, & feruentibus aquis emollita, à qua multa alia cruda, id est, non mollita, non matura dicuntur. Crudus autem homo, asper, inhumanus, trux.

QVIQVE PRIVS MOLL. VACVAMQVE LAB. AGI] Eleg. 4. lib. 1. vbi se cum Vlysse confert.

Ille erat assiduo sæuis agitatus in armis,
Assuetus studiis mollibus ipse fui.

Eleg. 8. lib. 4.

Quęq; mea semper placuerunt otia menti
Carpere. & in studiis molliter esse meis.

Et eleg. 10. *Oblitusq; mei, ductaq; per otia vita.*

PIERIDVMQVE CHORO] Chorum Pieridum illum nouenarum cum vocat, ad cantum earum respicit: chorus enim propriè canentium multitudo. Isid. lib. 6. chorus est multitudo in sacris collecta; & dictus chorus, quod initio in modum coronæ circum aras starent, & psallerent. Sed enim, quia è græco venit, *χόρος*, aliud etymon quærendum.

GETICIS CIRCVMSONOR ARMIS] Eleg. vlt. lib. 4. *Hic ego finitimis quamuis circumsonor armis*. Neutraliter Cic. 3 Off. attamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus vndiq; circũsonare, nec eas, si fieri possit, quidquã aliud audire.

SIVE MIHI CASVS, &c.] Disiunctina propositio. Vel casu, vel ira deorum, vel fato tot mala mihi obtigerunt.

NVBILA PARCA] aduersa, inimica, & quasi vultu obnubilato. Non me nascentem placido lumine aspexit.

E SACRIS EO. CVLTORIB. VNVM] E poëtis, qui & sacri sunt, & te colunt. Id enim per ederam significatur.

SVSTINVISSE] sustentasse, defendisse, protexisse.

DOMINAE FATI] dispensatrices, promas condas fatorum. Virgil. cum dixisset 1. Aenid. *hoc regnum dea gentibus, si qua fata sinant, iam tum tenditq; fouetq;*. Progeniem sed enim, &c. subdit, *sic voluere Parcas*. Ex quo discas, fati dominas esse Parcas ita, vt etiam dij illis subiiciantur, siquidem fatis subiecti sunt. Quod & in Metam. 9. Iupiter conqueritur. Quatenus autem Iouis scribæ sunt, illiusq; decreta in tabulas æreas referunt, vt dicitur 15. Met. dominæ fati nõ sunt, sed administræ potius.

OMNE

OMNE SVB ARBIT. DESIN. ESSE DEI?] A
Lege definit. fati in eleg. 8. libri superioris, *Fata repugnarunt, &c.* An dij fata immutare nō possunt, & sunt etiam ipsi subiecti, cogunturq; pati, quidquid Parcę ipsis quoq; cecinerint? Tibullus eleg. 7. lib. 1.

Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes
Stamina, non vlli dissoluenda Deo.

Necessitatem crebrò vocant poëtę. Vide prouerbium, Necessitati ne dij quidem resistunt. Plato in conuiuio πολλὰ δὲ καὶ δεινὰ τοῖς θεοῖς ἐγίγνετο ὡς λέγεται, διὰ τὴν τῆς ἀνάγκης βασιλείαν. Multa vero, & acerba diis acciderūt ob necessitatis regnum. Quintus Smyr. de reditu Græcorum Troia deuastata, narrat deos illorum fautores iis domum hilariter nauigantibus lætatos, indignantibus contra B Troianorum diis auxiliaribus, intuentibus euersam vrbem, cui, quanquam valde cuperent, fatis aduersantibus opitulari non potuissent. Neque enim ipsum Iouem deorum principem satis inuitis posse fata depellere. ἀδύνατοι τέρψοντο κατ' ὄρεσφιν, &c.

IPSE QVOQVE AETHERIAS, &c.] Exemplum ipsius Bacchi inducit.

INVECTVS ES ARCES] pro vectus in arces, more Græcorum, qui præpositionem apponunt verbo, aut participio. ἐκ τῆς ἐμφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος ex inapparente illis similitudine, pro, ex apparente in illis similitudine. Talia sunt adigere arbitrum, potius, quam adigere ad arbitrum. C Adigere iusiurandum, &c. Apud Horatium, *propugnat nugis.* Lucret. lib. 1. *An pecudes alias diuinitus insinuet se.*

QVO NON EXIG. F. LAB. VIA EST] Res eius gestas perscripsit Diodorus lib. 5. Multa humano generi vtilia inuenisse dicitur. Et cum de omnibus nationibus bene mereri studeret, orbemque terrarum illa quæ sciebat docendo peragraret, tandem coacto exercitu ad Indos, & intima Asiæ loca penetrauit. Deinde Indis, qui illum aspernabantur, & vniuersi orientis regionibus subiugatis, ad primū Oceani littus, in montibus Indiæ, non procul à Gange fluuio columnas duas erexit, tanquam ad vltimas hominibus peruias oras ex parte orientis penetrasset, &c. lib. 5. cap. 13. D

NEC PATRIA EST HABIT. TIBI] Thebæ, illic enim natus.

ADVSQVE NIVOSVM STRYMONA] Thraciæ fluuius Strymon. Thracia autem perfrigida regio. Niualis Hæmonia. Horat. Ode 37. lib. 1.

MARTICOLAMQVE GETAN] Martis, id est, belli cupidos Thracas intelligit. Virg. 3. Aen. *Terra procul vastis colitur Mauortia campis, Thraces arant.*

ET LATO SPATIANT. FLVM. GANG.] De Gange hunc in modum Plin. lib. 6. cap. 18. Hunc alij incertis fontibus vt Nilum, rigantemque vicina eodem modo, alij in Scythicis montibus nasci dixerunt. Influere in eum XIX. amnes. Ex iis nauigabiles præter iam dictos, Canucham,

A Vannam, Erranobram, Casongum, Sonum. Alij cum magno fragore ipsius statim fontes erumpere, deiectumque per scopulosa, & abrupta, vbi primum molles planities contingat, in quodam loco hospitari; inde lenem fluere, vbi minimum, 8. millium latitudine: vbi modicum, stadiorum centum, altitudine nusquam minore passuum 20. Quod autem Strabo lib. 15. Indum omnium fluminum maximum affirmat, Plin. Gange minorem dicit. Pomp. Mela. lib. 3. cap. 7. Ganges & Indus amnes, ille multis fontibus in Hemado Indiæ monte conceptus, simul vnum alueum fecit, fit omnium maximus, & alicubi latius, quando angustissime fluit, decem millia passuum patens, in 7. ora dispergitur.

B ET QVASCVNQ. E. DECOL. IND. AQVAS] Seneca etiam apud nos tentata Indiæ commentatione LX. amnes eius prodidit, gentes duodeuiginti centumque. Plin. lib. 6. cap. 17. *Decolor,* id est vitiato colore, ob nimium ardorem solis.

NENTES FATALIA PARCAE] fata nentes hominibus, seu nendo fata canentes. Diximus ad eleg. 8. lib. 4. In Ibin. *Quaque ratum triplici pollice netis opus.*

BIS GENITO BIS CECIN. TIBI] Semel de Semele genitus. Quanquam eius vtero ereptus magis, quam inde natus. Post de femore Iouis, cui te, donec maturum tempus adesset, Iupiter vel inseruit, vel assuit, vel insuit. 3. Metam. Hinc bimater, & διθύραμβος, quia è duabus portis exie- C rit. Manil. lib. 2. *Atque iterum patrio nascentem è corpore Bacchum.* Alij ideo dithyrambum, quod in antro duas portas habente fuerit educatus.

SI FAS EXEMPLIS IRE DEOR.] Si fas me comparare cum diis, quamuis isto modo.

FERREA SORS VITAE] Dura, immitia, aspera, horrida, vocamus ferrea. Sæculum ferreum non nisi à moribus ferreis cognomentum accepit. Siquidem etiam homines ferreos, & aureos ob eosdem dicimus.

QVAM MAGNA LOCVTVM] Magna loqui, est superba loqui, sese iactare, verbis gloriari, se efferre. Græci μεγάλα λέγειν, οἷον. 1. Metamorph.

Solo satus Phaëthon: quē quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phœboq; parente superbum, &c.

D De hac locutione alibi.

REPPVLIT A THEB. IVP. IGNE SVO] Eleg. 3. lib. 4. *Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu.* Capaneus vnus è VII. qui pro Polynice Thebas oppugnatum, cum Adrasto rege Argiuorum eius socero venerant, cum Iouem etiam ipsum despiceret, virtutique suæ omnia tribueret, ab eo fulminatus, & scalis delapsus occubuit. Superbas eius voces refert Statius. lib. 3. Thebaid.

Vnius (heu pudeat) Phœbeia ad limina ciuis,
Tot ferro accincta gentes, animiq; parata
Pendemus? non si ipse cauo sub vertice Cyrrhæ
Quisquis is est timidis, famaq; ita visus Apollo
Mugiat insano penitus seclusus in antro,
Exspectare queam, dum pallida virgo tremendas

Nuntiet

Nuuiet ambages. Virtus mihi numen & ensis,
Quem teneo, &c.

Percvss. fvlmine vatsm] Ab Augusto tanquam fulmine prostratum.

Admonitv matris cond. potes] Recordatus matris suæ Semeles, quæ etiam fulmen sensit, quo conflagrauit. 3. Metamor. Natal. lib. 5. cap. 13. Nota verbum *condoluisse*, pro misericordia commoneri, συμπάσχειν. Ciceroni condolere idem est, quod simplex doleo, & corporis rantùm. Sic enim loquitur, si pes, si capnt condoluit. Nisi velimus Ouidium composito pro simplici vsum.

Aspicisns circvm tva sacra poet.] chorum poëtarum, tua sacra cum laudibus tuis celebrantinm inrnens, dicere pores.

Nescio qvis nostri cvlt. abest] Plus dixit, quam si se nominasset, & Bacchum se nominarim requirentem induxisset. Nam *nescio quis*, non semper vilipendentis, aliquando etiam rectè laudantis est.

Fer bone Liber opem] Bacchus à furore, Bromius à strepitu, & clamore ebriosorum, Liber, autLyæus (quod idem est) quia vinum largius haustum à curis liberat, & lætos facit.

Altera degravet vlmvm vitis] Mirirantur enim vlmi vitibus. Virg. 1. Georg. *vlmisq; adiungere vites.* Degraner est valde grauet. Auget enim hæc particula in compositis. Deprædicare, deuenerari, denarrare, deamare, depræliari, & quod quidã in Cicerone obseruarunt, deparcus.

Inclvso plena sit vva mero] tumeant acini. Vuę partes latinis vocibus singulas declarar Causabon. Animaduers. in Sueton. lib. 2. pag. 152. num. 24.

Sic tibi cvm Bacchis Satyr. &c.] A mulieribus orgia, siue sacra Bacchi peragebantur, quod illas in Indica expeditione socias habuisset. Dictę sunt Bacchę ab insanis clamoribus. Satyri autem, & Sileni comites Bacchi fuerunt. Dicti à salacitate, σάθη enim titillatio ad Venerem. Plura Natal. lib. 5. cap. 7.

Attonito non taceare sono] De clamoribus vt furiosorum, & attonitorum in eius sacris adhiberi solitis hæc interpretare.

Ossa bipennif. s. sint. m. pressa Lycvrgi] Sic male cubent. Sic terra grauis sit ossibus Lycurgi. Modus malè precandi mortuis. Lycurgus, quod vinum esse genus veneni, & eo hominũ mentes immutari diceret, vites excidit, & simul, vt quidam narranr, crus sibi amputauit. Vides hinc quare bipenniferum dixerit.

Impia nec poen. Penth. vmbra vacet] Det pœnas apud inferos continẽter anima Penthei. Hic Thebarnm rex, cum Thebani edera coronati, Baccho aduenienti procederent obuiam, probibuit eos eo facto, ipsumq; Bacchum, & eius diuinitatem contempsit. Mandauit quoque famulis, vti vinctum ad se perducerent. Tandem à matre, & materteris in monte Cithærone saera peragentibus est occisus. 3. Meramorph.

Conivg. in caelo clara corona tvae] Theseus Ariadnam Pasiphaës, & Minois Cretensium regis filiam, cuius beneficio è labyrinrho post cædem Minotauri euaserat, secum in insulam Naxon, coniugij dara fide abduxit. Ibi à Baccho vt eam desereret est admonitus. Theseus altissimo somno demersam obseruans, vela porrò dedir. Qua de re Catull. in nupt. Pelei, & Thetid. Eam postea duxit Bacchus, indeque liberos sex genuit. Coronam autem, quam gestabat, post mortem ipsius ad sempiternam eius memoriam inter stellas cnllocauit. Ararus in Phænom.

Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκεν
Σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.
Atq; corona nitet, clarum inter sidera signum,
Defunctæ quam Bacchus ibi dedit esse Ariadnæ.

Casvs releva pvlch. nostros] Pulcherrimum vocar, quoniam ipse, & Apollo semper iuuenes, imberbes, intonsi, & illi virginea facies. Tibull. lib. 1. eleg. 4.

Solis æterna est Phœbo, Bacchoq; iuuenta,
Nam decet intonsus crinis vtrumq; Deum.

Vnvm de nvmero tvo] de poëtis, qui sunr tuus numerus.

Svnt diis inter se commercia] Augustus æquè est Deus: & diis familiaritas intercedit: & familiaribus quod perunt negari non solet. Pete ergo ab eo mibi liberarionem, anr exilij mutationem, & obtinebis.

Pia tvrba] quia sacri, & sacerdotes poëtæ, quod de se prædicant, & suornm numinum cnltores diligentes.

Svmpto mero] vbi libaueriris pocula.

Depon. lacrym. pocvla mista svis] Lacrymę sunt muræ preces, & in iis ad impetrandum vis non modica. Ad coniugem eleg. 1. lib. 4. de Ponto.

Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fiant:
Hac potes, aut nulla parte mouere deos.

Nostri pars modo Naso chori] suprà. *Nescio quis nostri dicere cultor abest.*

Si vest. mervi cand. favorem] hypothesis. Si ira me gessi sine fuco, & simnlatione erga vos, vt beneuolentiam vestrã promeritus sim.

Nvllaqve ivdicio litt. laes. meo est.] neminem vestrum, illius scripta acrius censendo offendi.

Si veter. dig. ven. cvm script. viror.] Tantum abest vt læserim, vt valde honorarim, cum veterum scriptis, veneratione dignis ea æquipararui.

Dextro Apolline] fauente Apolline. Qnia dexteræ maior vis quam sinistræ, ideo maior illi honos. Er hinc dextra pro auspicatis, faustis, secundis. Amico, dextro Hercule qusre de iis dicanrur, qui in cumulandis diuitiis sunt fortunati, Chiliades te docebunt.

Inter vos nomen habere mevm] Mei memores estore, & vobis me annumerate, quod nemo verat.

ELEGIA QVINTA.

AMOR INGENS, CVM MEMORIA MERITORVM.

ARGVMENTVM.

SERMONEM affingit epistolæ, & domini sui ærumnam generatim deplorantem inducit, cum spe fortunæ melioris ex coniecturis. Mutuum Ouidij in amicum, & amici in Ouidium amorem cum meritis extollit, quorum æternam memoriam pollicetur, & caussam exulis ei commendat.

Littore ab Euxino Nasonis epistola veni,
Lassáque facta mari, lassáque facta via.
Qui mihi flens dixit, tu, cui licet, aspice Romam:
Heu quantò melior sors tua sorte mea est!
Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
Antè, sed ad madidas gemma relata genas.
Tristitiæ caussam si quis cognoscere quærit:
Ostendi solem postulat ille sibi.
Nec frondem in siluis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas.
Quid Priamus doleat mirabitur Hectore rapto:
Quidue Philoctetes ictus ab angue gemat.
Dij facerent vtinam talis status esset in illo:
Vt non tristitiæ caussa dolenda foret.
Fert tamen, vt debet, casus patienter amaros:
More nec indomiti fræna recusat equi.
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram,
Conscius in culpa non scelus esse sua.
Sæpe refert, sit quanta Dei clementia: cuius
Se quoque in exemplis annumerare solet.
Nam quòd opes teneat patrias, quòd nomina ciuis
Denique quòd viuat munus habere Dei.
Te tamen (ô si quid credis mihi) carius ille
Omnibus in toto pectore semper habet.
Téque Menœtiaden, te qui comitauit Orestem,
Te vocat Ægiden, Euryalúmque suum.

Nec patriam magis ille suam desiderat: & quæ
Plurima cum patria sentit abesse sibi:
Quàm vultus oculosq; tuos, ô dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.
Sæpe etiam mærens tempus reminiscitur illud,
Quod non præuentum morte fuisse dolet.
Cumq; alij fugerent subitæ contagia cladis:
Nec vellent ictæ limen adire domus:
Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem,
Si paucos aliquis trésue duósue vocat.
Quamuis attonitus: sensit tamen omnia: nec te
Se minus aduersis indoluisse suis.
Verba solet, vultumqúe tuum, gemitusqúe referre:
Et te flente suos demaduisse sinus.
Quam sibi præstiteris, qua consolatus amicum
Sis ope, solandus cùm simul ipse fores.
Pro quibus affirmat fore se memoremqúe piumqúe,
Siue diem videat, siue tegatur humo.
Per caput ipse suum solitus iurare tuumqúe,
Quod scio non illi vilius esse suo.
Plena tot & tantis referetur gratia factis,
Non sinet ille tuos littus arare boues.
Fac modò constanter profugum tueare: quod ille,
Qui bene te nouit, non rogat, ipsa rogo.

COMMENTARIVS.



LITTORA AB EVX. NAS. AP. VENI] Totum librum tertium prima eiusdem epistola vocalem faciebat. Apparet satis, hunc poëtã isto schemate multum delectatum, quandoquidem in eo creber est. Et habet sanè non mediocrem suauitatem, cuius laudem poëtæ inprimis aucupantur.

LASSAQVE F. MARI, LASSAQVE F. VIA] Per maria, & terras iter habui, & tanto spatio, quantum est ab orbe vltimo Romam vsque.

QVI MIHI FLENS DIXIT] Lacrymas suas non semel commemorat, vt tanto magis lectorem moueat. Nec fletibus moueri, lapidis potius, quàm hominis videtur indicium.

TV, CVI LICET, ASP. ROM.] Eleg. 1. lib. 1. *sine me liber ibis in vrbem.*

HEV QVANTO MAL. &c.] *Heu mihi quòd domino non licet ire tuo*, Ibid.

A FLENS QVOQVE ME SCRIPSIT] vt alias item, de quibus dictum puta ibidem.

Neue liturarum pudeat: qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiat esse meis.

In quem locum vide quæ attulimus.

AD OS EST ANTE, SED AD MAD. &c.] Metamorph. 9. de Byblide.

Protinus impressa signat sua crimina gemma,
Quam tinxit lacrymis, lingua defecerat humor.

Elegia 10. lib. 2. de Ponto.

Ecquid ab impressa cognoscis imagine cera,
Hæc tibi Nasonem scribere verba, Macer?

Intelligo annulum signatorium, cuius gemmæ aliquod signum insculptum. Primis temporibus Romæ nec deliciarum, nec ornatus, sed tantummodo signandi caussa annulus habebatur. Consueuisse porrò Romanos obsignare litteras, ex multis locis epistol. M. Tullij ad Att. est manifestum. Sed quid est, quod gemma illa ad os referebatur.

batur? Humectanda erat, quo aridæ chartæ facilius imprimeretur. Sed hîc cur ad malidas genas? quia manu sibi lacrymas abstergebat: inde & gemmam madefaciebat. Aut simpliciter, & παθητικώτερον, nô linguæ humore, vt fieri mos est, sed lacrymis gemmam tinxi.

OSTENDI SOLEM. P. ILLE SIBI] De rebus notissimis loqentes, vtimur vocabulo solis. Vt, sole clarius, soli lumen addere, &c. Aristoteli hoc apophthegma adscribit Stobæus: eos qui res manifestas demonstrare nituntur, perinde facere, ac si solem adhibita lucerna conentur ostendere.

NEC FRONDES SYLVIS, &c.] Toties vsus est hoc loco, & tanta varietate, vt putem vix inueniri immensum numerum, quem non attigerit. Vide exẽpli caussa eleg. 7. *Littora quot conchas, &c.* Qui syluam à silendo deriuant, tertia vocali primam syllabam scribunt. Qui à græco ὕλη, quod syluam, & materiam sonat, vocali græca υ.

QVID PRIAM DOL. MIRAB. HECTO. RAPT.] Absurdus sit, qui quærat, cur Priamus doleat Hectore suo, quo nitebatur Troiæ salus, interfecto. Sic qui quærit, cur Ouidius exul, & tam atroci mulctatus exilio tristis sit. De Hectore antiquum epig. Pentadij.

Sed raptum pater infelix, auroq́ꝫ repensum
Condidit, & mœrens hac tumulauit humo.

Rapi plerumque in immatura morte ponitur.

QVIDVE PHILOCT. ICTVS AB ANGVE] Vide eleg. 1. ibi.

Hoc erat in gelido quare Pæantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.

DII FACERENT VTINAM] σχῆμα ἐκ παραλλήλων, alterum enim sufficiebat, cum vtrumque optantis sit.

VT NON TRISTIT. CAVSSA DOL. FORET] Optat epistola, immò auctor, ne meritus esset, vnde tristaretur: Quoniam conscientia ipsa peccati magnum per se cruciamentum est: sicut contra, vacare culpa, etiam in suppliciis magnũ est solatium. 1. de P. eleg. 1.

Cumq́ꝫ sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Estq́ꝫ pati pœnam quam meruisse minus.

FERT TAM. VT. D. CAS. PAT. AMAROS] Virtutis est, vt secundam fortunam moderatè, ita aduersam ferre patienter. *Vt debet*, subaudi, si est veræ laudis cupidus. Plautus, an Terentius. *Tute tibi ea re prodes plurimum, cum fortunam ita fere vti decet.*

MORE NEC INDOM. &c.] Silius lib. 3.

Haud aui fragilis sonipes, crudoq́ꝫ vigore
Asper frena pati, aut iussis parere magistri.

NEC FORE PERPET. SPER. &c. Sperat, aliquando, cum diuturnitas iram eius fregerit, se in patriam restitutum iri. Sæpe tamen mitiorem exilij locum eum petat, probabile est, illum vix hoc sperare.

A *CONSCIVS IN CVLP. NON SCEL. ESSE SVA*] Hæc vnica caussa est spei quam habet aut condonandæ, aut minuendæ pœnæ.

SIT QVANTA DEI CLEMENTIA] Narrat res ab eo mansuetè, clementerque gestas. Cæsar autem nunc deus, nunc Iupiter, nunc denique numen est poëtæ nostro.

SE QVOQVE IN EXEMP. ANNVM. SOLET] Secum clementer actum confitetur. Sequuntur tres comparationes, vno disticho comprehensæ.

NAM QVOD OPES TEN. PATRIAS] Eleg. 3. ad ipsum Cæsarem.

Ira quidem moderata tua est, vitamq́ꝫ dedisti,
Nec mihi ius ciuis, nec mihi nomen abest.
B *Nec mea concessa est aliis fortuna, nec exul*
Edicti verbis nominor ipse tui.

TE TAMEN CHARIVS OMNIBVS, &c.] Conuertit orationem ad amicum, cui mittitur epistola. Duriusculum est, charius omnibus habet te in pectore. pro chariorem omnibus. Neminem perinde diligit.

TEQVE MENÆTIADEN, &c.] Recenset quatuor nobilia amicorum paria, vt declaret, quanto ipsum hunc, cuius nomen tacet, amore prosequatur. Patrocli & Achillis, Orestis & Pyladis. Thesei & Pirithoi, Nisi & Euryali. Tria posteriora introduxit etiam eleg. 4. lib. 1. omnes eiusd. lib. eleg. 8. Sensus est. Tu es illi Patroclus Menœ-
C tij filius, quem mirificè amauit Achilles, vt est videre in Iliade. Vt interfectum vlcisceretur, arma deposita resumpsit, & interfectorem eius Hectorem occidit.

TE QVI COMITAVIT ORESTEN] Offensi quidam antiquo verbo *comitauit* (comitor enim, & comito dicebant) reposuerunt *comitatur*. Vsus est hoc archaismo & alibi. *Pirithoum Thesem stygias comitauit ad vndas*. Eleg. 2. lib. 2. de P. *Quã pia vobiscum proles comitauit euntem*. Et Propert. lib. 2. eleg. 7. *Quod si Romanæ comitarent castra puellæ.* Vbi vulgo ineptè, & peruerso sensu legitur, ex ignorantia verbi antiqui, & rei quam tangit Propertius. *Quod si vera mea comitarer castra puella.* Interdictum quippe fuit, vxores secum in castra ducere.
D Hinc Arethusa ad maritum Lycotam lib. 4. eleg. 3. apud eundem.

Romanis vtinam patuissent castra puellis,
Essem militiæ sarcina fida tuæ,
Nec me tardarent Scythiæ iuga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Hoc non animaduertisse Ciofan. diligentissimũ, miror. Iam comes, & socius fidissimus Orestæ fuit Pylades. De ambobus eleg. 4. lib. 4.

Et comes exemplum veri Phoceus amoris,
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.

TE VOCAT ÆGIDEN] Theseum suum. Fuit autem Theseus AEgei regis Athenarum ex AEthra filius, multis rebus præclare gestis illustrissimus. Plutarchum adi.

A *EVRYALVMQVE SVVM*] Amicitiæ Nisi, & Euryali Maronis Musa famam perennem dedit lib.9. Eius necem vt vindicaret Nisus, *ensem*

——————Rutuli clamantis in ore
Condidit aduerso, & moriens animā abstulit hosti.
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus, placidaq; ibi demum morte quieuit.

NEC PATRIAM MAGIS. &c.] Et patria, & charis omnibus hunc amicum sibi desiderabiliorem cum autumat, vxorem debemus excipere, qua sibi charius nihil esse testatur. Vide eleg. 3. & 8. lib. 3.

O DVLCIOR ILLO MELLE] hyperbole parœmiaca, melle dulcius, pro dulcissimo. Hinc illa Plauti. *Hoc est mel melle dulci dulcius.* Mel meum, melliculum meum.

QVOD IN CERIS ATT. P. APIS] Commendatio mellis à regione. Plin. etiam lib. 11. cap. 13. hoc genus mellis commendat. Dio Chrysost. orat. 32. [illegible] purissimum vocat.

B *QVOD NON PRÆVENT. M. F. DOLET*] Optat prius diem suum in patria integer obiisse, & hoc sibi non contigisse cruciatur. Eleg. 3 lib. 3.

Integer hanc potui nuper bene reddere vitam,
Exul vt occiderem, nunc mihi vita data est.

CVMQVE ALII FVG. SVB. CONTAG. CLAD. &c.] Quæ hîc prædicat de amico, eadem siue de hoc, quod suspicor, siue de alio scribit eleg. 5. lib. 3. nec est quidquam similius.

Vt cecidi, cunctiq; metu fugere ruinam,
Versaq; amicitiæ terga dedere meæ, &c.

SI PAVCOS ALIQ. TRESVE DVOSVE] Nam tot, sunt pæne nulli. Et in significando exiguo numero, duo aut tria solemus dicere.

QVAMVIS ATTONIT. S. TAMEN OMNIA] Attonitus dicitur à tonitrui strepitu, quasi tonitruo stupefactus. Isid.

DEMADVISSE SINVS] valde maduisse, cū scilicet in meo complexu hæreres, & vbertim flens, lacrymis tuis eos perfunderes. *De* particula in compositis ad significatum addit. Exempla protulimus elegia superiore, in *degrauet vlmum.*

QVAM SIBI PRÆSTIT. QVÆ CONSOL.] Grata meritorum recordatio.

SOLAND. CVM SIMVL IPSE FORES] cum pari mœrore afficerere. Epistolam 18. lib. 5. sic orditur Cicero. Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum.

SIVE DIEM VIDEAT] siue hanc lucem intueatur, siue viuat.

PER CAP. IPSE. S. SOLIT. IVRARE] Per res charissimas solebant iurare. Vide Formulas Brissonij. Hecuba apud Senecam Troade Actu 1. per patriam, maritum, liberos iurat. Lib. 9. AEneid. Ascan. per proprium caput, per quod pater ante solebat.


PLENA TOT. E. T. REF. GRATIA FACTIS] Affirmat, se eius merita referendis gratiis assecuturum.

LITTVS ARARE BOVES] Littus arare prouerb. pro, inanem operam sumere, frustra laborare. Oræ quippe littorales propter salsitatem fere steriles. Eiusdem generis, arenæ mandare semina. OEnone Paridi scibens, vtrumque vno disticho includit.

Quid facis OEnone, quid arena semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras.

FAC MODO CONST. PROF. TVEARE] Eleg. 5. lib. 3. eidem. *Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens.*

QVOD ILLE NON ROG. IPSA ROGO] Quàm lepidè, quàm scitè egit suas partes hæc epistola? Quàm [illegible] etiam hoc? vt auctoris sui peramans, & per studiosa videatur, patrocinij perseuerantiam pro illo implorat.



ELEGIA SEXTA.

VXORIS NATALITIA.

ARGVMENTVM.



Cum natalem suum auersatus sit, & facessere iusserit eleg. 13. lib. 3. vxoris tamen charissimę, quamuis absens, & exul, sollemnibus cærimoniis, & precibus celebrat, fælicemque sacrificij euentum è fumo versus Italiam volante ominatur:

tur: vbi historia Eteoclis, & Polynicis tangitur. Eam, & filiam laudat, & vt alias quasdam coniuges ex pietate in maritum ipsum illustrari asserit. Pro qua deos, Cæsaremque rogans, latenter sibi liberationem petit.

Annuus assuetum dominæ natalis honorem
Exigit: ite manus ad mea sacra meæ.
Sic quondam festum Laërtius egerat heros
Forsan in extremo coniugis orbe diem.
Lingua fauens adsit nostrorum oblita malorum,
Quæ puto, dedidicit iam bona verba loqui.
Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.
Araque gramineo viridis de cespite fiat:
Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi thura puer pingues facientia flammas:
Quodque pio fusum stridat in igne merum.
Optime natalis, quamuis procul absumus, opto
Candidus huc venias, dissimilisque meo.
Si quod & instabat dominæ miserabile vulnus:
Sit perfuncta meis tempus in omne malis.
Quæque graui nuper plusquam quassata procella est,
Quod superest, tutum per mare nauis eat.
Illa domo, nataque sua, patriaque fruatur:
Erepta hac vni sit satis esse mihi.
Quatenus & non est in caro coniuge fœlix,
Pars vitæ tristi cætera nube vacet.
Viuat, ametque virum, quoniam sic cogitur, absens:
Consumatque annos, sed diuturna, suos.
Adiicerem, & nostros: sed ne contagia fati
Corrumpant timeo, quos agit ipsa, mei.
NIL HOMINI CERTUM EST: fieri quis posse putaret
Vt facerem in mediis hæc ego sacra Getis?
Aspice vt aura tumens fumos è thure coortos
In partes Italas & loca dextra ferat.
Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis:
Consilium fugiunt cætera pæne meum.
Consilio commune sacrum cùm fiat in ara
Fratribus, altera qui periêre manu:
Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra fauilla duas.

Hoc (memini) quondam fieri non posse loquebar:
Et me Battiades iudice falsus erat.
Omnia nunc credo: cùm tu non stultus ab Arcto
Terga vapor dederis, Ausoniamq́ petas.
Hæc ergo lux est, quæ si non orta fuisset,
Nulla fuit misero festa videnda mihi.
Edidit hæc mores illis heroibus æquos:
Queis erat Eurytion, Icariúsque pater:
Nata pudicitia est tecum, probitásque, fidésque:
At non sunt ista gaudia nata die:
Sed labor, & cura, fortunaq́ moribus impar,
Iustaq́ de viduo pænè querela toro.
SCILICET ADVERSIS PROBITAS EXERCITA REBVS
TRISTI MATERIAM TEMPORE LAVDIS HABET.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses:
Penelope felix, sed sine laude foret.
Victor Echionias si vir penetrasset in arces,
Forsitan Euadnen vix sua nosset humus.
Cùm Peliæ genitæ tot sint, cur nobilis vna est?
Nempe fuit misero nupta quòd vna viro.
Effice vt Iliacas tangat prior alter arenas:
Laodamia nihil cur referatur, erit.
Et tua, quod malles, pietas ignota maneret,
Implerent venti si mea vela sui.
Dij tamen, & Cæsar diis accessure, sed olim,
Æquarint Pylios cùm tua fata dies:
Non mihi, qui pœnam fateor meruisse: sed illi
Parcite: quæ nullo digna dolore dolet.

COMMENTARIVS.



ANNVVS ASVET. DOM. NAT. &c.] Recurrens natalis vxoris suo die etiam hoc anno, consuetos à me honores postulat. Dominas appellari solitas vxores, iam antea docui. A

ITE MANVS AD. P. SACRA MEÆ] Sacrificium facite, quod est opus pietatis erga deos quibus fit, & erga homines, pro quibus fit.

LAERT. EGERAT HEROS] Vlysses Laertis filius, periphrasis. Metamorph. 13. *donec Laertius heros.* Celebrauit autem natalem suæ Penelopes in extremo orbe, in locis remotissimis, per quæ nauigando errauit illo decennio post captam Troiam.

LINGVA FAVENS ADSIT] Fauete linguis, εὐφημεῖτε, sollemne verbum in sacris. Idem quod, dicite bona verba. Repete dicta eleg. 13. lib. 3. ad illud. *Concipiamque bonas ore fauente preces.* Non imperatur silentium in sacris, cum dicitur, fauete linguis. Ac proinde Seruius in 5. AEneid.

ad

ad illud, *Ore fauete omnes*, & Donat. in prolog. A And. non sunt andiendi. Vocalis precatio imperatur. Ostendit hoc copiosè, productis auctorum locis, & refutata insuper Senecæ senteotia Iosephus Castalio, Decad. Obseruat. in Criticos 2.cap.10. Fauere linguis, inqnit Turneb. lib.5. cap. 19. non tantum est tacere, qnod & olim pascere linguam dicebatur, verùm etiam fausta loqui. εὐφημεῖν. Quare fauere faucibus cantu pro canere, Eonius de gallis gallinaceis dixit: qui silentio, inquit, oculis fauent fancibus russis cantu, plausuque premunt alas.

QVÆ PVTO DEDID. IAM BONA VERB. LOQ.] propter desuetudinem latine loquendi scilicet. Vt sensus sit. Tam rarò loquor latinè, imò nunquam loquor latinè, vt iam qnoque bona B verba in sacris vsurpari boni ominis caussa solita loqui nesciam. Forte nec εὐφημίζειν potero.

QVÆQVE. S. TOTO VESTIS. M. SVM. ANNO] Ea erat candida, ad lætitiam significandam, vt sequitur.

DISCOLOR FATIS MEIS] Fata enim mea sunt atra, nigra, quia infælicia, misera.

ARAQVE GRAM. VIRID. DE CESP. FIAT] Genio hæc ara excitabatur, de cespite virenti, cujus herba adhue vireret, & humore terræ aleretur.

ET VELET TEPID. NEXA CORONA FOCOS] De suo natali eleg.13. lib.3. *Fumida cingatur florentibus ara coronis.* Frondes felices (vt laurum, myrtum, oliuam) veteres appellabant verbenas, quibus aras coronabant. C

DA MIHI THVRA PVER] Alibi. *Micaq; sollemni thuris in igne sonet.* Tibull. eleg.2. lib.2.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.

PINGVES FACIENTIA FLAMMAS] Luculentas, sunt enim pingnia.

QVODQVE PIO FVS. STRID. IN IGNE MER.] Meminit huius & Tibull. Omnia hæc quatuor complexus est Horat. Ode 19. lib.1. his versiculis.

Hic viuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque,
Bimi cum patera meri.

OPTO CANDID. HVC VEN.] Tibull. in D natalem Messallæ eleg.7. lib.1.

At tu natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorq; veni.

Candidum interdum idem qnod lætum. Sallust. in ep. ad C. Cæsarem senem. Contrà, qui benignitate, & clementia imperium temperauere, his læta, & candida omnia visa. Eleg.8. *Candida fortuna pars manet vna mea.* vbi nonnihil dictum est.

MISERABILE VVLNVS] Sequuntur iam bona, qnæ vxoti precatur. Ac primùm, vt si qnid noui doloris immineat, ex nona calamitate mariti, id ne experiatur.

QVÆQVE GRAVI NVPER, &c.] Hoc fiet, si hactenus afflictissima fortuna sua amplius ne affligatur: sed quasi toto mari in posterum nauiget.

ILLA DOMO, NATAQVE SVA] Satis habet, si vxori facultates, filia, & patria relinquantur, quibus omnibus ipse caret.

QVATEN. ET. N. EST IN CHARO CONIVG. FEL.] excepto qnod non est in me suo coniuge fælix.

TRISTI NVBE IACET] Tristis nubes pro incommodis, & aduersis casibus, metaphora est. Sic eleg.1. lib.1. *Nubila sunt subitis tempora nostra malis.*

QVONIAM SIC COGITVR] quia sic oecesse est.

CONSVMATQVE ANN. SED DIVTVR. SVOS] Longam vitam exigat.

ADIICEREM ET NOSTROS] Consumat suos, & meos, quos ipse scilicet viuere possem, oisi ærumna ista confectus, ante tempus morerer. De annis suis eorum annis, quos valde diligebant, optabant addere posse. Tibull. eleg.6. lib.1.

Viue diu mihi dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

NIL HOMINI CERTVM EST] 4. P. elegia tertia.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et certam præsens vix habet hora fidem.

Nihil est prorsus in rebus humanis, qno niti quispiam, & eni fidere tanquam certo, & immutabili qneat. A qua cònditione potentissimi quoqne reges haud excipiuntur. Vide adagium. Nescis quid vesper serus vehat. Legimus & apud Salomonem Sap. cap.9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentia nostræ.*

AVRA TVMENS] ipso fumo admixto tumida, & crassa.

IN PARTES ITALAS] versus Italiam, quæ est à dextris.

SENSVS INEST IG. NEB.] Fumos vocauit antea: nunc propter similitudinem nebulas. Infra dicet vaporem. Videntur Italiam petere quasi animatæ, & intelligentes deesse, cuius caussa hoc sacrificium peragatur: approbantes meam erga vxorem voluntatem.

QVAS EXIGIT IGNIS] qnas vomit ignis, & à se dispellit.

CONSIL. FVG. CÆT. PÆNE MEVM] cætera oon fiunt ex sententia mea. Vellet cæteris quoque in illo sacrificio inesse, quod nebulis, eaque pariter euenire fæliciter.

CONSIL. COMMVNE SACR. CVM. F. IN ARA FRAT. &c.] Historia hæc est. Cum OEdipi, & Iocastæ filij Eteocles, & Polynices mutuis vulneribus interempti in rogum vnum cremandi imponerentur, flamma se in duas partes diuisisse dicitur, vt ne mortui qnidem quidquam velle commune habere viderentur. Extat epig. lib.3. Anthol. tit. εἰς ἔχθρας. quod adscribo.

Οἰδιπόδας παίδων Θήβη τάφος, ἀλλ' ὁ πανώλης
Τύμβος ἔτι ζώντων αἰσθάνεται δοράτων.
κείνους οὔτ' ἀΐδης ἐδαμάσατο, κἠν ἀχέροντι
μάρνανται, κείνων χὠ τάφος ἀντίπαλος.
καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναντίον. ὦ ἐλεεινοὶ
παῖδες, ἀκοιμήτων ἁψάμενοι δοράτων.

Cuius hæc eſt interpretatio. Thebæ filiorum OEdipi ſepulchrum eſt. At infelix, & exitialis tumulus adhuc viuentium ſenrit haſtas. Id eſt, in ipſo tumulo, ſiue rogo adhuc patuit odium, quo ſe vineutes ſunt proſecuti. Illos nec mors domuit: nec mors eorum inimicitiis finem potuit imponere. Etiam apud Acherontem pugnant, quotum & tumulus, vt iam diximus, cernitur contrarius, & ignem igni oſtenderunt aduerſum. O miſerandi filij, adoleſcentes, qui irrequieta, inſopita arma cepiſtis; qui odio implacabili, & inexpiabili ardetis. Veruntamen de hac hiſtoria, cuius item meminit Statius 12. Thebaid. & Lucanus, hic non loquitur Ouid. nec Callimachus quem citat loeutus eſt: nec ad intelligentiam huius loci quicquam facit, quæ petenda ex Panſan. ſic ſcribente lib. 9. Exin proxima ſunt OEdipi filiorum ſepulchra. Ad ea quæ fiunt ſacra, etſi ipſe non ſpectaui, narrantibus tamen fidem habui. Aiunt enim Thebani, & aliis ex iis qui heroes vocantur, & OEdipi filiis inferias à ſe mitti. His certè dum adolent, cum flammam, tum emiſſum ex ea fumum in partes duas diſcedere. Similia ſunt apud Hygin. fab. 68. Claret nunc *conſilio* legendum, & ſermonem fieri non de pyra in quam cadauera amborum impoſita fuere, ſed de ſacrificio, & ara. Hanc explicationem (vt alias quoque multas) mecum ex Notis ſuis in 1. Thebaid. Papinij communicauit doctiſsimus Rudolph. Mattmannus noſter.

FIERI NON POSSE LOQVEB.] negabam factum.

ET ME BATTIADES IVD. F. ERAT] Indicabam mentitum Callimachum, qui hoc ſcripſiſſet.

NON STVLTVS] Supra. *Senſus ineſt igitur nobilis.*

AB ARCTO TERGA DEDERIS] à plaga arctoa, quæ ſuppoſita eſt vrſæ, ſiue ſeptentrioni.

AVSONIAMQVE PETAT.] Supra. *In partes Italas.*

QVÆ SI NON ORTA FVISSET] Si hic natalis tuus non fuiſſet, ſi tu nata hodie non eſſes, nullum diem feſtum quem celebrarem habuiſſem.

EDIDIT HÆC MORES] non ipſos mores ſtatim edidit tecum: ſed naturam, & ingenium his moribus aptum.

ILLIS HEROIBVS ÆQVOS] compatandos. Sed cum de fœminis loquatur, vt planum fit ex verſiculo proximè ſequenti, quomodo appellat genere virili heroas cum heroidas debuiſſet? Sed iſta ratione, niſi faciamus ſynæreſin, aut ſyncopen, non conſtabit metrum. Ergo vel *hero-*

A *dibus* legamus pro *heroidibus*: vel putemus *heroibus*, ſcriptum, eliſa ſyllaba quarta *di*. Enallagen eſſe generis, poſitumque maſculinum pro muliebri ἀῤῥενικῶς, non libet affirmare.

QVEIS ERAT EVRTTION] Lege *Eetion*, & intellige Andromacham eius filiam, Hectoris vxorem.

ICARIVSQVE PATER] Penelopen accipe.

NATA PVDICITIA EST, MORES, &c.] Laudes à pudicitia, & probitate morum, & fide. Lib. 1. eleg. 5.

Sint tibi hoc debes, nullo pia facta magiſtro,
Cumque noua mores ſunt tibi luce dati.

AT NON SVNT ISTA GAVD. NATA DIE] Sed die tibi natali non ſunt nata gaudia, ſicut

B pudicitia, &c. Id eſt, eo fato nata es, vt natali tuo curas, labores, & fortunam tuis moribus indignam ſentires.

IVSTAQVE DE VID. PÆNE QVEREL. TORO] Ordo verborum eſt. Iuſta querela de toro pæne viduo. Quia ipſa pæne vidua, cum habeat maritum, nec eum in toro, ſed remotum in exilio.

ADVERS. PROB. EXERCIT. REBVS, &c.] Probitas elucet rebus aduerſis, & iis famam acquirit. Hoc inductione probat, vt ſæpe.

SI. N. INFEST. DVRVS VIDISSET VLYSS.] Eleg. 4. lib. 1. *Illi corpus erat durum, patienſque laborum.* Hunc à tolerantia & alibi commendauit. Attius tragicus in Philocteta ſic eum lauda-

C uit.

Inclute, parua prædite patria,
Nomine celebri, claroque potens
Pectore, Achiuñ claſsibus ductor,
Grauis Dardaniis gentibus vltor,
Laertiade.

Citat Apul. de deo Socratis, & addit poſt nonnulla. Igitur hac eadem (Mineruæ) comitante omnia horrenda ſubiit, omnia aduerſa ſuperauit. Quippe ea adiutrice cyclopis ſpecus introiuit: ſed egreſſus eſt. Solis boues vidit: ſed abſtinuit. Ad inferos demeauit: ſed aſcendit. Eadem Sapientia comite Scyllam præternauigauit, nec abreptus eſt. Charybdi conſpectus eſt, nec retentus eſt. Circes poculum bibit, nec mutatus

D eſt. Ad Lotophagos acceſsit, nec remanſit. Sirenas audiuit, nec acceſsit.

SINE LAVDE FORET] ſine laude pudicitiæ, quam ipſo abſente totis 20. annis conſeruauit, & reditum eius patienter exſpectauit.

ECHIONIAS SI VIR PENET. IN ARCES] Si Thebas (ab Echione, vno è ſociis Cadmi conditoris ſic dictas) Capaneus occupaſſet.

EVADNEN VIX. S. NOSSET HVM.] Vide eleg. 3. lib. 4.

CVM PELIA GENITÆ TOT SINT] Peliæ Theſſaliæ regis filiæ fuerunt Aſteropæa, Autonoë, Alceſtis.

CVR NOBILIS VNA EST?] Alceſtis, quæ ſe morti obtulit pro marito Admeto, cui oracu-

lo te-

lo responsum, è morbo lethali enasurum, si quis propinquorum pro eo mori vellet. Id omnibus recusantibus, vxor amantissima conditionem accepit. *Fertur de ea Euripidis tragœdia.*

VT ILIACAS TANGAT PRIOR ALT. ARENAS] Virgil. 1. AEneid. *at magna telluris amore Egressi optata potiuntur Troes arena.* Protesilaus primus exscēdit è naui in littus Troianum, primusque de Græcis est interfectus, qui cum nupta erat Laodamia. Huius, & Penelopes, & Andromaches meminit etiam lib. 1. eleg. 5. vbi plura diximus de Laodamia.

ET TVA QVOD MALLES. P. IG. MAN.] Malles ignotam esse pietatem tuam erga me, & te carere ista laude, dummodo mihi bene esset. Nihil tibi salure mea potius, & charius.

ET CÆSAR DIIS ACCESSVRE] deorum numerum auctore. Eleg. 9. *Exemplóq; deûm, quibus accessurus & ipse est.*

A *ÆQVAR. PYLIOS. C. TVA. F. DIES*] Cum Nestoris, Pylo nati ætatem attigeris. Nestoris anni, Nestoris senectus sunt in prouerbiis. Quem cum Homerus 1. Iliad. scribat duas iam γενεὰς vixisse, quæritur quot annos complectatur γενεά, quam Cicero in Catone ætatem interpretatur. Si 30. annos tantùm, tum non nisi sexagesimum annum excesserit, siue postea septuagesimum, siue octogesimum egerit. Ouid. 12. Metamorph. centum annis definit, vbi de senectute sua huuc in modum gloriabundus Nestor.

——at si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere: vixi
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

Septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque, & triginta minus obiisse Augustum tradit Sueton. cap. 100.

NVLLO DIGNA DOLORE DOLET] Nihil commisit, & tamen mecum plectitur.



ELEGIA SEPTIMA.

CONDONANDVM ALIQVID MISERIS.

ARGVMENTVM.



AMico ab officio defectionē exprobrat, & exemplis à contrario culpam eius amplificat. Nunquam commissurum, vt ab se meritò abalienetur. Quod si quid etiam valetudine mentis in illum peccauisset, veniam sibi dandam fuisse, exemplo Pyladis, qui ab Oreste insano malis interdum verbis, & verberibus acceptus est: cui tamen inseruiebat, & quem amabat nihilominus. Et cum tam miser sit, miseriam suam non pati, vt quisquam sibi irascatur. Subiicitur, vt antea sæpissime, exaggeratio innumerabilium malorum suorum per infinitatem variorum numerorum, cum admonitione constantis amicitiæ.

Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum,
Qui mihi confugium, qui mihi portus eras:

Tu quoque suscepti curam dimittis amici?
Officiique pium tam citò ponis onus?
Sarcina sum fateor, quam si nunc tempore nostro
Depositurus eras, non subeunda fuit.
Fluctibus in mediis nauem Palinure relinquis:
Ne fuge: néue tua sit minor arte fides.
Nunquid Achilleos dura inter prælia fidi
Deseruit leuitas Automedontis equos?
Quem semel accepit, nunquam Podalirius ægro
Promissam medicæ non tulit artis opem.
TVRPIVS EIICITVR, QVAM NON ADMITTITVR, HOSPES:
Quæ patuit dextræ firma sit ara meæ.
Nil nisi me solum primò tutatus es: at nunc
Me pariter serua, iudiciumq; tuum.
Si modò non aliqua est in me noua culpa: tuamque
Mutarunt subitò crimina nostra fidem.
Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura:
Quod cupio, membris exeat antè meis:
Quàm tua delicto stringantur pectora nostro:
Et videar meritò vilior esse tibi.
Non adeò toti fatis vrgemur iniquis,
Vt mea sit longis mens quoq; mota malis.
Finge tamen motam: quoties Agamemnone natum
Dixisse in Pyladen verba proterua putas?
Nec procul à vero est, quod vel pulsarit amicum:
Mansit in officiis non minus ille suis.
Hoc est cum miseris solum commune beatis,
Ambobus tribui quod solet, obsequium.
Ceditur & cæcis, & quos prætexta verendos,
Virgáque cum verbis imperiosa facit.
Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes:
Non habet in nobis vllius ira locum.
Elige nostrorum minimum de parte malorum,
Isto, quod quereris, grandius illud erit.
Quàm multa madidæ celantur arundine fossæ,
Florida quàm multas Hybla tuetur apes:
Quàm multæ gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta solent:
Tam me circumstat densorum turba malorum:
Crede mihi, vero est nostra querela minor.

His qui contentus non est: in littus arenas,
In segetem spicas, in mare fundet aquas.
Intempestiuos igitur compesce tumores,
Vela neq; in medio desere nostra mari.

COMMENTARIVS.



TV QVOQVE NOST. Q. FID. RERVM] Eleg.5.lib.4. *Vnica fortunis ara reperta meis.* Horat. Ode 1. lib.1. *O & præsidium, & dulce decus meum.*

TV QVOQVE SVSCEPT. CVR. DIMITT. AMICI?] Tu quoque, ἐμφατικῶς, qui minimè debueras, cum ab aliis tam inopem videres. Desertum autem se fuisse ab amicis, decreto sibi exilio, indicat eleg.5.

Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem,
Si paucos aliquis tresue, duosue vocat.

Et eleg.4.lib.1.

Vix duo tresue mihi de tot superestis amici,
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.

B *PIVM TAM CITO PONIS ONVS?*] Munera amici sunt, tueri, & omni cura, opera, diligentia, gratia, quantum denique, & quibus rebus possis adiuuare.

SI TV TEMP. DVRO DEPOSIT. ERAS] Eleg.4.lib.1.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Temporibus miseris potissimùm cernitur germana amicitia. Vide eleg.8.lib.1.

NON SVBEVNDA FVIT] Qui alicuius amicitiam suscipiunt, ij hoc ipso digna indigna se cum amico passuros profitentur. Quare aut inire hoc fœdus non debent: aut si inierint, fidem præstare in aduersa fortuna æquè vt secunda.

C *FLVCTIB. IN MED. NAVIM PALIN. RELINQ?*] 2. Remed. *Quid faciam? media nauim Palinurus in vnda Deserit.* Dum illum Palinurum suum vocat, quem egregium fuisse gubernatorem ex 3. AEneid. cognoscimus, ostendit, quod initio dicebat, fuisse ipsum rerum suarum fiduciam, & ab eius fide res suas pependisse, quomodo salus vectorum à perito rectore nauis. Quid respondeat Somno, somnum aliquantum suadenti Palinurus 5. AEneid. operæ pretium est audire, vnde eius fidem perspicias.

Mene salis placidi vultum, fluctusq; quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Æneam credam quid enim fallacibus Austris,
Et cæli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clauumq; affixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat. &c.

A Fertur dialogus nec indoctus, & festiuus, nomine Palinuri inscriptus, & Lucianicis admistus Tomo IV. in quo ipse Palinurus dum cymba Charontis transuehitur, disertè satis nauticæ artis, ac professionis durissimam sortem exponit.

NEVE TVA SIT MIN. ARTE FID.] Tam esto fidus, quam es peritus: nec velis minus, quam possis. Indicat se multùm adiuuari ab eo posse.

LEVITAS AVTOMEDONTIS] Figura loquendi, seu periphrasis, Græcis, & Latinis poëtis trita. Automedontis leuitas, id est, ipse Automedon leuis, non qui erat, sed qui fuisset leuis, si in medio prælio currum Achillis, quem regebat,

B destituisset. Talia sunt, sententia dia Catonis, sat. 2.lib.1. apud Horat. & sat.1.lib.2. *Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli.* Apollon. μέγα τι δεινὸν ἐργαλεῖον. Plura exempla congessit Lamb. ad Oden 5. lib.3. Automedontem Homerus Iliad. 17. non solum bonum aurigam, sed fortem quoque bellatorem finxit.

QVEM SEMEL ACCEPIT] Curandum subaudi.

NVNQ. PODALIRIVS ÆGRO PROMISS. &c.] Antea gubernatori nautico, nunc etiam medico suum illum transfugam amicum comparat, & vt ibi, ita hic à contrario reprehendit. Podalirius, & Machaon AEsculapij filij, & medici cum 30. nauibus in classe Græcorum ad

C Troiam duces venerũt, vt est in catalogo 2. Iliad. Ambos laudat peculiari oratione Aristides Tomo primo. Ea inscribitur ἀσκληπιάδαι.

NON TVLIT ARTIS OPEM] Quam hîc opem Ouid. medicorum Cicero Cornel. Celsus vocat auxilia, vt Virgil. quoque 12. AEneid.

TVRPIVS EIICIT. Q. NON. ADMITT. HOSP.] Celebris γνώμη in sermonibus. Exaggeratio est ex simili per comparationem.

QVÆ PATVIT DEXT. F. S. ARA. M.] Quam ego dextera mea tetigi. Id est, tu ipse, ad quem confugi, firmus & constans sis. Vide notata ad eleg.5.lib.4. ibi. *Vnica fortunis ara reperta meis.*

NIL NISI ME SOL. P. TVTAT. ES] Nihil mihi aliud præstitisti initio, nisi quod me contra obtrectatorum linguas defendisti: & hoc, indi-

cio

cio quodam de me facto in bonam partem; bene de me existimans.

ME PARIT. SERVA, IVD. TVVM] Nunc perge me tutari, vt me seruando, & vindicando à maleuolorum calumniis, simul iudicium de me tuum à calumnia vindices, ne peccasse videare, me talem iudicando, qualis non sim.

IN ME NOVA CVLPA] Conditio. Hoc ita à te peto, si nullo nouo peccato me obstrinxi.

TVAMQVE MVT. S. CRIM. N. FID.] quæ noua culpa coëgerit te à fide, & officio desciscere. Nam amicitia cum improbis odio digna, & dissuenda est.

SCYTH. QVEM NON BENE. D. AVRA] quia malè mihi est sub hoc cælo. Vide eleg. 3. lib. 3.

MEMBRIS EXEAT ANTE MEIS] Eleg. 4. lib. 1.

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo.

QVAM TVA DEL. STRING. PECT. NOSTRO] Quam offendam aliquo delicto animum tuum. *Stringantur* puto posuisse pro *perstringantur*: & hoc ipsum pro, leuiter irritentur, lædantur.

VILIOR ESSE TIBI] Videor iure abs te despici.

NON ADEO TOTI. F. VRGEM. INIQ. &c.] non sic iacemus submersi, & oppressi ærumnis, vt mente amplius non constemus, & stultum, aut insanum aliquid perpetremus. Dolor ex magnis calamitatibus, & infortuniis acceptus, homines sæpe ad amentiam adigit. Vide Muret. lib. 2. cap. 10.

FINGE TAMEN MOTAM] Finge me à mente, & consilio discessisse: mentem mihi à sua sede, & loco dimotam esse, vt loquitur Cicero.

AGAMEMNONE NATVM] Orestem Agamemnonis, & Clytæmnestræ filium, qui interfecta ab se matre furiis exagitatus est.

IN PYLAD. VERBA PATERNA] conuitia, & contumelias in illum iactasse, vt insani solent.

QVOD VEL PVLSARIT AMICVM] Etiam hoc credibile est in insano, & furioso: quales proinde instar bestiarū sæpe coercendi sunt, ne noceant, etiam beneuolentissimis. Cic. pro Cælio. Aiebant fore testem senatorem, qui se pulsatum à Cælio diceret. Ibid. de Alexandrinorum pulsatione Puteolana.

MANSIT IN OFF. SVO] nec verbis asperioribus, nec plagis ab officio deterreri potuit. Cic. ad Terent. lib. 14. Est autem in officio adhuc Orpheus.

HOC EST CVM MIS. S. COMMVNBEAT.] Hoc solum habent commune cum miseris fælices, in diuitiis, & honoribus æuum agitantes (tales latina lingua beatos vocat, quanquam etiam dij sæpenumero beati dicuntur, vt græcè μάκαρες.)

AMBOB. TRIBVI. Q. SOL. OBSEQVIVM] quod obsequimur, & gratum facimus tum his, tum illis. Sed illis propter auctoritatem, spem beneficiorum, & adulationem sæpe: his propter humanitatem in illos, & misericordiam.

CEDITVR ET CÆCIS] magis nos miseret cæcorum, quam surdorum, quia maius malum cæcitas, quam surditas. Cedimus ergo cæcis de via non secus ac magistratibus.

ET QVOS PRÆTEXTA VEREND.] Magistratus, qui incedunt prætextati. Est autem prætexta vestis, cuius oræ assutus est limbus è purpura. Vide Macrob. libro primo. Saturnal. cap. 6.

VIRGAQVE CVM VERBIS IMPERIOSA] Præferebantur quibusdam virgarum fasces à lictoribus. Lictorum autem munera præcipua tria: submotio, animaduersio, prætio. Submotio fiebat cum strepitu, & imperio quodam: cum voce, manu, virga locum facerent sequenti magistratui. Virgam illam ad pulsandi vsum gestabant. Hæc fusius multò Lipsius Elector. lib. 1. cap. 23.

FORTVNÆ PARCERE DEBES] Si non parcis mihi propter me, parce propter fortunam tam afflictam: & ita non mihi, sed illi videberis parcere.

NON HAB. IN NOB. VLLIVS IRA LOCVM] Quis enim irascitur miserrimis? Eleg. 16. lib. 4. de P. *Non habet in nobis iam noua plaga locum.*

MINIMVM DE PARTE MALOR.] calamitatem & incommodum leuissimum.

ISTO, QVOD QVER. G. ILEVD ERIT] Questus est ergo aliquid de Ouidio. Sed id fuit tam exiguum, vt quod est in ærumnis Ouidij minimum malum, sit multo maius illo.

QVAM MVLTÆ MADIDÆ] quot sunt arundines, tegentes fossas humidas.

HYBLA TVETVR APES] Hybla mons Siciliæ, abundans herba thymo, apibus gratissima, vnde & magna ibi earum copia. *Tuetur* accipio pro *intuetur*. Vt, *datur ora tueri*.

TERRENA SVB HORREA FERRE, &c.] inopi senectæ metuentes videlicet, vt legimus 1. Georg. *populant ingentem farris aceruum*. Hoc distichon pulchre exponit idem Maro 4. AEneid.

Ac velut ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant, hyemis memores, tectóq; reponunt.
It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas
Conuectant calle angusto, &c.

Tectum appellat quòd aliquanto speciosius noster

ster *terrena borrea*. Et quod ille *calle angusto*, hic *gracilem limitem*. De muribus quoque perlepidè in 1. Georg. *sæpe exiguus mus Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit.*

VERO MINOR] Adhuc auget hyperbolem, eam nondum veritatem æquare pronuntians, cũ tamen longe superet.

IN LITTVS ARENAS,&c.] Incredibile dictu, quam sit fælix Ouidius in exaggeranda mul- A titudine. Nam cum vsus sit tribus comparationibus, nunc insuper tres alias adiicit.

INTEMPEST. IG. COMPESCE FVR.] reprime iram aduersus me indebitam.

VELA NEC IN. M. DES. NOSTRA MARI] Redit ad metaphoram, seu allegoriam potius, quam adhibuit elegiæ principio. *Fluctibus in mediis nauim, Palinure, relinquis.*

ELEGIA OCTAVA.

FERITAS GETARVM, EX MVSIS SOLAMEN.

ARGVMENTVM.

QVæsierat ab eo amicus per litteras, primùm quid ageret. Respondet vno verbo, se miserum esse. Quæsierat deinde, quæ gens loca illa incoleret, & qui Tomitanorum mores. Vtrique satisfacit, & horum barbariem describit. Delectari se suos versus saltari in theatris, quod ita memoria sui vsurpetur: etsi interdum deuoueat sua carmina, cum interim à Musis, quanquam ab ipsis læsus, temperare nequeat. Verùm id facere animi tantùm gratia, non gloriæ: aliunde nullam voluptatem capere, nec quà loco, nec quà hominibus: vbi rursum eorum feritatem exponit. Neminem illic latinè scire. Se ex cessatione vix secum loqui latinè posse. Loqui tamen, & cum inde, tum pangendis versibus auertere cogitationem à miseria.

Quam legis, ex illa tibi venit epistola terra,
Latus vbi æquoreis iungitur Ister aquis.
Si tibi contingit cum dulci vita salute:
Candida fortunæ pars manet vna meæ.
Scilicet, vt semper, quid agam, carissime, quæris:
Quamuis hoc vel me scire tacente potes.
Sum miser: hæc breuis est nostrorum summa malorum.
Quisquis & offenso Cæsare viuet, erit.
Turba Tomitanæ quæ sit regionis, & inter
Quos habitem mores, discere cura tibi est.

Mista sit hæc quamuis inter Græcosque, Getasque:
A malè pacatis plus trahit ora Getis.
Sarmaticæ maior Geticæq; frequentia gentis
Per medias in equis itq; reditq; vias.
In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum,
Telaq; vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago:
Non coma, non vlla barba resecta manu.
Dextera non segnis stricto dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.
Viuit in his igitur tenerorum oblitus amorum:
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus.
Atque vtinam viuat, & non moriatur in illis:
Absit ab inuisis & tamen vmbra locis.
Carmina quòd pleno saltari nostra theatro,
Versibus & plaudi scribis, amice, meis:
Nil equidem feci, tu scis hoc ipse, theatris:
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.
Non tamen ingratum est quodcunq; obliuia nostri
Impedit: & profugi nomen in ora refert.
Quamuis interdum, quæ me læsisse recordor,
Carmina deuoueo, Pieridasq; meas.
Cum bene deuoui: nequeo tamen esse sine illis:
Vulneribusque meis tela cruenta sequor.
Quæq; modo Euboicis lacerata est fluctibus: audet
Graia Caphaream currere puppis aquam.
Nec tamen vt lauder vigilo, curamq; futuri
Nominis, vtilius quod latuisset, ago.
Detineo studiis animum, falloq; labores:
Experior curis & dare verba meis.
Quid potius faciam desertis solus in oris?
Quámue malis aliam quærere coner opem?
Siue locum specto, locus est inamabilis, & quo
Esse potest toto tristius orbe nihil:
Siue homines, vix sunt homines hoc nomine digni,
Quamq; lupi sæuæ plus feritatis habent
NON METVVNT LEGES: SED CEDIT VIRIBVS AEQVVM:
VICTAQVE PVGNACI IVRA SVB ENSE IACENT.
Pellibus & laxis arcent mala frigora brachis,
Oraq; sunt longis horrida tecta comis.

In paucis extant Græcæ vestigia linguæ:
Hæc quoque iam Getico barbara facta sono.
Vnus in hoc non est populo qui fortè Latinè
Qualibet è medio reddere verba queat.
Ipse ego Romanus vates, ignoscite Musæ,
Sarmatico cogor plurima more loqui.
Et pudet, & fateor: iam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba Latina mihi.
Nec dubito, quin sint & in hoc non pauca libello
Barbara: non hominis culpa, sed ista loci.
Ne tamen Ausoniæ perdam commercia linguæ,
Et fiat patrio vox mea muta sono:
Ipse loquor mecum, desuetáque verba retracto:
Et studij repeto signa sinistra mei.
Sic animum tempusq; traho: méque ipse reduco,
A contemplatu semoueóque mali.
Carminibus quæro miserarum obliuia rerum.
Præmia si studio consequar ista, sat est.

COMMENTARIVS.

A X ILLA TERRA] Putant quidam, minus latinè nos loqui, cum sic loquimur, è qua terra venis? in quam terram abis? & dicendum, è quibus terris, in quas terras. Sed refelluntur auctoritatibus. Illud item notandum, dici quoque, terra Italia, terra Hispania, &c.

LAT. VAE AEQVOREIS ISTER ADIT. AQVIS] Qua Danubius, qui illis locis Ister vocatur, in mare se exonerat. Et *latus*, quia septem ostiis, vt alibi ex Plinio retulimus.

SI TIBI CONTING. CVM. D. VITA SAL.] Si bene vales, quod commune fuit epistolarum exordium, teste Plinio ep.11. lib.1. Impetatores
B autem ad senatum scribebant S. V. L. Q. V. B.V.
P. C. E. E. Q. V. Si vos, liberique vestri bene valetis P. C. ego exercitusque valemus.

CANDIDA FORT. P. M. VNA MEAS] Candidum aliquando valere lætum, fælix, prosperum docuimus in eleg.6. ibi. *Candidus huc venias.* Sic album Persio pro candido, seu bono, approbatione, & commendatione digno, sat.2. *Per me equidem sint omnia protinus alba.* Sententia hæc est. Si tu saluus, & incolumis es, ego in fortuna mea aliqua fruor lætitia. Sum aliqua ex parte beatus in miseria mea. Nam, *vt inuidus alterius marcescit rebus opimis:* ita amicus alieno bono gaudet vt suo. Affine huic distichо est illud eleg.2. lib.3. de Ponto.

A *Namq; meis sospes multum cruciatibus aufers,*
Atq; fit vt nobis pars bona salua facis.

VT SEMPER, QVID AGAM QVAERES] Sæpius hunc amicum dedisse litteras, & de Ouidio fuisse sollicitũ apparet. Est porrò hæc inter amicos tum præsentes, cum congrediuntur, aut fiunt obuij, tum absentes sollennis interrogatio, quid agis? Item, quid agitur?

VEL MA SCIRE TACENT. POTES] Quæ etiam aliis tacentibus nosse possumus, quæque oculis cernimus, manibus tangimus, tamen libet interrogare ex affectu quodam. Vt cum post longum interuallum amicum videntes, quærimus admirabundi, adhuc ne viuis? Itaque quid
B agat Ouid. planum est eo vel tacente. Luget, gemit, assiduis molestiis conflictatur, marcescit, tabescit: vt dicam paucis, miser est, quo verbo dicit se omnia comprehendere.

QVISQVIS AT OFF. CAES. VIVAT, ERIT] Eleg.10. lib.3.

Vt mala nulla feram, nisi nudam Cæsaris iram,
Nuda parum nobis Cæsaris ira mali est?

TVRBA TOMIT. Q. SIT. RAG.] Turba pro gente *Arrhius*. In Tomitana regione, in climate illo, vbi est Tomus, quæ gens habitet.

ET INTER QVOS HABITEMVS MORES] Vel simpliciter dictum accipe, inter quos mores

habitem. Vel expone,&eorum mores,inter quos habitem, discere cupis.

Intar Graecosqve, Getasqve] Hæc ora, seu regio Græcos Getis admistos continet. Deductæ enim fuerunt eò è Græcia coloniæ. Lib. 3. eleg. 9.

Hic quoque sunt vrbes Graiæ (quis credere possit?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.

At male pacat. Get. plus trahit] à nunquam quiescentibus, sed in pace quoque finitimos populantibus, vt narrat elegia 10. lib. 3. Indigenæ potius Getizant, quam Græcizant lingua: nec mirum, cum Getæ numero longe vincant.

Per med. in eq. itque reo. vias] Eleg. 10. lib. 3. *Hostis equo pollens, longeque volante sagitta.*

Corytos, et arcum] pharetram. Virgil. 10. Aen. *Corytique leues humeris, & letifer arcus.* Pharetrati incedunt. Catullus epig 11. *Seu Sacas, sagittiferosque Parthos*, vbi Passeratius ex vetere libro con iicit scribendum *corytiferosque Parthos*. Sunt autem coriti, siue, vt plerique, coryti arcuum thecæ, quin & sagittarum. Silius lib. 15. *Stridentque sagittiferi coriti.*

Talaqve vip. lurida felle] Eleg. 10. lib. 3. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* Eleg. 1. lib. 4. *Hostis habens arcus, imbutaque tela veneno.*

Vox fera, trux vultus] Cum vultus ab animo fingatur, & sit eius index atque nuntius, sine dubio trux vultus truces mores, & animum immanem arguit. Ergo voce, vultu, animo truculenti.

Verissima mortis imago] Vt mortem ipsam cernere tibi videare: seu potius, vt ipsam mortem ipso aspectu suo denuntiare mihi videantur. Eleg. 11. *Quos vt non timeas, possis odisse videndo.* Assume quod sequitur, & dic germanicè, Sie sehen wie die Teufel / bene explicaueris hoc distichon.

Non coma, n. vlla. b. resect. manu] Hispidi, quippe qui non capillum, nec barbam vnquam tondeant. Eleg. 10. *Pellibus, & longa corpora tecta coma.* Eleg. 10. lib. 4. *Barba resecta mihi bis sit, semel ut fuit.* Caper, & Seruius Grammatici barbam hominum, barbas pecudum dici volunt.

Stricto dara vulnera cultro] Legitur etiam *fixo* pro infixo. Sed aptius *stricto*. Cultri nomine aliquod genus sicæ, aut pugionis intelligendum fortasse.

Quem vinctum lateri] Virg. 2. Aeneid. *Lateriq. Argiuum commodat ensem.*

Tensros. oblitus amor.] Cum his viuendum, hi audiendi assiduò mihi, solito amores tractare. Quæ cura immane quantum curis hisce discrepat.

Atque vtinam vivat, et non moriat. &c.] Maius malum dicit esse, animam suam vagari post obitum inter barbaras illas animas, quam corpus suum viuere cum illorum corporibus. Hoc malum deprecatur item eleg. 3. lib. 3. adeo, vt potius animam quoque eodem rogo absumi optet.

Atque vtinam pereant animæ cum corpore nostræ,
Effugiatque auidos pars mea nulla rogos.
Nam si morte carens vacuas volat altus in auras
Spiritus, & Samij sunt rata dicta senis,
Inter Sarmaticas Romana vagabitur vmbras,
Perque feros manes hospita semper erit.

Absit ab invis. et. t. vmb. locis] Hoc puto velle. Quod si etiam moriar in his locis, hoc tamen opto, vt saltem vmbra mea hinc absit.

Carm. qvod. p. salt. n. theat.] lib. 2.

Et mea sunt populo saltata poëmata sæpe,
Sæpe oculos etiam detinuere tuos.

Plenum theatrum, est frequens theatrum, multia spectatoribus.

Varsibus et plavdi mais] Poëtis applaudebat populus, si placuissent. Inde illa in Captiuis, & alibi.

Nunc vos, si vobis placet, & si placuimus,
Qui pudicitiæ præmium esse vultis, plausum date.
Vos valete, & plaudite. Nunc, spectatores, Iouis summi causa clare plaudite.

Nil eqvid. feci theat.] Testatur ipsum amicum, nihil se captandi plausus gratia in theatris fecisse.

Musa nec in plavs. ambit. mea] Non sum tam sitiens honoris. Carmine meo plausum quærere non soleo. Infrà, *Non tamen vt lauder vigilo.*

Non tamen ingrat. est, &c.] Homini ingenuo displicere non debet, memoriam sui vigere apud alios: est enim illa quasi altera vita, & potest durare quam diutissimè, cum hæc, qua in corpore degimus, angustis finibus circumscribatur. Hoc facit, quod in præfat. coniurat. scriptum est à Sallustio. Quò mihi rectius esse videtur ingenij, quà virium opibus gloriam quærere. Et quoniam vita ipsa qua fruimur breuis est, memoriam nostri quam maximè longam efficere.

Et profvgi nomen in ora fer.] & quanquam exulis nomen per omnium ora volitare facit.

Qvae me laesere. record. carm. devoveo] Carminibus perij. Ideirco nonnunquam detestor carmina, & totum hoc studium poëticum. Generatim loquitur, non distinctè de carminibus amatoriis, quamuis illa tantùm eum læserunt. Sicut quia optat nunquam vxorem duxisse, postquam illa semel totum adulterio commaculauit.

Neqvao tam, esse sine illis] Eleg. 1. lib. 4.

Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum.
Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa sacrorum,
Et carmen demens carmine læsus amo.

Vulne-

VVLNERATVS MEIS TEL. C. SEQ.]ibidem. *Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.* Ego acceptis vulneribus, seu vulneratus, nihilominus telis sanguine meo antea cruentatis me obiicio, & offero, dum versus scribere non desisto.

AVDET GRATA CAPHAR.&c.]Caphareus mons Eubœæ, vbi Græci euersa Troia domum renauigantes naufragium fecerunt: & nequitia Nauplij, patris Palamedis, quem illi apud Troiam insontem occiderunt 2. Aeneid. saxis latentibus sub vndis noctu impacti sunt. Rem describit plenissimè Q. Smyrnæus, aliâs Calaber, libello de reditu Græcorum; & alios tempestate à Minerua concitata, alios fraude Nauplij ad Caphareum fractis nauibus interiisse narrat. Virg. idipsum tangit Aeneid.11. *scit triste Mineruæ Sidus, & Euboicæ cautes, vltorque Caphareus.* Vbi poëta mari tribuit, quod erat hominis, Nauplij inquam.

CVRRERE] Currere, & cursum sæpius dici in nauigatione, alibi notauimus. Eleg.4. lib.3. *Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.*

NON TAMEN VT LAVDER VIGILO,&c.] Eleg.1.

Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
Ingenio stimulos subdere fama solet.

Eleg.1. lib.4. *requiesque mihi, non fama petita est, Mens intenta suis ne foret vsque malis.*

VTILIVS QVOD LATVISSET] Quia expediuisset mihi non cognosci, ac celebrari potius, quàm in tantas ærumnas coniici, ac perire funditus.

FALLOQVE LABORES] *Nolumus assiduis animum tabescere curis.*

EXPER. CVRIS ET. D. VERBA MEIS]Elegia 1. lib.4.

Semper in obtutu mentem vetat esse malorum
Præsentis casus immemoremque facit.

Eleg.1. lib.2. de Ponto. *fortunæ verba dedique mea.* De hoc fructu studiorum humanitatis Cicero persæpe. Vnum duntaxat locum proferam ex lib.9. epist. ad Varronem. Quamuis enim hæc sint misera, quæ sunt misertima, tamen artes nostræ nescio quomodo nunc vberiores fructus ferre videntur quam olim: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus: siue quod grauitas morbi facit, vt medicina egeamus. Plurimos producit Hen. Steph. Syntagmate de generibus epistolar. vbi eius locos cum Nasonianis confert. Vterque enim à litteris sese solatium petere, & leuamentum crebrò affirmat. pag.174.

QVAMVIS MAL. ALIAM, &c.] Hoc vno solatio me sustento, aliud quod quæram, & vnde quæram non video.

LOCVS EST INAMABILIS] inamœnus, & horridus. Eleg.10. lib.3.

Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.
Heu loca, felici non adeunda viro.

NIHIL TOTO TRIST. ORBE] Triste est iniucundum, squalidum, inamabile.

VIX SVNT HOM. HOC NOM. DIGNI] vix

A merentur vocabulum hominis, cum ab immanibus belluis parum differant. Supra.

Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago:
Non coma, non vlla barba resecta manu.

QVAMQVE LVPI PLVS FERIT. HAB]Rapax animal, & ouibus præsertim infestum lupus. Homo quoque, iuxta prouerbium, fit homini lupus.

CEDIT VIRIBVS AEQVVM,&c.]concretum pro abstracto, vt sæpe. Vsque adeo autem premitur viribus, vt etiam ferro puniatur. Menander.

Βίας παρούσης οὐδὲν ἰσχύει νόμος.
Præsente vi, leges nihil prorsus valent.

Cicero pro Milone. Silent enim leges inter arma. Seneca Hercule Furente. *fontibus boni patent. Ius est*
B *in armis: opprimit leges pudor.* Apud Suidam hæc leguntur. *οὐδὲν δικαίωμα τῶν ὅπλων ἰσχυρότερον. πᾶς γὰρ ὁ δυνάμει περιέχων δικαιότερα ἀεὶ καὶ λέγειν, καὶ πράττειν δοκεῖ.* Nullum ius armis est potentius: & quisquis viribus præstat, is æquiora semper & facere, & dicere existimatur.

PELLIBVS, ET LAXIS,&c]Eleg.10. lib.3.

Pellibus hirsutis arcent mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola patent.

ORAQVE SVNT LONG. HORRID. T. COMIS]Eleg.11. *Pellibus, & longa tempora tecta coma.* Videtur dicere, eos à fronte quoque capillum submittere, vt de Longobardis scribit Sigon. de reg. Italiæ lib.1.

IN PAVCIS EXT. GRAECAE VESTIG. LIN-
C GVAE]Pauci quidam græcum adhuc balbutiunt: sed minimè ore rotundo pronuntiant.

HAEC QVOQVE IAM GET. BARB. F. SONO]Eleg.3. *Græcaque quod Getico victa loquela sono est.*

VNVS IN HOC NON EST POP. &c.] Hoc & eleg.1. lib.4. memorauit, cùm dixit, habere se neminem, cui sua scripta legat. Eleg.10.

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vlli,
Et rident stolidi verba latina Getæ.

VERBA E MEDIO] vulgata, communi sermone trita, quotidiana. Cic.3. de orat. cum verba iacentia de medio sustulimus.

SARMAT. COG. PLVR. MORE LOQVI]Verbis Sarmaticis cogor multa exprimere, quia rogor res necessarias petere. Vnde eleg 13. *Iam didici*
D *Getice, Sarmaticeque loqui.*

IAM DESVETVD. LONGA] dum annos aliquot neminem habeo, qui cum latinè colloquar.

VIX SVB. IPSI VERB. LAT. MIHI] Elegia vlt. lib.3.

Dicere sæpe aliquid conanti, turpe fateri,
Verba mihi desunt, dedidicique loqui.

NEC DVBITO QVIN SINT, &c.] Modestè magis quam verè.

IN HOC NON PAVCA LIBELLO BARBARA]non quidem voces Geticæ, sed sermo Romanus aliquot, vel multis potius locis vitiosus. Elegia 1. lib.4. *Si qua meis fuerint, vt erunt vitiosa libellis.* Hinc obtrectandi ansam arripuerunt, quibus

Ouid. parum latinus videtur. Qui, si serio interrogentur, barbariem eius ostendere nequeant, & suam inscitiam prodant.

NON HOM. CVLPA SED ISTA LOCI EST] *in qua scribebam barbara terra fuit.*

NE AVSON. PERD. COMMERCIA LINGVAE] Ne vsum linguæ latinę perdam. Ne linguę latinæ obliuiscar.

ET FIAT PAT. VOX MEA. M. SONO] & vt retineam pronuntiationem patriam.

IPSE LOQVOR MECVM] Eleg. 1. lib. 4. *Ipse mihi (quid enim faciam?) scriboq; legoq;.*

STVD. REPET. SIGN. SINIST. MEI] Infelicia signa: siquidem me perdiderunt.

SIC ANIM. TEMPVSQVE TRAHO] Sic animum ab obtutu malorum auoco, & tempus absumo.

A MEQVE IPSE RED. A CONTEMPL. SEN. MALI] Aberro cantisper à molestiis.

CARMINIBVS QVAERO. M. OB. RER.] Supra. *Detineo studiis animum, &c.* Et alibi.

Semper in obtutu mentem vetat esse malorum,
Præsentis casus immemoremq; facit.

In huiusmodi re exprimenda multa sunt Ciceroni cum Ouidio communia. Vt hic dicit, se carminibus miseriarum suarum obliuia quęrere, sic ille à litteris obliuionem doloris sui petere. Hic, malorum suorum requiem in Musis esse: ille, in studiis se acquiescere. Hic se à contemplatu mali reducere: ille, à sollicitudine animum abducere, &c. Hen. Steph.

PRAEMIA SI STVD. CONSEQ. &c.] satis magnum præmium me arbitrabor consecutum, si tranquillitatem animi subinde carminibus faciendis adipiscar.

ELEGIA NONA.

FORTVNAM METVENDAM.

ARGVMENTVM.

ADMODVM calamitosis non insultandum, & paria metuenda, cum Nemesi, superborum vltrice. De potentia, & inconstantia fortunæ, cuius vim ipse quoque pertulerit. Restitutionem in patriam nondum desperasse: vel quia peccatum suum leuius: vel quia Cæsar mitissimus. Ne suo casu nimium exultet, cum accidere possit, vt Ouidio reuocato ipse alicuius sceleris conuictus vrbe pellatur.

Non adeò cecidi, quamuis abiectus: vt infra
Te quoque sim: inferius quo nihil esse potest.
Quæ tibi res animos in me facit improbe? cúrue
Casibus insultas, quos potes ipse pati?
Nec mala te reddunt mitem placidumq; iacenti
Nostra, quibus possunt illacrymare feræ?
Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe
Numen? & exosa verba superba Deæ?
Exiget at dignas vltrix Rhamnusia pœnas:
Imposito calcas quòd mea fata pede.

Vidi

Vidi ego naufragiumque, virosq́, sub æquore mergi:
Et nunquam, dixi, iustior vnda fuit.
Vilia qui quondam miseris alimenta negarat:
Nunc mendicato pascitur ille cibo.
PASSIBVS AMBIGVIS FORTVNA VOLVBILIS ERRAT:
ET MANET IN NVLLO CERTA TENAXQVE LOCO.
SED MODO LAETA MANET, VVLTVS MODO SVMIT ACERBOS:
ET TANTVM CONSTANS IN LEVITATE SVA EST.
Nos quoque floruimus: sed flos fuit ille caducus:
Flammáque de stipula nostra, breuisq́; fuit.
Néue tamen tota capias fera gaudia mente,
Non est placandi spes mihi nulla Dei.
Vel quia peccaui citra scelus: vtq́; pudore
Non caret, inuidia sic mea culpa caret.
Vel quia nil ingens ad finem solis ab ortu
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet vt non est per vim superabilis vlli,
Molle cor ad timidas sic habet ille preces.
Exemploque Deûm, quibus accessurus & ipse est,
Cum pœnæ veniâ plura petenda petam.
Si numeres anno soles & nubila toto,
Inuenies nitidum sæpius isse diem.
Ergo, ne nimium nostra latere ruina,
Restitui quondam me quoque posse puta.
Posse puta fieri lenito principe, vultus
Vt videas media tristis in vrbe meos.
Vtq́; ego te videam caussa grauiore fugatum,
Hæc sunt à primis proxima vota meis.

COMMENTARIVS.

NON ADEO CECIDI] Mutationem hanc status sui in deterius, ruinam appellat infra. Et qui velut è fastigio fortunæ delabuntur, eos cadere dicimus. Cicer. 1. Off. quia si quid aduersi eueniat, tam grauiter cadere non possunt. Et 2. Atque ea quidem laus pariter cum repub. cecidit. A

VT INFRA TE QVOQVE SIM] Non sum contemptior te, qui es omnium mortalium contemptissimus, & abiectissimus.

QVAE TIBI RES ANIM. IN ME FACIT?] vox animi numero plurali notionem habet eam quam spiritus, audacia, virtus, impetus, magnitudo, & robur animi. Plaut. Trucul. *Postquam filiolum peperit, animos sustulit.* Horat. ad Pison. *sectantem leuia nerui Deficiunt, animiq́;*. Id est, vt explanat Lamb. qui nimis politum, concinnum, cultum, & comptum orationis sectatur genus, mollem, & eneruatam, & elumbatam, vt loquitur ille, orationem efficit.

QVOS POTES IPSE PATI?] potes tu quoque offenso Cesare, aut alia grauiore culpa commissa in exilium elici, vt in fine dicitur. Timor itaque eadem patiendi modestum te, & cautum reddere debet.

NEC MALA TE REDD. MITEM, &c.] Hæc

mala percenset elegia 11. lib.3. vbi similiter in detractorem inuehitur. Solemus autem miseros miserari potius, quam eos exagitare, dictoq; aut facto lædere.

Qvibvs poss. illacrymare ferae] Magna exaggeratio, & insigne lumen poëticum, quando cuiuspiam infortuniis, & casibus etiam saxa, aut res alias inanimias, & bestias ingemiscere, & illacrymare posse, aut ingemuisse, & illacrymasse affirmamus. Sic Virgil. de interitu Daphnidis eclog 5.

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum montesq; feri, sylvaq; loquuntur.

De morte Galli poëtæ, quem dilexit vnicè, eclog.10.

Illum etiam lauri, etiam fleuere myricæ.
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Mænalus. & gelidi fleuerunt saxa Lycæi.

Et 7. Aeneid. super cæde Vmbronis sacerdotis. *Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda, Te liquidi fleuere lacus.* In exequiis autem Pallantis, principio lib.9. Aethonem eiusdem equum, dominum lacrymis prosequentem facit.

Post bellator equus. positis insignibus, Æthon
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Dvbio fort. stantis in orbe nvmen] Eleg.3. li.4. de Ponto. *Hæc dea non stabili quam sit leuis orbe fatetur.* Fortunam nunc rotæ, nunc sphæræ insistentem pingebant: siue vt eam rerum dominam esse, siue vt eius instabilitatem insinuarent. Quin à volubilitate etiam nomen illi. Quæ enim prius Vortuna à vorto dicebatur, mox mutatione digamma in F. affinem literam, vt in plerisque aliis, in Fortunam abiit, cuius præcipuum opus est ima summis, & summa imis committere, rerumque omnium vicissitudinem inducere, &c. Lege Pierium lib.39. Hinc etiam inuenitur τύχη ἰνεστώ. Tibullus lib.1. eleg 1. *Versatur celeri sors leuis orbe rotæ.* Ammianus lib.26. Ea victoria vltra homines Procopius sese efferens, & ignorans, quod quivis beatus versa rota fortunæ ante vesperum potest esse miserrimus. Quid de fortuna verè, Christianeque sentiendum sit, & quid à casu differat, docet accuratè Viperan. de Prouid. lib.2. cap.14.

Exosae verba svr. deae] Nemesis quæ & Rhamnusia, à Rhamnunte oppido Atticæ, vbi templum ei dicatum, & Adrastea. Credebatur vindex arrogantiæ, & spei immoderatæ. Vide prouerb. Adrastea Nemesis. Adrasteam Antimachus poëta dictam scribit, quod ei Adrastus ad amnem Aesepam primus aram statuerit, vbi culta est.

Imposito calcas. q. m. fata pedi] Quid me abiectum, & exulem vsqueadeo despicis, tanquam vile lutum, quod pedibus ingredientium percalcatur? Propertius hoc genere loquendi summam amoris seruitutem sibi impositam declarauit, cum despicientia fastus sui, eleg.1. lib.1. *Et caput impositis pressit Amor pedibus.*

A Vidi ego navfrag. viros et in æqvore] De quo, & quorum naufragio loquatur, incertum est. Sententia tamen bona. Nam & aliquem rerum suarum naufragium facere, frequenter lectum est.

Nvnqvam ivstior vnda fvit] quia nemo tam dignus fracta naue summergi, quàm hi, quicunque tandem fuerint.

Vilia qvi. q. mis. alim. nec.] Etiam hic non liquet, num quē certum intelligat. Repertos autem quibus hoc contigerit, nihil dubitandum.

Passibvs ambig. f. volvb. errat, &c.] Duo disticha hæc de vicissitudine fortunæ non egent probatione, cum ea confirmet quotidiana nunc in hoc, nunc in illo experientia. B Nec mirum eam vului, ac nunquam consistere, cum insistet saxo volubili. In tabula Cebetis Fortuna passim vagatur, & aliis quod habent rapit, aliisque largitur: iisdemque rursus statim eripit quæ dedit, eaq; donat aliis, temere & inconstanter. Rectè igitur rotundo saxo insistit, quia non tuta, & firma sunt eius munera.

Et tantvm const. in levit. sva] ἰξώνειον, cuius ordinis sunt insipiens sapientia. cum tacent clamant, &c. Sic apud D. Paulum. *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et illud: *quando infirmor, tunc fortior sum.*

Nos qvoqve florvimvs] virtute, nobilitate, honoribus. Cic. ep.9. lib.1. in sententiis C senatoriis, & in omni actione, atque administratione reipub. floruissemus.

Flos ille fvit cadvcvs] defloruit, offenso Cæsare, & velut imbre, aut grandine percussus decidit.

Flammaqve de stip. &c.] Alia comparatione fælicitatis suæ breuitatem ante oculos ponit. Stipula, quia res arida est, & nihil soliditatis habet, facilè flammam concipit: sed eam non alit. Ita fælicitas humana, præsertim quæ principum gratia nititur, quoniam alto fundamento caret, facilè mouetur, & amittitur; quandoquidem eorum animi aliâs aliter afficiuntur, & impelluntur. Ad breuitatem fælicitatis humanæ insinuandam facit & ille pius mos, cum Pont. Max. D creato, accensa stuppa aliunde dependente succlamatur, Pater sancte, sic transit gloria mundi. Vsus hac comparatione Virgil. 3. Georg. vbi agit de equo vetulo, ad admissuram, & prælium ob senectutem inutili. *Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit.* Vide ibid. Cerdium.

Nvlla tam. tota cap. &c.] Ne nimium lætere, & de casu meo triumphes, quod est ferum, & inhumanum gaudium, de alieno scilicet malo. Vitium ἐπιχαιρεκακία.

Non est placand. sp. m. nvlla Dei] Vel vt reducat me ab exilio. Et eò pertinet quod legis eleg.5. lib.3.

Spe trahor exigua. quam tu mihi demere noli,
Tristia leniri numina posse Dei.

Et eleg.9. lib.4. *Et patriam, modò sit sospes speramus ab*

illo. Vel vt mutatione loci alleuet exilium, quod magis sperat, & ideo sæpius rogat amicos, vt eam sibi impetrent, & Cæsarem, vt concedat.

VEL QVIA PECCAVI CITRA SCELVS] Eleg. 6. lib. 3.

> *Idq; ita si nullum scelus est in pectore nostro,*
> *Principiumq; mei criminis error habet.*

VTQVE PVD. NON CARET] non quod ipse quidquam pudendum designarit: sed pudendum, & turpe viderit.

INVIDIA] odio. Veruntamen secernuntur ista duo, & plus est inuidia quam odium. Illa quippe est detestantis, & abominantis alterius turpitudinem cum infamia coniunctam: hoc auersantis malum quod videtur, & alicuius vel facto, vel dicto læsi, vel se læsum opinantis. Illi gratia, huic amor opponitur. Et in inuidia homo, aut res est apud multos: odio & multis, & vni esse possumus.

VEL QVIA NIL INGENS, &c.] eleg. 2. *Cæsare nil ingens mitius orbis habet.*

NON EST SVPERABILIS] vt est bello, & armis inuictus.

MOLLE COR AD TIMID. PRECES] flexibilem animum ad preces timidorum, eius potentiam, & iram metuentium. Alibi de semet. *Confiteor misero molle cor esse mihi.*

EXEMPLOQVE DEVM] Sicut petimus multa à diis, ita & veniam, seu remissionem pœnæ, & plura petam ab ipso, siquidem & vt præsens Deus colitur, & ad deorum numerum est transiturus.

A SI NVMERES ANNO SOLES] Si numeres totius anni dies serenos, & turbidos. Soles pro diebus, efficiens pro effecto, non rarum poëtis.

INVENIETIS SAEP. ESSE DIEM] inuenies plures serenos. Virgil. 3. Aeneid. *Iamq; dies, alterq; dies processit.* Atqui hæ sunt illæ filiæ triginta, formæ dissimiles, aliæ atræ, aliæ candidæ, quot quisque habet de patribus duodecim, qui omnes vnum parentem agnoscunt, qui est annus, & 12. filij totidem menses, Januar. Februar. &c. & filiæ ἡμέραι vniuscuiusque dies, quos videmus partim tranquillos, & lucidos, partim tempestuosos, & obscuros, quod fuit ænigma Chilonis.

RESTITVI QVOND. ME QVOQVE] Quondam, & olim tam futuri, quàm præteriti tempo-

B ris sunt.

LENITO PRINCIPE] τὸ Principe ἐμφατικῶς. Maluit principiò nomen Principis Augustus, vt mollius, quam Regis, aut Dictatoris, aut Imperatoris. Tacit. Annal. 1.

CAVSSA GRAVIORE] ob maius delictum, quam sit meum.

FVGATVM] pulsum in exilium. Omnia eodem pertinent, fugere, fuga, fugari. Lib. 1. eleg. 2. *quid quem fugat ille tenetur?*

HAEC SVNT A PRIMIS PROXIMA VOTA MEIS] vota secunda. Iuuenalis de 2. Philipp. Satyr. 10. *Volueris à prima quæ proxima.* periphrasis. Prima autem vota sunt, vt restituar.


ELEGIA DECIMA.

ANIMVS GRATISSIMVS.

ARGVMENTVM.

SI se nominari pateretur, qualibus, quantisq; laudibus eum prosecuturus foret. De meritis in se gratias agit, & similitudinibus, quantopere ipsum vel inuitum nominare concupiscat, ostendit. Taciturum tamen, ne, dum officium exsequitur, eidem incommodet, & vtilitati eius seruiturum, idque eo magis, quod ille se beneficiorum memorem non dubitet: quam memoriam, quamdiu spiritu fruetur, non depositurum. Pulcherrima, & liberali digna ingenio elegia.

O tua si sineres in nostris nomina poni
Carminibus, positus quàm mihi sæpe fores?
Te canerem solum meriti memor: inq; libellis
Creuisset sine te pagina nulla meis.
Quid tibi deberem, tota sciretur in vrbe,
Exul in amissa si tamen vrbe legor.
Te præsens mitem nosset, te serior ætas:
Scripta vetustatem si modò nostra ferunt.
Nec tibi cessaret doctus benè dicere lector,
Hic te seruato vate maneret honor.
Cæsaris est primùm munus, quòd ducimus auras:
Gratia post magnos est tibi habenda Deos.
Ille dedit vitam: tu, quam dedit ille, tueris:
Et facis accepto munere posse frui.
Cumq; perhorreret casus pars maxima nostros,
Pars etiam credi pertimuisse velit:
Naufragiumque meum tumulo spectaret ab alto,
Nec dederit nanti per freta sæua manum:
Seminecem Stygia reuocasti solus ab vnda.
Hoc quoque, quod memores possumus esse, tuum est.
Dij tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos:
Non potuit votum plenius esse meum.
Hæc meus argutis, si tu patiare, libellis
Poneret in multa luce videnda labor.
Nunc quoque se, quamuis iam est iussa quiescere, quin te
Nominet inuitum, vix mea Musa tenet.
Vtq; canem pauidæ nactum vestigia ceruæ
Luctantem frustra copula dura tenet:
Vtq; fores nondum reserati carceris acer
Nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus:
Sic mea lege data vincta atque inclusa Thalia
Per titulum vetiti nominis ire cupit.
Ne tamen officio memoris lædaris amici:
Parebo iussis, parce timere, tuis.
At non parerem, si non meminisse putares:
Hoc quod non prohibet vox tua, gratus ero.
Dumq; (quod ô breue sit) lumen vitale videbo,
Seruiet officio spiritus iste tuo.



COMMENTARIVS.



TVA SI SIN. IN. N. N. PONI CARMINIBVS]Quamobrem amicos in hisce epistolis non nominet, caussam affert eleg.4.lib.3. *Vos quoque pectorum nostru herent amici, &c.* Vide item elegia 5. Verbis duplex caussa, re vna, nimirum ne offendatur Augustus, dum ipsis nominibus agnoscit, qui faueant ei, quem ipse in patria perferre non potuerit.

POSITVS QVAM MIHI SAEPE FORES?] Hinc colligimus, & alias quasdam elegias, in quibus merita ipsius deprędicat, ad eum per hosce libros conscriptas esse.

TE CANEREM SOLVM] Non est hoc præcisè accipiendum, quasi neminem præterea cantaturus esset, cum & alios de se bene meritos fateatur: sed præ omnibus, & effusius hunc.

MERITI MEMOR] Hæc ratio est, quare caneret, vt se beneficiorum acceptorum minimè oblitum testaretur, & illum, quatenus posset, carminibus suis immortalem faceret.

CREVISS. SINE TE PAG. NVLLA MIHI] omnibus paginis te celebrarem. In libellis meis nulla pagina paginæ successisset absque gloriosa tui mentione. Aut ita. Nulla pagina conscripta, & impleta esset sine te. ὑπερβολικῶς dictum.

QVID TIBI DEBER. TOTA. S. IN VRBE] Nosset tota Roma tuum in me amorem præcipuum, & merita quibus me tātoperè obligasses.

EXVL IN AVSON. SI TAM.&c.] μετωνυμία, auctor pro opere. Si populus Romanus dignatur exulis scripta legere. Hoc non cohæret cum illo, quod ait eleg.8.

Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
Versibus & plaudi scribis amice meis.

Nam qui in theatro iis applaudebant, procul dubio etiam priuatim legebant. Summißius igitur, quam verius locutum credamus.

SCRIPTA VETVST. S. M. NOSTRA FER] Alibi in Ponticis. *Scripta ferunt annos.* Annos, & ætatem ferre dicuntur, quæ diu integra permanent. Cur autem nunc dubitat, cum scripta sua toto orbe lectum iri, & perennia fore luculentis versibus vaticinatus sit eleg.9. lib.4. *Trans ego tellurem, trans altas audiar vndas, &c.* Sed hoc quoque ex modestia prolatum opinemur.

BENE DICERE] vt cuipiam maledicere, sic alicui benedicere iunctim, & disiunctè dicas licet. Legens ergo nomen tuum cum meritis tuis, amaret te, & bene precaretur tibi lector meus.

HIC TE SERVATO VATE MAN. HONOR] Hunc tibi honorem conciliarem ego vates, tua opera seruatus.

CAESARIS EST PRIMVM MVNVS,&c.] clementiam hanc aliquoties laudauit. Elegia 3. *Ira quidem moderata tua est. vitamq; dedisti, &c.*

A QVOD DVCIMVS AVRAS]Quod viuimus. Cic. spiritum ducere. Virgilius vesci aura, & aura ætherea. Lucret. vitalem ducere vitam.

GRATIA POST. MAG. E. TIBI HAB. D.]Hunc auctoritate multum potuisse apud Augustum, & necem Ouidij ab eo deprecatum fortasse conijcio.

TVERIS] De cura vitæ illius in exilio, & sumptibus suppeditatis hoc possumus interpretari.

CVMQVE PERHORR. CASVS, &c.] Cum vsque ad duos, aut tres omnes me desererent, quò & honori, & rebus suis consultum irent.

PARS ETIAM CREDI PERTIM. VELIT] pars occultè mei studiosa, ad captādam gratiam Cæsaris, velit videri pertimuisse, ne quid simile
B sibi accideret, si mihi apertè faueret, mihiq; opitularetur.

NAVFRAG. MEVM TVMVLO, &c.] Ipsi felices spectarent, & è longinquo intuerentur miseriam meam. Huc mirificè quadrabit initium lib. 2. apud Lucret. Suaue dicit esse, alterius in mari iactationem è terra, & prælium è loco remoto intueri sine vllo periculo.

NEC DEDERIT NANTI, &c.] Allegoria est, nec ex istis vndis, quibus absorptus sum, me seruauerit.

SEMINECEM STYGIA SERVASTI,&c.]Nimiopere afflictus ne penitus interirem effecisti. Solus post Augustum seruasti me, cæteris dissimulantibus.

C QVOD MEMORES POSSVM. ESSE TVVM EST] Quomodo enim essemus memores, si non viueremus? Hoc autem secundùm deos tuum est, quod viuimus, *qui Seminecem stygia reuocasti solus ab vnda.*

DII TIBI SE TRIB. SEMP. AMICOS]Nunquam ferè commemorat bona ab aliis accepta, quin iis bona vicißim precetur; quæ est vna pars morum amabilium.

CVM CAESARE] quem ipsum quoque pro Deo Roma iam colit, & qui diis est accessurus.

NON POTERIT VOTVM PLENIVS ESSE MEVM]Maiora optare nequeo. Nam cui dij sunt propitij, quid ei posit obtingere mali? aut quid maius cuipiam optes?

D ARGVTIS LIBELLIS] eruditis, nec vulgariter scriptis.

SI TV PATERERE] Si non recusares nomen tuum à me prodi.

IN MVLTA LVCE VIDENDA]In lucem proferret, illustraret, conspicua faceret. Cicer. 2. Tuscul. Omnia enim benefacta in luce se collocari volunt.

VIX MEA MVSA TENET] Vix se cohibet. Cic. 5. Philip. Tenuit se, neque attulit in iudicium quidquam ad lædendum. Et sine pronomine,

A lib.2. ep.3. Teneri non potui, quio tibi apertius illod idem his litteris declararem.

VTQVE CANAM PAVIDAE, &c.] Canes ſagacitate valent, ac per veſtigia odorantur, & inſequuntur feras. Cerui autem timidiſsimi. Liuij antiqui poëtæ carmen eſt, *Dirige odoriſequos ad ceca cubilia canes.* Virgil.4. Aeneid. *& odora canum vis.*

COPVLA DVRA] viocula, quibns inuiti à venatoribns retineutur. Sed quia plnres iiſdem habeois copulantur, vocat copulam.

B VTQVE FORES NOND. RESER. CARCERIS, &c.] carcer à coërcendo. Dicitur & locus vbi coërcentur equi io curuli certamine, aotequam ſignum detur. Virgil.1. Georg.

Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ.
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Numero ſingulari dixit lib.5. *ruuntq; effuſi carcere currus.* Et 10. Metamorph. *Signa tuba dederant, cum carcere pronus vterq; Emicat.* Fores appellat repagula, vt 2. Metamorph. de equis ſolis. *hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulſant.*

LEGE DATA VINCTA] imperato ſibi ſilentio.

A MEA THALIA] Eleg.10. lib.4. *Notaq; non tardè facta Thalia mea eſt.* Virgil. eclog.4.

Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra, nec erubuit ſyluas habitare Thalia.

VETITI NOMINIS] abs te vetiti, qui non pateris nomen tuum in carminibus meis poni.

NE TAM. OFF. MEM. LAED. AMICI] Graue eſt lædi ab amico, & cum officio, ſeu per officium accipere detrimentum.

SI NON MEMINISSE. PVT.] Si putares me tuorum meritorum immemorem, voluntatem

B tuam poſt haberem, teque nominarem.

QVOD NON PROHIB. VOX TVA] gratam animi recotdationem noo vetas.

LVMEN VITALE VIDEBO] dum hoc cæli lumen aſpiciam. Lumina vitæ eſt apud Lucretium lib.1. Et de Anco Martio lib.3. *Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Et Virgil. lib.1. *ſi lumina vitæ Attigerint.* Lumeo, & lux noo raro pro vita, ſicut nox pro motte.

SERVIET OFF. SPIR. ISTE TVO] tibi dedituserit, te colet, & amabit ſpiritus meus. Ad officia in te paratus erit. Idem pæne illud Virgilian. *Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.* 4. Aen.



ELEGIA VNDECIMA.

TRVCVLENTI BARBARORVM MORES.

ARGVMENTVM.

IAm ſe triennium expleuiſſe in exilio, & viſum decennium. Dies quoque & noctes perpetuò ſibi longas eſſe. Finitimarum gentium ſæuitia. A domeſticis etiam ſibi timendum, quorum aſpectus ſit formidabilis. Sua verba à nemine intelligi, & barbaros de ſe tutò malè loqui. Ius illic in manu, & armis poſitum eſſe, & in foro pugnas edi. Vt meruerit carere patria, nõ meruiſſe tali regione exulare. Corrigit dictum mox, aitq; vel mortem meruiſſe.

Vt ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter:
Facta eſt Euxini dura ter vnda maris.
At mihi iam videor patria procul eſſe tot annis,
Dardana quot Graio Troia ſub hoſte fuit.
Stare putes; adeò procedunt tempora tardè:
Et peragit lentis paſſibus annus iter.

Nec mihi solstitium quicquam de noctibus aufert:
Efficit angustos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura nouata est:
Cumq; meis curis omnia longa facit.
An peragunt solitos communia tempora motus?
Suntq; magis vitæ tempora longa meæ?
Quem tenet Euxini mendax cognomine littus,
Et Scythici verè terra sinistra freti.
Innumeræ circùm gentes fera bella minantur:
Quæ nisi de rapto viuere turpe putant.
Nil extra tutum est: tumulus defenditur ipse
Mœnibus exiguis, ingenióque loci.
Cùm minimè credas, vt auis, densissimus hostis
Aduolat, & prædam vix bene visus agit.
Sæpe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.
Est igitur rarus qui iam colere audeat, isq;
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
Sub galea pastor iunctis pice cantat auenis:
Próque lupo pauidæ bella verentur oues.
Vix ope castelli defendimur: & tamen intus
Mista facit Graiis barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus: & tecti plus quoque parte tenet.
Quos, vt non timeas, possis odisse, videndo
Pellibus, & longa corpora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab vrbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
Exercent illi sociæ commercia linguæ:
Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vlli:
Et rident stolidi verba Latina Getæ,
Méque palam tutò de me mala multa loquuntur:
Forsitan obiiciunt exiliumq; mihi.
Vtque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis
Abnuerim quoties, adnuerimque putant.
Adde, quòd iniustum rigido ius dicitur ense:
Dantur & in medio vulnera sæpe foro.
O duram Lachesin, quæ tam graue sidus habenti
Fila dedit vitæ non breuiora meæ!

Quòd patria vultu vestróque caremus amici,
Quòd sic in Scythicis gentibus esse queror:
Utraque pœna grauis: merui tamen vrbe carere:
Non merui tali forsitan esse loco.
Quid loquor ah demens? ipsam quoque perdere vitam
Cæsaris offenso numine dignus eram.

COMMENTARIVS.



TER FRIO, CONSTITIT ISTER] Ab adiuncto notat hyemes tres, & συνεκδοχικῶς partem sumẽdo pro toto, annos totidem. Aliter circumlocutus est bienniũ eleg. 7. lib. 4. Principio ἀνάδν.

Tertia Phœbæi referunt hiberna iugales,
Quum magni Iouis imperio te, Roma, reliqui,
Coniugis & vultu semper cariturus amico
Exul in extremas adigor moriturus arenas.

Portò de Istro ait Philostratus in vita Apollonij lib. 3. cap. 1. ποταμῶν ὁ ἴστρος δοκεῖ μέγιστος, ὁπόσοι δι' εὐρώπης ῥέουσι. Europæ fluuiorum maximus.

DARDANA QVOT GRAIO. T. S. HOSTE F.] Annos decem, quod constat inter omnes: nisi quod Dio Chrysostomus Sophista oratione longa contendit, eo bello non Græcos, sed Troianos extitisse victores, & illos compositione facta, domum renauigasse. Ilium, inquam, à Græcis nunquam expugnatum, & excisum fuisse. Quam autem omnis dies, & hora longa videatur misero, soli ignorant, qui in nulla vnquam miseria vixerunt. In maiore autem multo longior. Et quodnam Ouidiano exilio miserius? Non ergo mirum, si tres anni visi sunt ei decem, quamdiu durasse obsidionem Troianam docet Turnus lib. 9.

Haud sibi cum Danais rem saxo, & gente Pelasga
Esse putent, decimũ quos distulit Hector in annum.

STARE PVTES, ADEO PROCED. T. TARDE] Tempus sic definit Aristoteles Physicor. lib. 4. cap. 10. Est numerus motionis ex eo quod est prius, & posterius. Tempora ista stare non possunt, nec tarde procedere, nisi cæli motus, qui est effector temporis, quiescat, aut tardior fiat. Quodammodo igitur cælum stare, aut lenta conuersione circumuolui videtur, cum tempora tam longa apparent.

ET PERAGIT LENTIS PASS. AN. ITER] Annus est solis amfractus, cum peractis CCC. LXV. diebus ad eadem loca siderum redit. Dictus, quia mensibus in se recurrentibus voluitur. Virgil. *Atq; in se sua per vestigia voluitur annus.* Quem Aegyptij ἱερογλυφικῶς indicabant picto dracone caudam suam mordente, quia in se recurrit. Isid. lib. 5.

NEC MIHI SOLSTIT.] Solstitium, quasi solis statio, quod tunc sole stante dies, vel noctes crescant. Duo autem sunt solstitia, vnum æstiuum VIII. Kalend. Iulias, de quo tempore remeare sol ad inferiores incipit circulos: aliud hyemale VIII. Kalend. Ianuar. quo tempore sol altiores incipit circulos petere. Vnde & hyemalis solstitij dies minimus: sicut æstiui maximus inuenitur. Isid. lib. 5. Per solstitium quoque possis simpliciter æstatem accipere, qua parte anni noctes sunt breuiores.

EFFICIT ANG. NEC MIHI. B. DIES] Pro hyeme dictum interpretare, quando dies sunt breuiores, noctes longiores. Brumam à breuitate dierum appellatam auctores Festus, & Varro.

IN NOBIS RERVM NAT. NOVATA EST] In mea solius fortuna natura à seipsa discessit.

CVMQVE MEIS CVR. A. LONGA FACIT] Auxesis. Non omnia idcirco longa sunt, si tempora longa. Quia tamen tempus omnia metitur, aliquo modo etiam omnia longa facit. Sed ista ad vulgi captum.

AN PERAG. SOLIT. COMMVN. TEMP. MOTVS?] Altera pars dubitationis, & affirmatio potius. Tempora solito motu peraguntur, & neque dies, neque noctes aut breuiores, aut longiores cœperunt esse, dum ego viuo in exilio. Sed diritas malorum meorum me ita opinari facit.

EVXINI MEND. COGNOM. PONTVS] Elegia 13. lib. 3.

Dum me terrarum pars pæne nouissima Ponti
Euxinus falso nomine dictus habet,

cum potius Axenus vocari debeat, inhospitalis, quo nomine aliquando fuit. Eleg. 4. lib. 4.

Nam neq; iactantur moderatis æquora ventis,
Nec placidos portus hospita nauis habet.
Sunt circa gentes, &c.

VRET TERRA SINISTRA] ad læuam maris Euxini sita est terra Tomitana. Sinistrum autem cum significet etiam infaustum, malum, aduersum, &c. & ea terra nihil sit infelicius, vere sinistra est.

INNVM. C. GENT. F. BELLA MIN.] Vide eleg. 10. lib. 3. & 1. lib. 4.

QVÆ NISI DE RAPTO VIVERE] 1. Metamorph. *Viuitur ex rapto.*

TVMVL. DEFEND. IPSE MOEN. EXIG.] Tomus erat castellum in editiore loco, & infra sic nominatur.

Quam miserum est porta vitam muroq; tueri,
Vixq; sui tutum viribus esse loci.

INGENIOQVE LOCI] Situs, & natura loci alicuius dicitur Latinis ingenium. 2. de P. eleg. 1.

Atq; ea te contra nec muri mole, nec armis,
Nec satis ingenio tuta fuisse loci.

Tacit. locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tuebantur. In aliis quoque rebus hæc vox domicilium habet, ingenitam illis naturam declarans. Sic apud Gellium lib. 12. cap. 1. ingenium, & proprietas lactis. Apud Terent. Hecyra, ad ingenium redire, de sereno loquaci.

VT AVES DENSISSI. HOSTIS] vt anes, quæ gregatim volant, anseres feri, sturni, grues, &c.

NOXIA TELA] veneno illita, & ideo solo tactu, nedum iactu noxia, & pestifera.

EST IGITVR RARVS QVI, &c.] Vide elegias supra nominatas.

HAC TENET ARMA MANV] gladium. Sic Israëlitæ dum templum reædificarent in libris Esdræ.

IVNCTIS PICE CANTAT AVENIS] Auena, calamus, arundo, cicuta, canna pro fistula pastoritia apud Maronem, & alios. Iam quomodo pice, aut cera iungerent huiusmodi fistulas, lege à me notata in Symb. ad illud 2. eclog. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis.*

PROQVE LVPO P. E. VERENTVR OVES] metuunt ne à prædatoribus tanquam lupis abigantur.

VIX OPE CASTELLI DEFEND.] clausa porta, & muro non alto, nec firmo. Castellum à castris per diminutionem. In castris miles, & Tomis præsidium militare. Quam ob caussam castellum videtur nominasse. Sic Iustinianus quædam oppida in Ponto (in quibus & Tomus) appellauit. Contra olim arces vrbium nomine in Græcia dictas, tradit in Pelopida Plutarchus.

MISTA FACIT GRAIIS B. T. MET.] Cogor foris hostea, intus domesticos timere, Græcos mistos Getis, cum iisdem in ædibus, & inter latera nostra versentur.

SIMVL NOBIS HABITAT] Vulgati legunt, *nobiscum habitat.* Sed scriptum fuit *simul nobis* [illegible] puto, ἅμα ἡμῖν.

ET TECTI P. QVOQVE PARTE TEN.] pæne totam domum occupat.

POSSIS ODISSE VIDENDO] Vide eleg. 8. *Vox fera, trux vultus, &c.* Et infra, *Sunt homines, vix sunt homines hoc nomine digni.* Ergo vt timendi non sint (& sunt timendi) certe ipso aspectu horribiles, & odiosi sunt.

QVI GENITI GRAIA CRED. AB VRBE] qui sunt origine Milesij. Mileto enim vrbe Ioniæ A deducta Colonia Tomos, vt dictum in eleg. 9. lib. 3.

PRO PATRIO CVLTV] pro habitu græco, qui est cultior, & ciuilior. Igitur palliati non incedebant: pallium enim Græcorum.

PERSICA BRACCA] De bracca disseruimus eleg. 10. lib. 3. ad illum versum: *Pellibus, & sutis arcent mala frigora braccis.* Errant qui subligacula apud veteres nostris braccis existimant respondere. Nihil enim aliud subligacula, & campestria fuerunt, quam pannus, quo verenda velabant ephœbi se exercentes, luperci currentes, scenici, athletæ, popæ, coci, & alia vilia seruitia inter ministrandum, & cauponum [illegible], vt notat Philostratus lib. 4. in vita Apollonij, quemadmodum Animaduersion. in Sueton. à Caussabono est obseruatum.

B EXERCENT ILLI SOCIÆ COMMER. LINGVÆ] Si prouocabulum *illi* de Getis, & Græcis accipimus, tum sociæ commercia linguæ dicemus vnam linguam mistam è duabus: sic, vt Græca multùm à Getica inquinata, & corrupta sit; & Getica nonnihil de græca assumpserit: tametsi pauci de sermone græco aliquid adhuc retineant. Eleg 8.

In paucis extant græcæ vestigia linguæ.
Hæc quoq; iam Getico barbara facta sono est.

PER GESTVM RES. E. SIGNIF. MIHI] vt muto.

BARBARVS HIC EGO SVM, Q. NON IN-

C TELL. VLLI] Mundum Græci diuiserunt in duas partes. in Græcos seu Pelasgos, & Barbaros. Strabo lib. 14. censet initio barbaros vocatos qui difficulter, aspere, crasse, & duriter loquerentur; huiusmodi Græcis visas nationes reliquas, & barbaros nominari cœptos; tum quod vernaculus illorum sermo inconcinnus erat: tum quod græcùm idioma minus expedite pronuntiarent. Stephanus. βάρβαρος [illegible] stricte ac proprie barbari vocabulum de Phrygibus accipiebatur. Horat *Graecia barbariæ lento collisa duello.* Delrius Comment. in Med. Senecæ. Loquens ergo latine, visus est Getis barbarus, quamuis Romanus. Quin etiam risui, & ludibrio illis fuit cum lingua sua.

D STOLIDI GETÆ] stupidi, nullius iudicij, frutices, bardi, stipites.

MEQVE PALAM] me præsente.

DE ME MALA MVLTA LOQ.] Fortasse dictitabant, fuisse hominem leuem, & hoc, aut illo crimine exilium meruisse.

VTQVE FIT, IN ME ALIQVID, &c.] Hoc distichon paulo contortius est. Lipsiensis editio in ora libri hunc in modum explicat. Contra me aliquid animo versant, quotiescunque aliquid illis loquentibus vel abnuerim, vel annuerim. Ego sic putarim exponendum. Fieri solet, vt cum quis de se verba fieri arbitratur, nutu signũ det, annuendo, vel abnuendo videlicet. Cum igitur de me loquuntur, si quid, & quoties annuam, aut

abnuam obseruant. Huic sententiæ magis conueniret in extremo *notant*, quam *putant*, & fortasse poëta sic scripserat.

ADDE QVOD INIVST. RIG. IVS. D. ENSE] Ius iniustum ὀξύμωρον, vt ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, χάρις ἄχαρις, κόσμος ἄκοσμος, τέχνη ἄτεχνος, μάτερ ἀμάτερ, μήτωρ ἀμήτωρ. ars iners, emptio inempta, numeri innumeri, &c. Qui ense plus valet, caussam obtinet. 1. Fast. *Iura dabat populo posito modo Prætor aratro.* Et Virgil. 1. AEneid. *Iura dabat, legesq́ue viris.*

O DVRAM LACHESIN] Clotho, Atropos, Lachesis tres Parcæ, quæ fatis hominum dispensandis præesse finguntur. Sorores fati dominas appellat eleg. 5.

TAM GRAVE SID. HABENTI] tam infælici sidere nato. Ad nugas astrologorum, cuique vitam, & mores atque adeo fatalem necessitatem ex hora natali, & siderum aspectu describentium hoc pertinet.

A

FILA DED. VITÆ NON BREV. MEÆ] Quæ mihi vitam producit ad miseriam. Mortem enim solam sibi finem malorum, & breui facturam sperat. Eleg. 6. lib. 4.

Vna tamen spes est, quæ me solatur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

QVOD PATRIÆ VVLTV, &c.] Duo se queri: & quod careat patria, amicisque simul: & quod in Scythia cogatur viuere. Sed cum alterum meruerit, non meruisse exilium tam horribile.

FORSITAN] ne absolutè affirmando Cæsarem offendat, & iniustitiæ coarguat.

QVID LOQVOR AH DEMENS] Virgil. eclog. 2. *Quem fugis, ah demens?* Ob hoc ipsum corrigit, quod tamen dubie dixerat, & Cæsarem, quem vt iniustum perstringere videbatur, tacitè à lenitate commendat. Nam qui exilio punit, quem occidere iure poterat, nonne clementer agit?

ELEGIA DVODECIMA.

NEGAT SE VOCANDVM EXVLEM.

ARGVMENTVM.

Qvarta est hæc epistola ad vxorem in his libris Trist. Dolere sibi, eam exulis vxorem à quodam per conuitium appellatam, quod ipsam vtique momorderit. Hortatur, vt cum acerbiora pertulerit, hanc quoque deuoret æqua mente iniuriam. Falli tamen conuitiatorem, cum ipse tantummodo iussus sit abesse à patria, nec vita, nec facultatibus, nec ciuitate spoliatus. Lenem se expertum Cæsarem, ab eoque non exulem, sed relegatum duntaxat vocatum. Laudat eundem, cui vitam diuturnam cum populo precatur, rursumque exulem se dicendum inficiatur.

Quod te, nescio quis, per iurgia dixerit esse
Exulis vxorem, littera questa tua est.
Indolui: non tam mea quòd fortuna malè audit,
Qui iam consueui fortiter esse miser:

Quam

Quàm quòd, cui minimè vellem, sum causa pudoris:
Téque reor nostris erubuisse malis.
Perfer, & obdura: multò grauiora tulisti:
Eripuit cùm me principis ira tibi.
Fallitur iste tamen, quo iudice nominor exul:
Mollior est culpam pœna secuta meam.
Maxima pœna mihi est ipsum offendisse: priúsque
Venisset mallem funeris hora mihi.
Quassa tamen nostra est, non mersa, nec obruta nauis:
Vtque caret portu, sic tamen extat aquis.
Nec vitam, nec opes, nec ius mihi ciuis ademit,
Qui merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit vllum:
Nil nisi me patriis iussit abesse focis.
Vtque aliis, quorum numerum comprendere non est,
Cæsareum numen sic mihi mitte fuit.
Ipse relegati, non exulis vtitur in me
Nomine: tuta suo iudice causa mea est.
Iure igitur laudes Cæsar pro parte virili
Carmina nostra tuas qualiacunque canunt.
Iure Deos, vt adhuc cœli tibi limina claudant,
Teque velint sine se comprecor esse Deum.
Optat idem populus: sed vt in mare flumina vastum,
Sic solet exiguæ currere riuus aquæ.
At tu fortunam, cuius vocor exul ab ore,
Nomine mendaci parce grauare meum.

COMMENTARIVS.



NESCIO QVIS] Etiam scientes quis fuerit, per contemptum nihilominus ita quandoque loqui solemus, & indignũ ducere, quẽ nominemus.

PER IVRGIA] In iurgio, dum iurgaremini (etsi etiam iurgare legitur) Cic. in Bruto. Pontidius cum iudice ipso iurgio sæpe contendebat. Pro Cælio. Omnia sunt alia non crimina, sed maledicta iurgij petulantis.

LITTERA QVESTA TVA EST] tua epistola. Eleg. 7. lib. 3.

Vade salutatum subitò perarata Perillam,
Littera, sermonis fida ministra mei.

MEA QVOD FORTVN. MALE AVDIT] Bene audit, cui bene dictitatur vulgò in sermonibus: malè, cui malè. Cum de audiendi sensu loquimur, dicimus aliquem facilè, difficulter, grauiter, ægre audire. Male audiebat fortuna Ouidij, quia nihil nisi miserum de ea ferebatur. Malè audiunt fœneratores, adulatores, lenones, &c.

A

CONSVEVI FORTIT. ESSE MISER] Nihil est perpessu tam durum, quod assiduitas, & consuetudo patiendi non molliat. Quanquam igitur ista contumelia in vxorem iacta etiam ad maritum deriuabatur, tamẽ quia vsu longo iam didicerat miser esse, minus eam sentiebat. Nondum se miseriam ferre consueuisse, animo quidem, aiebat eleg. 5.

CVI MINIME VELL. S. CAVSSA PVD.] Neminem enim magis diligit. Et non sine rubore audiuisse hoc probrum, vt ingenuam, bene coniicit. Eleg. 3. lib. 4.

Me miserum, tu, ficum diceris exulis uxor,
Auertis vultus, & subit ora rubor.
Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri,
Me miserum si te iam pudet esse meam.

PERFER, ET OBDVRA] Catullus ad seipsum. *Sed obstinata mente perfer, obdura.* Ennius Andromacha. *Quasi ferrum, aut lapis durat.* Seneca Controuersiar. 2. Anime dura, heri fortior eras. Durare, & obdurare Græcis est καρτερεῖν.

MVLTO GRAVIOR. T. ERIPVIT CVM ME, &c.] Amittere potuisti virum, nec mortua es: tolera etiam verbum mordax propter vitum.

FALLITVR ISTE TAMEN] quia relegatus sum dictus, non exul: nec mihi factum vt exulibus, vt infra sequitur.

MOLLIOR EST CVLP. P. SECVTA] Vt ista pœna multatus sim, qua sum, est tamen illa mitior, quam pro culpa. Nimium se reum facit interdum Ouidius noster, cum se capite quoque puniendum fuisse statuit. Et tamen peccatum suum scelus habendum toties negat. Iam alias istam inconstantiam notaui, & excusaui.

MAXIM POENA. M. EST IP. OFFEND.] Conscientia peccati in talem virum admisi, magis me cruciat, quam pro eo irrogatum supplicium. Sic lib 2.

Nulla quidem sana grauior, mentiq; potenti
Pœna est. quam tanto displicuisse viro.

VENISS. MALL. FVN. HORA MIHI] Maius quiddam ad demonstrandam facti sui pœnitudinem dicere non potuit. A morte enim naturâ sic abhorremus, vt à nulla re magis. Quam in ærumnis non vt bonum, sed vt malorum exitum, ac terminum expetimus. Eleg. 5.

Sæpe etiam mærens tempus reminiscitur illud,
Quod non prauentum morte fuisse dolet.

Terent. alicubi. *mori me malim, quam vt ego non illi,* &c. Est item verbum se deuouendi, aut iurandi, moriar, sicut disperеam, ne viuam, & huiusmodi.

QVASSA RATIS NOSTRA EST, &c.] Hoc exilium est mihi instar procellæ, quo agitor, non summergor. Summersus fuissem, si me interimi iussisset. Sermo est allegoricus.

VTQVE CARET PORTV] Portum intelligit reductionem. Ad hunc portum nauis eius appelli nunquam potuit. Immo nec leuius exilium, quod toties flagitauit, est consecutus.

NEC VITAM, NEC OPES, &c.] Eleg. 5.

Nam quod opes teneat patrias. quod nomina ciuis,
Deniq; quod viuat, munus habere dei.

SED. Q. P. FACIN. N. AFF. VLLVM] Eleg. 9.

A *Vel quia peccaui citra scelus. vtq; pudore*
Non caret, inuidia sic mea culpa caret,

PATRIIS IVSSIT ABESSE FOCIS] Tantum excedere patria iussit. Focus pro domo, metonymia. Iussit solum vertere. Virgil. 3. AEneid. *& latam cognomine gentem Hortor amare focos, arcemq; attollere tectis.*

NVM. QVOR. COMPREND. NON EST] innumerabilibus. *το non est*, valet idem quod οὐκ ἔξεστι non licet, non potest. Horat. sat. 5. lib. 1. *Mansuri oppidulo. quod versu dicere non est.* De humanitate Augusti aduersus inimicos diximus lib. 2.

Diuitiis etiam multos, & honoribus auctos
Vidi qui tulerant in caput arma tuum.

IPSE RELEGATVS, NON EXVL, &c.] lib. 2. *Quippe relegatus, non exul dicor.* Et eleg. 3. huius, *nec exul Edicti verbis nominor ipse tui.* Cum se nominat B exulem poëta, vulgatiore, ac notiore appellatione vtitur: nam & relegatum, & deportatum aliquando significat istuc verbi. Est vero deportatus qui pœnæ caussa in perpetuum ablegatur in insulam, quam Princeps assignauit, & omnia sua iura & bona, præter libertatem amittit. Relegatus, qui aut certo loco concluditur, aut vrbe, prouincia, alioue quo loco prohibetur ad tempus, vel in perpetuum: & tamen omnia sua iura, & bona, præterquam, si quæ bonorum pars adempta erat, integra seruat.

TVTA SVO IVDICE] Iudicio sui iudicis tuta non est, cum me relegatum, non exulem vocandum censuerit.

PRO PARTE VIRILI] quantum in ipsis est: quantæ sunt sunt eorum vires.

VT ADHVC. E. T. LIM. CLAVD.] Eleg. 3.

C *Sic habites terram, sic te desideret æther,*
Sic ad parta tibi sidera tardus eas.

Vita tua est Romano imperio necessaria.

SED VT IN MARE VASTVM, &c.] Mea precatio coniuncta cum votis, & precationibus populi, est tanquam riuus in mare magnum influens. lib. 2.

Optaui peteres cælestia sidera tarde,
Parsq; fui populi parua precantis idem.

AT TV FORTVNAM, &c.] Apostrophe ad obtrectatorem.

NOMINE MENDACI] falsò: non enim sum exul, sed relegatus, quod minus est infame.



ELEGIA DECIMATERTIA.

DIFFICVLTAS SCRIB. IN EXILIO.

ARGVMENTVM.

SVadenti vt otium suum faciundis versibus oblectaret, rescribit, rem esse difficilem, quod carmina animũ hilarem, & pacatum requirant, ipse autem mœrore contabescat. Hanc difficultatem exemplis illustrat. Ne Socratem quidem, virum sapientissimum, tali calamitate circumuentum aliquod monumentum edere potuisse. Atque vt bonorum perditorum sensum nullum habeat, impediri tamen timore hostium, quibus cingatur. Ingenium obtorpuisse ad labores huiusmodi. Nocere etiam cessationem rebus aliis per inductionem confirmat. Scripsisse quidem sæpius, sed fortuna, & loco suo digna. Cumq́ue ingenia excitentur fama, eius desiderio se non amplius tangi. Carmina sibi perniciosa extitisse. Etiam cupientem scribere destitui libris, destitui auditoribus, quibus scripta recitet. Summa barbarie, metuq́ue redundare omnia. Non tamen posse cohiberi à scribendo penitus: sed scribere, & scripta ignibus tradere. Quæ ad ipsos mittantur, casu, aut dolo flammis eripi. Optat demum sic exustam, antequam exiret, Artem suam.

Scribis, vt oblectem studio lacrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ:
Difficile est, quod amice mones: quia CARMINA LAETVM
SVNT OPVS: ET PACEM MENTIS HABERE VOLVNT.
Nostra per aduersas agitur fortuna procellas:
Sorte nec vlla mea tristior esse potest.
Exigis, vt Priamus natorum funere plaudat,
Et Niobe festos ducat vt orba choros.
Luctibus, an studio videor debere teneri,
Solus in extremos iussus abire Getas?
Des licet inualido pectus mihi robore fultum,
Fama refert Anyti quale fuisse reo:

Fracta cadet tantæ sapientia mole ruinæ:
PLVS VALET HVMANIS VIRIBVS IRA DEI.
Ille senex dictus sapiens ab Apolline, nullum
Scribere in hoc casu sustinuisset opus.
Vt veniant patriæ, veniant obliuia nostri:
Omnis & admissi sensus abesse queat:
At timor officio fungi vetat ipse quieto:
Cinctus ab innumero me tenet hoste locus.
Adde, quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet: & est multò, quàm fuit ante, minus.
FERTILIS, ASSIDVO SI NON RENOVETVR ARATRO,
NIL NISI CVM SPINIS GRAMEN HABEBIT AGER.
Tempore qui longo steterit, male currit: & inter
Carceribus missos, vltimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacauit aquis.
Me quoq; despero (fuerim cùm paruus & antè)
Illi, qui fueram, posse redire parem.
Contudit ingenium patientia longa malorum:
Et pars antiqui magna vigoris abest.
Sæpe tamen nobis, vt nunc quoq; sumta tabella est:
Inq; suos volui cogere verba pedes:
Carmina scripta mihi sunt nulla: aut qualia cernis,
Digna sui domini tempore, digna loco.
DENIQVE NON PARVAS ANIMO DAT GLORIA VIRES,
ET FOECVNDA FACIT PECTORA LAVDIS AMOR.
Nominis & famæ quondam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura secunda meas.
Non adeò est bene nunc, vt sit mihi gloria curæ:
Si liceat, nulli cognitus esse velim.
An, quia cesserunt primò bene carmina, suades
Scribere, successus vt sequar ipse meos?
Pace nouem vestra liceat dixisse sorores:
Vos estis nostræ maxima causa fugæ.
Vtq; dedit iustas tauri fabricator ahem:
Sic ego do pœnas artibus ipse meis.
Nil mihi debebat cum versibus amplius esse:
Sed fugerem merito naufragus omne fretum.
At puto si demens studium fatale retentem:
Hic mihi præbebit carminis arma locus.

Non liber hic vllus, non, qui mihi commodet aurem,
Verbaq́ significent quid mea, norit, adest.
Omnia barbariæ loca sunt, vocisq́ ferinæ:
Omnia sunt Getici plena timore soni.
Ipse mihi videor iam dedidicisse Latinè:
Nam didici Geticè Sarmaticeq́ loqui.
Non tamen, vt verum fatear tibi, nostra reuelli
A componendo carmine Musa potest.
Scribimus: & scriptos absumimus igne libellos:
Exitus est studij parua fauilla mei.
Nec possum, & cupio non vllos ducere versus:
Ponitur idcircò noster in igne labor.
Nec nisi pars casu flammis erepta doloue,
Ad vos ingenij peruenit vlla mei.
Sic vtinam, quæ nil metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres ars mea versa foret.

COMMENTARIVS.

VT OBLECT. STVD. LACRYMAB. TEMP.] A Hortatus est hic amicus Ouidium vt hoc faceret, & ea quidem de caussa, quam ipsemet non vno loco adducit. Quis enim dubiter si vllum, hoc certe studium præbere solatia in rebus perditis?

NE PEREANT. T. P. NOSTRA SITV] Eleg. 14. lib. 3.

Sed quæcunq. fuit (vena) nullo exercente refugit,
Et longo periit arida facta situ.

Situs est lanugo illa, quæ rebus putrescere incipientibus obducitur. *Et turpi situ*, inquit, quia ignauia, & desidia, quibus ingenia velut purorem, & sit−um contrahunt, ignominia, & dedecore non carent.

DIFFICILE EST. Q. AMICE MONES] B Obiicit difficultatem, quæ etsi animum generosum deterrere non debet, retardat tamen, & suspendit, præsertim quando vinci non potest.

QVIA CARM. LÆTVM SVNT OPVS, &c.] Sequuntur caussæ difficultatis, & recusationis. Eleg. 1. lib. 1.

Carmina proueniunt animo deducta sereno,
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.

Recole quæ ibidem annotauimus. Dixisse porro idem Ouid. cū Euripide in Supplicibus, siue eò respexerit: siue id illi per se in mentem venerit, animaduertit eloquentiss. noster Muretus, & versiculos profert lib. 4 cap. 10. quorum summatim hæc est sententia. Poëtam in pangendo carmine A lætum esse oportere. Nam qui propriis, ac domesticis angatur doloribus, alios delectare non posse.

PER ADVERS. AGIT. F. PROCELLAS] *ἀλληγορικῶς*. Nihil frequentius Ouidio, quam conditionem suam comparare cum procellis, tempestatibus, naui.

SORTE NEC VLLA. M. TRIT. ESSE. P.] ærumnosissimus sum quantum est hominum. Plauti sunt, Casina.

Miser adaque non est ino quisquam.
Occisissimus sum omnium qui viuunt.

Persa. *Facile miserrimus hominum viuo.* Menæchmis. Omnium hominum miserorum miserrimus. De sua sorte Propert. similiter, & fortàsse verius, lib. B 2. eleg. 10.

Durius in terris nihil est quod viuat amante,
Nec, modò si sapias quod minùs esse velis.

EXIG. VT PRIAM. NAT. F. PLAVD.] Quam absurde faciat declarat Cic. 1. Tuscul. Quanquā non male ait Callimachus, multò sæpius lacrymasse Priamum, quam Troilum. Quinquaginta liberos genuisse Priamum Homerus, & Euripides auctores sunt. Virgil. quoque 2. AEneid. *Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum. &c.* Testatur idem eodem libro M. Tullius, additque XVII. fuisse Hecuba iusta vxore susceptos. Vide Symb. nostras. Hi omnes præter Helenum, & Polyxenam cum Troia perierunt. Quamuis nec ipsa Polyxena diu captæ patriæ superuixit, ma-

ciata ad Achillis tumulum in reditu Græcorum. A
Euripid. Hecuba.

ET NIOBE FEST. D. VT ORBE CHOROS] Saltet in orbem, verset orbem saltatorium, vt est apud Ciceronem. De Niobe dictum eleg. 1. ibi. *Cum faceret Nioben orbam Latonia proles, &c.*

LVCTIBVS AN STVDIO, &c.] Quæstio. Vtrum huic tempori, & loco congruentius, luctus, an studium? Nam si carmina lætum sunt opus, qui tandem possum nunc esse lætus?

DES LICET INVALID. M. ROB. FVLT. &c.] Non esse sibi corpus firmum, laborumq; patiens, alibi confessua est. Sed quamuia in tali corpore gestarem animum excelsum, & robustum, quali fuit Socrates, quem Anytus, & Melitus reum impietatis fecerunt, &c. Quomodo in iudicio capitis B pro se dixerit, quid Lysiæ orationem afferenti, qua pro se vteretur, quid item iudicibua de pœna quam sibi meruisse videretur respõderit, Cic. 1. de Orat. ab iis verbis. Imitatus est homo Romanus (P. Rutiliua Rufus secta Stoicus) veterem illum Socratem, &c. Athenienses necis eius tanta pœnitudo incessit, vt mox palæstras, & gymnasia clauderent. Et alios quidem exilio. Melitum vero morte damnarent. Socratem ærea statua publice honorarent. Anytum ipso die dum peregre esset, Heracleotæ exterminarunt. Laert. Lege argumentum Busiridis apud Isocratem.

FRACTA CADET TANTÆ, &c.] non posset contra niti: sed tantæ moli calamitatis succumberet.

PLVS VAL. HVM. VIRIB. IRA DEI] Augusti ira C est ineluctabilis, omnique virtute superior. Non se potest erigere, quem ille deiecerit.

ILLE SENEX. D. SAP. AB APOLLINE] ab oraculo Delphico. Ausonius, vt creditur.

Vir bonus, & sapiens, qualem vix repperit vnum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Testatur id quoq; 1. Academ. Cicero, & caussam, quare hoc honore se affectũ ab oraculo ipsemet iudicaret, hunc in modum exponit. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab illis qui eum audierunt, perscripti varie, & copiose sunt, ita disputat, vt nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat, nisi id ipsum, eoque præstare cæteris, quod illi quæ nesciant, scire se putent: ipse se nihil scire, id vnum sciat: ob eamq; rem se arbitrari, D ab Apolline omnium sapientissimum esse dictũ, quod hæc esset vna omnis sapientia, non arbitrari sese scire, quod nesciat.

NVLLVM SCRIB. SVSTIN. OPVS] Nihil tamen proditum est scripsisse vnquam Socratem. Sed eius sermones, & disputationes mandauit litteris discipulus Plato. Cic. 3. de Orat. Socrates, cuiua ingenium, variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, litteram nullam reliquit. Quamobrem & Propertius cum ait lib. 2. eleg. 33. *Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris Proderit:* & Horat. ad Pisones. *Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ*, intelligendi sunt de libris, quibus dogmata Socratia explicarentur; qualea

A sunt dialogi Platonis, & libri aliquot Xenophõtis. Nec putandus Ouidius hoc ignorasse. Qui etiam non dicit illum scripsisse: sed si pati calamitate pressus fuisset, nullum opus scribere potuisse. Nã quin philosophiæ parens, & princeps philosophorum, vt à Cicerone appellatur, scribere potuerit si voluisset, dubitare nefas.

VT VEN. PAT. VEN. OBLIVIA NOSTRI, &c.] Vt obliuiscar omnium meorum, & patriæ, quam cum illis amisi, & mei ipsius quoque.

AT TIMOR OFF. F. VETAT QVIETO] Tamen fungi me officio, quod quietem desiderat, timor assiduo mentem meam perturbãs non sinit. Propter quietem enim carmina secessum quærunt. Ego extra oppidum prodire non audeo, nec in B ipso oppido, nec in ædibus quas habito, satis tutus.

CINCTVS AB INNVM. HOSTE] Eleg. 11. *Innumeræ circum gentes fera bella minantur.*

INGEN. LONG. RVBIG. LÆS. TORPET] A ferro metaph. quod non exercitum rubigine fœdatur, & exeditur. Ita ingenium meum propter intermissionem laboris æruginat.

ET EST MVLTO Q. F. ANTE MINVS] Lib. 3. eleg. 14. *Ingenium fregere meum mala.* Et infra: *Et pars antiqui magna vigoris abest.*

FERTILIS ASSID. SI NON REN. ARATRO, &c.] Inductio, quæ ducet, cessante vsu res corrumpi, & per illum in viuacitate, vigoreque suo conseruari.

C *ASSIDVO ARATRO, &c.*] non est quotidie arandus ager, toto anno. Sed nisi certis, ac suis temporibus inuertatur terra, increscent spinæ, & inutiles herbæ, quæ illum emacient sese profundent.

CARCERIB. MISSVS] de carceribus diximus supra in eleg. 10.

RIMISQVE DEHISCIT] *rimisq; fatiscit*, de naui Virgil. 1. AEneid.

SI QVA DIV VACAVIT AQVIS] Si in ripam subducta, diu hæsit in arenis.

FVERIM CVM PARVVS ET ANTE] Eleg. 14. lib. 3. *cum* (ingenij) *& ante Fons infœcundus, parvaq; vena fuit.* Cum nec antea magno fuerim ingenio quando florebam, puto nunc me illi nec par haD bere. Dempsit enim multum calamitas, vt sequitur.

CONTVD. INGEN. P. LONGA MALOR] Lib. 1. eleg. 1.

Da mihi Mæoniden, & tot circumspice casus,
Ingenium tantis excidet omne malis.

Eleg. 2. lib. 4. de P.

Si quis in hac ipsum terra statuisset Homerum,
Esset, credo mihi, factus & ille Getes.

VT NVNC QVOQVE SVMPTA TAB. EST] Nihilominus imperare mihi non potui quin scriberem.

INQVE SVOS VOLVI COG. VERBA PEDES] Oratoris oratio numerosa esse debet, poëtæ meri numeri. In soluta pedes quidam, & in fine perio-

di po-

A di potissimùm seruandi sunt, de quibus in Orat. perf. In ligata, quod ad pleraq; genera versuum attinet, iidem semper. Quos cum inuenire non ita promptum sit, ideo inquit *cogere*. Solutam orationem ligata antiquiorem esse docet Aristid. Tom.1.orat.in Serapim. Quin etiam naturæ conuenientius est, inquit, soluta loqui oratione, sicut & ire pedibus, quam vehi. Nec enim carmina ante orationes, & colloquia sunt inuenta: nec poëtæ nomina rebus imposuerunt: sed cum existerent nomina, & oratio soluta, tum deinde venustatis cuiusdam, & delectationis gratia poësis accessit, quæ hæc excoleret.

DIGNA SVI DOM. TEMP. D. LOCO] Alibi. *Carmine temporibus conueniente fuit.* Vide Principium

B eleg.1.lib.4.& eleg.14.eiusdem libri. *Quod quicunque leget, &c.*

NON PARVAS ANIM. D. GLOR. VIRES] 4. P. 2. *Laudataq; virtus Crescit, & immensum gloria calcar habet.* Cic. pro Archia. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumq; desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, indices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus? Propert. eleg.6.lib.4. *Parua nouum vati laurea mollit iter.*

FOECVND. F. PECT. LAVD. AMOR] Ingenium fœcundat, indeque præclarissima librorum monimenta elicit. Eleg.1.huius libri. *Quaque ingenio stimulos subdere fama solet.*

C *NOM. ET FAMÆ. Q. FVLG. TRAH EB.*] Eleg.1. lib.1. *Donec eram felix, tituli tangebar amore.*

NON ADEO EST BENE NVNC, &c.] Fælicium, & fortunatorum istæ cogitationes sunt.

NVLLI COGNIT. ESSE VELIM] Propter infamiam exilij. Alibi item optat latuisse.

AN QVIA CESSER. P. B. CARMINA] ἀνθυποφορά: Cum bene tibi processerint tua carmina prius, quare non pergis scribere quamuis in exilio?

PACE NOVEM VESTRA, &c.] In antiquo epigram. *Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra.* Refutat à contrario.

VOS ESTIS. N. M. CAVSSA FVGÆ] Eleg.8.

Quamuis interdum quæ me læsisse recordor
Carmina deuoueo, Pieridasq; meas.

D Et eleg.5.lib.3.de Ponto. *nisi me mea Musa fugasset.*

TAVRI FABRICAT. AHENI] Vide eleg.1.

ARTIBVS MEIS] propter artem amandi. In Ibin. *Artificis periit cum caput arte sua.*

NIL MIHI. D. CVM. V. AMP. ESSE] Prudentis enim non est, ad id redire, vnde detrimentum acceperit. Longum vale illis dicendum fuit.

FVGEREM MERITO NAVF. OMNE FRET.] Ne iterum naufragium facerem, & Neptunum iniuste accusarem.

AT PVTO] Græcis οἶμαι, Latinis credo εἰρωνικῶς dicuntur. Ouidio autem At puto, Sed puto frequentissime, tum in his, tum in aliis libris.

SI DEMENS STVD. FATALE RET. &c.] Fortasse hoc loco, si regrediar ad studium meum, quod mihi fato quodam nocuit, inueniam arma, id est, instrumenta carmini idonea. Arma studiosorum sunt libri, nautarum vela, rudentes, remi, fabrorum mallei, incudes, &c.

NON LIBER HIC VLLVS] Sic lib.3.eleg.14.

Non hic librorum per quos inuiter, alarq;
Copia, pro libris arcus, & arma sonant.
Nullus in hac terra recitem cui carmina, cuius
Intellecturis auribus vtar, adest.

VOCISQVE FERINÆ] non loqui, sed vlulare, aut latrare putes.

OMNIA. S. GET. P. TIMORE SONI] omnia perstrepunt vocibus, & clamoribus barbaricis.

IPSE MIHI VID. IAM DEDID. LATINE] Eleg. 14.lib.3.

Dicere sæpe aliquid conanti (turpe fateri)
Verba mihi desunt, dedidiciq; loqui.

Eleg.8.huius.

En pudet, & fateor, iam desuetudine longa,
Vix subeunt ipsi verba latina mihi.

IAM DID. GET. SARM. LOQVI] Ibid. *Sarmatico cogor plurima more loqui.*

NEC TAM. N. TENERI A COMP. &c.] Vide eleg.1.lib.4. *Non equidem vellem.* & 8. huius. *Cum bene deuoui, &c.*

ET SCRIPT. ABSVM. IGNE LIB] Alibi huiusmodi scripta emendaturis ignibus se dedisse dicit.

EXITVS STVD. P. FAVILLA MEI] fructus studij mei est exiguus cinis.

NON VLLOS DVCERE VERSVS] Eleg.14.lib.3.

Inq; tot aduersis carmen mirabitur vllum
Ducere me tristi sustinuisse manu.

PONIT. IDCIRO. N. IN IGNE LAB.] Quia non possum facere tam bonos versus quã velim, ideo factos in ignem coniicio. Sed dicat quis, cur non abstines à compositione? non possum, inquit.

NISI PARS INGEN. MEI] metonymia, efficiens pro re effecta.

FLAMMIS EREPTA DOLOVE] Quærimus, cuius dolo? Quis enim erat illic, cui istuc curæ foret, cum latine scientem secum habuerit neminem?

NIL MET. TALE MAGIST.] Qui autem docet, magister est. Docuit artem amandi Ouid. Eius igitur artis magister fuit. Vide eleg.3.lib.3.de P. Sed triste δίδακτρον accepit, quod alicubi fatetur.

Naso parum prudens artem dum tractat amandi
Doctrina pretium triste magister habet.

Optat ergo sic versam fuisse in cineres illam artem suam, vt alia quæ in exilio scripsit, & mox flammis iniecit.



ELEGIA DECIMAQVARTA.

EXPOSTVLATIO DE SILENTIO.

ARGVMENTVM.

LAteris dolore multis sediebus vexatum. Grauiter item læsum ex frigore. Merita amici agnoscit: litterarum tantummodo crebritatem ab eo postulat, vt perfectæ munus amicitiæ expletum sit. Posse tamen fieri, vt scripserit, quæ sibi reddita non sint, & optat ita factum, atque ab impossibile contendit, non posse eum sui memoriam deponere. Monet nihilominus, det operam, ne quod non est, esse appareat quanquam falsò: & secum in scribendo par faciat, pro colloquiis illis, quæ præsentes crebra, & longa habuerint. Ne diffidere illi videatur, paucis monere voluisse.

Hanc tuus è Getico mittit tibi Naso salutem,
Mittere si quisquam, quo caret ipse, potest.
Æger enim traxi contagia corpore mentis:
Libera tormento pars mihi ne qua vacet.
Perq; dies multos lateris cruciatibus vror:
Sic quoque non modico frigore læsit hyems.
Si tamen ipse vales, aliqua nos parte valemus:
Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.
Qui mihi cùm dederis ingentia pignora, cumque
Per numeros omnes hoc tueare caput:
Quòd tua me rarò solatur epistola, peccas:
Remq; piam præstas, & mihi verba negas.
Hoc precor, emenda: quod si correxeris vnum,
Nullus in egregio corpore næuus erit.
Pluribus accusem, fieri nisi posset, vt ad me
Littera non veniat, missa sit illa tamen.
Dij faciant, vt sit temeraria nostra querela:
Teque putem falsò non meminisse mei.
Quod precor, esse liquet: neq; enim mutabile robur
Credere me fas est pectoris esse tui.

Cana prius gelido desint absinthia Ponto:
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo:
Immemorem quàm te quisquam conuincat amici;
Non ita sunt fati stamina nigra mei.
Tu tamen, vt falsa possis quoq; pellere culpa
Crimina: quod non es, ne videare, caue.
Vtq́; solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermoni deficiente die:
Sic ferat, ac referat tacitas nunc littera voces;
Et peragant linguæ charta manusque vices.
Quod fore ne nimium videar diffidere: sit me
Versibus hoc paucis admonuisse satis.
Accipe, quo semper finitur epistola verbo:
Atq; meis distent vt tua fata, vale.

COMMENTARIVS.



GETICO] subaudi littore, aut solo.

QVO CARET IPSE] ἀξίωμεν. Eleg. 1. lib. 1. *Viuere me dices, saluum tamen esse negabis.* Et 3. lib. 3. *Quod tibi qui mittit non habet ille vale.* Hinc aliquoties se ademptum vocat, quasi è viuis exemptum.

ÆGER ENIM TRAXI CONTAG. MENT.] Mentis dolor, & cruciatus redundauit in corpus ex συμπαθείας, quæ est inter corpus, & animam. Hinc ægrotantibus medici curis anxiis, & molestis interdicunt.

LIBERA TORM. PARS. M. N. Q. VACET] ne non satis miser essem, si non vtrinque torquerer.

LATERIS CRVCIAT. VROR] pleuritide, vt suspicor, quam sic definit Galenus. Est dolor lateris membranæ succingentis, ad clauiculam vsque, & summum humerum, & scapulam exporrectus, cum acuta, & non intermittente febre, itemque pungente dolore, & horrore, & spirandi difficultate, tussique coniunctus. Vri autem etiam in dolore dicitur. 4. Metamorph. *tantus dolor vrit amantes.* Terent. *Vre hominem.* Et in amore ἀπλῶς. Horat. Ode 19. lib. 1. *Vrit me Glyceræ nitor.* Paulus de matrimonio agens 1. Corinth. cap. 7. κρεῖσσον γὰρ ἐστι γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι. *Melius est enim nubere, quam vri.*

SIC QVOQVE NON MOD. FRIG. HIEMS] Lege cum Ciof. Me quoque, vt dicat, se quoque à frigore male affectum.

SI TAMEN IPSE VALES, &c.] Valetudo tua me recreabit. Minus male habebo. Eleg. 8.

Si tibi contingit cum dulci vita salute,
Candida fortunæ pars manet vna meæ.

Non admodum diuersus abit ab hoc noëmate Plin. ep. 17. lib. 3. Ipse valeo, si valere est, suspensum, & anxium viuere, exspectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo, quidquid accidere homini potest.

MEA EST HVM. F. RVINA TVIS] Lib. 1. eleg. 5. *Te mea supposita veluti trabe fulta ruina est.* Hæc caussa est, cur eius valetudine lætaturus sit. Cic. post red. in senatu. Horum consulum ruinas consules vestra virtute fulsistis. Et in Philipp. cum labentem, & propè cadentem rempub. fulcire cuperetis.

QVI MIHI. C. DED. INGENTIA PIGNORA] cum dederis animi erga me tui documenta maxima, & certissima.

PER NVM. OMNES] Perfectio rei declaratur prouerbio, omnibus numeris. Et ductum est à Musicis. Idem quod omni ratione, modis omnibus.

HOC CAPVT] δεικτικῶς, me. Et caput pro toto homine συνεκδοχή. Quod capita, tot sensus. Horat. Ode 28. lib. 1. *nullum sæua caput Proserpina fugit.*

QVOD TVA ME RARO SOL. EP. PECCAS] Amantium enim est crebrò colloqui per litteras, si possint, & ita lenire tædium absentiæ.

REMQVE. P. PRÆST. ET MIHI. V. NEG] Officio satis facis, pius es erga me, dum me tueris, meamq́ue caussam agis, & interim dum raró scribis, verba mihi negas, absentem non alloqueris crebrius, quod non magni laboris foret. ἐμφατικῶς *verba.* Cunctari & grauari posses, si quidquam rei abs te cuperem. Mirum autem, qui rem tam egregiè præstes, inuidere mihi verba tua.

HOC PRECOR EMENDA] scribe frequẽtins. A

NVLLVS IN EGREG. CORP. NÆVVS ERIT] Allegoria est. Nihil abs te requiram amplius, si hanc veluti ex formoso corpore labem, aut maculam vnicam sustuleris. Cic. 1. de nat. Deor. Nobis, qui adolescentulis oblectamur, etiam vitia sæpe iucunda sunt. Næuus in articulo pueri delectat Alcæum. At est corporis macula næuus: illi tamen hoc lumen videbatur. Lycus huic puero nomen fuit.

PLVRIBVS ACCVSEM] enallage modi, coniunctiuus pro optatiuo. Vterer pluribus verbis in hac reprehensione.

LITTERA NON VEN. MISSA SIT ILLA TAM.] Eleg 7. lib. 4.

Innumeri montes inter me, teq; viaque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca iacent.
Mille potest caussis à te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras rara venire manus.

VT SIT TEMERAR. NOSTRA QVEREL.] Ead. elegia similiter hanc negligentiam amico exprobrans, B

Dij faciant, vt sæpe tua sit epistola dextra
Scripta, sed è multis reddita nulla mihi.

TEQVE PVTEM FALS. N. MEM. MEI] Et decipiat me opinio mea.

MVTAB. ROBVR PECT. ESSE TVI] constãtiam tuam labefactatam esse credere nequeo.

CANA PRIVS GELIDO, &c.] Huiusmodi ἀδύνατα, quibus ad amici constantiam astruendam vtitur, etiam in illa eleg. 7. lib. 4. cumulat, eadem de caussa. *Crediam prius ora Medusæ Gorgonis anguineis tecta fuisse comis, &c.*

TRINACRIS HYBLA] Siciliæ mons, vbi ingens thymi copia. Hoc loco adiectiuum est. Alioqui Trinacria ipsa Sicilia, à tribus promontoriis, quæ græcè ἄκρα. Eorum nomina Lilybæum, Pelorum, Pachynum: quorum primum Africam, alterum Italiam, tertium Græciam respicit.

IMMEM. Q. TE QVISQ. CON. AMICI] Alibi.

Hæc ego cuncta prius quam te, charissime, credam
Mutatum, & curam depofuisse mei.

NON ITA SVNT. F STAM. NIGRA MEI] non sum adeo miseri, malique fati: nigrum enim significationem habet infælicitatis, vt album, & candidum fælicitatis, & lætitiæ.

QVOD NON ES, NE VID. CAVE] Si scribis, non es quod falsò videris. Ne autem vere videaris, scribere ne desine.

CONSVM. LONGA LOQ. TEMP.] in multas horas sermones cædere.

SERMONI DEFICIENTE DIE] in noctem vsque. Eleg. 4. lib. 2. de P.

Sæpe cita longis visa sermonibus hora,
Sæpe fuit breuior quam mea verba dies.

Virgil. eclog. 9. *Cantando puerum memini me condere soles.*

FERAT AC REF. TACIT. T. LITT. VOCES] Sic nunc vice sermonum commeent inter nos epistolæ. Est enim tacitus nuntius, & absentium sermo epistola.

TIBI NE NIM. VID. DIFFID.] Longa monita, & preces multæ, signum diffidentiæ vt plurimum. Tali excusatione vsus est Cic. ep. 4. lib. 2. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem. Et hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui caussa, sed testificandi amoris mei.

QVO SEMP. FINIT. EP. VERBO] Ex congressu salutatio, & valedictio ad epistolam translata sunt, quàm illa ordimur, hac finimus. Communissimum est, vale. Cic. pluribus modis est vsus. Da operam vt valeas, Bene vale, & me dilige. &c.

MEIS DISTENT VT TVA VOTA] Ego enim non valeo, quia & cruciatibus lateris vror, & exul sum. Idcirco mihi bene esse qui potest?

ELEGIA DECIMAQVINTA.

VIRTVS BONAE CONIVG. IMMORTALIS.

ARGVMENTVM.



Vinta epistola ad vxorem in his libris. Se scriptis suis illi famam omniæuo duraturam conciliasse. Habituram æmulatrices, modo perstet in fide erga se. Quemadmodum ipso saluo proba, & extra omnem culpam fuerit, nunc etiam se

perdi-

perdito debere talem reperiri, & magis. Laudandam illam coniugem, quæ viro quasi tempestate afflicto non se subducit. Virtutem gratuitam semper celebrari locis omnibus. Adduntur coniugum probatissimarum exempla. Amore, & fide erga se claritatem adepturam. Se pro consuetudine eam monere vt faciat, etiam quæ facit, & hanc laudem potius, quam cohortationem videri.

Quanta tibi dederim nostris monimenta libellis,
O mihi me coniux carior, ipsa vides.
Detrahat auctori multum fortuna licebit:
Tu tamen ingenio clara ferère meo.
Dumq; legar, mecum pariter tua fama legetur:
Nec potes in mœstos omnis abire rogos.
Cumq; viri casu possis miseranda videri:
Inuenies aliquas, quæ, quod es, esse velint.
Quæ te, nostrorum cùm sis in parte malorum,
Felicem dicant, inuideantq; tibi.
Non ego diuitias dando tibi plura dedissem.
NIL FERET AD MANES DIVITIS VMBRA SVOS.
Perpetui fructum donaui nominis: idque
Quo dare nil potui munere maius, habes.
Adde, quòd & rerum sola es tutela mearum.
Ad te non parui venit honoris onus.
Quòd nunquam de te vox est mea muta, tuique
Iudiciis debes esse superba viri.
Quæ ne quis possit temeraria dicere: persta:
Et pariter serua meq; piamq; fidem.
Nam tua, dum stetimus, turpi sine crimine mansit,
Et tantùm probitas irreprehensa fuit:
Par eadem nostra nunc est tibi facta ruina:
Conspicuum virtus hîc tua ponat opus.
ESSE BONAM FACILE EST, VBI, QVOD VETAT ESSE, REMOTVM EST;
Et nihil officiis nupta, quod obstet, habet.
Cùm Deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum est pietas, id socialis amor.
RARA QVIDEM EST VIRTVS, QVAM NON FORTVNA GVBERNAT:
QVAE MANEAT STABILI, CVM FVGIT ILLA, PEDE.
Si tamen est, pretium cui virtus ipsa petitum:
Inq; parum lætis ardua rebus adest:
Si tempus numeres, per secula nulla tacetur:
Et loca transgreditur, quà patet orbis iter.

Apicis, vt longo teneat laudabilis æuo
Nomen inextinctum Penelopea fides?
Cernis, vt Admeti cantetur, vt Hectoris vxor?
Ausáque in accensos Hiphias ire rogos?
Vt viuat fama coniux Phylaceia, cuius
Iliacam celeri vir pede preßit humum?
Nil opus est morte pro me, sed amore fidéque:
Non ex difficili fama petenda tibi est.
Nec te credideris, quia non facis, ista moneri:
Vela damus, quamuis remige nauis eat.
Qui monet, vt facias, quod iam facis: ille monendo
Laudat: & hortatu comprobat acta suo.

COMMENTARIVS.

A *QVANTA TIBI. D. N. MONIM. LIBELL.*] Extant 5. epistolæ ad eam his Trist. lib. vt dixi: aliquot in sequentibus de Ponto. Sed eleg 5. lib. 1. illorũ, eximiè cantatur.

O MIHI ME CONIVX CHARIOR] Exprimit hunc amorem eleg. 3. lib. 3. *Omnia tum fubeant, vincit tamen omnia coniux.* Modus summi amoris significandi, charior es mihi me ipso. Alioqni anima, oculis chariores dicuntur, qui summe diliguntur.

IPSA VIDES] Ex libris Trist. iam missis, quos legere poteris cum voles.

DETRAH. AVCT. MVLT. F. LICEBIT] Quantumcunque ego iactet incommodis. Non potest hoc ad nominis existimationem referri, hoc sensu, quantumcunque malè mihi dictitabitur: sic enim non cohærerent sequentia. Nam si contemneretur Ouidius, quomodo vxori daret perpetuam memoriam?

B *INGENIO CLARA FERERE MEO*] versus ingenij mei, ex ingenio meo profecti te illustrabunt. Sallust. in Catilin. Atheniensium res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ, magnificæque fuere: verùm aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia prouenere ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorũ qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia.

PARITER MECVM. T. F. LEGETVR] Toto orbe se legi gloriatur eleg 10. lib. 4. & addit.

Si quid habent igitur vatum præsagia veri,
Protinus vt moriar, non ero terra tuus.

NON. P. IN MOEST. O. ABIRE ROGOS] Superstes erit fama tua. Eleg. 5. lib. 1.

A *Quantumcunq; tamen præconia nostra valebunt,*
Carminibus viues tempus in omne meis.
Eleg. 6. lib. 2. de Ponto.
Crede mihi, nostrum si non mortale futurum est
Carmen, in ore frequens posteritatis eris.

POSSIS MISERANDA VIDERI] vxor exulis, quod tibi pudori esse queat. & miseriæ.

QVÆ QVOD ES, ESSE VELINT] quę tuo loco, seu tibi similes velint esse, suæq́ue virtutis huiusmodi nancisci præconem. Tanta est cupido laudis, & gloriæ, vt eius caussa ne mors quidem recusetur ab ingenuis.

NOSTROR. CVM SIS IN P. LAB.] cum feras exilium meum dolenter mecum. Venire in partem laborum, est collaborare.

INVIDEANTQVE TIBI] virtus parit æmulos, & Inuideri (quod verbum nouauit Horatius ad Pisones) excellentiæ indicium. Dionysius Sophista apud Stobæum.

B *ἄνθρωπε δ' οὐδὲ τοῦτο γινώσκεις, ὅτι*
τοῖς οὐδὲν οὖσιν οὐδὲ εἷς ὅλως φθονεῖ;
ἀεὶ τὰ σεμνὰ κλέπτεται φθόνον.
An tu nec istus quæso perspectum tenes,
Habentibus nihil inuidere neminem?
Liuor malus præclara semper appetit.

NON EGO DIVIT. DANDO] Præstat enim gloria diuitiis, quæ retineri nequeunt, & habet in eas fortuna dominatum. Fallaces dicuntur in sacro Euangelio,

DIVITIS AD MANES NIL. FER. VMB. SVOS] Propert. eleg. 5. lib. 3.

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas,
Nudus ab inferna stulte vehere rate.

Plaut. Trinum. *mirum ni tu illuc tecum diuitias feras.* Plin. lib. 19. cap. 4. Mors æquabit, quos pecunia separauerit. Aptum huic sententiæ illud Dauidicum de morte diuitum. *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum. & nihil inuenerunt in manibus suis.*

PERPETVI FRVCT. DONAVI NOM.] non intermorietur nomen tuum, propter æternitatem scriptorum meorum.

QVO DARE NIL POTVI MAIVS] Gloria enim est, cuius gradibus in cœlum homines videntur ascendere. Marulli distichon teneo memoria, ad Principem quendam.

Das gemmas, aurumque, ego do tibi carmina tantum:
Sed bona si fuerint carmina, plus ego do.

QVOD ET RER. SOLA ES TVTEL. MEARVM] Tutaris res meas. Eleg. 5. lib. 1.

Tu facis vt spolium non sim, nec nuder ab illis,
Naufragij tabulas qui petiere mei.

NON PARVI HONORIS ONVS] Geris personam honorificam. Aut referuntur hæc ad antecedentia, vt sensus sit, ex tutela rerum mearum capis magni honoris fructum.

QVOD NVNQVAM DE TE. V. E. MEA MVTA] Nunquam prætereo laudes tuas.

TVIQVE IVD. D. ESSE SVP. VIRI] Et quod lauderis, & quod à viro tuo lauderis, debes sumere superbiam quæsitam meritis.

TEMERARIA] falsa, & temere facta.

SERVA MEQVE, PIAMQVE FID.] me seruas, & tuendo facultates contra quosdam inhiantes illis: & Cæsarem pro me rogādo: nec exilium meum erubescendo.

DVM STETIM. TVA. S. CRIM. M. PROBITAS] Rebus meis saluis tua probitas tantummodo reprehensione caruit. De verbo iacere, & stare in fortuna, & conditione, diximus alio loco.

PAR EAD. N. N. EST TIBI. F. RVINA] In nostra ruina parem ostendisti. Vel parem eius demonstrandæ occasionem habes.

CONSPICVVM PONAT OPVS] Quasi quandam statuam nunc tibi virtute tua erige, conspicuam omnibus.

ESSE BONAM FACILE EST, &c.] Virtus in arduis cernitur. Remotis difficultatibus, & impedimentis quis non esset temperans, modestus, magnanimus? &c. Eleg. 6. lib.

Scilicet aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.

NVPTA] coniux. Noua nupta, quæ recens matrimonium capessiuit.

CVM DEVS INTONVIT] cum quippiam graue, & aduersum incidit. Eleg. 4. lib. 1. de amicis temporaneis. *At simul intonuit, fugiunt.*

NON SE SVBDVCERE NIMBO] Tonitrua sequuntur plerumque nimbi, ideo coniunxit hæc duo. Nimbi dicuntur repentinæ, & præcipites pluuiæ. Pluuias ipsas vocamus lentas, & iuges. Seruius. Vide Isid. lib. 13. cap. 10.

ET SOCIALIS AMOR] Ad societatem coniugalem respicit.

QVAM NON FORTVNA GVBER. &c.] quæ non sequitur fortunam. Quæ fortuna mutata, ipsa non mutetur, & sibi semper constet. Vide eleg. 4. & 5. lib. 1.

SI TAMEN EST, PRET. C. VIRTVS IPSA PET.] sed si est subaudi aliquis, cui pretium sit ipsa virtus. Qui aliud præmium præter virtutem ipsam non desideret: quod paucorum est. Vix enim reperitur, qui gratis velit esse probus.

INQVE PARVM LÆT. ARD. REB. ADEST] & in rebus tristibus manet illa virtus inexpugnabilis, & indeiecta.

SI TEMPVS NVMERES] quamdiu illa memoretur. Si quæras quamdiu credibile sit illam in ore hominum futuram.

PER SÆCVLA NVLLA TACETVR] viget memoria sæculorum omnium.

QVA PATET ORBIS ITER] toto orbe, terra marique.

PENELOPEA FIDES] Nominat pro exemplis fidissimarum coniugum, atq; ob id clarissimarum Penelopen Vlyssis, Alcesten Admeti Pherarum regis, quæ mori pro marito non detrectauit, Andromacham Hectoris, Euadnen Capanei, quæ se in rogum mariti coniecit, Laodamiam Protesilai. De his vide eleg. 5. lib. 1. Vide & versiculos quos de iisdem recitat Ciofan.

NON EX DIFF. FAMA PET. TIBI] Nam vt moriaris pro aliquo, est petere nomen sibi ex difficili. Facilius est amare, & fidem seruare, quā mortem pro alio oppetere.

VELA DAM. Q. REMIGE NAVIS EAT] Naues quò celerius currant, velis remísque aguntur. Pæne idem hac allegorica locutione dicit, quod dicitur, currentem incitare. Excusat & Cicero monitiones suas. Epist. 3. lib. 10. Hæc amore magis impulsus ad te scribenda putaui, quam quod arbitrarer te præceptis, & monitis meis egere. Et ep. 4. lib. 2. In hanc sententiam scriberem plura, &c. locum supra adduxi. Eleg. 11. lib. 2. de P.

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.

QVI MONET VT FACIAS, &c.] Notanda γνώμη, & vsurpanda aduersus eos, qui se moueri ægrius ferunt, cum officium faciunt illi quidem, sed languidius, & somniculosius.

Finis Librorvm De Tristibvs.

Lavs Deo Immortali Sempiterna.



EIVSDEM

EIVSDEM IACOBI
PONTANI

IN P. OVIDII NASONIS DE PONTO LIBROS QVATVOR

NOVI COMMENTARII.

IN LIBRVM DE PONTO. I.

INSCRIPTIO HORVM LIBRORVM, EORVMQVE CVM ANTEGRESSIS COMPARATIO.

QVEMADMODVM inſcriptio librorum DE TRISTIBVS quibuſdam cenſoribus non placebat: ita & hæc DE PONTO iiſdem non probatur: proinde vtramque mutandam ſentiunt. Atq; vt illos docent appellandos TRISTIVM, ſic hos A, vel IN PONTO, aut PONTICAS ELEGIAS, aut EXILIVM. Quærimus ergo, vtrum titulus integer, ac plenus ita concipiendus videatur. P. OVIDII NASONIS A PONTO, vel IN PONTO LIB. IV. An, PONTICARVM ELEGIARVM LIBRI IV. Omnino enim opus, cum, quanquam non re ſubiecta, vtrobique enim triſtia canuntur, ſed præpoſitis amicorum nominibus à priore diſtinguatur (licet in Triſtibus non omnes elegiæ ſint epiſtolæ, vt in his) etiam in libros ſuos diſpertiendum eſt, vt diſpertitum cernimus. Harum inſcriptionum quam maximè nos amplectamur dicemus, ſi prius de vulgata, & antiqua dixerimus, quam non immeritò reprehendi, nec ab ipſomet Ouidio, ſed barbaro aliquo excogitatam, ac præpoſitam opinamur. Qui cum volumen ſeparatum videret, nec cum ſuperiore poſſe coniungi: ſciret autem poëtam exulaſſe in Ponto, indeq; has epiſtolas ad ſuos miſſitaſſe: non multum ratiocinatus, & Grammaticæ immemor. DE PONTO inſcripſit. Hanc inſcriptionem etſi minus conuenientem, tamen vt iam inueteratam, & omnium ore tritiſſimã, immutare noluimus, ſatis habentes, iudicium noſtrum lectori hoc loco expoſuiſſe. Alioqui PONTICARVM ELEGIARVM (immo potius PONTICARVM EPISTOLARVM, quandoquidem ſuum vnaquæque nomen illius cui tranſmittitur præfixum habet) LIBROS appellare mallemus, quàm ſiue A PONTO, ſiue IN PONTO. Quale enim eſſet, OVIDII IN PONTO LIBRI IV? Ineptius etiam, OVIDII EXILII LIBRI IV: tum propter aſperitatem, & hiatum: tum quia Triſtium libri perinde Ouidianum exilium continent. Atque vt hi, ſic illi eo nomine, titulóue affici poſſunt: ſicut viciſſim, ſpectatis argumentis, vtroſque Triſtium nominare nihil impediret: Quos niſi ipſemet Poëta diſtinxiſſet, ac ſeparaſſet, vt ex 1. epiſt. lib. 1. apparet, omnes nomine vno communi Triſtium inſcriberem,

cum hoc discrimine duntaxat, vt partem priorem *appellarem, quæ nunc V. libros Tristium complectitur; quia nominibus carent eorum, ad quos scribuntur:* partem posteriorem, *quæ habet expressa nomina, vt sunt IV.* de Ponto. *Quod si obiicias, & illos Tristium æquè Ponticas elegias esse, assentiar, dicamque, priscam inscriptionem vel ideo retinendam videri, quod ex adductis in medium nulla sit, quæ eam de possessione deturbare ex Prætoris edicto iure queat.*

Sciendum præterea, cum materia his, & illis communis sit, horum tamen librorum faciem aliquanto viriliorem esse, atque in his elegiis plus succi, plus ossium & neruorum reperiri, in quibus poëta sese nonnihil erigit, languoremque præcedentem discutit: vt hi cum illis collati propemodum eandem proportionem ad eos, quam heroicum poëma ad elegiacum quà spiritu, quà granditate obtinere existimandi sint.



EPISTOLA, SEV ELEGIA I.

Ad Brutum.

PETITVM LIBELLIS HOSPITIVM.

ARGVMENTVM.

HIS elegiis, seu epistolis nulla præscribuntur argumenta in vulgatis editionibus. Quod vtique melius, quàm præscribi aut falsa, aut tam curta, vt minimæ parti responderent: quod per libros Tristium sæpius factum deprehendas. Quocirca vt illic dedimus, ita hic quoq; operam diligentem dabimus, vt summam, siue lemma cuiusque elegiæ quàm breuissimè, & apertissimè licebit, nostris verbis explicemus, quò facilius, & citius rerum tractatarum varietas à studioso lectore perspiciatur. Vt igitur nunc ad argumentum veniamus, libellis suis priuatum à Bruto hospitium rogat, publicum rogare veritus. Res horum, similiter vt antegressorum esse tristes. Differre autem ab illis, quod singulis elegiis eorum nomina propria, ad quos mittuntur, præposita sunt, tametsi illi hoc nolint. Nihil ei timendum, cum vel hostium Cæsaris scripta Romæ habeantur, leganturque. Se tanto iustius locum Romæ inuenire oportere, quod nec in caput Cæsaris coniurarit, & ipsum toties celebret. Atq; in hac parte

di la tanda diutius hæret. Non repudiaturum Cæsarem laudes suas. Inde vsque ad finem cruciatum animi ob conscientiam delicti sui aduersus ipsum mirè exaggerat, & vel propter hunc exilium tolerabilius se meruisse arbitratur.

Naso Tomitanæ iam non nouus incola terræ,
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.
Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.
Publica non audent inter monumenta venire,
Ne suus hoc illis clauserit auctor iter.
Ah quoties dixi, certè nil turpe docetis,
Ite, patet castis versibus iste locus.
Nec tamen accedunt: sed, vt aspicis ipse, latere
Sub lare priuato tutius esse putant.
Quæris, vbi hos possis nullo componere læso:
Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.
Qui veniat nouitate roges fortasse sub ipsa,
Accipe, quodcunque est, dummodò non sit amor.
Inuenies, quamuis non sit miserabilis index,
Non minus hoc illo triste, quod antè dedi.
Rebus idem, titulo differt: & Epistola, cui sit
Non occultato nomine missa, docet.
Nec vos hoc vultis, sed non prohibere potestis:
Musáque ad inuitos officiosa venit.
Quicquid id est, adiunge meis: nil impedit ortos
Exule, seruatis legibus, vrbe frui.
Quod metuas non est: Antoni scripta leguntur:
Doctus & in promptu carmina Brutus habet.
Nec me nominibus furiosus confero tantis.
Sæua deos contra non tamen arma tuli.
Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse,
Non caret è nostris vllus honore liber.
Si dubitas de me, laudes admitte deorum,
Et carmen dempto nomine sume meum.
Adiuuat in bello pacatæ ramus oliuæ:
Proderit auctorem pacis habere nihil?
Cùm foret Æneæ ceruix subiecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.
Fert liber Æneaden, & non iter omne patebit?
At patriæ pater hic, ipsius ille fuit.

Ecquis ita est audax, vt limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?
Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exigua quis stipis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ:
Vnde tamen viuat, vaticinator habet.
Ipsa mouent animos superorum numina nostros,
Turpe nec est tali credulitate capi.
En ego pro sistro, Phrygiique foramine buxi,
Gentis Iuleæ nomina sacra fero.
Vaticinor, moneóque: locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.
Nec, quia vel merui, vel sensi principis iram,
A nobis ipsum nolle putate coli.
Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos.
Alter ob hanc similem priuatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.
Talia cælestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid valeant numina, teste probent.
SAEPE LEVANT POENAS, EREPTAQVE LVMINA REDDVNT,
CVM BENE PECCATI POENITVISSE VIDENT.
Pœnitet ô, si quid miserorum creditur vlli:
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estq; pati pœnam, quàm meruisse, minus.
Vt mihi dij faueant, quibus est manifestior ipse,
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certè, ne sim, cùm venerit, exul:
NE NON PECCARIM, MORS QVOQVE NON FACIET.
Non igitur mirum est, si mens mea tabida facta
De niue manantis more liquescit aquæ.
Estur vt occulta vitiata putredine nauis,
Æquoreos scopulos vt cauat vnda salis:
Roditur vt scabra positum rubigine ferrum,
Conditus vt tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quàm vita, relinquent:
Quíque dolet, citius quàm dolor ipse, cadet.

Hoc mihi si superi, quorum sumus, omnia credent,
Forsitan exigua dignus habebor ope.
Inq; locum Scythico vacuum mutabor ab arcu:
Plus isto duri, si precer, oris ero.

COMMENTARIVS.



IAM NON NOVVS INCOLA] *Arbitror*, iam vetus incola, propè enim quadriennium ibi exegerat. Et notandum, tribus prioribus, libros Tristium: quatuor sequentibus, de Ponto conscripsisse, si non plus septem annos in exilio vixit. Qua de re dictum in Prodidag.

TOMITANAE TERRAE] Vnde nomen huic paruæ vrbi, docuit ipse eleg.9.lib.3. Trist. Tomitanæ terræ dixit, pro Tomitanæ vrbi.

DE GETICO LITTORE] Littus poëtis est terra mariq; vicina. Virg.1.Aen. *Lauinaq; venit Littora.* περιαιγιαλῶς tota regio trāsmarina, qualis Scythia, vbi Getæ, Sarmatę, &c. inter quos degebat Naso.

HOC OPVS] De vno libro separato istuc capiendum non puto, tametsi alibi lectorem monuimus, singulos ab eo mitti solitos, prolato ipsius Ouidij testimonio: non puto, inquam, cum sequatur, *hospitio peregrinos, Brute, libellos Excipe.* Quid ergo? dedicatoria est hæc epistola, per quā totum opus hoc, quatuor libros hosce, nondum scriptos ei destinat, & iis hospitem, ac hospitium apud eum parat, orans, vt vnum post alterum accipiar, & conseruet. Libros item Fastorum opus nominat. *Excipe pacato Cæsar Germanice vultu. Hoc opus.* Sic Cicero epist.18.lib.16. An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.

SI VACAT] si tantum tibi est otij ab re tua. Aut, quia de hospite, & hospitio agit, *si vacat,* si locus est iis accipiendis, & reponendis Hoc tamen sine casu durius est, & nescio num latinum. Subaudiatur itaque *locus*. Prior quoque modus, cum quidam dicunt, non vacat mihi, non addentes infinitiuum, barbaris relinquendus. Ouid.2.Trist. *Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.*

PEREGRINOS LIBELLOS] è peregrino solo venientes, non tamen à peregrino: sed à familiari, & noto.

QVOLIBET ABDE LOCO] Non recusat eos etiam in latebram, aut angulum coniici, dummodo Romæ sint. *Quolibet* iunctim, & disiunctim legi potest.

PVB. NON AVD. INTER MONIM. VRB.] Repulsum se à Palatina bibliotheca, & ab altera in atrio Libertatis, lamentatur, eleg.1.lib.3.Trist. Monumenta Seruio sunt memoriæ, id est, sepulchra: monimenta verò à mentis admonitione sunt dicta. Non igitur eadem vocali, vltima nempe in ambobus scribenda secunda syllaba. Monumentum autem dicitur à muniendo, quod muniendi caussa fiat, quasi munimentum. Publicare bibliothecam, aut huiuscemodi quippiam, est publicam, & publicum, seu publici iuris facere.

NE SVVS. H. ILLIS. C. AVCT. IT.] Ibidem.
Ingenio auctoris miseri fortuna redundat,
Et patimur nati quam tulit ipse fugam.

CERTE NIL TVRPE DOCETIS] Ibidem. *Nullus in hac charta versus amare docet.*

PATET CASTIS VERSIBVS ILLE LOCVS] Palatina bibliotheca non reiicit eastos poëtas. De ea dictum illic in Comment. in Tristibus inquam.

LATERE SVB LARE. P. &c.] Ibid.
Interea, quoniam statio mihi publica clausa est,
Priuato liceat delituisse loco.

Quomodo numero etiam singulari appellatur lar laris: sic eodem, vt in plurali, domum significat περιφραστικῶς. Plaut. in Trinum. *Larem corona nostrum decorari volo.* Et in Aulular. Lar familiaris agit prologum. Cicer.5.Verr. Pauci essent reliqui, qui L. Metelli auctoritate in agros, atq; ad suum larem familiarem redirent. Virgil.4. Georg. *sub terra fodere larem.* Omitto poëtas alios. Differunt lares, & penates, quod illi erant communes omnium ædium: hi singularum proprij. Illis res diuina fiebat ad forum: his in atrio, aut inferiore parte ædium. Plaut. Mercat. *Ego mihi alios penates deos persequar, alium larem.*

QVAERIS VBI HOS POSSIS, &c.] Quasi iam impetrato hospitio, suggerit locum reponendi, & abscondendi.

COMPONERE] simul collocare.

NVLLO LAESO] citra cuiusquam offensionem.

QVA STETERANT ARTES] Loco librorum de arte amandi illos reconde. Habebat ergo Brutus penes se alios libros Ouidij, abiectis illis de Arte, quos aliquandiu seruauerat.

QVI VENIANT] Cuius generis sint, quid profiteantur, quales veniant, serij an lasciui. Vulgari. *Quid veniat.* Ferri potest, ac si quærat Brutus, quid materiæ in hisce libris veniat, quid rerum potissimùm comprehendant.

DVMMODO NON SIT AMOR] nam eo argumento nihil odiosius, nec mihi inuisum magis, postquam semel propter id in has ærumnas deuolutus sum.

QVAMVIS NON SIT MISERAE. INDEX] Quanquam epigrapbe non indicat calamitatem, seu argumĕtum luctuosum. Ex hisce verbis colligat quispiam, ipsum Ouidium fecisse titulum his libris, eumq; non tristem, nempe hunc, DE PONTO. Quod enim sequitur, *& epistola cui sit Non occultato nomine missa docet*, non videtur expositio verborum, *titulo differt*. Verùm mihi fit verisimile, Nasonem epistolarum libros hoc opus inscripsisse, quod ex hoc, & tribus consequentibus versibus diuino.

NEC VOS HOC VVLTIS] Hoc dixit & eleg. 4. lib. 3. Trist. *& ipsos In nostro poni carmine nolle puto.*

MVSAQVE AD INVIT. OFF. VENIT] Vel inuitis vobis officium præstamus, considerantes, non quid vos velitis: sed quid nos deceat.

QVIDQVID ID EST] qualecunque est: hoc enim cum priore coniunxit etiam Catull.

NIHIL IMPED. ORT. EXVLE, &c.] Non illis, sed mihi indictum est exilium. Eleg. 14 lib. 3. Trist.

Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruere sui.

ANTONI SCRIPTA LEGVNTVR] Et tamen Antonius inimicus Cęsaris Augusti. Adi Florum lib. 4. cap. 3. Immò Plutarch. Vtrum ne scripta in ipsum Octauium, an alia?

ET IN PROMPTV CARM. BRVT. HAB.] M. Brutum intellige, qui ipse quoque pugionem in corpore Iulij Cæsaris, magni auunculi Octauij Augusti defixit. Hunc Plin. epist. 3. lib. 5. inter eos recenset, qui poëmatis luserunt. Non omittitur etiam à Gyraldo, dial. 10. de poëtis.

FVRIOSVS] quod si facerem, essem furiosus, seu furiosè agerem, vt sit nomen pro aduerbio, ἐναλλαγικῶς. Frequenter sic Horatius. Ep. 2. lib. 1. *Quæ si cum sociis stultus, cupidusq; bibisset.* Sat. 4. lib. 2. *Si vespertinum solitò te oppresserit hospes.* Ode 15. lib. 1. *tamen hen serus adulteros crines puluere collines.* Virgil. 3. Georg. *nec gregibus nocturnus obambulat*, id est, noctu. Et Aeneid. 8. *Nec mimus Æneas se matutinus agebat*, id est, mane. Fluxit à Græcis. Testimonia lege apud Lamb. in Ode 16. Epod.

SAEVA DEOS. C. NON TAM. ARMA TVLI] Occurrebat scribenti hæc bellum giganteum. Cicero ad bellum cum natura transtulit in Catone. Nam quid est aliud naturæ repugnare, nisi gigantum more cum diis bellare? Contra Iulium igitur, & Augustum, vt Antonius, & Brutus, quos nominauit. Quare si eorum scripta vrbe non prohibentur, multo minus ea prohiberi debent Ouidij. Argumentatio est à maioribus ad minus, quæ fit κατ' αὔξησιν. Eleg. 4. lib. 1. Trist.

Caussa mea est melior, quia non contraria soui
Arma: sed hanc merui simplicitate fugam.

QVOD NON DESIDERAT IPSE] Primus gradus moderationis, vt laudati non concupiscas apud temet. Alter, vt laudes oblatas vel reiicias, vel extenuas.

CAESAREO NON. C. E. NOSTRIS, &c.] Nullus est liber meus, in quo non honoricè meminerim Cæsaris. In exilio autem scriptis sæpicule. Lib. 2. Trist.

Quid referam libros illos quoq; crimina nostra
Mille locis plenos nominis esse tui?
Aspice maius opus, &c.

SI DVBITAS DE ME] Si dubitas an me admittere, & recipere in domum tuam debeas. Per se, intelligit libellos suos: nam personam ipsam Ouidij Brutus recipere non poterat.

LAVDES ADMITTE DEOR.] Cæsaris, vt sit numeri enallage. Laudes Cæsaris libris meis inclusas. Hoc argumentum vrget, quò recipiatur.

DEMPTO NOMINE] Tolle, dele nomen Ouidij. Adscripsit igitur nomen suum.

ADIVVAT IN BELLO. P. RAM. OLIVAE] Pacatæ, quia signum pacis. Et est ratiocinatio à minore. In bello qui præfert ramum olinæ, propter signum pacis turus est. Multo magis turum esse conuenit auctorem ipsum pacis præferentem, Augustum puta, quem nos bis libris celebramus. Supplices, aut pacem orantes, ramum oleagineum manu præferebant. Virg. 7. Aeneid.

Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaq; ferre viro, pacemq; exposcere Teucris.

Et lib. 8.

Iamq; oratores aderant ex vrbe latina
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes.

Stat. 12. Thebaid. Oliuam vocat supplicem. Aeschyl. ἱκετηρίων κλάδων, supplices ramos. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. & ibid. Tiraquell.

CVM FORET AEN. C. SVB. PARENTI] De pietate Aeneæ, patrem senem ex incendio vrbis Troiæ humeris efferentis, ita Virgil. 2. Aeneid.

Hæc fatus, latos humeros, subiectaq; colla
Veste super, fuluiq; insternor pelle leonis:
Succedoq; oneri.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Cum pater in nati tremulus ceruice pependit,
Et verita est humeros vrere flamma pios.

Plura in Symb. nostris. E media flamma quempiam seruare, liberare dicemur per adagium, quoties magnis difficultatibus implicitum, & periculis circumuentum explicabimus. Lege item de hac pietate Aenex in parentem ab hostibus Græcis honorata historiolam apud Aelianum lib. 3. cap. 22.

FERT LIBER AENEADEN] Ab Anea genus ducentem. Hoc propter Iulium, qui genus ad Ascanium Aeneæ filium referebat. Immo gentem Iuliam Octauianus ipse apud Appianum sic nominat. Adoptasset te Cæsar, Antoni, inquit, si te æquo animo ad Aeneadas transiturum ex Heraclidarum gente cognonisset. Antonius quippe ab Hercule oriundum se prędicabat. Nouella 47. Imp. Iustinian. verba sunt. Aeneas Troianus rex prima Reipub. nostræ initia dedit, nosque ab eo Aeneadæ nominamur, Vbi vides hanc appellationem deinceps ad Imperatores nihilominus

deriua-

deriuatam, siue propter ipsum Cæsarem huius A dignitatis principem auctorem, vereque Aeneadem; siue propter Venerem ipsam Aeneæ matrem, quam scriptores Romani non modo genitricem populi Romani, sed auctorem quoque imperij prodidere, quod ei Iupiter 1. Aen. promittit. Sic Oppianus libro 2. ἁλιευτ. Antoninum Caracall. & Impp. hoc cognomento affecit. Romanos quoque, seu totam gentem Romanam, Aeneadas Maro 8. Aeneid. *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* Et Lucret. lib. 1. *Æneadum genitrix,* de Venere. Scip. Gentil. in Origin. Cum ergo liber ferat Aeneaden, si Aeneæ flamma viam dedit, cur mihi non iter omne, quamuis non flammeum patebit? & tanto magis, quod patriæ, B &c.

PATRIAE PATER HIC, IPSIVS ILLE. P.] Augustus est patriæ communis pater, Anchises non nisi Aeneæ fuit pater. Maiorem ego patrem fero. Magis ergo mihi via patere debet. Lib. 2. Trist. *Tu quoque cum patriæ rector dicare paterque,* & locis aliis. Ante Ciceronem Camillus Dictator pater patriæ, & alter vrbis conditor dictus est, sed in triumpho tantum, & à militibus. Verùm August. serò recepit hoc nomẽ. Tiberius per modestiam, vt Nero per ætatem distulit. Recusauit diu etiam Traianus. Quidam alij statim vt Cæsares, & Imperatores renuntiati sunt, illud receperunt. Elegans Plinij locus in Panegyrico, quem adscribo. Attu etiam nomẽ patris patriæ recusabas. Quam C longa nobis eum modestia tua pugna? quam tardè vicimus? Nomen illud, quod alij primo statim principatus die, vt Imp. & Cæsaris receperunt, tu vsque eò distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, iam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, vt pater patriæ esses, antequam fieres. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces? vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens viuis, &c.

IACTANT. PHARIA. TIN. S. MANV] agitantem Pharia manu sistra, id est, Aegyptia, seu more Aegyptio. Fuit enim Pharus Aegypti insula ex aduerso Alexandriæ, Cæsaris Dictatoris colonia. Sistro, quo admodum sonorus edebatur crepitus, in Isidis sacris eius sacerdotes vtebantur. Erat D specie orbiculari, & æque caua, in cuius circumferentia mobilia quatuor velut tintinnabula appendebantur. Nomen ei à σείω moueo, agito, quatio, concutio: agitatum quippe argutum tinniebat. Cymbali, crepitaculi genus. Martialis lib. 14.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Nemo itaque tam irreligiosus, aut inhumanus erit, qui sistra pulsantem, & stipem rogantem ab ædibus suis repellat. A sistrorum sonitu Nilum ærisonum dicit Statius lib. 1. Propertius de Cleopatra lib. 3. eleg. 11. *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.* Iuuenalis. Sat. 13.

Hic putat esse deos, & peierat, atque ita secum.
Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Sic enim existimabant, deam per nomen suum peierantes oculis orbare.

ANTE DEVM MAT. CORN. TIB. ADVN.] In sacris matris deorum, vt nonnullorum aliorum, addebantur instrumenta musica, quo animi præsentium hominum diuerterentur à priuatis cogitationibus ad deorum immortalium reuerentiam, quod nescio quid diuinum imprimit in animis nostris vis musica. Et quoniam cantus & harmonia, musicorumque instrumentorum soni nõ sine quadam voluptate aëra permouent: illa de caussa cantu etiam delectari illi dæmones crediti sunt, &c. Natalis lib. 1. cap. 10. Cybele, item, Berecynthia, & mater Deûm, & magna mater, & præcipuè mater. Orpheus.

Μήτηρ μέν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Hæc vna est materque hominum, materque deorum.

Lege Gyrald. syntagm. 4.

SCIMVS AB. IMP. F. NIL TALE DIANAE] Diana sacerdoti suo non mandat, vt responsa det petentibus, atque ita stipem cogat. Respondet nihilominus, & vaticinatur, cui ob reuerentiam deæ stipem libenter dant consulentes. Aut ita, Diana sacerdoti suo non Imperat pro vaticiniis, ac responsis stipem exigere. Tamen, vnde se alat, non ei deest, ex benignitate videlicet oraculum consulentium. Ex libro 14. Strab. annotat Lilius Syntag. 12. in Cilicia fanum fuisse, & oraculum Dianæ Sarpedoniæ, vbi numine perciti respondebant.

IPSA MOVENT ANIM. SVPER. &c.] Dij, quorum hi ministri sunt, nos ad dandum, & largiendum mouent. Et nobis Christianis eadem caussa est vel petentibus interdum, vel mendicis, vel templis concedendi, donandi, afferendi: Deus, inquam, & sancti eius.

TALI CREDVLIT. CAPI] Credere hoc velle deos, non est turpe. Qua igitur credulitate turpe est capi? Qua? ausim dicere, rerum nouarum, quæ quotidie pæne inter homines otiosos narrantur: de quibus verissimè affirmes illud Sapientis nostri, *qui citò credit, leuis est corde.* Eccles. 19.

EN EGO PRO SISTRO] à minoribus ad maius.

PHRYGIIQVE FORAM. BVXI] pro buxea tibia, quali vtuntur Phryges, & quæ ibidem inuenta est.

GENTIS IVLEAE] Cæsareæ.

LOCVM DATE SACRA FERENTI] Virgil. Georg. 2. *dulces ante omnia Musæ Quarum sacra fero,* Et, *annua magnæ Sacra refer Cereri.*

NEC QVIA VAL. MERVI] Tacitæ obiectioni occurrit.

VIDI EGO LINIGERAE, &c.] Responsio ab exemplis. Dij celebrari ab iis qui ipsos offenderunt gaudent, vt eorum potestas tanto apertius cognoscatur.

Isiacos ante sedere focos] Solebant deos suos antiqui aris, & simulacris eorum assidentes adorare. Propert. lib. 2. eleg. 28. de puella à Ione sanitati reddita.

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.

Vbi Ioseph. Scalig. binas adorationis cærimonias obseruat, velari, & sedere. Et illam ex Virgilio, & Iunenale, hanc ex Tertulliano de oratione, & Pythagorica disciplina confirmat.

Linigerae] quia sacerdotes Isidis gestabant vestes lineas seu linteas, 1. Metam. *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* Ideò autem è lino potius, quod ab Osiride eius marito inuentum esset. Iuuenal. Martialis linigeros vocant, & hic quoque sistratam turbam.

Privatus lumine] orbatus, captus oculis.

Caelestes] Dij cœlestes græcè *οὐρανίδαι, οὐρανίωνες, οὐράνιοι*. Sunt enim alij terrestres, alij marini, alij inferi. 1. Metam. *Vltima cœlestûm terras Astræa reliquit.* Catul. de nupt. *Cœlestumque fidem postrema comprecor hora.* Virgil. 7. Aeneid. *Cœlestûm vis magna iubet.* Cicer. 3. Off. Hercules, quem hominum fama beneficiorum memor in côcilio cœlestium collocauit. Et 1. de Legibus, agnationem nobis esse cum cœlestibus.

Cum bene peccati poen. vid.] Dij enim sunt, esse quidem certè omnino debent, immò debuerunt benigni, & misericordes. Et ideo inexpiabilem Iunonis iram in Troianos admirans Virgilius exclamat 1. Aeneid. *tantæne animis cœlestibus iræ?* Non aliam mercedem pro reconciliatione, & restituenda gratia, quam pœnitentiam exigit Deus.

Poenitet, ô si quid mis. &c.] Hinc incipit peccati confessio, cum commemoratione inrestini ob id, & assidui cruciatus.

Magis est mihi culpa dolori] Quæ hoc, & sequentibus deinceps quinque versibus dicit, ex sua, & sapientum sententia dicit, quæ ab opinione populari, vt in aliis item multis, *δὶς διὰ πασῶν* discrepant. Putat enim rude vulgus, pœnam immeritam tolerari acerbius, quam promeritam; & infælicem ac miserum esse, qui pœnas luit non debitas, quemque aduersi rerum casus insontem exagitant. Ex quo sensu Oenone Paridi.

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Contra 1. Fast.

Non meriti pœnam pateris, sed numinis iram.
Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Verba sunt Carmentæ, quibus filium Euandrum ad exilium immeritum æquo animo ferendum hortatur.

Quibus est manif. ipse] quia præsentem intuemur. Horat. ep. 1. lib. 2. *Præsenti tibi maturos largimur honores.* Seruius ad illud Eclog. 1. *Namque erit ille mihi semper Deus.* Semper, ait, id est, post

A mortem, & dum viuit. Alij enim Imperatores post mortem demum in numerum deorum referuntur: Augustus autem templa viuus meruit. Deinde hunc Horatij locum producit.

Culpa perennis erit] Non potuit igitur Augustus, quamuis Deus scilicet, pœnam huic reo remittere, & simul culpam abolere. O miserum Deum, & planè [illegible], & minus etiam. Sed intelligendum, hoc sentire Ouidium. Augustum, quod factum est, infectum non posse facere, quod nec Deus noster potest. Cruciatur autem, & vsque ad mortem, & vltra mortem se cruciatum iri affirmat ob hoc ipsum, quia peccarit. Quod mysterium Christiana excellentia nô nouit, quæ clementiore Deo vtitur.

B Mors faciet certe] Prisci mortales sæpe mortuos abisse, recessisse, & mortem abitionem per *εὐφημισμὸν* dicebant, vt Græci *οἴχεσθαι*, & Germani verschiden. Tritum erat *letbum.* Quare præco cum funus indiceret, clamabat, ollus letho datus est. Necis vocabulo vtebantur in iis, qui fame, aut veneno extincti essent, sine vulnere, auctor Festus. Vocabant etiam dulci nomine, somnû, quia scilicet somnus gelidæ mortis imago. Christianis quidem [illegible] mortui sunt dormientes.

Ne sim cum venerit axul] Finit omnia mors, & est vltima linea rerum. Horatius, ep. 16. lib. 1. Hoc solatio miserrimus quisque, omnique auxilio destitutus se sustentat.

C Ne non peccarim, &c.] reatus meus erit sempiternus.

Da nive manant. &c.] Contabescit animus meus, & dolore colliquescit, vt nix ad ardorem solis. Elegia sequenti à cera, & igni translationibus idem expressit.

Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
Ignibus admotis vt noua cera solet.

Estur vt occulta, &c.] Quatuor continuis similitudinibus copiosè, vt solet, mœroris sui super peccato suo magnitudinem explanat. Qui quidem est illius animo idem, quod teredo naui, vnda maris scopulo, rubigo ferro, tinea libro. Sanè aptiores, & expresiores non inuenisset.

D Vt cavat vnda salis] Exedere, corrodere, conficere, etiam durissima, virtus est salis. Quid enim scopulo durius? Et quid aqua marina salsius? ob quod salis nomen accepit. 1. Aen. *& spumas salis ære ruebant.* Itaque nauigantes aquas in aquis coguntur quærere.

Scabra rubig.] Virgil. 1. Georg. *Exesa inueniet scabra rubigine pila.*

Positum ferrum] sine vsu iacens.

Curarum morsus] Curas edaces appellat Horatius Ode 11. lib. 2. Et Ode 18. lib. 1. mordaces sollicitudines: Græci *θυμοδακεῖς, θυμαλγεῖς, θυμοβόρους μελεδῶνας.* Quare morsus? quia sollicitudines molestæ, curæ tristes, anxiæ quasi morsibus quibusdam dolorem, & quædam vulnera efficiunt in

animo,

animo, quod Græci dicunt δάκνεσθαι, morderi. Aristoph. ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν.

Quam multa sunt, quæ cor meum mordent nimis.

Vide Iun. prouerb. Morderi corde.

FINE QVIBVS NVLLO CONFICIANT.] quibus sine fine dies atque noctes torqueantur. Germanum hoc illi de Tityi iecinore, quod à vulture continenter depascitur, & nihilominus ad pastum semper sufficit. Eleg. sequenti.

Sic inconsumptum Tityi, semperq; renascens
Sic perit, vt possit sæpe perire iecur.

De rea conscientia en tibi Sallustium in Catilin. Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. Atque has impiorum furias, has flammas, has faces ait esse M. Tullius pro Sex. Roscio. sæuam diem animi vocat, Papinius 1. Thebaid. de Oedipo canens.

Illum indulgentem tenebris, imæq; recessu
Sedis, inaspectos cælo, radiisq; penates
Seruantem, tamen assiduis circumuolat alis
Sæua dies animi, scelerumq; in pectore diræ.

NEC PRIVS HI MENTEM STIMVLI, &c.] Quos antea morsus, nunc stimulos, vtrobique significante metaphora nominat. Sic Cicero pro Sex. Roscio. Hunc mihi ex animo scrupulum e-
A uelle, qui me dies, noctesque stimulat, ac pungit.

QVORVM SVMVS OMNIA] inde concludebat rationem Diogenes, omnia esse sapientum. Quia sapientes amici deorum. Et amicorum omnia communia. Omnia autem deorum: ergo omnia sapientum. Cum itaque omnia sint deorum, meritò senex Philto in Trinummo,

Dei diuites sunt, deos decet opulentia,
Et factiones. verùm nos homunculi,
Salillum animæ: qui cum extemplò amisimus
Æque mendicus, atque ille opulentissimus
Censetur censu ad Acherontem mortuus.

EXIGVA DIGN. HAB. OPE] mutatione exilij in locum mitiorem, & ad gentem humaniorem.
B Quod tamen tanti non est.

DVRI ORIS ERO] Os, seu facies, seu frons pudoris sedes. Impudentes obiecto crimine nec rubescunt, nec pallescunt. Similiter audaces, & præfidentes in aliqua re non immutant vultum. Ideo durissimi oris dicuntur. Cic. 4. in Verrem. os hominis, insignemque impudentiam cognoscite. Hinc perfricare os. Tuscul. 3. Quid tergiuersamur, Epicure, nec fatemur, eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? Vide prouerb. Faciem perfricare. Frontis perfrictæ.

ELEGIA SECVNDA.

Ad Maximum.

RECENSIO MISERIARVM.

ARGVMENTVM.

DIGNVM esse suo nomine. Non negaturum se ista scripsisse, cum simul & culpam, & mala, quibus infestissimè premantur aperiat. Subinde enarrationem eorundem contexit; quorum auctores partim incolæ regionis, quibus nihil truculentius, & immanius: partim terræ facies squalida, & inamœna prorsus: partim cælum perpetuò frigidum. Ne noctes quidem à perturbatione curarum sibi contingere liberas. Nunc sperare meliora, nunc desperare. Sperare autem, & precari nihil aliud præter mutationem loci, quam ipso, & amicis eius orantibus à Cæsare impetrare cupit.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus:
Qui nasci vt posses, quamuis cecidere trecenti,
NON OMNES FABIOS ABSTVLIT VNA DIES:
Forsitan hæc à quo mittatur epistola quæras,
Quisque loquar tecum, certior esse velis.
Hei mihi, quid faciam? vereor, ne nomine lecto,
Durus, & auersa cætera mente legas.
Viderit hæc si quis, tibi me scripsisse fateri
Audebo, & propriis ingemuisse malis.
Viderit, audebo tibi me scripsisse fateri,
Atque modum culpæ notificare meæ.
Qui dignum pœna cùm me grauiore fuisse
Confitear, possum vix grauiora pati.
Hostibus in mediis, interq; pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.
Qui mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
His eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circumeuntis oues.
At semel intentus neruo leuis arcus equino,
Vincula semper habens irresoluta manet.
Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portáque vix firma summouet arma sera.
Adde loci faciem nec fronde, nec arbore tecti,
Et quòd iners hyemi continuatur hyems.
Hic me pugnantem cum frigore, cumq; sagittis,
Cumq; meo fato, quarta fatigat hyems.
Fine carent lachrymæ, nisi cum stupor obstitit illis,
Et similis morti corpora torpor habet.
Felicem Nioben, quamuis tot funera vidit,
Quæ posuit sensum saxea facta malis.
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velauit populus ora nouo.
Ille ego sum, lignum qui non admittor in vllum:
Ille ego sum, frustrà qui lapis esse velim.
Ipsa Medusa oculis veniat licet obuia nostris,
Amittet vires protinus ipsa suas.
Viuimus, vt nunquam sensu careamus amaro,
Et grauior longa sit mea pœna mora.

Sic inconsumptum Tityi, semperque renascens
Non perit, vt possit saepe perire, iecur.
At puto, cùm requies, medicináque publica cura
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas,
Aut dare captiuas in fera vincla manus.
Aut vbi decipior melioris imagine somni,
Aspicio patriae tecta relicta meae.
Et modò vobiscum, quos sum veneratus, amici,
Et modò cum cara coniuge multa loquor.
Sic, vbi percepta est breuis & non vera voluptas,
Peior ab admonitu fit status ille boni.
Siue dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Siue pruinosae noctis aguntur equi:
Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis,
Ignibus admotis vt noua cera solet.
Saepe precor mortem, mortem quoque deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.
Cùm subit, Augusti quae sit clementia, credo.
Mollia naufragiis littora posse dari.
Cùm video quàm sint mea fata tenacia, frangor:
Spesq; leuis magno victa timore cadit:
Nec tamen vlterius quicquam speróue, precórue,
Quàm male mutato posse carere loco.
Aut hoc, aut nihil est, pro me tentare modestè
Gratia quod saluo vestra pudore queat.

COMMENTARIVS.


QVI TANTI MENS. NOM. IMPLES] qui es verè id, quod appellaris. Qui & originis amplitudine, & rerum gestarum magnitudine praestãtiam tui nominis adaequas. Tales vocant Graeci φερωνύμους, ferentes nomen suum, id est, veritatem nominis sui, qui reuera eiusmodi sunt, cuiusmodi eos esse nomina ipsa testantur. Qui nomini suo reipsa respondent. Contrarium ψευδώνυμος, qui mentitur nomen. Qui nomen falsò gerit. Haud implent mensuram nominis sui, qui audiunt Bonifacij, & parum sunt boni: immo egregie mali, vt Malefacij potius appellari debeant. Sic mulie-
A res quaedam dicuntur Catharinae, cum nec animo, nec corpore sint καθαραί, hoc est, purae, & pudicae. Non implebat Piso nomen Consulis, cum euerteret rempub. Admodum latè funditur hic locus, & ad vtrumque sexum, ad omnem aetatem, ad quemuis statum, & magistratum pertinet. Et cum τῶν φερωνύμων perexiguus, τῶν ψευδωνύμων infinitus est numerus.

ET OMINAS ANIMI NOBIL. GENVS] Eleg. 3. lib. 2.

Maxime, qui claris nomen virtutibus aequas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi.
Eleg. 4. lib. 4. Trist.

O qui nominibus cum sis generose auitis,
Exsuperas morum nobilitate genus.

Erat è familia Q. Fabij Max. seu Maximorum, inter alias clarissima. Itaque sanguine erat nobilis. Sed addebat huic nobilitati virtutem, quę supra genus excellit. Ita se splendidiorem reddebat, nomenq; suum in maiore gratia ponebat. Eleg. 9. *Ille memor magni generis, virtute quod auget.* Seneca, Nobilitas animi, est generositas sensus. Nobilitas corporis, generosus animus.

QVAMVIS CECIDERE TRECENTI] Historia petenda ex Liuij lib. 2. Dionys. lib. 9. Fastor. 2. Flori lib. 1. cap. 12. Vna hæc Fabiorum gens sibi soli bellum Veiens priuato sumptu depoposcit. Fuerunt numero CCC. VI. perierunt omnes. Vnus prope puber ætate relictus, stirps gentis Fabiæ, dubiisque rebus populo Romano sæpe domi belliq; vel maximum futurus auxilium. Cum autem sex fuerint supra trecentos, tamen quo rotundius nominentur, trecenti tantùm dicuntur, vt factum in aliis permultis videmus à Græcis, & Latinis, commoditatis caussa vno interdum, aut altero plus minúsue numerantibus.

NON OMNES FAB. ABST. VNA DIES] De vno domi relicto, qui postmodum genus instaurauit, & Liuius prodidit, & Ouidius his carminibus.

Vt tamen Herculeæ superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis,
Vnus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet vt posses olim tu, Maxime, nasci
Cui res cunctando restituenda foret.

Est autem παροιμιῶδες. *Non omnes Fab. &c.* cum in vno aliquo adhuc multum spei situm significare volumus.

FORSIT. H. A. QVO MITT. SP. QVAER.] Etsi epistolæ hæ nomen habebant eorum ad quos mitterentur, tamen contra morem epistulicum mittentis nomen non habebant, hoc modo, P. Ouid. Naso Maximo S.

HEV MIHI, QVID FACIAM?] Indicabo nomen meum, an tacebo? si indicabo, &c.

VEREOR NE NOM. LECTO, &c.] ne nolis tibi à me scriptum: ne mea caussa, cuius nomen in odio est, tu quoque in odium venias.

VIDERIT HAEC SI QVIS] si quis ista legerit.

TIBI ME SCRIP. FATERI AVDEBO] Confitebor nomen meum sic, vt & miseriam meam exponam, & culpam, propter quam miser sum, non inficier, sicut facio. Quæ duæ res efficient, vt tibi à me litteras accepisse nihil noceat. Cum poëta hoc ipsum repetat, *audebo tibi me scripsisse fateri,* magnam in caussa sua fiduciam declarat.

CVM ME DON. POENA ORAV.] Eleg. 12. lib. 5. Trist.

Nec vitam, nec opes, nec ius mihi ciuis ademit,
Qui merui vitio perdere cuncta meo.

A POSSVM VIX GRAVIORA PATI] Adeo grauia, vt vbicunque, etiam apud inferos esse optet potius. Trist. 5. eleg. 3. *Hinc ego dum muter, vel me Zanclæa Charybdis, &c.*

HOSTIB. IN MED. INTERQVE PER. VERS.] Vide eleg. 10. & 12. lib. 3. eleg. 10. lib. 4. eleg. 1. & 8. & 11. lib. 5. Trist. quæ totum hunc locum illustrabunt.

TANQVAM CVM PAT. PAX. S. AD. MIHI] cum tamen mens Cæsaris ista non fuerit. Eleg. 9. lib. 4. Trist.

Omnia, si nescis, Cæsar mihi iura reliquit,
Et sola est patria pœna carere mea.

Pax, Vlpiano si credimus lib. 4. ad Edict. è pactione nominatur. Quo allusit Cicero Philipp. 3. In B qua pactio pacis lex sit seruitutis. Pactionibus enim pax fit. Quidam è Græco fonte deducunt, παύειν quiescere: siquidem facta cum hostibus pace otium est, & vacatio à laboribus militaribus, & periculis. Apuleius lib. 2. Milesiar. In fœnis exantlatis laboribus pausam, pacemque tribue. Aristoph. Equitib. ἢν ποτ' εἰρήνη γένηται καὶ πόνων παυσώμεθα, si quando pax contigerit, & laboribus liberabimur. Gentil. in Origin.

VIPEREO SPICVLA FELLE LIN.] vt cum ex vulnere, tum ex veneno necem geminatam afferant. Sæuum vulnus nominat, quia venenatum. De hoc illorum more eleg. 9. lib. 4. *Sintne litæ tenues serpentis felle sagittæ.* Elegia 10. lib. 3. Trist. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* Eleg. 8. lib. 5. C *Telaq; vipereo lurida felle gerunt.*

HIS EQVES INST. P. MOEN. LVSTRAT.] Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Hostis habens arcum, imbutaq; tela veneno,
Sæuus anhelanti mœnia lustrat equo.

MORE LVPI CLAVSAS CIRCVMEVNTIS OVES] Ibidem.

Vtq; rapax pecudem, quæ se non texit ouili,
Per sata, per syluas, fertq;, trahitq; lupus:
Sic, si quem nondum portarum sede receptum
Barbarus in campis repperit hostis, habet.

NERVO EQVINO] è fetis equinis confectus.

VINCVL. SEMP. HAB. IRRESO. MAN.] nunquam remittitur.

TECTA RIG. FIXIS VEL. VALL. SAGITT.] D Quantam vim telorum in oppidum iacerent, patet ex illo. 5. Trist. eleg. 11.

Sæpe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.

PORTAQVE VIX. F. SVMMOVET. A. SERA] Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Quam miserum est porta vitam, muroq; tueri,
Vixq; sui tutum viribus esse loci?

ADDE LVCI FACIEM] Facies est naturalis oris species, quæ eadem semper manet. Vultus est habitus faciei ascititius, qui pro motione animi, & voluntaris mutatur. De loco tamen faciem dici videas. Tacit. lib. 13. hist. nam vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur. Ausou. Popma de different verborum, cuius opera

vt in Tristibus ita in his quoq; libris vtimur crebrius.

Nec fronde, nec arb. tecti] Elegia 10. lib. 3. Trist. *Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.* Et elegia 12. *Nam procul à Geticis finibus arbor abest.*

Iners hyems] ab effectu, sicut pigra hyems, pallida mors.

Cum frig. cumque sagitt. cumque, m. fato] Tria malorum genera. Primum à cælo. Secundum à vicinis. Tertium à Cæsare. Contra primum pugnat, vt ipsi Tomitæ, corpus scilicet pellibus birsutis muniens, vt os tantum exter, & focis incalescit. Aduersus alterum nonnunquam ipse quoque cum oppidanis exit in prælium, & insueta sibi arma tractat. Contra tertium non nisi B precibus, dolore, lacrymis, iisque assiduissimis.

Quarta fatig. hyems] Quartus annus. Catull. in Smyrnam Cinnæ.

Smyrna mei Cinnæ nonam post deniq; messem
Quam cœpta est, nonamq; edita post hyemem.

Fine carent lacrymae] De lacrymis suis Trist. lib. 3. eleg. 2.

Vt via finita est, & opus requieuit eundi,
Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ.
Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber
Lumine quam verna de niue manat aqua.

Omitto locos alios.

Nisi cum stup. obstit. illis] Interdum in maximis, insolitis, & subitis perturbationibus ita percelluntur homines, vt obrigescant, & lacrymas emittere nequeant; nec vocem edere possint. Verùm hic stupor etiam ex dolendi lassitudine, & longiore sensu mali solet accidere, vt Niobe vsuuenit. Seneca Hippolyto. *Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.*

Et simil. morti pect. torp. hab.] Vim stuporis exprimit, qui nonnunquam tantus est, vt hominem viuum mortuo similem reddat.

Quamuis tot fun. vidit] XIV. partim filiorum, partim filiarum. Metam. 6. Recurre ad eleg. 1. lib. 5. Trist. ibi. *Cum faceret Nioben orbam Latonia proles.*

Quarum clementia frat. Cortice vel. &c.] Fabula est 2. Metam. Vbi Phaëthontis sorores fratrem sepultum inclamantes, in populos arbores conuertuntur.

Nec minus Heliades lugent, & inania morti
Munera dant lacrymas, & cæsa pectora palmis,
Non auditurum miseræ Phaëthonta querelas
Nocte dieq; vocant.

Lignum qui non admittor in vlmum] Vtinam possim ego quoque mutari in arborem, vt sorores Phaëthontis, vt aliæ, & alij, de quibus in mythicis.

Frustra qui lapis esse velim] vt Niobe facta est, & cum ille, tum bæc Ingentes: sicut ego lugeo memetipsum, nec finem innenio,

A quia mori non possum. Itaq; ô si in arborem ipse quoque, aut in saxum conuerterer. In saxum à Mercurio mutatus est Battus 2. Metam.

Ipsa Medusa oculis, &c.] Nô me, quod vellem, mutabit in lapidem. De Medusa, cuius aspectus hanc vim habebat, vt fabulantur poëtæ, diximus eleg. 7. lib. 4. Trist.

Ipsa Medusa suas] Huiusmodi hemistichiorum iterationes multas in eodem disticho collegit Ciofan. Eleg. 9. lib. 1. Amor. pro exemplo sint hæ.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

Lib. 3. eleg. 5.

Illa pone metus, tibi regia nostra patebit,
Téque colent omnes, Illa pone metus.

Lib. 4. Fast.

Qui bibit inde furit: procul hinc discedite queis est
Cura bonæ mentis. Qui bibit inde furit.

Vt nunc sensu careamus amaro] animus continenter affligitur.

Grauior longa. f. m. p. mora] Eleg. 2. lib. 5. Trist.

Scilicet exiguè prodest annosa vetustas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.

Sic inconsumpt. Tityi, &c.] A quo Tityus, & qua de caussa sagittis confossus, & ad inferos deiectus, ibique extensus, & alligatus sit, vt se commouere nequeat, & de magnitudine illius, qua IX. ingera terræ occupat, & quomodo C à vulturibus eius iecur lanietur, instaureturque, ne materia immortali pœnæ deficiat, Natalis lib. 6. cap. 19. Virgil. vnum tantummodo vulturem ei adiungit, & ita canit lib. 6.

Nec non & Tityum terra omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui ingera corpus
Porrigitur, rostroq; immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundáq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Terræ alumnum appellat, quod matre Elara Orchomeni filia mortua, terra illum aluerit.

At puto cum requies] ἀναπαυσις, vt olim Græcis, credo Latinis.

Req. med. pus. curas somnus] Tibull. D eleg. 4. lib. 3. *mentis Deus vtilis ægræ.* Somno præsente, omnia dura, & acerba, vincula, seruitus, carceres, vulnera, iniuriæ facile feruntur, malorum omnium obliuiscimur, curas omnes, sollicitudinesque deponimus. Orestes apud Euripidem.

Ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου,
Ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέοντί γε.
Ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφή,
Καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός.
Somne ô leuamen dulce, & ægritudinis
Medela dulcis, vt venis mî optabilis.
Obliuio malorum, vt apto tempore
Nobis misellis aduenis, iucundáque.

Lib. 11. Metam. Deum facit Ouid. vbi beneficia illius in mortales commemorat.

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq́ labori.

Somnus est naturalis, & placidus: sopor est profundus, & plerumque noxius, & temulentorum, fessorum, & ægrorum. M. Cælius in Anton. Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum. Ibidem. semi somno sopore inter manus centutionum, concubinarumq́ue iactabatur. Plin. Curandum ne somnus sopor fiat.

Et vigil. sens. in. m. d. mei] ἀϋπνία est nox insomnis, seu peruigilatio. Quod fieri assolet, cum animus in rem aliquam acrius se intendit. Tum quippe, vt Physici tradunt, spiritus vitales in cerebro agitati, calorem à ventriculo prohibent: in quem ille receptus, somnum creditur efficere, vaporibus in cerebrum sublatis, quibus motus, ac sensus omnis sopiatur. Hinc de Aenea Virgil. lib. 10.

Æneas (neq; enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clauumq́ regit, velisq́ ministrat.

Tibull. quoque eleg. 4. lib. 3. qua somnium suum exponit, ita canit.

Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.
Nec me sopierat menti Deus vtilis ægræ
Somnus, sollicitas deficit ante domos.

Gulielm. Canter. lib. 1. cap. 19. Hæc ἀϋπνία, & vigilia ex somniorum terriculamentis eueniebat: quæ qualia fuerint, continenter exponit.

Sarmat. vid. vitare sagitt.] fugere Scythas, seu Sarmatas. Ita fit, vt quibus cogitandis, & agendis vigilantes intenti fuimus, ea ipsa per quietem nobis occurrant. Terent. And. *Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit?* Coniectores apud Actium in Batto Tarquinij somnium interpretantes aiunt.

Rex, quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæq́ue agunt vigilantes, agitantq́ue, ea, si cui in somno accidunt,
Minus mirum est, sed in re tanta haud improuisò offeruntur.

Idem Lucret. lib. 4. pereleganter.

Et cui quisque ferè studio deuinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire:
Caussidici caussas agere, & componere leges;
Induperatores pugnare, ac prælia obire:
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum.
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum
Semper, & inuentam patriis exponere chartis.
Cætera sic studia, atq; artes plerumq; videntur
In somnis animos hominum frustrata tenere.

Aut dare capt. in. f. &c.] aut capi à Getis prædatoribus, & vinculis constringi.

Melioris imag. somni] iucundioribus somniis, quibus interdum deludor. Somni dixit per synæresin. pro somnij. Vt Virgil. *nec cura peculi,* pro peculij. Item *Pauperis hoc tuguri,* pro tugurij. Eclog. 1. Ludunt autem nos somnia in vtramque partem. De re vana, inani, futili, nihili dicere consueuimus, somnium, & narrare alicui somnia. Demipho senex in Mercat.

Miris modis dij ludos faciunt hominibus,
Mirisq́ exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac quæ præteriit proxima
In somnis egi satis, & fui homo exercitus.
Mercari mihi visus sum formosam capram, &c.

Aspicio pat. t. rel. meae] Videor mihi in media vrbe Romana versari.

Cum chara coniuge. m. loqui] Eleg. 3. lib. 3. Trist. *Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.*

Brevis, et non vera volupt.] Iunius noctis. Cumq́ue somnus tres præcipuè filios habeat, Morpheum, qui homines imitatur; Icelon, seu Phobetora, qui animata, sed ratione carentia: Phantasum, qui inanima, somnia Ouidiana partim ad primum, partim ad tertium genus pertinent. Vide 11. Metamorph.

Prior ab admonit. boni] Recordatio bonorum in malis, facit ipsa mala intolerabiliora: sicut recordatio malorum in bonis, facit ipsa bona iucundiora. Ad moderationem autem retinendã in prosperis, & constantiam in aduersis, iubet Ecclesiasticus in die bonorum nos non esse immemores malorum, futurorum scilicet, vel eorum quæ possunt nobis euenire: & rursum in die malorum non esse immemores bonorum, quæ sperare liceat, & quæ contingere nobis possint. cap. 11.

Caput hoc miserabile] siue ego miserabilis vigilo per diem: est enim hypallage. Nos quippe cernimus diem. Huius ordinis sunt dulce, infandum, scelestum, & apud Plautum in Persa, verbereum caput, id est, verberibus contundendus.

Sive pruin. noct. ag. equi] cadit enim noctu pruina nocturno frigore, Borea potissimùm flante vincta prius, & in speciem salis constricta, quam in aquam diffluerit penitus. Et nocti bigæ tribuuntur, quibus inuehatur. Virgil. 5. Aeneid. *Et nox atra polum bigis subuecta tenebat.* Tibull. eleg. 1. lib. 2.

Ludite, iam nox iungit equos, currumq́ sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro.

Sic mea. p. liq. p. curis] Cura quòd cor vrat. Ignis liquefacit. Rectè igitur animus cura liquefieri dicitur. Eleg. ante gress. 2.

Non igitur mirum, si mens mea tabida facta
De niue manantis more liquescit aquæ.

Vt nova cera solet] noua siquidem cera, quia mollior, citius resoluitur, ac diffluit. Virgil. Eclog. 8. *Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit Vno eodemq́; igni.*

Saepe precor mortem] toties mortem inuoco, qui mos est miserorum, ac desperantium meliora.

Mortem quoque deprecor idem]

De præpositio est anceps,& in vno etiam,eodemque verbo diuersè significat. A Catullo dictum est deprecor quasi detestor,& execror,vel depello, vel abominor, illo versu de Lesbia. *Quo signo? quasi enim totidem mox deprecor illi Assiduè.* Dixerat quippe,illam semper sibi maledicere.Contrà autem valet, cum Cicero pro P.Sylla ita dicit. Quā multorum hic vitam à Sylla deprecatus est? Item in dissuasione legis agrariæ. Si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. Lege quæso Gell. lib.6. cap.16. in quo toto super hoc verbo disseritur. Valla li.6. cap.4. Gellium reprehendens, putauit esse idem, quod dicto,vel facto recusare. Vide longiusculam disputationem Alex. ab Alex.lib.4.cap.14.& Francisci Floridi Succisiuar.lib.1. cap.8.

NE MEA SARMAT. CONTEG. OSSA SOLVM] Elegia sequenti. *Ossa nec à Scythica nostra premantur humo.* Eleg.3.lib.3.Trist. maudat ossa sua è Scythia in patriam deportari.

Ossa tamen facito parua referantur in vrna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Pro infælicitate habitum est, decedere, ac tumulari in regionibus exteris. Vnde & propinqui eorum ossa,& cineres ad se, patrio in solo condendos exasportari curabant. In sacra Genesi legimus Iosephum de ossibus suis Aegypto exportandis mandauisse: vnde iam antea patris sui de- A mortui corpus in terram Chanaan transtulerat.

AVGVSTI QVAE SIT CLEMENTIA] Sexcentis eum locis prædicat. Et suffecisset illie. *Mitius immensus quo nihil orbis habet.*

MOLLIA NAVFRAG. LITT. POSSE DARI] Allegoricus sermo:credo me mitius exilium obtinere.

MEA FATA TENACIA] conditionem fati mei quodammodo ferrei.

FRANGOR] Eadem metaphora vsus est Cicero ad Q. F. ep.1. lib.1. animos frangi,& debilitari molestia non oportet. Et 1.Off. non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate.

SPESQVE LEVIS. M. VICT. TIM. CADIT] antithesis est in *leuis*, & *magno*. Maior longe est timor quam spes: ideo hæc ab illo opprimitur.

QVAM MALE MVT. P. CARERE LOCO] Indicat quid speret,quid ue optet,abesse scilicet, seu emigrare è loco, infeliciter cum patria permutato.

GRATIA QVOD SALVO VESTRA PVDORE QVEAT] Nam maius quiddam à Cæsare rogare, puta restitutionem in patriam, impudentiæ adscribatur. Cum ergo gratia apud eum valeas, hoc tenta: non enim ipsa petitio modestiæ limites excedit.

ELEGIA TERTIA.

Ad Maximum.

EXPETITVM PATROCINIVM.

ARGVMENTVM.

PATROCINIVM apud Augustum ab eo contendit, cum degat tali loco, id est, tam horrido,& inter mortales tam efferatos, qualem,& quales si Augustus nouisset, nunquam ipsum eò missurum fuisse pro clementia sua: quæ quanta sit declarat, & ei bene precatur. Non se cupere liberari ab exilio; sed tutius exulare, quo saltem mortuus ne sit cum Sarmatis. Rursus opem Maximi poscit, humanitatemq; Cæsaris laudat. Mentionem pristinę familiaritatis,& affinitatis inducit, cuius vinculum attulerit vxor, per quam candem ad extremum denuo ipsius auxilium flagitat.

Suscipe Romanæ facundia, Maxime, linguæ
Difficilis caussæ mite patrocinium.
Est mala, (confiteor) sed te bona fiet agente,
Lenia pro misera fac modò verba fuga.
Nescit enim Cæsar, quamuis Deus omnia norit,
Vltimus hic qua sit conditione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum:
Hæc est cælesti pectore cura minor.
Non vacat, in qua sint positi regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ:
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultáque Orestea Taurica terra deæ.
Quæq; aliæ gentes, vbi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus, plenæqúe pharetræ,
Quamqúe libet longis cursibus aptus equus.
Quodqúe sitim didicère diu tolerare famemqúe,
Quodqúe sequens nullas hostis habebit aquas.
Ira viri mitis non me misisset in istam,
Si satis hæc illi nota fuisset humus.
Nec me, nec quenquam Romanum gaudet ab hoste,
Méque minus, vitam cui dedit ipse, capi.
Noluit, vt poterat, minimo me perdere nutu:
Nil opus est vllis in mea fata Getis.
Sed neque cur morerer, quicquam mihi comperit actum:
Nec minus infestus, quam fuit, esse potest.
Tunc quoque nil fecit, nisi quod facere ipse coëgi,
Pæne etiam merito parcior ira meo est.
Dij faciant igitur, quorum mitissimus ille est,
Alma nihil maius Cæsare terra ferat.
Vtq; diu sub eo, sic sit sub Cæsare terra,
Perqúe manus huius tradita gentis eant.
At tu tam placido, quàm nos quoque sensimus illum,
Iudice, pro lachrymis ora resolue meis.
Non petis vt bene sit: sed vti malè tutius, vtqúe
Exilium sæuo distet ab hoste meum.
Quamqúe dedère mihi præsentia numina vitam,
Non adimat stricto squallidus ense Getes.

Denique si moriar, subeam pacatius aruum,
Ossa nec à Scythica nostra premantur humo.
Nec malè compositos, vt scilicet exule dignum est,
Bistonij cineres vngula pulset equi.
Et ne si superest aliquis post funera sensus,
Terreat vt manes Sarmatis vmbra meos.
Caesaris hac animum poterant audita mouere,
Maxime, mouissent si tamen ante tuum.
Vox precor augustas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis qua solet esse reis.
Assuetáque tibi doctæ dulcedine linguæ,
Æquandi superis pectora flecte viri.
Non tibi Theromedon, crudusq; rogabitur Atreus,
Quique suis homines pabula fecit equis:
SED PIGER AD POENAS PRINCEPS, AD PREMIA VELOX,
QVIQVE DOLET, QVOTIES COGITVR ESSE FEROX.
Qui vincit semper, victis vt parcere possit,
Clausit & æterna ciuica bella sera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet,
Et iacit inuita fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator missus ad aures,
Vt propior patriæ sit fuga nostra, roga.
Ille ego sum, qui te colui, quem festa solebat
Inter conuiuas mensa videre tuos.
Ille ego, qui duxi vestros Hymenæon ad ignes
Et cecini fausto carmina digna toro.
Cuius te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuêre suo.
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas:
Ille ego de vestra cui data nupta domo est.
Hanc probat, & primo dilectam semper ab æuo
Est inter comites Martia censa suas.
Inq; suis habuit matertera Caesaris antè:
Quarum iudicio si qua probata, proba est.
Ipsa sua melior fama, laudantibus istis,
Claudia diuina non eguisset ope.
Nos quoque præteritos sine labe peregimus annos:
Proxima pars vitæ transilienda meæ est.
Sed de me vt sileam, coniux mea sarcina vestra est:
Non potes hanc salua dissimulare fide.

Confugit hæc ad vos, vestrasq́ amplectitur aras.
(Iure venit cultos ad sibi quisque Deos)
Flensq́ rogat, precibus lenito Cæsare vestris,
Busta sui fiant vt propiora viri.

COMMENTARIVS.



A Romanae facvnd. max. lingvae] Inter Romanos oratores facundissime, seu eloquentissime. lib. 3. Trist. eleg. 5. *Quæque tibi est lingua facunda.* Et lib. 4. eleg. 4. *Cuius in ingenio est patria facundia lingua.* Magis, & excellentius quempiam commendare non possumus, quam si eum idipsum esse dicamus, quod in eo commendamus; non bonum, sed ipsam bonitatem, nó eloquentem, sed ipsam eloquentiam. In vitiis similiter. Quæ enim maior vituperatio, quam ipsam nequitiam, auaritiam, superbiam, impudicitiam dici? Non licet ita loqui dialecticis: at oratoribus, & poëtis planè licet.

Difficilis cavssae] Quia se nimis reum facit, ideo difficilem videtur habere causam. Quanquam idipsum ideo facit, quo facilius à mitissimo Principe obtineat quod vult.

Est mala, sed te bona fiat adenta] *Mala* hîc non aliud est, quam quod supra dixit, *difficilis*. Quare etiam *bona* expone *facilis*. Non enim intelligo, quomodo orator, si vir bonus est, ex caussa simpliciter mala, & verè mala, atque iniusta, bonam, & iustam facere queat. Sed ex difficili facilem potest: sicut ex magnis parua, ex paruis magna, vt Isocrates aiebat.

Pro misera fvga] pro exilio, seu, pro me misero exule. hypall. Cæsarem lenibus verbis, & disertis roga. Infrà.

Assuetaq́ tibi docta dulcedine linguæ
Æquandi superis pectora flecte viri.

Qvamvis Devs omnia norit] Vnum hoc ignorat Cæsar, quod sequitur: alia omnia tanquam Deo illi comperta sunt. In monostichis C

Πάντη γὰρ ὢν, πάντα τε βλέπει θεός.
Vbique Deus, & intuetur omnia.

Philostratus in vita Apollonij lib. 1. cap. 8. Hoc maximè à diis arbitror homines separari, quod homines ob ingenij imbecillitatem, quæ ad se pertinent non satis norunt: dij autem quæ & hominum sunt, & simul quæ ad seipsos spectant, omnia pariter intelligunt.

Vlt. hic qva. s. cond. locvs] vltimi orbis, seu extremo in orbe puta habitabili situs, quod crebrò dixit in Trist. vt etiam eius conditionem ibidem sæpius descripsit. Lib. 2.

Longius hoc nihil est, nisi tantum frigus, & hostis,
Et maris astricto quæ coit vnda gelu.

A Magna tenent illvd. n. mol. rer.] lib. 2. Trist.

Non ea te moles Romani nominis vrget,
Inq́ tuis humeris tam leue fertur onus,
Lusibus vt possis aduertere numen ineptis, &c.

Cæsar distringitur summis in procuranda republica negotiis, & quid me fiat, cogitandi, & inquirendi otium non habet. Geminus huic locus Horat. ad eundem ep. 1. lib. 2.

Cum tot sustineas, & tanta negotia solus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

Haec est caelest. pect. cvra. min.] Ibidem.

A te pendentem sic dum circumspicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas.

In qva sint. p. reg. Tomitae] Quæsierat hoc amicus quidam, cui respondet elegia 8. lib. 5. Trist.

Turba Tomitanæ quæ sit regionis, & inter
Quos habitem mores discere cura tibi est.
Mista sit hæc quamuis inter Græcosq́ Getasq́,
A malè pacatis plus trahit ora Getis, &c.

Finitimo vix loca n. Getae] A maiore ad minus. Si finitimi non habent cognitum locum, quanto minus habebit Cæsar remotissimus, & in administratione mundi occupatissimus?

Avt qvid Savromatae faciant] quibus moribus sint, & quo pacto vitam transigant.

Qvid Iazyges acres] qui hodie Transyluani.

C Cvltaqve Oresteae Tavrica terra deae] 4 Trist. eleg. 4.

Nec procul à nobis locus est, vbi Taurica dira
Cæde pharetratæ spargitur ara deæ.

Sed quamobrem Dianam nominat Oresteam deam? Quia Orestes, cum in ea loca furiis agitantibus venisset, & ibi à sorore Iphigenia, Dianæ sacerdote, à qua erat immolandus, fuisset agnitus, liberatus ab eadem, cum illa fugit. Abstulerunt autem Dianę simulacrum, in lignorum fasce absconditum, quod in Italiam venientes, in Aricino nemore collocarunt, ibique Diana, nomine Fascelidis coli cœpta est. Taurica terra est Taurica Chersonesus. Est autem Chersonesus peninsula, id est, vna ex parte, non admodum lato spatio continenti adhærens, quod spatium

Isthmus dicitur. Numerantur nobiliores Chersonesi quinque. Achaica, nempe Peloponnesus, Thracia, Cimbrica, quæ hodie Dania, aurea in India supra Gangem, & hæc Taurica inter pontum Euxinum, & Mæotidem paludem, à Tauris Scythiæ Europææ populis cognominata.

VBI PRIO. CONSTIT. ISTER] postquam gelu duratus est Danubius, quæ gentes illius terga equitando premant. Eleg. 11. lib. 5. Trist.

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter vnda maris.

DVRA MEANT CEL. TERGA, &c.] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur: & vndas
Frigore concretas vngula pulsat equi.

Ibidem.

Protinus æquato siccis Aquilonibus Istro,
Inuehitur celeri barbarus hostis equo.

NEC TE PVLCHERRIMA CVRAT ROMA] Virgil. 2. Georg. *Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.* Sed Augusti temporibus pulcherrima. Sueton. cap. 29. Vrbem neque pro maiestate imperij ornatam, & inundationibus, incendiisque obnoxiam excoluit adeo, vt iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.

NEC AVSON. MILIT. ARMA TIM.] Ergo Romani nominis terror nondum omnes terras iam tum peruaserat. Cantabrum quoque feradomitum catena canit Horat. lib. 3. Ode 8. Et Liuius lib. 28. de Hispania. Itaque prima Romanis inita prouinciarum, quæ quidem continentis sint, postrema omnium, nostra demum ætate, ductu, auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est.

DANT ILLIS ANIMOS] Animi, vt alibi docuisse me recordor, sunt spiritus, vehementia, ferocia, impetus, acrimonia animi, audacia, θυμὸς. Inde alicui animos facere. De turbine scuticis circinato, Virgil. Aeneid. 7. *dant animos plagæ.*

ARCVS, PLENAEQVE PHARETRÆ] Fidunt barbari illi suis arcubus, & equorum pernicitate. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *Hostis equo pollens, longeq; volante sagitta.*

QVODQVE SITIM DIDICERE, &c.] loca ergo sunt inaquosa, & sterilia: alioqui nec sitim, nec famem tolerare necesse haberent incolæ.

QVODQVE SEQ. N. HOST. H. AQVAS] Hostis fugientibus inhærere minus audet, ne siti pereat, cui tolerandæ ipse non assueuit. Tametsi non tam nullas, quam vitiosas inueniet aquas, quibus frui non possit.

IRA VIRI MITIS] tam mitis, vt dicat in Trist. neminem in terris esse illo mitiorem. Ergo ira viri natura sua lenis. Iram esse solius hominis, docet Seneca de Ira lib. 1. cap. 3. animalia non propriè irasci, in quibus tantùm similitudines quædam virtutum, ac vitiorum insint. Idem cap. 4. acerbus, amarus, stomachosus, rabiosus, clamosus, difficilis, asper, esse irarum differentias.

A MSQVE MINVS, VIT. CVI DED.] Vitam sibi ab ipso donatam in Trist. sæpe agnoscit, & prædicat. Eleg. 10. lib. 5. *Cæsaris est primum munus, quod ducimus auras.* Quod ergo ipse donauit, hoc vtique me spoliari non vult. Quæ enim ista leuitas, & inconstantia?

MINIMO ME PERD. NVTV] innuisset tantùm, & periissem. Regum quippe nutus etiam, nedum preces, imperia sunt.

NIL OPVS. E. VLL. IN. M. P. GETIS] Eleg. 2. lib. 1. Trist. ad ventos.

Mittere me Stygias si iam voluisset ad vndas,
Cæsar in hoc vestra non eguisset ope.

B QVIDQVAM MIHI COMP. ACT.] Negat hic quidquam morte expiandum à se perpetratum. Et tamen non semel ait se mortem meruisse. Sed homo mœstissimus, & assidua conflictatus ægritudine, quam consentanea dicat, non perpendit.

NEC MINVS INFESTVS, &c.] En, vt fatetur se commeritum exilium, & culpam in se omnem transfert.

PAENE ETIAM MER. P. IRA MEO] Eleg. 2. lib. 5. Trist. *Mollior est culpam pœna secuta meam:* quia, vt dicebam, non negat se occidi etiam iure potuisse, si summo iure Cæsar agere secum voluisset. Meritum est vnum de iis vocabulis, quæ dicuntur μέσα, quia in laude, & vitio ponuntur, vt pretium, fortuna, dolus, &c.

C QVORVM IVSTISSIMVS IPSE] O Iupiter, hoc audies, & feres? Quanta quiduis dicendi potestas poëtis concessa? Augustus est ipso Ioue iustior.

ALMA NIHIL. M. CAES. T. FERAT] In terris nemo nascatur Cæsare maior, hoc est, omnibus gratior, potentior, melior, laudabilior. Terra alma, quoniam alit. Festus. Alma, sancta, siue pulchra, vel alens, ab alendo scilicet. Et glossarium vetus, alma, καλή, ἁγνή, ὡραία, θρέπτειρα.

VTQVE DIV SVB EO, &c.] Et quomodo iam pridem orbis imperium fuit penes Cæsarē (Augustum puta) ita deinceps sit sub Cæsare, sub Cæsariana domo, vt mox semet explanat.

PERQVE MANVS HVIVS TRAD. G. SANT] Cæsarisnæ gentis. Iulius enim tradidit Octauio, quem adoptarat ex sorore neptis suæ, Attiæ puta

D filium. Octauius Tiberio priuigno adoptato. Tiberius Caligulæ, filio Germanici, qui fuit Drusi, fratris eius filius, quem Germanicum similiter adoptauerat. Cæso Caligula, ius electionis principium habuit: nam eo vsque hæreditarium fuit imperium. Vide Onuph. de Roman. Principib.

PRO LACRYM. ORA RESOLVE MEIS] Pro lachrymosa conditione mea facito verba apud Cæsarem. Metamor. 13. *expectatoq; resoluit ora sono.* Trist. 3. elegia 11. *Soluat & in mores ora diserta meos.* Virgil. 3. Aeneid. *vocemq; volens, atq; ora resoluat.*

NON PETIS VT BENE SIT] Elegia 3. lib. 5. Trist.

Quod petimus pœna est: nec enim miser esse recuso,
Sed precor vt possim tutius esse miser.

PRAE-

Praesentia nvmina] alia enim sunt in cælo, Cæsar Deus in terris.

Sqvalidvs Getas] Hoc verbo illuuiem, & sordes illorum barbarorum, incultumque significat.

Si moriar, svbeam pacat. arvvm] Hic enim ager, seu ista regio aut bellum habet cum finitimis, aut bellum metuit, vt in Trist. dixit, eleg. 10. lib. 3.

Ossa nec a Scythica nostra premantvr hvmo] Repete quæ dicta sunt eleg. 3. lib. 3. ibi, *Ossa tamen facito parua referantur in vrna.* Eleg. superiore. *Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.*

Vt scilicet exvle dignvm est] Qui rationem ducat cinerum & ossium meorum, propinquus, aut necessarius nullus adest.

Bistonii vng. pvlset eqvi] A vicino, Thracia enim Bistonia, à Bistone oppido, & stagno. Pulset autem vngula equi, vt malè, & perfunctoriè conditos.

Si svperest aliqvis post fvnera sensvs] Isocrates in Euag. *εἴ τις ἔστιν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων.* Si quid eorum quæ hic fiunt, defuncti sentiunt. Seruius Sulpitius ad Ciceron. epist. 5. lib. 4. Quod si quis etiam inferis sensus est. Hoc est, si apud manes, seu in manibus manet affectus, memoria, & cura eorum quæ apud nos sunt. Anima enim à corpore separata vim vegetatricem, & sentientem deperdit: non autem habitus, & simulacra voluntatis, aut intellectus, præter illos, qui statui vel damnatorum, vel beatorum repugnant. Amant ergo, & intelligunt animæ à corporibus seiunctæ. Deltius in Octauiam Senecæ. Verùm Ouid. aliter cepit hoc verbum sensus, videturque dubitare, num anima post mortem superfit. Non supererit, si nihil sentiat, & erunt mortui velut nunquam nati. Atque ita terreri non poterit ab vmbris Sarmaticis. De immortalitate animorum scimus constanter locutos plerosque veterum.

Terreat vt man. Sarmatis vmbra meos] Eleg. 3. lib. 3.

Inter Sarmaticas Romana vagabitur vmbras,
Perque feros manes hospita semper erit.

Movissent si tam. ante tvvm] Nisi orator eos in se motus ostendat, quos in iudicibus, & auditoribus concitare vult, nugas agit. M. Anton. 2. de Oratore. Neque enim facile est perficere, vt irascatur cui tu velis iudex, si tu ipse lente id ferre videare: neque vt oderit eum quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducetur, nisi tu ei signa doloris tuis verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. Et ibidem, narrans de M. Aquilio ab se defenso. Nolite existimare meipsum, qui non heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari, atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienæ per-

A sonæ, sed actor meæ, cum mihi M. Aquilius in ciuitate esset retinendus, quæ in illa caussa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Et paulò pòst. Non prius sum conatus misericordiam aliis commouere, quam misericordia sum ipse captus, &c. Et rursum, Non fuit hæc sine meis lacrymis, non sine dolore magno miseratio, &c. Hæc ad verbum plura adduxi, vt locum hunc ex ore magistri optimi, & oratoris omnium præstantissimi, M. Tullij, inquam, quam maximè illustrarem.

Avgvstas molleat avras] Augusti aures flectat, hoc est, ipsum Augustum hæc audientem.

Avxilio trepidis qvae solet esse B reis] qua soles caussas agere vocatorum in iudicium. Orator erat Maximus. Orator autem quanquam etiam accuset, honestius tamen defendit. Quamobrem Cicero se post oratorios labores tandem ad intermissa studia regressum commemorans 1. Tuscul. cum defensionum laboribus, inquit, senatoriisque muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus. Reos appello, ait Ant. 2. de Orat. quorum res est.

Assvetaq. doctae dvlcedine lingvae] Ea qua soles suauitate orationis. Fortassis & hic, quod de Demetrio Phalerio affirmat 1. Off. Cicero, erat orator parum vehemens. Nam dulcem ipsemet Ouidius pronuntiat. Cicero in C Bruto. Hic suauis videri maluit, quam grauis: & suauitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret. Ibidem ex Ennio. *Additur orator Cornelius suauiloquenti Ore Cethegus.*

Æqvandi sveris] cum diis immortalibus conferendi in omni genere præstantiæ. Cicer. in Marcelliana de Iulio. Hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.

Non tibi Tharomadon, &c.] A contrariis, seu dissimilibus amplificatio. Aliâs Therodamas, Numidiæ, aut Scythiæ rex. Fertur leones pauisse humano sanguine. In Ibin. Therodamantæos vt qui sensêre leones. Simillimus locus lib. 2. eleg. 2.

D *Nec tamen Ætnæum vasto Polyphemus in antro*
Accipiet voces, Antiphataeue tuas.
Sed placidum, facilemque parens, veniæque paratum.
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.

Crvdvsqve rogabitvr Atrevs] Filios Thyestæ fratris, propter vxorem suam ab eo violatam, coctos patri edendos apposuit. Horat. ad Pison. *Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.* Plaut. Rudente.

Scelestiorem cœnam cœnaui tuam,
Quam quæ Thyestæ quondam apposita est, & Tereo.

Persius Satyr. 5. *Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ Feruebit.* Fratrem quoque fugauit, & alium fratrem Chrysippum iugulauit. Vxorem in ma-

re de-

re dedit præcipitem. *Crudus* valet hic cruentus, ſanguinarius, immanis, crudelis.

QVIQVE SVIS HOM. PAR. P. EQVIS] Diomedea rex Thraciæ, cum equos ſuos carnibus humanis aleret, illis ipſis ab Hercule obiectus, aut cum iiſdem ab eodem necatus eſt, quod inter labores ſuos ipſemet refert. 9. Metamorph.

Quid quod Thracis equos humano ſanguine pingues,
Plenaq́; corporibus laceris præſepia vidi,
Viſaq́; deieci, dominumq́; ipſosq́; peremi?

SED PIGER AD POENAS PRIN.] Seneca libro 1. de Clement. Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam medico multa funera. Tria autem in irrogandis pœnis Principem ſpectare debere, idem libro eodem docet. Aut vt
B eum quem punit emendet: aut vt pœna eius cæteros meliores reddat: aut vt ſublatis malis cæteri ſecuriores viuant.

AD PRAEMIA VELOX] Sicut ſupplicia debentur ſceleribus, ita præmia rectefactis: & vtrumque iuſtitiæ munus eſt, tum illa punire, tum hæc remunerari. Propenſior porrò debet eſſe ad hoc, quam ad illud, & hoc præſtare libenter, illud dolēter. Quam promptus, ac paratus, quam velox Titus Veſpaſiani F. Imp. qui nolebat vel vnum diem effluere ſibi, quo non aliquem beneficio afficeret?

QVIQVE DOLET QVOT. COG. ESSE FEROX] Sic Nero illo quinquennio primo principatus ſui, quo nemo poſtea melior Princeps
C fuit, cum cogeretur damnationi cuiuſdam ſubſcribere, dixit dolens, vellem neſcire literas. Quæ vna vox Senecam excitauit ad ſcribendos libros de Clementia, quos eidem dicauit. Vide lib. 2. cap. 1. Theodoſium iuniorem auctor eſt Nicephorus tam clementi natura fuiſſe, vt multos capite damnatos, cum iam ducerentur, à porta vrbis reuocari, ac dimitti iuſſerit. Cuius & illud memorādum, malle ſe etiam multis morte multatis vitam reſtituere, ſi poſſit, quam viuo vel vni auferre. Aptè huic loco Seneca lib. 1. cap. 22. Conſtituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius fælicius compeſcit, ſi patiens eorum eſt; non tanquam probet; ſed tanquam inuitus, & cum magno tormento ad caſtigandum veniat.
D Verecundiam peccandi facit ipſa clementia regentis. Grauior multò pœna videtur, quæ à miti viro conſtituitur.

QVI VINCIT SEMP. V. VT. P. POSSIT] cuius victoriis non gloria, non interitus inimicorum, atque hoſtium, ſed eorum ſalus eſt propoſita. Lib. 2.

Tu veniam Partho ſuperato ſæpe dediſti,
Non conceſſurus quam tibi victor erat.
Quaq́; dies bellum, belli tibi ſuſtulit iram,
Parsq́; ſimul templis vtraque dona tulit.
Vtq́; tum gaudet miles, quod vicerit hoſtem:
Sic cur ſe victum gaudeat hoſtis habet.

De eius leuitate, & manſuetudine in victoria Actiaca Velleius lib. 2. ab his non abhorrentia. Cæ-
A ſar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque, & oſtendens fugiſſe Antonium, quærebat pro quo, & cum quo pugnarent. At illi cum diu pro abſente dimicaſſent duce, ægre ſummiſsis armis ceſſere victoriam: citiusq́; vitam, veniamq́; Cæſar promiſit, quàm illis, vt ea precarentur perſuaſum eſt. Et infrà, fuitque & fortuna, & clementia Cæſaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, eius iuſſu eſt interfectus.

CLAVSIT ET AETERNA EALL. C. SERA] Hæc de Iano ab eo clauſo, pace terra mariq́; parta. De quo Virgil. 1. Aeneid.

Claudentur belli portæ. furis impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
B *Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.*

Vocis æternus duplex notio. Nam æternum & id dicitur, quod finem nullum habet; & id, quod finem quidem exſpectat, ſed quem, & quando neſcitur. Horat. ep. 10. lib. 1. *Seruiet æternum, quia paruo neſciet vti.* Vide noſtrum Delrium, Comment. in Hercul. Oetæum, pag. 337. num. 1033.

MVLTA MATV. P. POEN. Q. P. COERCET] Satis habet, ſi ciues officium faciant, timentes pœnam potius, quam ſentientes. Pauca autem pœna, quia, vt ſupra dixit, piger eſt ad pœnas; &, vt ſequitur, *iacit inuita fulmina rara manu.* Fulmen ei dat, quoniam & alterum Iouem facit. Sex verſibus boni Principis partes prudenter, & egregiè exſecutus eſt.

C VT PROP. PAT. SIT FVG. NOSTRA] vt exilij mei locus ne ſit tam remotus, & in finibus orbis. Crebro iſtuc orat: quoniam mori, & ſepeliri in Scythia, inter Getas perhorreſcit. Extremum carmen. *Buſta ſui fiant ne propiora viri.*

ILLA EGO SVM, QVI TE COLVI] qui te ſuſpexi, qui me tibi totum dedidi.

QVEM FESTA SOLEB. INTER CON. &c.] qui ſollemnes epulas tecum ſæpius iniui. Amicitiæ ſymbolum communis menſa. Hecuba apud Euripidem Polymeſtori Thraciæ regi cędem filij exprobrans, & facinus exaggerans, etiam menſam hoſpitalem ei obiicit.

Κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί.
Menſa receptus ſæpe communi mihi.

D Vide prouerbium ſalem, & menſam ne prætereas.

QVI DVXI VEST. HYMEN. AD IGNES] Germanior lectio *duxi*, quam *dixi*. Hymenæus Deus nuptialis, pingebatur iuuenis marcidus, voluptate diſſolutus, temulentus, coronatus roſis, vt Seneca in Medea: aut amaraco, vt Catull. ait, dextra facem, ſiniſtra flammeum oſtentans, in pedibus ſoccos luteos gerens. Catull. epithalam. Iuliæ, & Maulij.

Collis ô Heliconij	*Cinge tempora floribus*
Cultor Vraniæ genus,	*Suaueolentis amaraci.*
Qui rapis teneram ad virum	*Flāmeum cape, lætus huc*
Virginem, ô Hymenæe Hymen	*Huc veni niueo gerens*
Hymen, ô Hymenæe.	*Luteum pede ſoccum.*

Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.

Ignes intellige tædas, faces, quæ nuptæ præferebantur, cum noctu ad ædes sponsi deducebatur à duobus patrimis, & matrimis pueris: tertius facem præluccebat. μεταφορικῶς verò nuptias. De facibus istis nuptialibus Passeratius prælectionibus in Catull. in hoc ipsum epithalam. pagina 7. Tria extant epithalamia Claudiani, valde bona, Catulli duo, vnum Papinij. Festiuitas in Catullianis multa, & pura, Venus è vere Latio. Erectior Papinius. Claudianus neque numeris, neque inuentionibus illis cedit. Scalig. in Critico.

Et cecini fausto carmina digna toro] Apud Græcos primus Apollo carmen nuptiale modulatus est Peleo, & Thetidi. Et tamen sunt qui scribunt, ipsum, & sororem Dianam iis nuptiis interesse noluisse. Iulius Pollux affirmat αὐλητικῆς, seu κιθαριστικῆς poëseos proprium fuisse Hymenæum canere.

Exceptis dom. qui nocuere suo] libris de Arte. In Ibin. *Artificis periit cum caput arte sua.*

Cui tua mirante scripta legebas] De more illius temporis, scripta sua eruditis hominibus legendi, eorumque indicio subiiciendi, diximus lib. 4. Trist. eleg. 10. Sed ea recitatio cum esset antiquitus priuata, sub Imperatoribus postea cœpit esse publica in loco celebri, & in corona quanta maxima poterat, non ad emendationem magis, quàm ad ostẽtationem, & gloriam aucupandam. Itaque recitaturi etiam elegantes sese facere studebant, cum & loti, & comam, atque barbam pexi, & albati prodirent. Sedentes autem recitabant, è sede sublimi.

Primo dilect. semp. ab ævo] à puella paruula. A primis annis.

Est inter comites Martia censa suas] censa, pro accensuit, inter suas habuit. Verbum patiendi, significatu agendi, quod solebant antiqui, vt affectatus est regnum, pro affectauit. Spectatus est suem, in Varrone. Communicati sunt, pro communicauerunt, in Liuio. Peragratus est regionem in Velleio. Plura notauit Lipsius in 1. Annal. Taciti. Martia hæc coniunx fuit Fabij Maximi, Marci Philippi vitrici Augusti filia, vt liquet ex 1. Fast.

Sic ego. sic Clio: clari monumenta Philippi
Aspicis, vnde trahit Martia casta genus.

Matertera Cæsaris ante] Si fides habenda Merulæ, fuit hæc Cæsaris matertera Attiæ soror, ipsa quoque dicta Martia, quam ante matrem Augusti Attiam duxerit Philippus, & Martiam inde de qua supra, susceperit.

Quarum iudicio si qua probata est] A duarum fæminarum grauium, ac prudentum iudicio laudat vxorem suam, è familia Maximorum.

Ipsa sua melior fama Claudia, &c.] Claudia Vestalis ob nimium corporis cultum venit in suspicionem stupri. Quæ si tales laudatrices habuisset, diuina ope non eguisset (simulacrum enim ingens lapideum Cybeles è Phrygia aduectum, cum naui ipsa cingulo alligato in littus traxit facillimè) ad opinionem falsam hominibus eximendam. Historia est 4. Fast. *Claudia quinta genus, &c.* Liuij lib. 29. Herodian. lib. 1. Plin. de vir. illustrib. cap. 46. Fenest. de Sacerdot. Rom. cap. 12. Lactant. lib. 2. cap. 8.

Præterita sine labe peregimus annos] lib. 2. Trist. *At memini, vitamque meam moresque probabas.* Aspergere, inferre alicui labem, pro afficere ignominia, Cicero. cui labes item est hiatus terræ. 1. de Diuinat. Multis locis labes facta est, terræque desederunt. Rursum. Labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset.

Proxima pars vitæ transil. meæ] Ibidem.

Me miserum, potui, si non extrema nocerent,
Iudicio tutus non semel esse tuo.
Vltima me perdunt, imoque sub æquore mergit
Incolumem toties vna procella ratem.

Coniux mea sarcina vestra est] Prosit mihi coniux, in vestra familia nata, & educata Respicit ad matrem eius, cuius vtero gestata est vt pondus, & sarcina, propter quam mulieres grauidæ partu leuari dicuntur. Onus etiam vocant. Vt 10. Metamorph *Tendit onus matrem.*

Non potes hanc salva dissim. fide] non potes sine perfidia illam pro me supplicem negligere, cum cognata sit.


Vestrasque amplectitur aras] In rebus perditis, & periculosis deorum aras tangebant. Ad alicuius aram confugere, est ab ipso suppliciter opem poscere. Eleg. 2. lib. 5, Trist.

Viderit ipse. (Augustus) sacrã quamuis inuisus ad arã
Confugiam, nullas summouet ara manus.

Eleg. 5. lib. 4. *Vnica fortunis ara reperta meis.* Ibidem annotata lege, ni piget.

Iure venit cultos ad sibi quisq. deos] Meritò in aduersis rebus eorum quærit auxilium, quos in secundis veneratus est. Dij enim coluntur vt prosint, vt tueantur cultores suos. Qui ergo Iouem colebãt, ad Iouem confugiebant; qui Apollinem, ad Apollinem; qui Mineruam, ad Mineruam. Vxor mea vos loco Deûm habet. Iure igitur in ærumna mea viri sui vestrum exposcit auxilium.

Busta sui fiant vt propiora viri] vt transferatur in locum Romæ viciniorem. Sic enim moriens habebit vicinius sepulcrum.



ELEGIA QVARTA.

Ad Rufinum

INSANABILE VVLNVS.

ARGVMENTVM.

Paraenesin eius valuisse apud se, non tamen vt animum penitus sanauerit: nec id admonitoris culpa: vt neq; boni medici, si aegrotus non conualescat: quia morbus nonnunquã est omni medicina potentior. Relegere se ipsius epistolam, & adiuuari: sed mox rursum deficere ob infractionem animi. Locus communis de amore, ac desiderio patriae, quod sibi augeat loci in quo degat squalor, sterilitas, indigenarumque efferata barbaries, & crudelitas, & maris praeterea semper irati importunitas. Confert se cum multis, qui & propinquius, & mitius longè, ac tolerabilius exularint. Quò magis ignoscendum sibi, si monitis imperfectius obsequatur. Alioqui orationem eius satis virium ad curandum vulnus suum fuisse habituram. Nihilominus voluntatem, & conatum placuisse.

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem:
Qui miser est, vlli si suus esse potest.
Reddita confusa nuper solatia menti,
Auxilium nostris spemq; tulere malis.
Vtq; Machaoniis Paeantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente iacens, & acerbo saucius ictu,
Admonitu coepi fortior esse tuo.
Et iam deficiens sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso vena redire mero.
Nec tamen exhibuit tantas facundia vires,
Vt mea sint dictis pectora sana tuis.
Vt multum demas nostro de pectore curae,
Non minus exhausto, quod superabit, erit.
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix,
Horrent admotas vulnera cruda manus.

NON EST IN MEDICO SEMPER, RELEVETVR VT AEGER:
INTERDVM DOCTA PLVS VALET ARTE MALVM.

Cernis, vt è molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas.
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
CVRA QVOQVE INTERDVM NVLLA EST MEDICABILIS ARTE:
AVT, SI SIT, LONGA EST ATTENVANDA MORA.
Cùm bene firmarunt animum præcepta iacentem,
Sumptaq; sunt nobis pectoris arma tui:
Rursus amor patriæ ratione valentior omni,
Quod tua fecerunt scripta, retexit opus.
Siue pium vis hoc, seu vis muliebre vocari,
Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
NESCIO QVA NATALE SOLVM DVLCEDINE CVNCTOS
DVCIT, ET IMMEMORES NON SINIT ESSE SVI.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus vrbe fugit.
Cùm bene sint clausæ cauea Pandione natæ,
Nititur in syluas quæq; redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exilij morsus ex pectore nostro
Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus vt leuius sit caruisse malum.
At puto qua fueram genitus tellure carenti,
In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi iaceo desertus arenis,
Fert vbi perpetuas obruta terra niues.
Non ager hic pomum, non dulces educat vuas;
Non salices ripa, robora monte virent.
Neue fretum laudes terra magis, æquora semper
Ventorum rabie solibus orba tument.
Quocunq; aspicias, campi cultore carentes,
Vastaq; quæ nemo vendicet, arua iacent.
Hostis adest dextra, læuaq; à parte timendus,
Vicinoq; metu terret vtrumq; latus.

Altera Bistonias pars est sensura sagittas,
Altera Sarmatica spicula missa manu.
I nunc, & veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer.
Et graue magnanimi robur mirare Rutili,
Non vsi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus, & hostica tellus:
Smyrna minus nullo penè petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus,
Legit enim sedes Attica terra tuas.
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primum sensit in vrbe fugam.
Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit.
Inter quas dubium, quæ prior esset, erat.
Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit,
Thessalicamq; adiit hospes Achillis humum.
Exul ab Æmonia Pirenida cessit ad vndam,
Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.
Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret vt muros in meliore loco.
Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus:
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exulibus tellus vltima Tybur erat?
Persequar vt cunctos, nulli datus omnibus æuis
Tam procul à patria est, horridiórue locus.
Quò magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed vereor ne me frustra sanare labores,
Nec iuuer admota perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit maior prudentia nobis,
Sed sim, quàm medico, notior ipse mihi.
Vt tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me peruenit, consuluique boni.



COMMENTARIVS.

HANC TIBI MITT. RVF. SAL.] Sæpe ſalutat in exorſu iſtarum elegiarum, vt verè epiſtolas eſſe iuſinuet, & libros epiſtolarum Ponticarum, ſeu ex Pouto velle appellari. In amore hæc tria vocabula meus, tuus, ſuus perſæpe dicuntur, in amore, inquam, probo, & improbo. Propert. lib. 4. eleg. 3. vbi vxor viro.

Hæc Arethuſa ſuo mittit mandata Lycotæ,
Cum toties abſis ſi potes eſſe meus.

Catull. *Quem nunc amabis, cuius eſſe diceris?* Hypſipyle Iaſoni. *Æſonides dixi quid agit meus?* 1. AEneid. *Quid meus Æneas, &c.* Cicer. lib. ep. 14. Mea Terentia fidiſsima, atque optima vxor.

QVI MISER EST, VLLI SI. S. ESSE P.] Miſerorum & infælicium ſocietatem omnes reſpuũt, & eorum cognationem nemo libenter agnoſcit. Fælicium & dij, & homines amici, quam ſententiam complexus eſt epigrãmate Lucianus, quod ſubiungo.

μὴ πταίων φίλος ᾗ θνητοῖς, φίλος ᾗ μακάρεσσιν,
καί σου ῥηιδίως ἔκλυον εὐξαμένου.
ἂν πταίσῃς, οὐδεὶς ἔτι σοι φίλος, ἀλλ' ἅμα πάντα
ἐχθρά, τύχης ῥιπαῖς συμμεταβαλλόμενα.
Si nil offendes, tibi dijque, hominesq; fauebunt,
Præſtabunt faciles quæque precatus eris.
Si quidquam offendas, tibi nemo manebit amicus,
Verſaq; fors faciet cuncta inimica tibi.

CONFVSÆ MENTI] perturbatæ, & à conſtantia ſua dimotæ, fractæ, ægrotantique grauiſsimè.

AVXIL. SPEMQVE TVLERE] lectis literis tuis aliquantum acquieui, & ſperare meliora cœpi. Quoniam dolor, ac mœror animum ægrum reddunt; ſequitur vt qui conſolationem eidem adhibet, medicinam facere videatur. Sed vt illa corporis, ita hæc quoque non ſemper ſanat.

VTQVE MACHAONIIS ARTIBVS] arte medica. Machaon AEſculapij filius, medicus nobilis apud Homerum, Podalirij, æquè medici frater. Hoſce duos, vt & patrem, venationis fuiſſe ſtudioſiſsimos refert Xenophon lib. de venat. quod eam exercitationem ad corporis robur, & ſanitatem conſeruandam vehemẽter conducere exiſtimarent.

PÆANTIVS HEROS] Philoctetes Pæantis filius. Vide eleg. 1. lib. 5. Triſt. *Hos erat, in gelido quæro Pæantim antro. &c.*

SIC EGO MENTE IACENS &c.] Se cum Philoctetа, ipſum Rufinum conſolantem cum Machaone componit. Mente iacet, qui eſt perculſo, conſternato, debilitato, deſperato animo.

VT SOLET INFVSO VEN RED. MERO] 4. Triſt. eleg. 5. aliam, æque idoneam ſimilitudinem adhibuit.

Cuim ab alloquiis anima hæc moribunda reuixit,
Vt vigil infuſa Pallade flamma ſolet.

A Cum vterque, odor videlicet, ac ſpiritus ſit vapor quidam, ac ſimile ſimili nutriatur, nimirum & ſpiritua, & ſpiritalis homo plurimum odoribus accipit alimentum. Nutrimentum vero qualecunque id ſit, per odorea ſiue ſomentum, apprimè ſenibus, & gracilibus neceſſarium eſt, quo defectum alimenti ſolidioris, atque verioris vtcunque compenſare poſſumus. Pomi porrò præſuaui odore prorogatam aliquamdiu Ariſtoteli vitam, in eius tituli libro, quiſquis ſit auctor, adnotatum comperi. Spiritum vero odoribus nutriri, argumento eſt, quod vinum odore plenum ſpiritum ſubitò recreat, quem cætera vix tandem poſſunt reficere. Hinc Ouid. *Etiam deficiens ſic ad tua verba reuixi, Vt ſolet, &c.* Cuius rei cum Seneca

B meminit etiam Plin. quanquam nec latet, ex ſe vinum ſomenti plurimum ſuggerere, priuatimque traditum à Dioſcoride lib. 5. vina ſæpe aliqua cenſeri σφυγμῶν ἀνακλητικά, id eſt, venarum pulſus excitare. Hæc non vulgaria ſuppeditauit Rhodigin. lib. 29. cap. 21 Vinum Iſidor. lib 20. inde dictum ait, quod eius potus ſanguine venas citò repleat.

NEC TAM EXHIB. T. F VIRES, &c.] Cic. ad Att. ep. 16. lib. 10. loquens de conſolatione, quam doctrina litterarum præſtare ſolet. Sed neſcio quomodo imbecillior eſt medicina quam morbus. Talis erat dolor Martiæ, A. Cremutij Cordi filiæ, quam conſolatur Seneca, cuius hæc ſunt ad verbum, cap. 1. Alij itaq; molliter agant, & blan-

C diantur: ego confligere cum tuo mærore conſtitui, & defeſſos, exhauſtoſque oculos, ſi verum audire vis, magis iam ex conſuetudine, quam ex deſiderio fluentea continebo: ſi fieri potuerit, ſauente te remediis tuis: ſin minùs, vel inuita, teneas licet, & amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filij locum ſuperſtitem feciſti. Quis enim erit finis? Omnia in ſupernacuum tentata ſunt. Fatigatæ allocutiones amicorum, auctoritates magnorum, & affinium tibi virorum, ſtudia, hæreditarium, & paternum bonum. Surdas aures irrito, ac vix ad breuem occupationem proficiente ſolatio tranſeunt. Illud ipſum naturale remedium temporis, quod maximas ærumnas componit, in te vna vim ſuam perdidit. Tertius

D iam præteriit annus, cum interim nihil ex primo illo impetu cecidit. Renouat ſe, & corroborat quotidie luctua, & iam ſibi ius mora fecit, eoque adductus eſt, vt putet turpe deſinere.

VT MVLTVM DEM. N. DE. P. CVRÆ, &c.] indicat ſe quadam mærori a infinitate teneri. Quãtumcunque enim de infinito demas, non fit minua. Maius quippe, & minus fieri, infinitioni in eodem genere repugnant. In Triſt. ſimile dixit de calamitatibus ſuis.

TEMP. DVCET. L. FORT. CITAT.] A vulnere

ſumpta

sumpta metaphora. ꝙ diuturnitate in cicatricem eolt, ostendit fieri posse, vt mœroris magnitudo minuatur, & tanquam de ingenti vulnere quasi quædam cicatrix extet. Hanc vnam medicinã temporis sibi fuisse vtilissimam scribit Cic. ep.4.lib.6. etsi meipsum, consolatorem tuum nõ tantum litteræ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit. Alibi idem, maximos luctus vetustate tolli.

HORRENT ADMOT. VVLN. CRVD. MAN.] Eleg.11.lib.3.Trist. *Deq; graui duras vulnere tolle manus.* Plin. ep.16.lib.5. vt enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltrò requirit: sic recens animi dolor consolationes reiicit, ac refugit, mox desiderat, & vehementer admotis acquiescit.

NON EST IN MED. S. RELEVET. VT ÆGER] Quis alioqui moreretur? Certè is tantùm, qui medicum non adhibuisset, aut forte fortuna periisset. Potest tamen & medicus indoctus, ac negligens hominem occidere. Officium medici est apposite ad sanitatem curare, vt oratoris apposite dicere ad persuasionem: & continetur hæc ars illarum ordine, quæ στοχαστικαὶ, coniecturales dicuntur. Requiruntur & alia, quæ primo aphorismo his verbis comprehendit Hippocrates. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. Nec verò satis est medicum suo fungi officio; sed ipsum quoque ægrotum, & astantes, seu illi seruientes, & externa rite comparata vt sint oportet.

INTERDVM DOCTA P. V. ARTE MAL.] Sunt quidam morbi insanabiles, quemcunque, & quantumcunque peritum medicum ceperis: & vt adsint requisita omnia: Idcircò mortem afferunt certissimam.

VT E MOLLI SANG. PVLM. REMISSVS] Quatuor exemplis pronuntiatum, seu axioma suum confirmat, quorum primum est sanguis è pulmone profluens: seu cruenta expuitio. Mollem probè vocat: nam spongiosus est, ideoque spiritus capax, & à tergo spinæ ipsi innatus. In duas fibras vngulæ bubulæ modo diuiditur. Cels.lib.4.cap.1. De pulmonibus Cic.2.de nat. deor. ita scripsit. In pulmonibus inest raritas quædam, & assimilis spongiæ mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt aspirantes, rum spiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes.

EPIDAVRIVS] AEsculapius Apollinis ex Coronide nympha filius, qui post mortem Epidauri diuinis honoribus cultus est. Quomodo Romanos legatus, formam serpentis indutus, & in eorum nauim ingressus Romam ad sedandam pestilentiam secutus sit, narratur 15. Metamorph.

SACRAS HERBAS] Apollo 1. Metamorph. *& herbarum subiecta potentia nobis.* Sacras nominat propter efficientiam. Vel, quia Apollini deo subiectæ, & sacræ, herbæ, inquam, medicæ: non enim omnes huius generis.

SANABIT NVLL. VVLN. CORD. OPE] Hoc secundum exemplum est. Vulnus in corde non curatur. Signa percussi cordis, inquit Celsus lib.5. Sanguis multus effertur, venæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidi, malique odores, tanquam in ægroto corpore oriuntur, extremisque partibus frigidis, matura mors sequitur.

TOLLERE NODOS. N. MED. PODAG.] Tertium exemplum de podagra: quæ cum in nodos transiit, incurabilis est. Nihilominus de eius curatione scribunt Plin. & Celsus. Aiunt ἰατρῶν παῖδες, si podagrosus sit senex, iamq; habeat tophos, & poros, & in victu intemperans, propter corpus densius, & natiui caloris debilitatem, curari non posse, & de hac podagra capiendum quod affirmat Ouidius. Iuuenem contrà, quia corpore est rariore, & viget in eo calor naturalis, si temperanter viuat, si medicis obediat, nec callos, & poros habeat, & à præsenti accessione, & à futuro morbo præseruari posse.

NEC FORMIDAT. AVXIL. AQVIS] Quartum de rabie ex morsu canis rabidi. Inde enim timor aquæ prouenit, ὑδροφοβίαν appellant medici. Sitit æger, & tamen aquam metuit. Definitur à Galeno in Def. med. Aquæ reformidatio est affectus ex rabiosi canis morsu ortus, cũ potus auersione, conuulsione, & singultu. His vero etiam delirium superuenit. Et huius remedia traduntur. Vide Mercurial. variar. lect. lib.1. cap.2.

CVRA QVOQVE INTERD. N. MEDICAB. ARTE] sicut ergo morbi quidam nullis medicamẽtis: ita quædam ægritudines nullis admonitionibus, præceptis, solatiis depelluntur.

AVT SI SIT, LONG. ATTEN. MORA] Si quod est remedium huic malo, temporis longinquitas est, qua extenuatur, & euanescit. Hoc tamen non semper. Quidam enim perpetua ægritudine cõtabuerunt. Vt Artemisia illa Mausoli Cariæ regis vxor, quæ quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. Cic.3. Tuscul. Diximus etiam in Tristib. Rectè igitur *Cura quoque interdum, &c.* Rursum Cic. ad Att. lib.3. ep.15. Dies autem non modo non leuat luctum hunc, sed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur vetustate: hic non potest non & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ vitæ quotidie augeri.

ANIMVM IACENTEM] prostratum, & confectum mœroribus. Supra. *Sic ego mente iacens.*

PECTORIS ARMA TVI] consilia è pectore tuo profecta, quibus me obarmo contra mœrorum morsus. Similiter translatè Cic.2. Tuscul. si nudus es, da iugulum: si tectus Vulcaniis armis, id est, fortitudine, resiste. In Catone, arma senectutis vocat artes, exercitationesque virtutum.

AMOR PAT. RAT. VALENT. OMNI] qui nullis argumentis cedit. Est enim altissimis defixus radicibus, & à natura homini ingeneratus. Naturam

ram autem expellas furca, tamen vsque recurret. Declarabit mox ennntiationem istam exemplis hominnm, & animantium, vt vim naturæ inexpngnabilem agnoscamns.

RETEXIT OPVS] reuocat me ad mœstitudinem, vnde me epistola tua auocarat. Obliterat monita tua.

SIVE PIVM VIS. H. SEV VIS MVLIEB.] Tangi amore, & desiderio patriæ in locis longinqnis, pietatis est. Animo autem ita deiici, vt nulla enm ratio possit extollere, flere, lamentari, &c. muliebria fnnt. Mulierum quippe natura mollis, & affectuum impotens.

CONFIT. MIS. MOLLE COR. E. MIHI] Si manis mnliebre vocare, quodego facio, age, voca: non nego abesse à me magnitudinem animi ad perferendas viriliter miserias. Obserua, poëtam quod dixerat *muliebre*, nunc appellare *cor molle*, & insinuate originationem vocis mulier, quasi mollier, à mollitie.

NON DVB. EST ITHAÇI PRVD.] Tuetur factum fnum exemplo viri prudentissimi Vlyssis, qui Homero frequenter πολύμητις. Cic. 1. de Orat. sapientissimus. Ithacus ab insula Ithaca, cnins erat dominns: qnam, licet asperrimis saxulis affixam, immortalitati anteposuerit, quam videlicet illi Calypso ptomittebat. Ibid. Describitur Ithaca ab Homero, Odyss. 9.

OPTAT FVM. DE. P. P. VIDE. LOCIS] Homer. Odyss. 1. ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ἧς C γαίης. Vide Antholog. 1. tit. ξδ. εἰς πατρίδα.

NESCIO QVA NAT. SOL. D. CVNCT. &c.] Distichon recitatu frequentissimũ, cnm de laudibus patriæ sermo est. Homer. 1. Odyss.

> *ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων*
> *γίγνεται.*
> *Vt nihil est patria, propriisue parentibus vllū*
> *Dulcius.*

QVID MELIVS ROMA?] Vide Admiranda Lipsij, qui præstantiam, & magnitudinem vrbis huius è sex rebus demonstrat, finibus, copiis, opibus, operibus, viris, virtutibus. Magnificè de ea Martialis.

> *Terrarum dea gentiumq́, Roma,*
> *Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Præterea percurre orationem Aristidis Sophistę, in Romam.

SCYTHICO QVID FRIG. PEIVS?] Nomine frigoris omnia illins barbaræ regionis incommoda complectitur, quæ in Trist. atq; adeò in his libris enumerat.

HVC TAM. EX ILLA. B. VRBE FVG.] ex instinctu, & impulsu naturæ. qui in hominibus, & animantibus reperitur. Quærit enim vnumquodque animal in loco naturali degere, si possit.

BARBARVS] Barbari in iure ciuili dicuntur exteræ nationes, hostes Romani imperij. Inter-

A dum barbari qui subsnnt Romano imperio, deuicti scillcet à Romanis, & tributarij, vt Scythæ, Gothi, Alemanni. Item barbari qui non sunt imperio Romano subditi, Romanas tamē leges sna sponte obseruant. Græci Persas, & Atheniensis Orator ipsum Philippnm Macedonem barbarū vocat, quasi Macedones, & quicnnqne non essent Ἕλληνες haberentur barbari. Scip. Gentil.

PANDIONE NATÆ] hirundines. Vide fab. & metamorph. apnd Natalem lib. 7. cap. 10.

NEC FERIT. ILLOS IMPED.] immò feritas agnata illos ad boc incitat, cum domari se non sinant.

EXILII MORSVS] angores, dolores, qnibus animus in hoc exilio exeditur. Hac item no-
B tione à M. Tullio vsurpatum videas. 2. Off. Acriores sunt morsus intermissæ libertatis, quam retentæ. Relege supra in eleg. 1. dicta, ibi. *Sic mea perpetues curarum pectora morsu, &c.*

FOMENTIS TVIS] solatiis, & cohortationibus, quibus velut lenibus medicaminibus, & fomentis me conaris sanare. Sed frnstra es.

VOS IPSI TAM NE MIHI. S. AMANDI] si vos lentius, & remissius amarem, conspectum vestrum, consuetndinemq́ue mihi iucnndissimā minus exoptarem. Si minus exoptarem, ob eam mihi tamdiu negatam minus cruciarer. Vt autem minus vos amem quam amo, nunquam efficies.

AT PVTO QVA. F. GENIT. &c.] Sed obiicias, etsi patria caream, exulare me tamen loco non incommodo.

ORBIS IN EXTREMI LACEO DES. AREN.] Refutat obiectionem ennmeratione malornm quæ patitur. Ac primùm ponit distantiam à patria maximam. Eleg. 2. lib. 5. Trist. *Barbara me tellus, orbisq́ nouissima magni sustinet.* In hac querimonia crebet est.

DESERTVS] neminem habens, qui mecum conferre sermonem possit.

FERT VBI PERPET. OBRVT. T. NIVES] Eleg. 3. lib. 3. Trist.

> *Nix iacet, & iactam non sol, pluuiæq́ resoluunt:*
> *Indurat Boreas, perpetuamq́ facit.*

D *NON AGER HIC POMVM, &c.*] Vide extremum lib. 3. eleg. 10. Trist.

ÆQVORA SEMP. VENT. RABIE, &c.] Propter crebras tempestates, & pericula nauigantinm pontus Euxinns olim dictus est Axenus. Eleg. 4. lib. 4.

> *Nam neq́, iactantur moderatis æquora ventis,*
> *Nec placidos portus hospita nauis habet.*

SOLIBVS ORBA] quia eripinnt nobes cælumqne diemqne, vt est in 1. AEneid. Et propter crebras quoque ibi nebulas, & caligines.

CAMPI CVLTORE CARENTES] Trist. 3. eleg. 10.

> *Tum quoq́, cum pax est, trepidant formidine belli,*
> *Nec quisquam presso vomere sulcat humum.*

HOSTIS

HOSTIS ADEST DEXTRA, LÆVAQVE &c.] Ibid.

Sunt circa gentes quæ prædam sanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aqua.

BISTON. PARS EST SENS. SAGITT.] Sarissas legunt aliqui, quod est Macedonicum, vt gaza Persicum. Et sensus est. Ex vna parte imminent Bistones.

ALTER SARMAT. SP. MISSA MANV] ex altera parte Sarmatæ.

I NVNC, ET VET. NOBIS EXEMP. VIROR. &c.] Incipit recensere antiquos, qui forti animo tulere exilium, quos omnes quà loci propinquitate, & commoditate fœliciores sese fuisse pronuntiat. Figura loquendi, cum aliquem vi-B ctum, & pudefactum, item contemptum, irrisionem, inanem laborem, & similia indicare volumus. Virgil. 4. AEneid. *I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.* AEneid. 7. *I nunc, ingratis offer te irrise periclis.* Martial. lib. 1. *I nunc, & ferrum turba molesta nega.* De veteribus exilium passis, ita Carmentis ad Euandrum filium 1. Fast.

Nec tamen vt primus mœre mala talia passus,
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem est Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus, in Aonia constitit exul humo.
Passus idem Tydeus, & idem Pagasæus Iason,
Et quos præterea longa referre mora est.

GRAVE MAGNAN. ROBVR. MIR. RVTILI] Pro Rutilij, vt eclog. 1. *Pauperis hoc tuguri.* Rutilius hic Stoicus fuit, Panætij auditor. Cic. in Bruto, 3. de Off. pro Fonteio, in Pison. 3. de nat. deor. Asiam pro consule administrans, publicanos equites ab inferendis iniuriis coercuerat. Postmodum ab equestri ordine, penes quem tunc erant iudicia, accusatus, & in exilium missus est. Vide Victor. lib. 17. cap. 6. Socratis constantiam, & animi magnitudinem imitatum dicit Antonius 1. de Orat. Seneca ep. 24. Damnationem suam Rutilius sic tulit, tanquam illi nihil molestum esset aliud, quam quod male iudicaretur. Exilium Metellus fortiter tulit. Rutilius etiam libenter. Alter vt rediret reipub. præstitit. Alter reditum suum Syllæ negauit, cui nihil tunc negabatur. Valer. autem lib. 2. cap. 10. Quid damnatione, quid exilio miserius? At P. Rutilio conspiratione publicanorum perculso auctoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti, omnes prouinciæ illius ciuitates legatos, secessum eius operientes obuiam miserunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare iustius dixerit? Obseruandum, exilij tempus non idem fuisse locis diuersis. In declamat. Quintil. & Seneca lib. 4. Controuers. exprimitur quinquennium. Hebræis obitu summi Pontif. finiebatur, apud quos & certæ vrbes definitæ in quas confugerēt: tametsi iure gentium quæuis regio exulibus patere debet.

SMYRNA VIR. TEN. NON PONT.] loci cum loco comparatio, mitis cum aspero, cultissimi cum incultissimo, &c.

SMYRNA MINVS. N. P. PET. LOCO] Locus tam fœlix, vt penè certet cum locis omnibus. Vrbs est Ioniæ, vna ex iis, quæ sibi Homeri natales vendicarunt. Condita ab Amazonibus, & ab harum vna hoc nomen is sortita. Strabo lib. 14. Apollonius Tyaneus, auctor Philostratus lib. 4. cap. 2. dixit omnium vrbium sub sole pulcherrimam esse. Præstantius tamen illam studiosis viris coronatam esse, quam porticibus, picturis, & auro illustratam.

NON DOLVIT PAT. CYN. &c.] Diogenes Cynicus, patria Sinopeus, in exilium voluntarium concessit Athenis. Occasiōnem exponit Laërtius, principio vitæ ipsius. ibi. Antisthene magistro vsus est, euasitque philosophus, &c.

ARMA NEOCLID. Q. PERS. CON. ARMIS] Themistocles Neoclis filius. AEmilius Probus, vbi res eius aduersus Xerxem præclare gestas memorauit, hæc adiungit. Tamen non effugit ciuium suorum inuidiam. Namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis è ciuitate eiectus, Argos habitatum concessit.

PRIMAM FVGAM] Nam, vt pergit narrare C AEmilius, cum Argis propter multas suas virtutes magna cum dignitate viueret, Lacedæmonij legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id vt audiuit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram migrauit. Ibi cum eius principes ciuitatis animaduertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonij, & Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit, &c.

PVLSVS ARISTID. PAT. LACED.] Hic, vt ait Diodorus, propter excellentem iustitiam iustus cognominatus, & vt scribit Probus, à The-D mistocle collabefactus, testula illa decem annorum exilio multatus est.

INTER QVAS DVB. Q. PRIOR] De principatu contenderunt inter se Lacedæmon, & Athenæ. Priores autem deberi Athenis, vt Atheniensis, probat multis in panegyrico nobilissimus Orator Isocrates.

PATROCLVS OPVNTA RELIQVIT] In ludo astragalorū occiso Cleonymo solum vertit, Phthiam vrbem Thessaliæ venit. Ibi à Peleo cognato, Achillis patre susceptus, & cum filio educatus, postea cum eodem ad bellum Troianum profectus est.

EXVL AB ÆMONIA PIRENIDA, &c.] De Iasone, qui Argonautarum in Colchos nauigantium dux, & princeps fuit. Vide principium 7. Metamorph. Hunc ferunt exulem è Thessalia Corinthum venisse. Quod accipiendum est de reditu è Colchide. Profectionis auctor ei fuit Pelias patruus. qui hac ratione præstantem animi iuuenem periculis obiectans, se regnum, illi à fratre AEsone relictum, posse obtinere sperauerat.

· *TRABS COLCHA. S. CVCVRRIT AQVA*] Vide exordium de nupr. Pelei, & Thetid. apud Catull. Trabs pro nsui, hypallage. Idem in Phaselum. *Neque vllius natantis impetum trabis Nequisse praterire.* Virgil. 3. AEneid. *vastumq́; caua trabe currimus aquor.* Horat. Ode 1. lib 1. *vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta secet mare.* Sacram Ouid. ideo nuncupat, quoniam Minerua ei fabricandę præfuit. Catull.

Diua quibus retinens in summis vrbibus arces
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexa texta carina.

LIQVIT AGENORID. SID. M. CAD.] Cadmus Agenoris, regis Phœniciæ, in qua Sidon, filius. Europam sororem à Ioue raptam, & in Cretam abductam, vbique terrarum quærere, nec nisi ea inuenta domum redire iussus est. Principio 3. Metamorph.

Cum pater ignarus, natam perquirere Cadmo
Imperat. & pœnam. si non inuenerit, addit
Exilium, facto pius. & sceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprendere posset
Furta Iouis?) profugus patriamque, iramque parentis
Visat Agenorides.

PONERET VT MVROS IN MEL. LOCO] De hac quoque re, nempe de Thebis à Cadmo in Bœotia, loco meliore, ibi enim fælix. securus, & in regno vixit. ædificatis, ita ibid. Ouid.

——*Phœbiq; oracula supplex*
Consulit: &, quæ sit tellus habitanda requirit.
Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in aruis,
Nullum passa iugum, curuiq; immunis aratri.
Hac duce carpe vias: & qua requieuerit herba,
Mœnia fac condas. Bœotiaq; illa vocato.

VENIT AD ADRAST. TYDEVS, &c.] Tydeus filius OEnei regis Calydoniæ, & Eribœæ, siue Altheæ, cum fratrem Menalippum imprudens occidisset, ad Adrastum regem Argiuorum perfugit.

ET TEVCRVM VEN. G. RECEP. HVM.] Teucer, & Aiax fratres fuerunt, filij Telamonis, cuius frater Peleus, pater Achillis. Euersa Troia Teucer domum rediens, & patrem sibi de morte fratris non vindicata iratum sentiens, vltro ex Attica in Cyprum, in exilium sponte se contulit, ibique aliam Salsmina, patriæ suæ cognominem condidit. Horat. Ode 7. lib. 1. Testantur idem Isocrates in Euagora, & Velleius lib. 2.

VENERI GRATA HVMVS] A Cypro Venus Cypria, & Cypris. Eius insulæ potentem, hoc est,
A dominam, præsidem, & custodem vocat Horat. Ode 3. lib. 1. vbi religiosissimè culta est. Vnde idē Ode 30. lib. 1. *O Venus regina Gnidi, Paphique, Sperne dilectam Cypron, &c.*

EXVL IB. TELL. VLT. TIBVR ERAT] Distat Roma Tibur non amplius tribus milliaribus Italicis, à Tiburno Argiuo conditum. Herculeum Propertio eleg. 32. lib. 2. quod Herculi sacratum esset. *Cuius te in Herculeum deportant esseda Tibur?* Iam quod hîc, idem 6. Fast. dicit.

Exilio mutant vrbem, Tiburq; recedunt.
Exilium quodam tempore Tibur erat.

PERSEQVAR VT CVNCT. NVLLI, &c.] Nullo sæculo quispiam nec apud Græcos, nec apud Romanos in tam longinquum, & horridum exi-
B lium missus est, vt ego. In omnes humanius consultum est. Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Ergo tam latè pateat cum maximus orbis,
Hac est in pœnas terra reperta meas.

QVO MAG. IGNOS. S. VEST. DOL.] In re mala, tamen modica, multum dolere turpe est: in magna admodum, minus turpe, & ideo à sapientibus ignoscitur. Nec enim è robore dolati, aut è silice procreati sumus.

QVÆ F. EX DICT. NON ITA. M. TVIS] quæ consiliis tuis, quanquam sapientibus, non per omnia, seu perfectè obtemperat. Sed quonam referenda vox *Quæ*? non vtique ad verbum *sapientia*. Quis enim esset sensus? Ineptè editio Lipsiensis exponit: Quę suis consolationibus non po-
C test mihi exilij dolorem adimere. Nam *facit* ad ipsum Ouid. referendum est, ac proinde legendum *Qui* vti correximus. Ignoscat dolenti, *Qui facit, &c.* libentius tamen legerem, *Cum facit, &c.* si ea lectio auctorem haberet aliquem vetustiorem codicem. Latini quippe sic non tarò loquuntur.

PRÆCEPTIS POSSE COL. TVIS] Magna inest vis in præceptis, & admonitione tua, quæ sanaret vulnus meum, & animum tranquillaret penitus, si dolor non esset tantus.

VEREOR NE ME. F. SAN. LAB.] Vereor ne actum agas. Mollius ita loquimur, vereor, timeo ne hoc, aut illud non possis, non facias, non intelligas, &c. quam si præcisè negemus posse, facere, intelligere.

D *PERDITVS ÆGER*] desperatus.

QVIA SIT MAIOR PRVD. NOBIS] Obuiam it tacitæ obiectioni. Non puto me prudentiorem te, vt ideo præceptis tuis non paream, obsecutus scilicet magis iudicio meo. Caue istuc suspiceris. Quid ergo?

SED SIM. Q. MED. IPSE MIHI] Corpus cuique suum, & internæ affectiones, doloresque notiores sunt quam medico, cui narrādi sunt. Quò fit, vt interdum ægrotus opem, & consilia medici non sequatur, quia sibi parum profutura manifestò videt. Eadem ratio est in morbis animi, in quibus sæpe Terentianum illud vsuuenit. *Omnes facile, cum valemus, bona consilia ægrotis damus. Tu si hic sis, aliter sentias,*

VT TAMEN HOC ITA SIT] Vt nihil, aut parum proficiat medicina tua, nec posſis me ſanare.

MVNVS TVA GRANDE VOLVNT.] Bona voluntas tua eſt mihi in loco magni muneris. Eleg. 4. lib. 3.

Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror eſſe deos.

Sæpe coniunguntur donum, & munus. Cic. Catone. huic diuino muneri, ac dono. Et pro Archia, deorum aliquo dono, atque munere commendari. Grammaticis donum eſt quod diis placandis infertur aris: munus quod hominibus datur. Sed à poëtis, & hiſtoricis confunduntur, A qui & dona hominum dicunt, & munera deorum.

CONSVLVIQVE BONI] Hoc loquendi modo veteres id volebant, quod, bonum iudicare. Boni conſule, bonum iudica, bonum tibi videatur. Sic lib. 3. eleg. 8.

Quæ quanquam miſiſſe pudet, quia parua videntur,
Tu tamen hæc quæſo conſule miſſa boni.

Eandem vim habet æqui boniq́ue facere, nempe, in bonam partem accipere. Cic. ad Att. Tranquilliſsimus autem animus meus, qui totum iſtuc æqui boniqne facit. Barbati, eſſe contentum.

ELEGIA QVINTA.

Ad Vxorem.

VTRIVSQVE EX MALIS SENECTVS.

ARGVMENTVM.

SE iam incaneſcere, & corpore toto langueſcere per annos ipſos, & continuos animi cruciatus. Omnia aſſiduitate vſus, & operis hebetari, obtundi, frangi. Iaſonem quondam in eadem loca delatum, multis de cauſſis præ ſe beatum fuiſſe. Credere ſe, ipſam ſimiliter luctu conſenuiſſe, cui redux oſculum, & amplexum ferre, & colloquia cum ea miſcere, Cæſariq́ue gratias agere perquam deſiderat.

Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas,
Iamq́; meos vultus ruga ſenilis arat.
Iam vigor, & quaſſo languent in corpore vires,
Nec, iuueni luſus qui placuere, iuuant.
Nec me, ſi ſubitò videas, cognoſcere poſſis:
Ætatis facta eſt tanta ruina mea.
Confiteor facere hoc annos: ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſq́; labor.
Nam mea per longos ſi quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Neſtore maior ero.

Cernis,

Cernis, vt in duris (& quid boue firmius?) aruis
Fortia taurorum corpora frangat opus?
QVAE NVNQVAM VACVO SOLITA EST CESSARE NOVALI,
FRVCTIBVS ASSIDVIS LASSA SENESCIT HVMVS.
Occidet, ad Circi si quis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equus.
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,
Quæ nunqam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa laborum:
Ante meum tempus cogor & esse senex.
OTIA CORPVS ALVNT, ANIMVS QVOQVE PASCITVR ILLIS:
IMMODICVS CONTRA CARPIT VTRVMQVE LABOR.
Aspice, in has partes, quòd venerit Æsone natus,
Quam laudem à sera posteritate ferat.
At labor illius nostro leuiorq; minórque,
Si modò non verum nomina magna premunt.
Ille est in Pontum Pelia mittente profectus,
Qui vix Thessaliæ fine timendus erat.
Cæsaris ira mihi nocuit, quem solis ab ortu,
Solis ad occasus vtraq; terra timet.
Iunctior Æmonia est Ponto, quàm Roma sit Istro:
Et breuius, quàm nos, ille peregit iter.
Ille habuit comites primos telluris Achiuæ:
At nostram cuncti deseruère fugam.
Nos fragili ligno vastum sulcauimus æquor:
Quæ tulit Æsoniden, firma carina fuit.
Nec mihi Tiphys erat rector, nec Amyntore natus
Quas fugerem docuit, quas sequererq; vias.
Illum tutata est cum Pallade regia Iuno,
Defendere meum numina nulla caput.
Illum furtiuæ iuuère Cupidinis artes,
Quas à me vellem non didicisset amans.
Ille domum rediit, nos his moriemur in aruis,
Perstiterit læsi si grauis ira Dei.
Durius est igitur nostrum, fidissima coniux,
Illo, quod subiit Æsone natus opus.
Te quoque, quam iuuenem discedens vrbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.
O ego, Dij faciant, talem te cernere possim,
Caraq; mutatis oscula ferre comis.

Amplectiq́; meis corpus non pingue lacertis,
Et gracile hoc fecit dicere cura mei.
Et narrare meos flenti flens ipse dolores,
Sperato nunquam colloquioq́; frui.
Thuraq́; Cæsaribus cum coniuge Cæsare digna,
Diis veris memori debita ferre manu.
Memnonis hanc vtinam, lenito Cæsare, mater
Quàm primum roseo prouocet ore diem.

COMMENTARIVS.

DETERIOR CAN. ASPERG. ÆTAS] Hypallage. In deteriore ætate canis aspergor. Eleg. 8. lib. 4. Trist. A

Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba senecta comas.
Iam subeunt anni fragiles, & inertior ætas:
Iamq́; parum firmo me mihi ferre graue est.

Inuentutem vocabant bonam ætatem, senectutem deteriorem, siue malam. Anson. Mosella. *Tu melior peiore æuo.* Sic melior sexus est virorum, deterior, fœminarum. Et quia granis est, & onerosa, nec minus tergo nostro ponderosa, quam baiuli dorso graue pondus, proinde Plaut. Menæch. *Vt ætas mala merx mala est tergo.* Obseruauit Turneb. lib. 17. cap. 21. & lib. 22. cap. 22.

MEOS VVLT. RVGA SEN. ARAT] Virgil. 7. AEneid. *Et frontem obscœnam rugis arat.* Horat. Ode 8. Epod. B

Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret.

IAM VIGOR, ET QVASSO, &c.] Virgil. 5. AEneid. *Sanguis hebet, frigent effœta in corpore vires.* Emarcuit corpus meum. Quassum corpus est quasi conquassatione eneruatum, ac dissolutum, & deartuatum corpus.

NEC IVVENI LVS. Q. P. IVVANT] Non me delectant senem, quæ delectarunt iuuenem: & sunt cuiusque ætatis alia studia, alij mores, de quibus Horat. ad Pisones. *Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores, &c.* C

SI SVBITO VIDEAS] primo aspectu non me agnoscas.

ÆTAT. F. EST. T. RVINA MEÆ] adeo immurata est ætas mea. Non reuera ætas, pauci enim anni ad eam accesserant, dum degeret in exilio: sed corpus meum ex canitie, & macie, quam mihi non tam anni, quam angores quotidiani creauerunt. *Adeone hominem ex amore immutarier, vt non cognoscas eundem esse?* inquit ille apud Terent. Duabus igitur hisce caussis, annis, & mœstitudini canitiem, rugas, imbecillitatem virium adscribit mox sequenti disticho.

ANXIETAS ANIMI] Hæc ad rugas, & senium plus multo, quam tempus ipsum valet. Vnde infrà.

Me quoq́; debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogit & esse senem.

Cicero pro Milone. Luget senatus: mœret equester ordo, tota ciuitas confecta senio est.

CONTINVVSQVE LABOR] Laboris vox etiam in animo sæpe locum suum inuenit, denotans curas, sollicitudines, metus, angores, &c. quibus exercetur, & fatigatur animus, & à quibus non interquiescebat Ouidius.

MEA PER LONG. SI. Q. MALA DIG. ANNOS] si quis numeret, & distribuat mala mea in multos annos, quæ tamen ego paucis sustinui.

PYLIO NESTORE MAIOR ERO] in tam multos digeret, vt videar Nestore annosior. Apud Homerum Nestor Iliad. 1. se tertiam hominum ætatem iam agere gloriatur. De annis ætatis controuersia est, & hîc hyperbole. Prouerb. Nestorea senecta. Efficit autem ærumna, & vehemens, ac diuturna ægritudo animi, vt breue tempus longum, & anni pauci bene multi videantur. Eleg. 11. lib. 5. Trist.

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter vnda maris.
At mihi iam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troia sub hoste fuit.

En, tres annos deputat decem. Plin. epist. 24. lib. 4. Si computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, æuum putes. Sic in contrario Iulium sodalem quanquam pæne sexagenarium, paucos vixisse dies ait Martial. lib. 2. epig. 16. quia non sæpe genium curauit, & raro voluptati indulsit. Non enim aliam vitam probare potest Epicureus ille.

CERNIS VT IN DVRIS ARVIS, &c.] Labor continuus debilitat, carpit, imminuit omnia. 1. Metamorph. *Dura lacertosi fodiebant arua coloni.* Virg. 1. Georg. *Et segnem patiere situ durescere campum.*

ET

ET QVID BOVE FIRMIVS?] validius, neruosius. Virgil. 1. Georg. *Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.* 15. Metam.

> *Immemor est demum, nec frugum munere dignus,*
> *Qui potuit curui dempto modo pondere aratri*
> *Ruricolam mactare suum: qui trita labore*
> *Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,*
> *Tot dederat messes, percussit colla securi.*

VACVO SOLITA EST CESS. NOVALI] Noualis & nouale dicitur. Eclog. 1. *Impius hæc tam culta noualia miles habebit?* Est autem nouale quod alternis annis seritur. Plin. lib. 18. cap. 19. vel ager nouæ relictus sementi. Vel quia intermissus renouatur, à nouando noualis, vt ait Varro. Virgil. 1. Georg. *Alternis idem tonsas cessare nouales, &c.* Et. *Sed tamen alternis facilis labor.* Vbi cum multa recreandorum agrorum remedia proposuisset, intermissionem maxime probauit.

FRVCTIB. ASSID. LASSA SEN. HVM.] frugibus quotannis efferendis, hæc enim est ruris assiduitas, cum nulla cessatio interponitur. & ita humus emaciatur, atque exsucca redditur. Vnde Virgil. 1. Georg. iubet alternis annis cessare nouales.

OCCIDET AD CIRCI SI QVIS CERTAM. &c.] Primum exemplum inductionis, qua probat, assiduitate operis, & vsu res atteri, & confici, fuit bos arator. Alterum, nouale. Sequitur tertium, equus circensis. Circus Romæ locus, vbi ludicra certamina committebantur. Ideo sic appellatus, quod in circuitu spectaculis ædificatis, ibi ludi fierent, & quod illic circum metas ferretur pompa, & equi currerent. Erat autem forma oblonga, instar arcus, in circuitu habens gradus, spectatoribus apta sedilia, ne alter alterius prospectum impediret. Vide Marlian. Topograph. vrbis Romæ. lib. 4. cap. 10.

QVÆ NVNQ. LIQVID. SICCA CAR. AQ.] Si quod nauigium in ripam, aut littus non subducetur, sed in aquis perpetuò relinquetur, putrescet.

SERIES IMMENSA LAB.] Quam tot infinitionibus numerorum in diuersis rebus per libros Trist. declarauit, & in his quoque declarabit, si memini.

ANTE MEVM TEMPVS, &c.] Concinnior lectio, *cogit & esse senem*, quam, vt est in plerisque, *cogor & esse senex*. Non reuera senem, id est annosum: sed similem seni, id est, canum, rugosum, marcidum, exhaustum viribus, &c.

OTIA CORPVS ALVNT] Quies, & intermissio conseruant corporis valetudinem. Phædra Hippolyto. *Quod caret alterna requie, durabile non est.*

ANIMVS QVOQVE PASCITVR ILLIS] Gaudet, recreatur, reficitur, & instauratur requie post labores. Seneca pater lib. 1. Declamat. Excitatur otio vigor, & omnis tristitia, quæ con-

A tinuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur.

IMMOD. CONTRA CARP. VTRVNQVE LAB.] Nam iuxta prouerb. arcus semper intensus rumpitur. Vide Chiliasten. Carpit nihilominus etiam vtrumque nimia remissio. In Theophrastum extat epitaphium Laertij, cuius hæc sententia; eum tantisper viguisse, dum esset in labore. Simulatque remiserit studium, vigore, ac spiritibus destitutum interiisse. Græcum subiicio.

> οὐκ ἄρ' ἀπορρῆτον μερόπων ἔπος ... ἐλέχθη,
> ῥήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον.
> δὴ γὰρ καὶ Θεόφραστος, ἕως ἐπόνει μὲν ἄπηρος
> ἦν δέμας, εἶτ' ἀνεθεὶς κάτθανε πηρομελής.

B Tenenda igitur mediocritas, & ante oculos habendum illud Senecæ Tragici, *moderata durant.*

ASPICE, IN HASP. Q. VEN. ÆSONE NAT. &c.] Obiiciat vxor. Atqui Iason Æsonis filius in tam remotum orbem deuectus, quantam sibi gloriam comparauit?

AT LABOR ILLIVS NOSTRO, &c.] ἀνθυποφορὰ, quæ occurrit, & est longiuscula comparatio, per quam non illum, sed se miserum ostendit. Ita etiam se cum Vlysse contulit. eleg. 4. lib. 1. Trist. *Pro duce Neritio docti mala nostra poetæ Scribite, &c.*

SI MODO NON VER. NOM. M. PREM.] Clarum nomen Iasonis, Ouidij adhuc obscurū. C Ideo credibiliora, quæ de ipso dicuntur, quam quæ ego de me dico, videri possunt. Sed veritas quærenda, non fama attendenda. Premunt verum multis in rebus magna potentum nomina. Gwalt geht für recht.

ILLE EST IN PONT. PEL. MITT. PROF.] Elegia præcedente.

> *Exul ab Æmonia Pirenida vosit ad vndam,*
> *Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.*

Plurima vocis huius Pontus significata reperiuntur, ex quibus tria hæc sunt insigniora. Pro mari Euxino per synecdochen. Pro tota regione eidem mari omni ex parte finitima. Pro certa quadam Asiæ minoris regione, inter Armeniam, Colchidem, & mare sitam, quæ olim regnum D Mithridatis, postea pop. Rom. prouincia fuit.

QVI VIX THESSAL. F. TIMEND.] vix per Thessaliam, vnicam prouinciam timendus erat Pelias Iasonis patruus.

CÆSARIS IRA MIHI NOCVIT] Quid est Pelias ad Cæsarem? musca ad elephantem. Centies maior, & potentior qui me multauit, quod procul dubio est acerbius, habere scilicet hostem maiorem, & potentiorem. Quam igitur magnus, & potens est Cæsar? sequitur.

QVEM SOLIS AB ORTV, SOL. AD OCCAS. &c.] Quem timet oriens, & occidens, id est, totus mundus. Quoniam ipse est mundi totius dominus. Versiculus palatij valuis à Virgilio affixus.

Iupiter in cælo, Cæsar regit omnia terra. Et 15. Metam. A de eisdem imperio latissimo.

——quodcunque habitabile tellus
Sustinet, huius erit: pontus quoque seruiet illi.

IVNCTIOR AEMONIA EST PONT. &c.] Aliud discrimen, à distinctione loci maxima. Aemonia, id est, Thessalia ab Aemone rege fortita hoc nomen, propius abest à Ponto, quam Roma. Et quo quis à patria remotior, hoc miserior.

ROMA ISTRO] Danubio. Solent autem poëtæ regiones per flumina, per easdem labentia indicare. De Lycoride Gallus Eclog. 10.

Tu procul à patria, nec sit mihi credere tantum,
Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni
Me sine sola vides.

Frigora Germaniæ, per quam labitur Rhenus. B

PRIMOS TELLVRIS ACHIVAE] Tertium discrimen, ex parte sociorum. Ille nauigauit cum multis & illustribus, mecum nemo. Lectos iuuenes, Argiuæ robora pubis vocat Catull. Virgil. eclog. 4. delectos heroas, Valer. Flaccus magnos nautas, vt Pindarus ναυτᾶν ἄωτον nautorum florem.

NOS FRAGILI LIGNO, &c.] Quartum, ex parte nauis. Mea fragilis, illius bene compacta, & firma.

VASTVM SVLCAVIMVS AEQVOR] sic locutus est etiam Virgil. 10. Aeneid. *& longa sulcat maria alta carina.* Et lib. 5.

Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Conuulsum remis, rostrisque stridentibus æquor. C

Et lib. 10. *sulcumque sibi premat ipsa carina.*

NEC MIHI TIPHYS ERAT RECTOR] Adiunctum. Nō solum meliorem nauem, sed etiam peritiorem gubernatorem habuit. De Tiphy vide eleg. 3. lib. 4. Trist. *Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus.* Repente, clauum tenens extinctus est, vt narrat Valerius Flaccus lib. 3. incertum, num antequam in Colchos perueniret, an in reditu.

NEC AMYNTORE NATVS QVAS FVG.] Aliud adiunctum nauigationis. Non habui qui mihi viam, seu quò cursum dirigerem, indicaret. Variam huius loci lectionem esse monet Merula. Sed optima fortasse, Agenore natus, id est, Phineus, qui Iasonem iter docuit, & quo pacto D Cyaneos scopulos vitaret.

ILLVM TVTATA EST. C. PALLAD. REG. IVNO] Quintum discrimen, à tutela numinum. Ille duobus potentissimis curæ fuit: ego desertus sum à diis omnibus. Iunonem regiam nōn semel appellat Virgilius: reginam Deûm, & diuûm quoque.

ILLVM IVVERE CVPIDINIS ARTES] Ad consequendum, quod volebat, vellus aureum, aditus est opera Medeæ, quæ veneficio quodam sopitis draconibus custodibus, suis eum artibus, nesciente patre, & illius amore capta, adiuuabat. Hoc est sextum discrimen, ab auxiliis necessariis. Medea Iasoni.

At tibi Colchorum memini regina vocaui,
Ars mea cum peteres vt tibi ferret opem.

QVAS A ME VELLEM. N. DID. AMANS] In Trist. & his de Ponto libris nihil hac pœnitudine frequentius.

ILLE DOMVM REDIIT, &c.] Septimum discrimen. Ille cum gloria rediit: nobis in ista barbaria moriendum est.

PERSTIT. LAESI SI. O. IRA DEI] Si Augustus ita posita mei tandem misertus non fuerit.

DVRIVS EST IGITVR NOSTRVM] Conclusio. Ergo mea conditio Iasonis conditione multo est infelicior.

QVAM IVVENEM RELIQVI] florentem ætate.

NOSTRIS INSENVISSE MALIS] cruciatam assidua malorum meorum memoria, & συμπαθῶς senium, maciem, pallorem, oculos refugientes, & reliqua senum incommoda incurrisse ante tempus.

TALEM TE CERNERE POSSEM] quamuis senem.

CHARAQVE MVTAT. OSCVLA. F. COMIS] non ipsis comis oscula ferre: sed tibi, cuius comæ iam canitiem contraxerunt, coniugalia date oscula.

CORPVS NON PINGVE] extenuatum, macilentum. Semper tamen mulierem decet gracilitas, cui fœda est pinguitudo, & abdomen.

ET GRACILE HOC FECIT] ἀσχημον, gracile pro marcidum. De gracilibus puellis, matrumque cura in filiabus educandis Terent. Eunucho.

Haud similis virgo est virginum nostrarum: quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt gracilæ fiēt.
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddūt curatura iunceas.

ET NARRARE MEOS, F. &c.] Habet quidem præteriti doloris secura recordatio delectationem: sed dolores detrimentosi cum commemorantur, afferunt nouum dolorem, & lacrymas. *Quis talia fando Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlyssis temperet à lacrymis.* 2. Aeneid. ait Aeneas.

SPERATO NVNQVAM] Parum sperat, vel desperat potius reditum in patriam. Idcirco ait, *sperato nunquam.*

TVRAQVE, &C. FERRE MANV] Eleg. 9. lib. 2. *Irrita Neptuno cur ego thura feram?* Eleg. 10. lib. 3. *Thura fer ad magnos vinàque pura deos.* Eleg. 8. lib. 4. *Tunc ego thura feram rapidis sollemnia flammis.* Simplex verbum adhibuerunt hac in re probatissimi auctores. Arnobius lib. 7. Quod si vobis religio nulla est alba quædam ferre, & suos retinentia candores, &c. Eodem modo preces ferre. Virgil. 8. *Iunoni fer rite preces.* Vbi Seruius, fer preces, quemadmodum sacra ferre dicimus.

CAESARIBVS] Augusto, & Tiberio adoptatitio.

CVM CONIVGE CAES. DIONA] cum Liuia Drusilla. lib. 2. Trist. *Quæ, nisi te, nullo coniuge digna fuit.*

MEMORI MANV] hypallage, ego memor.

MEMNONIS HANC VTINAM, &c.] Quod desperat, tamen rursus optat. Mater Memnonis Aurora est. Virgil. 1. Aeneid. *Nunc quibus Aurora venisset filius armis*, de Memnone enim sermo est. Tribuit ei os roseum, propter cælum rubens mane, qua sol oritur. Hinc & 2. Metam.

——ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena rosarum
Atria.

Virgil. 5. Aeneid.

Iamq; rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

A ῥοδοδάκτυλον digitis roseis vocat Homerus, visitata sibi synecdoche.

ROSEO PROVOCET ORE DIEM] Aliter os roseum, aliter brachia, genæ, ceruix rosea, sicuti genus quoddam floris illius plane & pulchre rubet: quoddam est medio colore inter niueum, & rubeum, leibfarb Rosen Germanis. Hoc discrimen in istoc epitheto obseruabis. Male igitur, & imperitè Scalig. Horat. correxit Ode 13. lib. 1. lactea ceruix, pro rosea. Quem meritò ibidem ridet Læuin. Torrent. Prouocatur autem & inuitatur quodammodo tam pulchro aspectu Auroræ dies, cum eum mox comitatur.





ELEGIA SEXTA.

Ad Maximum.

NON LIMATAE SCRIPTIONIS EXCVSATIO.

ARGVMENTVM.

QVod minus ingeniosè scribat, facere hoc intermissionem, lociq; asperitatem. Relegentem se scripta sua non elimare, ac perpolire, ob tædium laboris; & satis superque molestiarum capessere in perferendo exilio; & parcendum animo iam antea immodicè grauato, & afflictato. Ex scriptis hactenus nullum fructum percepisse: scribere nihilominus, quia, vt poëta, insaniat, & in humo sterili toties seminet, & vt gladiator saucius, vt rector naufragus sua damna repetat. Item, ad fallendum otium, quod pati non possit: cum etiam potando, aut aleam ludendo tempus minimè absumat: nec vires ad arcum Scythico more exercendum sibi suppetant. Scribendo se ærumnarum suarum tantisper obliuisci. Cur meditatius, & accuratius scribat, caussam, quemadmodum ipsi, non habere. Vix credere posse, versus suos Romam peruenisse. Qui si etiam illic legantur, laudenturque, nihil id sibi prodesse, & famam quoque omnem secum Roma excessisse, ipsosque nunc factos sui immemores.

Ille tuos quondam non vltimus inter amicos
Vt sua verba legas, Maxime, Naso rogat.

In qui-

In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exilij ne videare mei.
CERNIS VT IGNAVVM CORRVMPANT OCIA CORPVS?
VT CAPIANT VITIVM, NI MOVEANTVR, AQVAE?
Sic mihi, si quis erat dicendi carminis vsus,
Deficit, estq; minor factus inerte situ.
Hæc quoque quæ legitis, si quid mihi, Maxime, credis,
Scribimus inuita, vixque coacta, manu.
Non libet in tales animum contendere curas:
Nec venit in duros Musa vocata Getas.
Vt tamen ipse vides, luctor deducere versus,
Sed non fit fato mollior ipse meo.
Cùm relego, scripsisse pudet: quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, iudice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quàm scribere maior:
Mensq; pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius vti,
Vt sub iudicium singula verba vocem?
Torquet enim fortuna parum: nisi Lycus in Hebrum
Confluat? & frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti:
SVBDVCVNT ONERI COLLA PERVSTA BOVES.
At puto fructus adest, iustissima caussa laborum,
Et sata cum multo fœnore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
Profuit atque vtinam non nocuisset, opus.
Cur igitur scribam, miraris? miror & ipse,
Et tecum quæro sæpe quid inde petam.
An populus verè sanos negat esse poëtas?
Sumq; fidès huius maxima vocis ego?
Qui sterili cùm sim toties deceptus ab aruo,
Damnosa persto condere semen humo.
SCILICET EST CVPIDVS STVDIORVM QVISQVE SVORVM,
TEMPVS ET ASSVETA PONERE IN ARTE IVVAT.
Saucius eiurat pugnas gladiator, & idem,
Immemor antiqui vulneris, arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus vndis,
Et ducit remos, qua modò nauit aqua.
Sic ego constanter studium non vtile seruo:
Et repeto, nollem quas coluisse, Deas.

Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
Ocia: MORS NOBIS TEMPVS HABETVR INERS.
Nec iuuat in lucem nimio marcescere vino,
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cùm dedimus somno, quas corpus postulat, horas
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrij contendere discam
Sarmaticos arcus, & trahar arte loci?
Hoc quoque me studium prohibent assumere vires,
Mensq́ magis gracili corpore nostra valet.
Cùm bene quæsieris, quid agam: magis vtile nil est
Artibus iis, quæ nil vtilitatis habent.
Consequor ex illis casus obliuia nostri:
Hanc messem satis est si mea reddit humus.
Gloria vos acuat: vos, vt recitata probentur
Carmina, Pieriis inuigilate choris.
Quod venit ex facili, satis est componere nobis,
Et nimis intenti caussa laboris abest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear ne non approbet illa Getes?
Forsitan audacter faciam, sed glorior Istrum
Ingenio nullum maius habere meo.
Hoc, vbi viuendum est, satis est si consequor, aruo,
Inter inhumanos esse poëta Getas.
Quid mihi diuersum fama contendere in orbem?
Quem fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro:
Sic merui, magni sic voluere Dei.
Nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Diuidimur cælo: quæq́ est procul vrbe Quirini,
Aspicit hirsutos comminus Vrsa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas, vix credere possum
Indicium studij transiliisse mei.
Finge legi, quodq́ue est mirabile, finge placere:
Auctorem certè res iuuat ista nihil.
Quid tibi si calida prosit laudère Syene,
Aut vbi Taprobanen Indica tingit aqua?
Altius ire libet: si te distantia longè
Pleiadum laudent signa, quid inde feres?

Sed neque peruenio scriptis melioribus istuc,
Famáque cum domino fugit ab vrbe suo.
Vosque, quibus perij, tunc cùm mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

COMMENTARIVS.



NON VLTIMVS INTER AMICOS] A *primus*: ptimarius amicus tuus. Alpha amicorum tuorum. Eleg.5.lib 4.Trist. *O mihi dilectos inter pars prima sodales.*

VT SVA VERBA LEGAS] quamuis exulis, & habentis Cæsarem iratnm. Eleg.2. *vereor ne nomine lecto Durus, & auersa cætera mente legas.*

INGEN. OBSISTE REQ. NOST.&c.] Eleg.13. lib.5.Trist.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante, minus.

Et paulò pòst:

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.

CERNIS VT IGNAV. CORRVM. O. CORP.] B Elegia superiore dixit. *Otia corpus alũt, animus quoque pascitur illis.* Sed ibi quietem non longam, & viribus reficiendis necessariam intelligit: hîc cessationem diuturniorem, fugitantem laboris, & inertiæ plenam. Aduersus istue otium scripsimus dialogum 53.volum.2. Solon lege lata iussit otiosos accusantibus esse obnoxios. Seneca lib. 2.declamat.& 3.controuers. Non vides vt immota fax torpescat, & ignes exagitata restituat? Mollit viros otium, ferrum situ rubiginem ducit. Et Naso dixit. *Vidi ego iactatas mota face crescere flammas.*

VT CAP. VIT. NI MOVEANTVR AQVAE] Aqua non mota, & agitata putiscit. Ideo stagnorum aquæ quam fluuiorum minus salubres.

DVCENDI CARM. VSVS] Legitur item *dictandi, & dicendi.* Sed verior nostra lectio: sic enim & infra, & alibi locutus cernitur.

INERTE SITV] otio, & ignauia.

NON LIBET IN TAL. ANIM. CONTENDO CVRAS] Libet quidem applicare animum ad tales curas: sed non eundem contendere, id est, in talibus curis accuratè, & cum diligentia versari. Cicero dixit, animo contendere. Idem 3. Off. quantum coniiti animo potes, quantumq́; labore contendete.

NEC VEN. IN. D. MVSA. V. GET.] Tamen eleg.10.lib.4. Trist. ait Musam sese comitatam in exilium ad Getas, agitque eidem gratias. Verùm hæc exponenda sunt de accuratione, lepore, festiuitate, elegantia carminis, quæ in illa barbarie apud animum tam mœstum, atque anxium locum non habeant.

LVCTOR DEDVCERE VERSVM] Difficultatem scribendi significat, cum tamen reuera, etiam tali tempore sponte sua carmen numerosad aptos illi veniat, vt de se adolescente refert eleg.vlt.4.Trist.

SED NON FIT FATO MOLL. IPSE MEO] Quale fatum meum, talis versus, incomptus, inelegans, impolitus, insuauis, &c. Quod ad materiam attinet, meritò se tristia scribere affirmat in Tristibus aliquoties, vt carmen temporibus suis respondeat.

CVM RELEGO, SCRIP. PVDET] Non fit iniuria huic poëtæ, cum sua dicitur non elaborasse, quæ laus illi ad summam desit, non inquam ei fit iniuria, quandoquidem id ipsemet candidè fatetur, quamuis cum excusatione multa, & diserta, vt etiam eleg.9.lib.3. Meretur itaq; veniam, quod mens ægra durum pati nihil possit, vt subiicit: & cum emendatio diligens alioqui homini etiam fęlici, ac læto laboriosa accidat, ipse in miseria sua plus satis laboret. Non igitur eum iudicium, sed voluntas defecit, & animus, quoquomodo excusabilis.

NEC TAMEN EMENDO] ob id, quod statim sequitur. Audi porrò de emendatione Plin.epist. 17.lib.7. Itaq; nullum emendandi genus omitto. Ac primùm quæ scripsi mecum ipse pertracto. Deinde duobus, aut tribus lego. Mox aliis trado annotanda, notasque eorum, si dubito, cum vno rursus, aut altero pensito. Nouissimè pluribus recito, &c. Cæterùm hæc facultas aliis recitandi, C & tradendi sua, Ouidio non contigit. Consilium Quintiliani, hoc est, lib.10.cap.4. in quo de emẽdatione disserit. Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea post interuallum velut noua, atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fœtus blandiantur.

INCIP. LIMA MOROACIVS VTI] Non esse cur seuerius castiget sua, & ponderet, examinetque verba singula. Plin.epist.8.lib.1. Memini quidem te iam quædam annotasse, sed generaliter. Ideo nunc rogo, vt non tantum vniuersitati eius attendas, verum etiam particulas, qua soles lima persequaris. Officium censoris, seu emendatoris Horat. ad Pisones his versibus comprehendit.

Vir bonus, & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit,
Fiet Aristarchus.

TORQVET ENIM FORT. PARVM] Ironia. Scilicet nondum satis miser sum, vt labore isto me adhuc miseriorem reddere debeam. Hanc quidem caussam adducit Ouidius negligentiæ suę, dolorem animi. At Horatius ad Pisones alias duas in poëtis Romanis sæculi sui. Quia nimirum non quemuis ita perspicacem putarent, qui ipsorum errata deprehenderet: aut si deprehenderet, facile veniam daturum. Cui audaciæ hoc consilium oponit, vt statuamus, peccata nostra omnes animaduersuros, & veniam daturum neminem. sic demum nos tutos fore. Versus hi sunt.

Non quiuis videt immodulata poëmata index,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircóne vager, scribamq́; licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea? tutus. & extra
Spem veniæ cautus?

NISI LYCVS IN HEB. CONFLVAT, &c.] Allegoria. Satis aquarum vehit Hebrus, amplus Thraciæ fluuius: augere illum vndis alienis necesse non est. Et Alpes abundant frondibus. Cur eas ab Atho petant, caussæ nihil. Sic plane mihi quod fero laborum, & molestiarum satis est.

PARCEND. EST. A. MIS. VVLN. HAB.] Hoc nomine persæpe exprimit calamitatem suam, quæ cum animum quotidie exerceat ac desatiget, non oportet nouas molestias ad eum vexandum accedere. Eleg.3.

Sæpe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere, & longi ferre laboris onus.

SVBD. ONERI. C. PERVSTA BOVES] Ego tanquam bos aratro diu exercitus, collum attritum oneri subduco.

AT PVTO FRVCTVS ADEST, &c.] Elegia proximè antegressa. *At puto quæ fueram genitus tellure carenti.* Sed dices. Si emendationi huic, & limæ non abest labor, at certè adest fructus, & vtilitas, cuius caussa nulla est recusanda corporis, aut animi desatigatio.

ET SATA CVM. M. FOEN. REDDIT AGER] Sicut ager fertilis, si eum colas, semen creditum multiplicatum reddit: ita ingenium bonum, si cura, meditatio, studium, sedulitas accesserit, longè euadet fœcundius. Cic.2.Tuscul. Vt ager, quamuis natura fertilis, sine cultura esse non potest: sic neq; sine doctrina animus. Propert. eleg.7. lib.1. *Sæpe venit magno fœnore tardus amor.* Horat. Ode 16. Epod. de insulis fortunatis. *Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis.*

TEMPVS AD HOC NOB. NVLL. PROFVIT] Respondet. Nos è carminibus nostris hactenus fructum nullum percepimus, nec nobis profuimus, quin obfuimus potius.

A CVR SCRIB. MIRARIS? MIR. ET IPSE] Si nullum è scriptione tua fructum exspectas, quod absurdum videtur, quid ergo scribis? Occurrit, hoc ipsum & sibi miserabile videri, caussamque in furorem, & insaniam coniicit. Insani siquidem, & furentes, quid, & quare agant, nesciunt. Plaut. Amphit. *hoc cuiuis mirari licet. Neque tibi istuc mirum magis videtur, quam mihi.*

AN POPVL. VERE SAN. NEG. ESSE POETAS] Eleg.1. lib.4. Trist.

Forsitan hoc studium possit furor esse videri,
Sed quiddam furor hic vtilitatis habet.

Non populus tantùm, sed sapientes quoque negarunt poëtas esse sanos, hoc est, non tam arte valere, quam furore quodam instinctúque cœle-
B sti ad scribendum excitati. Plato in Ione. *πάντες οἵ τε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ*, &c. Omnes, & poëtæ epici boni, non arte valentes, sed diuinitus afflati, & furore concitati hæc omnia præclara poëmata pronuntiant, & carminum lyricorum effectores similiter, quemadmodum Corybantes cum sanæ mentis non sunt, hos egregios cantus edunt. Et cùm in harmoniam, & numerum intrarint, tum maximè furunt. Similia in Phædro. Propter Democriti sententiam quid facerent inepti quidam poëtæ, vt insaniam, de qua ille dixerat, insanire viderentur, memorat Horat. ad Pisones. Immunditiam, eluuiem, squalorem, feritatem quandam præ se ferebant. *Ingenium misera quia fortunatius arte, &c.*

C SVMQVE FID. H. MAX. VOCIS EGO?] & ego exemplo meo inprimis hanc opinionem esse veram doceo?

QVI STERILI. T. CVM SIM DECEPT. AB ARVO] Aliò trahit insaniam poëtarum, nempe ad imprudentiam, & stultitiam: nam & hos insanire dicimus, stultos, inquam, inconsideratos, & imprudentes. Huiusmodi non dubitant in solo sterili iteratò sementem facere, quod vnum argumentum est ipsorum stultitiæ. Non dissimile facit Ouid. cum repetit, quod sibi nihil profuit, quin obfuit.

SCILICET EST CVPID. STVD. Q. SVOR.] Tuetur se tamen, opinionemque stultitiæ ab se amolitur per locum communem de delectatio-
D ne cuiusque in studio suo, etiam cum male cesserit. Cic. suo quisque studio maxime ducitur. Vide prouerb. suum cuique pulchrum.

TEMP. ET ASVET. PON. IN ARTE IVVAT] Horat. ep.1. lib.2.

Nauem agere ignarus nauis timet: abrotanum ægro
Non audet nisi qui didicit dare. Quod medicorū est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Consule prouerb. Quam quisque norit artem, in ea se exerceat. Haud multum abludit ab hoc Ouidiano illud Propertij eleg.9. lib.4. *Natura sequitur semina quisque sua.*

SAVCIVS EIVRAT PVGN. GLADIATOR] 2. Trist. *Scilicet vt victus repetit gladiator arenam.* Qui Rom. gladiatores, Gręcis ferè pugiles, siue πυγ-

μάχει. De iis, & disciplina gladiatoria Cyprian. ad martyres ep. 2. lib. 2. Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & arvina assidua nidoris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam chari uspereat. Homo occiditur in hominis voluptatem: & vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, mos est. Scelus non tantum geritur, sed docetur. Qui de gladiatoribus scire multa cupit, Lipsium legat. Sciendum interdum bonos gladiatores, tametsi obtenta à populo liberatione, ob artis excellentiam in ludum reuocari, ac retrahi solitos. Gladiatores autem, & alij artifices artem suam factitare desinentes, instrumenta eius artis præsidi Deo consecrabant, & in illius B templo suspendebant. Horat. ep. 1. lib. 1.

——Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

NIL SIBI CVM PELAO. D. P. NAVF.] Horat. de mercatore Ode 1. lib. 1.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

ET DVCIT REMOS] 1. Metamorph. *Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.*

ET REPETO, NOLLEM. Q. COLVISSE DEAS] Cur? quoniam, vt ait eleg. 13. lib. 5.

Pace nouem vestra liceat dixisse sorores,
Vos estis nostræ maxima caussa fugæ. C

QVID POTIVS FACIAM] Omnimodis se excusat, quod carmina faciat. Cum itaque aliquid omnino faciendum sit, quid potius faciam ego poëta?

NON SVNT QVAE SEGNIA. D. OTIA] Otiosus esse non possum. Non mihi placet otium. Est otium, seu occasio multa otij: sed ego mihi eam esse nolo; odi enim otium vehementer, vt sequitur.

MORS NOBIS TEMPVS HABET. INERS] Tempus ab omni occupatione vacuum est mihi instar mortis. Quid poterat significantius? Audiant ventres otiosi. Ouid. mortem reputat ἀνεργίαν, & isti reputant delicias vacare omni opere. D Seneca in epistolis. Otium sine literis mors est, & vini hominis sepultura. Draconis leges otiosum capite puniebant.

NEC IVVAT IN LVCEM. N. MAR. VINO] Non libet tempus ludis, & potatione consumere. lib. 4. eleg. 2.

Nam neque me vinum, nec me tenet alea fallax,
Per quæ clam tacitum tempus abire solet.

Hoc ita dictum accipe, etiamsi copia potandi foret, nunquam se bibonum more in lucem vsque potaturum. Negat enim vinum illic prouenire. 3. Trist. eleg. 12. *Nam procul à Getico littore vitis abest.* Veruntamen ex moderato vini potu, si suppeditasset, quis eum negauerit curarum obliuionem, & animi lenimen petere potuisse? neq; mordaces aliter sollicitudines diffugiunt, vt inquit Horat. Ode 18. lib. 1. Socrates apud Xenophontem affirmat vinum non aliter mœrori mederi, quàm mandragoram hominibus: lætitiamq; non aliter excitare, quam oleum inspersum igni flammam adauget. Huc quadrat illud sapientissimi regis Prouerb. cap. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo. Bibant, & obliuiscantur egestatis sua, & doloris sui non amplius recordentur.* Vnde autem Græcis οἶνος, ex Platone, & Plutarcho docet Torrent. ad Ode 18. lib. 1.

ALEA BLANDA] Blandam vocat etiam Martialis lib. 4.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc, & hinc fritillis.

Concedebatur ludus aleæ tantummodo Saturnalibus, de quibus Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 7.

QVAS CORP. POSTVLAT HORAS] Septem horas ad somnum vel puero sufficere existimat Quintilian. Martial. lib. 10. somnum, qui faciat breues tenebras in iis numerat, quibus beata vita continetur. Medici eam præscribunt somno mensuram, ex qua nos cibum probe concoxisse, indeq; robustiores factos animadvertimus. Hæc autem mensura eadem esse cum non possit, sed pro copia, aut inopia natiui caloris, & constitutionis bonitate, aut vitio varietur, vt plurimum tamen septem horis contenta est. Iam somni moderati, & quantum corpus postulat commoda hæc sunt. Vires roborat, corpus reficit, concoctionem adiuuat, & meliorem efficit, non estu lentorum modo in ventriculo, sed humorum quoque in iecinore, ac venis. Internas corporis partes humectat, visceribus omnibus prodest, quandoquidem somni tempore calor innatus in ima se recondit, & eo recessu in profunda corporis confluens, viscera in suis quæq; muniis obeundis roborat, & ad omnia naturæ opera haud parum confert, cruditatum quasi quoddam præsens remedium, corporis habitum calefacit atq; humectat. Contrà, somnus immodicus membra omnia laxat, excrementa detinet, colorem habitumque corporis viriat, caput grauat, & multo vapore impler, calorem naturalem hebetiorem, & partes omnes ad motum pigriores facit. Hæc de commodis & incommodis somni pæne αὐτολεξεὶ ex Francisci Valeriolæ locis communibus lib. 2. cap. 8.

QVO PONAM VIGIL. TEMP. L. MODO] In quo, quæso, diem consumam, qui mihi semper videtur longissimus? otiari non possum. Potare, & aleam ludere non liber. Contra morem Romanum arcum Scythicum tendere, cum nec vires suppetant, non conuenit. Superest vt versibus tempus transigam.

ET TRAHAR ARTE LOCI] Elegia 8. lib. 5. Trist.

In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum,
Telaq; vipereo lurida felle gerat.

A Mensqve mag. gracili, &c.] Viribus infirmus ſum, nec optime valet corpus meum, valet autem animus adhuc, qui mihi liberali ſtudio occupandus eſt.

Magis vtila nil est artibvs, &c.] Huiuſcemodi ſententiæ, quæ acutè efferuntur, cùm tamen fatue dici, ac ſeipſæ perimere videantur, Græcis ſunt ὀξύμωρα. ſic in Triſtibus lib. 5. eleg. 9. de fortuna. *Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.* Apoſtol. 1. Cor. 3. *ſi quis inter vos videtur ſapiens, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Et D. Ambroſius in hymno, Læti bibamus ſobriam ebrietatem ſpiritus.

Conseq. ex illis. c. oblivia. n.] Docet quam vtilitatem ex inutili ſtudio referat, obliuionem malorum videlicet. Eleg. 8. lib. 5. Triſt.

Detineo ſtudiis animum, falloq́ labores,
Experior curis & dare verba meis.
Quid potius faciam deſertis ſolus in oris?
Quamue malis aliam quærere coner opem?

Hanc messem. s. est si. m. redd. agar] Eandem elegiam ita claudit.

Carminibus quæro miſerarum obliuia rerum,
Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.

Gloria vos acvat] Non ſe gloriam ſcribendo quærere, ſed ſolatium duntaxat, eadem elegia teſtatur his verbis;

Non tamen vt lauder vigilo, curamq́ futuri
Nominis, vtilius quod latuiſſet, ago.

Vos vt recitata probentvr, &c.] De more recitandi ſcripta poëtarum, & oratorum, iam alibi dictum eſt ſatis, nempe in eleg. 3. huius, & 10. lib. 4. Triſt. Ea recitatio erat illorum, velut gladiatorum, ἀπογαθὴ & ἔγχειρε, dicebanturque εἰς μέσον φέρειν, in medium proferre.

Qvod venit ex facili, &c.] Certè nulli poëtarum magis venit ex facili ſua compoſitio. Parturiunt alij verſua: hic fundit, & habet in numerato. Iam tum adoleſcentulus quicquid conabatur ſcribere, verſus erat.

Nimis intanti cavssa lab. abest] Cur ſollicitè, & admodum meditatè ſcribam, & vngues rodam, cum gloriam non captem, cauſſam non video. Cano mihi, & Muſis.

Ne non approbet illa Getes?] cui ego ſum barbatus, quique nec verbum latinum nouit.

Forsit. avdact. faciam] Sit venia dicto, quam præfati ſolemus dicturi quippiam, quod offendere queat.

Glorior Istrvm ino. n. m. hab. meo] Quomodocunq; ſcribat, certum tamen eſt, non modo maius in ipſo ingenium eſſe, quam in vllo Geta: ſed etiam in Getis nullum, in ipſo maximum. Ac proinde triumphare poteſt, ſe inter Getas ſolum poëtam eſſe. Qui ſi artes ingenuas coluiſſent, non eſſent inhumani.

Inter inhvm. asse. p. Getas] Alluſum putes ad parœmiam, inter cæcos regnat ſtrabus. Inter ἀγραμμάτους qui pauxillum habet nummorum, Crœſus eſt.

A Qvid mihi divers. f. cont. in orbem?] Cur contendam, & annitar, vt ex bonitate carminum celebretur mei per orbem memoria? Atqui hoc futurū vaticinatur eleg. 9. lib. 4. Triſt.

Qvem fort. ded. Roma, s. illa locvs] Sit mihi pro Roma, & quam poſsim Romæ adipiſci fama, hic locus exilij, in quem me fortuna compulit, & quam à barbaris iſtis conſequar gloria.

Hoc mea contenta est infelix, &c.] Si mihi ab his plauditur, ſufficit.

Sic mervi] videndo, & ſcribendo, id eſt, oculis, & calamo.

Magni sic volvere Dei] Horat. Ode 33. lib. 1. *ſic viſum Veneri.* Et Ode 17. lib. 2. *ſic potenti Iu-*
B *ſtitia. placitumq́ Parcis.* Plaut. Amphit. *Ita diis placitum, voluptati vt mœror comes conſequatur.* Homerus Iliad. 2. οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενεῖ φίλον εἶναι.

Nec reor hinc istvc, &c.] Nec poſſunt eo (Romam) venire libelli mei, cum Boreas, ſiue Aquilo illam vix attingat flatibus ſuis: adeo multis millibus diſtat.

Penna deficiente] Eleg. 1. lib. 2. *Languida quò feſſi vix venit aura Noti.* Eleg. 10. lib. 3. Triſt. *Et quamquam Boreas iactatis inſonet alis.* De Noto 1. Metamorph. *madidis Notus euolat alis, &c.*

Dividimvr caelo] Longiſsimè diſtantibus cæli ſpatiis ſeparamur.

Qvaeqve est procvl vrbs Qvirini] quæ longè diſtat Roma, quam Romulus, di-
C ctus poſt mortem Quirinus, ædificauit. 1. Triſt. eleg. 2. vrbs Alexandri, pro Alexandria.

Aspicit hirsvt. com. vrsa Getas] Hirſutos propter pelles quibus ſe tegunt, & barbam, atq; comam, quas nunquam tondent. Iam Tomos, ſeu regionem illam ſub vrſæ ſigno poſitam toties dixit in Triſtibus. Exemplum eleg. 2. lib. 3.

Ergo erat in fatis Scythiam quoq́ viſere noſtris?
Quæq́ Lycaonio terra ſub axe iacet?

Per tantvm terrae, tot aqvas, &c.] per tantam terrarum, & maris immenſitatem vix credo perueniſſe libellos meos, ex quibus ſtudium meum cognoſcatur.

Finge legi] Eſto, peruenerint, & legantur,
D &, quod mirum, placeant etiam.

Avtor. certe res ivvat. i. nihil] Quid hoc mihi prodeſt? Illuſtrat à ſimilibus rerum inanimarum. Vult enim ſe quaſi pro mortuo haberi, qui nihil ſentiat.

Calida Syene] ſub tropico æſtiuo, verſus meridiē in confinibus Aethiopię, & Aegypti ciuitas.

Avt vbi Taprobanen, &c.] Nec tibi Taprobane, quam mare Indicum circumdat, quidquam proderit, ſi laudere. De hac inſula Plinius lib. 6. cap. 21.

Altivs ire licet] de terra in cælum.

Si te distant. longe Pleiadvm, &c.] Loquantur Pleiades, & te commendent, quid inde emolumenti ad te redibit?

Sed

SED NEQVE PERVEN. SCRIPT. &c.] Nec perueniunt Romam scripta mea meliora, vnde laudari possem.

FAMAQVE CVM DOM. &c.] Cum patria etiam nomen meum amisi. Nullum est amplius Romæ nomen meum.

A VOSQVE QVIBVS PERII] vos amici.

TVNC CVM MEA FAMA SEP. EST] quæ si mansisset, non omnino periissem. ἠφανισμένη, *sepulta est.*

DE NOSTRA MORTE TACERE REOR] puto vos mei penitus oblitos.

ELEGIA SEPTIMA.

Ad Græcinum.

SPES IN VETERE AMICO.

ARGVMENTVM.

GRAECINVM, audito se proficisci in exilium, doluisse non dubitat, quia miti præditus ingenio, & propter artes liberales, ad quas sedulò incumbat. Sibi quoque absentiam eius non paruo dolori fuisse, à quo & opem, & solatium, & consilium illo tempore ferre potuisset. Nihilominus nunc ab eo lenimen petit, quando stultitiæ, non sceleri affinis sit. Ipsum peccatum quod fecerit, enuntiare, & quasi vulnus refricare, haud tutum esse. Non se adhuc spem pœnæ leuioris deposuisse. Locus elegans, & copiosus de vi, & efficacitate spei. Iterum auxilium eius exposcit, fidumque sibi fore ab impossibili confirmat.

Ecquid vt audisti (nam te diuersa tenebat
Terra) meos casus, cor tibi triste fuit?
Dißimules, metuasq́; licet, Græcine, fateri,
(Si bene te noui) triste fuiße liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis istos,
Nec minus à studiis dißidet ista tuis.
ARTIBVS INGENVIS, QVARVM TIBI MAXIMA CVRA EST,
PECTORA MOLLESCVNT, ASPERITASQVE FVGIT.
Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
Quàm sinit officium, militiaq́ue labor.
Certè ego, cùm primùm potui sentire quid essem,
(Nam fuit attonito mens mihi nulla diu)
Hanc quoque fortunam sensi, quòd amicus abesses,
Qui mihi præsidium grande futurus eras.

Tecum tunc aberant ægræ solatia mentis,
Magnáque pars animi consiliique mei.
At nunc, quod superest, fer opem precor eminus vnam,
Alloquióque iuua pectora nostra tuo.
Quæ (non mendaci si quicquam credis amico)
Stulta magis dici, quàm scelerata, decet.
Nec breue, nec tutum est, peccati quæ sit origo,
Scribere: tractari vulnera nostra timent.
Qualicunque modo mihi sint ea facta, rogare
Desine: non agites, si qua coire velis.
Quicquid id est, vt non facinus, sic culpa vocanda est,
Omnis at in magnos culpa deos, scelus est.
Spes igitur pœnæ menti Græcine leuandæ
Non est ex toto nulla relicta meæ.
HAEC DEA, CVM FVGERENT SCELERATAS NVMINA TERRAS,
IN DIIS INVISA SOLA REMANSIT HVMO.
Hæc facit, vt viuat fossor quoque compede vinctus,
Liberáque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt videat cùm terras vndique nullas,
Naufragus in mediis brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo sua colla ligantes,
Non est proposita passa perire nece?
Me quoque conantem gladio finire dolorem,
Arcuit, iniecta continuitqúe manu.
Quidq́; facis? lacrymis opus est, non sanguine dixit:
Sæpe per has flecti principis ira solet.
QVAMVIS EST IGITVR MERITIS INDEBITA NOSTRIS,
MAGNA TAMEN SPES EST IN BONITATE DEI.
Qui ne difficilis mihi sit Græcine, precare:
Confer & in votum tu quoque verba meum.
Inq́; Tomitana iaceam tumulatus arena,
Si te non nobis ista vouere liquet.
Nam prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas:
Quàm male se præstet veteri Græcinus amico:
Non ita sunt fatis omnia versa meis.

COM-

COMMENTARIVS.

NAM TE DIVERSA TENEB. TERRA] Roma tunc abetat Graecinus, cum Ouidio indictum est exilium. Tiboll. eleg.3.lib.1. *Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.* Virgil.eclog.10.

Quae nemora, aut qui vos saltus habuere puellae Naiades, indigno cum Gallus amore periret?

COR TIBI TRISTE FVIT] Vt cot ptoanimo diceretnt, inde factum, quod quibusdam sapientibus, vt retulit Cicero 1. Tuscul. cor ipsum visum est animus. Ex quo excordes, vecordes, concordes, & Nasica ille prudens bis consul corculum, &, *Egregie cordatus homo.* 2. de finib. nec enim sequitur, vt cui cor sapiat, ei non sapiat palatus. Hinc etiam alicui cordi, tem hanc vel illam cordi esse, omnibus bonae notae scriptoribus vsurpatissima. Quidam in corde dixetunt animi esse sedem, vt in eadem Tuscul. sctiptum est. Affectuum porrò sedes hoc disticho comprehensas vide, satis commodè.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras, Splen ridere facit, cogit amare iecur.

DISSIMVLES, METVASQVE LICET] propter Caesarem, in cuius gratiam quoque sua nomina ab Ouidio exprimi nolebant amici.

SI BENE TE NOVI] vt noui. Perspectissimi sunt mihi mores tui: & te doluisse casu meo, planissimum est. Horat. ep.18. lib.1.

Si bene te noui, metues liberrime Lolli, Scurrarum speciem praebere, professus amicum.

sequitur ptobatio duplex.

NON CADIT IN MORES FERITAS, &c.] prior à natura illius mansueta, & ... Tanto malo amici non commoueri, cuiusdam feritatis esset, quae à te abest plurimum. Cic. pro Sylla. Non cadit in vitam istam suspicio.

NEC MINVS A STVD. DISSID. I. TVIS] posterior ab artibus humanioribus, quae si in naturam duriorem, & immitiorem inciderint, eam emolliunt, & mitiorem reddunt.

ARTIBVS INGENVIS QVARVM, &c.] Distichon hoc sollemne est in laudibus studiorum humanitatis. illud. Eleg.9. lib.2. similiter.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores, nec sinit esse feros.

Audiendus est nobis hoc loco Gellius, ita loquens lib.13. cap.15. Qui verba latina fecerunt, quique iis ptobe vsi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quod à Graecis φιλανθρωπία dicitur, & significat dexteritatem quandam, beneuolentiamque erga omnes homines promiscuam: sed humanitatem appellant id ptopemodum, quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus, quas qui sinceriter capiunt, appetuntque, ii sunt vel maximè humanissimi.

A Huius enim scientiae cura, & disciplina ex vniuersis animantibus vni homini data, idcircoque Humanitas appellata est, &c. Gellius itaque non ab humanitate, id est, φιλανθρωπίᾳ hoc nomen ad studia ista mitiora, sed ab ipsis studiis ad φιλανθρωπίαν humanitatis nomine significandam traductum declarat.

NEC QVISQ. MEL. FIDE COMP. ILLAS] nec earum est eo quisquam cupidior, ac studiosior.

QVA SINIT OFF. MILIT. LABOR] quantum tibi temporis ad eas colendas, & munus tuum, & militaris procuratio concedunt.

B CVM PRIMVM POT. SENT. QVID ESSEM] cum ptimùm mentem recepi, rursus in potestate sui. Hoc velle, clarum fit ex versiculo subiecto. Eleg.3. lib.1. Trist.

Non aliter stupui, quam qui Iouis ignibus ictus Viuit, & est vitae nescius ipse suae.

Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit, Et tandem sensus conualuere mei.

HANC QVOQVE FORT. SENSI] infortunium hoc etiamnum fortuna medium est vocabulum.

QVI MIHI PRAESID. O. F. ERAS] cuius vox, & auctoritas apud Caesarem mihi non parum commodasset.

ABERAE SOLATIA MENTIS] quae mihi abs te officia, & solatia praestari poterant.

C MAGNAQVE. P. ANIMI, CONSIL. MEI] etiam consilio me iuuare potuisses: nam ego ex animo tuo sapiebam. Aut simul magnitudinem amoris in illum sui ostendit, vt Horat. Ode 3. lib. 1. Virg. animae suae dimidium vocat. Eleg.6. lib.3. Trist.

Tu tamen à nobis vise iunctissime longo Pars desiderii maxima paene mei.

AT NVNC QVOD SVPEREST] quod reliquum est. Quod adhuc potes, & ego abs te desidero.

FER OPEM AMINVS] ptaesens enim ptaesenti non potes.

ALLOQVIOQVE IVVA] Alloquium, allocutio, alloqui poni in consolando, docuimus. in

D eleg.4. lib.1. Trist. ptincipio. *Ausus es alloquio sustinuisse tuo.*

NON MENDACI AMICO] hominis veritatis amanti.

STVLTA MAGIS DICI, QVAM SCELERATA] In peccato quod peccaui, & quo exilium merui, magis fui stultus, quam sceleratus. Vide extremum eleg.5. lib.3. Trist. & eleg.6. eiusdem.

Stultitiamque meum crimen debere vocari, Nomina si facto reddere vera velis.

NEC BREVIS, NEC TVTVM EST, &c.] Elegia eadem.

Nec breue, nec tutum est, quo sint mea dicere casu
Lumina funesti conscia facta mali.
Mensq́, reformidat veluti sua vulnera tempus
Illud, & admonitu fit nouus ipse dolor.

NON AGITES, SI QVA COIRE VELIS] si vis coalescere, & cicatricem obducere. Elegia 4. lib. 4. Trist.

Neue retractando nondum coëuntia rumpe
Vulnera, vix illis proderit ipsa quies.

VT NON FACINVS, SIC CVLPA VOCANDA] Facinus vi, aut malitia committitur: flagitium fit libidine, vel nequitia. Flagitiosi dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores, facinorosi parricidæ, sicarij, sacrilegi, periuri, &c. scelus vtrumque comprehendit. Præterea, quamuis flagitia leuiora sint, facinora grauiora, interdum tamen in laude ponitur facinus: flagitium semper malum, & turpe est. Sallust. in Catilin. aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut bonæ artis famam quærit. Et de republica ordinanda. Tametsi domi, militiæq́ue præclara facinora fecisti.

OMNIS AT IN MAG. CVLPA. D. SCEL. EST] Non dubium est, grauius peccari in illustrem, quam in obscurum, & in Deum, quam in hominem. Si ergo vera est hæc sententia, omnem culpam in deos esse scelus, pugnat secum Ouidius, & quod affirmarat negat; & quam culpam paulò antè dixerat, modò facinus, seu scelus appellat. Adulatoriè igitur potius, quàm verè, & ex animo locutus est, & Stoicum παράδοξον tetigit, omnia peccata esse æqualia. Lectionem hanc confirmat locus ille in 2. Trist.

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam,
Præda fuit canibus non minus ille suis.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est,
Nec veniam læso numine casus habet.

Vetusta exemplaria, vt monet Ciofan. sic legunt hunc versum, cum interrogatione. *Omnis an in magnos culpa deos scelus est?* sensu veriore, nempe hoc. Ego stultè, non sceleratè feci, & culpam, non facinus perpetraui: nisi tu dicas, etiam culpam in deos admissam facinore, seu scelere contineri, quod cum eorum iustitia pugnat. Hinc bene subiicit. *Spes igitur menti, &c.*

SPES IGITVR MENTI, &c.] Quoniam leuius peccaui, spero leuationem pœnæ. Etiam restitutionem sperat ex duabus caussis, elegia 9. lib. 5.

Non est placandi spes mihi nulla Dei,
Vel quia peccaui citra scelus, vtq́, pudore
Non caret, inuidia sic mea culpa caret.
Vel quia nil ingens ad finem solis ab ortu
Illo, cui paret, mitius orbis habet.

Tibull. eleg 6. lib. 2.

Iam mala finissem letho: sed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore semper ait.

CVM FVGERENT SCELER. NVMINA TERRAS, &c.] Distichon Theognidis conuertit, nempe hoc.

A *Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστ,*
Ἄλλοι δ' Οὔλυμπον δ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

Innocentia, & simplicitate morum quondam delectatos deos, inter homines familiariter versari solitos, postmodum eorundem flagitiis, & nefariis actionibus offensos terras deseruisse, atque in cælum remigrasse, poëtæ fabulantur. Pluribus Catull. de nuptiis Pelei & Thetid. Vltimam excessisse Iustitiam dicit. 1. Metamorph.

——— & virgo cæde madentes
Vltima cælestûm terras Astræa reliquit.

1. Fast.

Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de superis illa reliquit humum.

De spe, quam hic deam facit, quæ remanserit, B non legitur. Remansit autem in pyxide Pandoræ, qua aperta omnia intus mala abscondita, & calamitates euolarunt. Lege Gyrald. Syntag. 13. Hesiod. in operib. & dieb.

HAEC FACIT VT VIVAT FOSSOR, &c.] in ergastulo laborans, compedibus grauatus. Recurre ad 4 Trist. eleg. 1. ibi. *Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor.*

LIBERAQVE. C. FVT. PVTET] & speret libertatem. Inductionis igitur huius exemplum primum est fossur. Sequitur alterum de naufrago.

VT VIDEAT CVM TERR. VNDIQVE NVLLAS] Virgil. 3. Aeneid. *nec iam amplius vlla Apparent terræ, cælum vndique, & vndique pontus.*

C IN MED. BRACHIA IACTET AQVIS] Propert. lib. 2. eleg. 26.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus.

Seneca Declamat. Tolle spem hominibus, nemo victus retentabit arenam. Nemo infeliciter experta negotiatione alios appetet quæstus. Nemo naufragus viuet. Spes est vltimum aduersarum rerum solatium.

SAEPE ALIQVEM SOLLERS MEDICOR. CVR. REL.] Tertium exemplum, desperati à medicis. Cic. ad Att. ep. 14. lib. 16. venustè hoc ipsum, & translatè. Sed me, mi Attice, non sanè hoc quidem tempore mouet respub. non quò ea sit mihi quidquam charius, aut esse debeat: sed desperatis D etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. Quare ista valeant. Sed enim cur à medicis deseratur ægrotus, caussa redditur eleg. 4.

Non est in medico semper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

NEC SPES HVIC VEN. DEF. CAD.] Qualiscunque sit venæ pulsus, nihilominus se superuicturum confidit.

CARCERE DICVNT. C. SPERARE SAL.] Quartum, de coniectis in vincula.

ATQVE ALIQVIS PENDENS IN CRVCE] Quintum. Inuenies aliquando sperantes salutem in media morte, & in ipsa cruce, quamdiu superest halitus.

LAQVEO SVA COLLA LIGANTES] Sextum,

tum, de iis, qui ſibi violentas manus iam iam allaturi erant, quos tamen ſpes à foribus lethi reuocauit. Suſpendium voluntarium Maro lib.12. ſic circumlocutus eſt. *Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.* Nota, *informis lethi*, vt præ illo honeſtum videatur ſeſe aquis præfocare; aut in gladium incumbere: aut alio demum genere ſibi iethum accerſere.

ME QVOQVE CONANT. GLAD. FIN. DOLOR.] Septimum, de ſemetipſo, qui niſi aliqua ſpe mitioris ſaltem exilij ſuſtentaretur, iam pridem in gladium ſe induiſſet.

INIECTA CONTINVITQVE MANV] Verſabat animo locum Homeri 1. Iliad. vbi Pallas iratum Achillem ſtricto enſe in Agamemnonem irruere parantem, coma apprehenſum retrahit, & obiurgat. Concludamus hunc locum, & inductionem iſtam de ſpe carminibus Theocriti In eandem.

Θαρσεῖν χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Fidere, Batte, decet, melius cras forſan habebis.
Sperandum eſt viuis, non eſt ſpes vlla ſepultis.
Nunc pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget.

LACRYMIS OPVS EST, NON SANG.] Si fuſo ſanguine poſſes nihilominus viuere, non eum potius ſanguine, quam lacrymis emollires. Cedet enim lacrymis, quod exemplis pluribus conſtat.

MERITIS INDEBITA NOSTRIS] Quamuis bonitatem, & clementiam Cæſaris non meruerim, ſpero tamen poſſe miſericordiam impetrari. Nam beneficium ſi meritis datur, non eſt beneficium, ſed merces: nec gratuitum, ſed debitum.

NE DIFFICIL. MIHI SIT, GRÆCINE, PRECARE] Ita eſt humanus, & miſericors Cæſar, vt tamen rogari velit. Ergo roga eum pro me, ne difficilis mihi ſit.

CONFER. IN VOT. TV. Q. VERBA MEVM] Orationem commoda voto, ac deſiderio meo. Lingua tua ſeruiat petitioni meæ.

INQVE TOMIT. IACEAM TVMVLAT. ARENA] ne in loco iſto tã barbaro moriar, quod magnopere horreo.

SI TE NON NOB. ISTA VOVER. LIQVET] Si non antea certum eſt, te iſtuc nobis cupere. Qua notione vſus eſt & Horat. ep. 4. lib. 1. *Quid voueat dulci nutricula maius alumno, Quam ſapere, & fari vt poſſit, &c.* Rurſum 14. Metamorph. *Vt tua ſim, voueo.*

PRIVS INCIP. TVRRES VIT. COLVMBÆ] quatuor ἀδύνατα, quæ prius fient δυνατά, quã Græcinus fidem deſerat. Triſt. lib. 1. eleg. 8.

Aſpicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aues.

QVAM MALE SE PRÆSTET AMICO] quam ſe male gerat erga me. Perſona 3. pro 2. per enallagen.

NON ITA SVNT FATIS OMN. VERSA MEIS] Eleg. 9. lib. 2. *Non ita pare fati candida nulla mei.* Non tam inimicis vtor fatis, vt ne hunc quidem amicum poſſim retinere, vt etiam hic me deſerat.



ELEGIA OCTAVA.

Ad Meſſalinum.

AMICITIAE DESIDERATIO.

ARGVMENTVM.

Qvamuis prætermiſſo nomine, poſſe ipſum ſcire à quo mittatur epiſtola, cum legit à Getis mitti. Precatur omnibus eius ſtudioſis, ne gẽtem adeo immanem, & regionem tam horribilem experiri cogantur. Miſerum fore, ſi ab eo non agnoſcatur, cuius laudem, etiamſi amicitiam mentiatur, non immi-

nuar. Cum patre illius vsum sibi intercessisse, quem defunctum & luxerit,& publicè laudarit. Arctissimum præterea vinculum cum fratre, cui hac confessione incommodare minimè vellet. Non ideo se auersandum eius familiæ,quod peccarit, cum facinus improbum non designarit, testimonio etiam Cæsaris,cuius in pœna sibi irrogata moderationem commendat.Graui tamen casu cecidisse,nec mirum.Non esse cur Messalinum eius pudeat, quando Cæsar ipse tam grauiter ab Ouidio se non offensum,facto suo testetur. Negligentiam suam in ipso colendo excusat, & contendit, vt in numero clientum illius reponatur.

Littera pro verbis tibi, Meßaline, salutem,
Quam legis, à sæuis attulit vsque Getis.
Indicat auctorem locus? an, nisi nomine lecto,
Hac me Nasonem scribere verba, latet?
Ecquis in extremo positus iacet orbe tuorum,
Me tamen excepto, qui precor eße tuus?
Dij procul, à cunctis qui te venerantur, amantque,
Huius notitiam gentis abeße velint.
Nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
Viuere, si vita est mortis habenda genus.
Nos premat aut bello tellus, aut frigore cælum,
Truxque Getes armis, grandine pugnet hyems:
Nos habeat regio nec pomis fœta, nec vuis,
Et cuius nullum ceßat ab hoste latus.
Cetera sit sospes cultorum turba tuorum,
In quibus, vt populo, pars ego parua fui.
Me miserum, si tu verbis offenderis istis,
Nosque negas vlla parte fuiße tuos.
Vtque sit hoc verum, mentito ignoscere debes:
Nil demit laudi gloria nostra tuæ.
Quis se Cæsaribus notus non fingit amicum?
Da veniam faßo, tu mihi Cæsar eris.
Nec tamen irrumpo, quò non licet ire, satisque est
Atria si nobis non patuiße negas.
Vtque tibi fuerit mecum nihil amplius, vno
Nempe salutaris, quàm prius, ore minus.
Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studij, causaque, faxque mei.
Cui nos & lacrymas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.

Adde, quòd est frater tanto mihi iunctus amore,
Quantus in Atridis, Tyndaridisq; fuit.
Is me nec comitem, nec dedignatus amicum est:
Si tamen hæc illi non nocitura putas.
Si minus, hac quoq; me mendacem parte fatebor:
Clausa mihi potius tota sit illa domus.
Sed neq; claudenda est: ET NVLLA POTENTIA VIRES
PRAESTANDI, NE QVID PECCET AMICVS, HABET.
Et tamen vt cuperem culpam quoq; posse negari,
Sic facinus nemo nescit abesse mihi.
Quod nisi delicti pars excusabilis esset,
Parua relegati pœna futura fuit.
Ipse sed hoc vidit, qui prævidet omnia, Cæsar,
Stultitiam dici crimina posse mea.
Quaq; ego permisi, quaque est res passa, pepercit:
Vsus & est modicè fulminis igne sui.
Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reuerti:
Si sua per vestras victa sit ira preces.
At grauiter cecidi: QVID ENIM MIRABILE, SI QVIS
A IOVE PERCVSSVS NON LEVE VVLNVS HABET?
Ipse suas quamuis vires inhiberet Achilles,
Missa graues ictus Pelias hasta dabat.
Iudicium nobis igitur cùm vindicis adsit,
Non est, cur tua me ianua nosse neget.
Culta quidem, fateor, citra quàm debuit, illa est:
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
Nec tamen officium sensit domus altera nostrum:
Hic illic vestro sub lare semper eram.
Quaq; tua est pietas, vt te non excolat ipsum,
Ius aliquod tecum fratris amicus habet.
Quid, quòd vt emeritis referenda est gratia semper,
Sic est fortunæ promeruisse tuæ?
Quod si permittis nobis suadere quid optes,
Vt des, quàm reddas, plura, precare Deos.
Idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
Officij causa pluribus esse dati.
Quolibet in numero me, Meßaline, repone,
Sim modò pars vestræ non aliena domus.
Et mala Nasonem, quoniam meruisse videtur,
Si non ferre doles, at meruisse dole.

COMMENTARIVS.

LITTERA PRO VERB. SALVT.] Pro verbis salutatoriis, quibus te coram affari cuperem, affert tibi salutem scriptam inde vsque ab efferatis Getis. Eleg. 2. lib. 2.

Mittit ab indomitis hanc, Messaline, salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre. Getis.

INDICAT AVCTOREM LOCVS] Ecquid hinc intelligis, à quo mittatur? an opus est addere nomen Ouidij?

ECQVIS IN EXTREMO POSIT. &c.] vtique intelligis. Nam præter me vnum nemo tuorum (qualis ego si non sum, esse certè cupio) in vltimis oris iacet.

DII PROCVL A CVNCTIS. &c.] Faxint dij, ne quisquam cultorum tuorum has gentes præsens nouerit.

INTER GLACIEM, SCYTHICASQVE SAGITT.] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Quid loquar, vt cunctis concrescant frigore riui,
Deq; lacu fragiles effodiantur aquæ &c.

SI VITA EST MORT. HAB. GEN.] Vnde se in Tristibus ademptum vocat, quod etiam de mortuis dicitur. Viuens mortuus sum. Hic βίος est ἄβιος.

PREMAT AVT BELLO TELL. AVT FRIG CÆL.] Multa de vtroque, & sæpe in libris Trist. quos legisse debet, qui hosce plenius intelligere optat: vt item hos, qui illorum pleniorem intelligentiam desiderat. Eleg. 3. lib. 5.

Nec me tam cruciat, nunquam sine frigore cælum,
Glebaq; canenti semper obusta gelu.

NEC POMIS FOETA, NEC VVIS] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Non hic pampinea dulcis latet vua sub vmbra,
Nec tumulant altos feruida musta lacus.
Poma negat regio, &c.

Qui fructus pomorum nomine capiendi, aliâs docuimus. Vulgus latinè discentium nimis angustè vtitur.

ET CVIVS NVLL. CESS. AB HOSTE LATVS] Eleg. 4.

Hostis adest, dextra læuaq; à parte timendus,
Vicinoq; metu terret vtrumq; latus.
Altera Bistonias pars est sensura sagittas,
Altera Sarmatica spicula missa manu.

CVLTOR. TVRBA TVORVM] tuorum clientum, quorum est magna multitudo.

PARS EGO PARVA FVI] vnus enim in tam multis, & in populo minima pars est.

ME MISER. SI TV VERB. OFFENDISTIS, &c.] si tu hæc vt inuidiosa non libenter legis, & negas quidquam tibi meeum aliquando fuisse. sic eleg. 2. *vereor ne nomine lecto Durus, & auersa cætera mente legas.* Propter Cæsarem videlicet.

VTQVE SIT HOC VER. M. IGNOSC. DEBES, &c.] Vt ita sit, nihil tibi familiaritatis meeum intercessisse, & me mentiri, tamen cum id bono animo, & tui cupido faciam, nec inde imminuatur laus tua, vnde mihi prouenit gloria, seu ex gloriatione mea, par est te ignoscere.

QVIS SE CÆSARIB. NOT. NON. F. AM?] Potentium amicitiam consectantur omnes. Sic Cæsarum gratiam aucupantur omnes. Plaut. Trinum. *merem hunc esse hominibus ait, obliuisci, cuium nihili sit faciunda gratia.*

TV MIHI CÆSAR ERIS] Cæsaris loco te ducam. Pari honore te colam.

NEC TAMEN IRRVMPO] Nihil faciam te inuito. Non plus tribuam tibi, quam pateris.

ATRIA SI NOB. NON PAT. NEGAS] Si saltem hoc fateris, me tuas ædes obiisse, satis erit. Hoc enim ipsum argumento est, me tibi notum, nec inimicum fuisse. Atrium propriè est genus ædificij ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit. Festus.

VTQVE TIBI MECVM FVERIT NIL, &c.] Ex hypothesi. Vt vno meeum nil amplius tibi fuerit, quam hoc, quod passus es me domum tuam obire: illud consequitur, te etiam vno salutatore minus habere. Mane clientes ad fortunatorum amicorum, & patronorum atria, ipsos salutatum concurrebant. Cic. ad Brut. Hæc scripsi in ipsa turba matutinæ salutationis. Iuuenal. sat. 6. *Tota salutatrix iam turba peregerit orbem.* Martial. lib. 4.

Prima salutantes, atq; altera detinet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.

Attingit hunc morem Virgil. 2. Georg.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam.

Consule ibid. Symb. nostras. Eundem aspexit Seneca de Benef. lib. 6. cap. 33. In pectore amicus, non in atrio quæritur.

NEC TVVS. E. GENIT. NOS INFICIAT. AMICOS] Non debet te pudere amicitiæ meæ, quando nec patrem tuum puduit. quo certe nobilior non es. Isocrat. ad Demonicum in parænesi. πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Vt enim rei familiaris, sic & amicitiæ paternæ liberis capienda est hæreditas.

HORTAT. STVD. C. FAXQVE MEI] cuius sermonibus ad studia ista mea mirificè impellebar, & inflammabar. Ciceroni in vitio est, cum 2. Philipp. Antonium vocat omnium Clodij incendiorum facem. Quo pertinet etiam illud in 2. Catilin. cui tu adolescentulo non ad libidinem facem prætulisti? Alioqui eius sunt & hortator, auctor, suasor, impulsor.

SVPREM.

SVPREM. IN FVN. MVNVS] cum efferretur, lacrymis eum prosecuti sumus. quod vltimum munus confertur in amicos: quippe in ipso funere.

ET DED. MED. SCRIPTA CAN. FORO] significat se illi funebrem laudationem carmine conscripsisse, quæ in foro, populo audiente recitata sit. Funera potissimùm indictiua per forum ducebantur: quibus pro Rostris collocatis, defuncti laudabantur. Cic. 2. de orat. Nostræ laudationes, quibus in foro vtimur, aut testimonij breuitatem habent nudam, atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem orationem. De foro item, & Rostris accipio, quod ait da Augusto Sueton. cap. 8. duodecimum annũ agens, auiam Iuliam pro concione laudauit.

ADDE QVOD EST FRATER, &c.] Amauit me pater tuus, amat frater. Qui ergo tu poteris me contemnere, vt non vtriusque de me iudicium simul contemnas?

QVANTVS IN ATRIDIS] Sicut inter se intimè dilexerunt Agamemno, & Menelaus Atreo geniti, de quibus in Iliade, præsertim in 3. vbi vulnus accipit Menelaus. Comparat eos inter se Philostratus in heroicis.

TYNDARIDISQVE FVIT] item Castor, & Pollux, quorum pater habitus est Tyndarus, cum essent Ioue nati: tam ardenter à fratre tuo diligor, illumque vicissim diligo. Eleg. 5. lib. 4. Trist.

Diligat & semper socius te sanguinis ille,
Quo pius affectu Castora frater amat.

Diuiserunt inter se immortalitatem. Adi Symb. nostras ad illud 6. Aeneid. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.*

IS ME NEC COMITEM, &c.] Fortassis hoc sentit, se illum assiduò affectatum.

SI TAM. HÆC ILLI. N. NOCIT.] si hanc meam de illo prædicationem nõ putas ipsi fraudi futuram. Propter Cæsarem hanc conditionem adiicit.

SIN MINVS] si putas, fatebor potius me mentitum, & patiar à familia vestra pro ignoto haberi, domum vestram mihi clausam esse, quã vt ipse per me aliquid incommodi perferat.

CLAVSA MIHI POT. TOT. SIT ILLA DOM.] Metaphoricè eleganter vsum videas Ciceronem hoc genere locutionis. Pro Quintio. Fatetur se non ornare magnifice conuiuium, nõ habere domum clausam pudori, & sanctimoniæ. Verina 7. Nullius domus clausa contra tuam cupiditatem potest esse.

SED NEQVE CLAVD. EST] Negat illos facere iure posse, quod permittebat: caussam subtexit.

NVLLA POTENT. VIRES PRÆST. &c.] quia fieri nequit, vt amicus nihil peccet, quamuis sit Cæsaris amicus, aut cuiusuis potentissimi. Cum ergo excludendus domo vestra vobis videri possim propter pecatum meum, non quidem in vos, sed in Cæsarem, quem reueremini, &

A ipsi tamen auctoritate, potentiaque vestra præstare non potueritis, ne quid culpæ admitterem: sequitur, vt me agnoscere debeatis.

ET TAMEN VT CVLP. CVP. &c.] Culpam me commisisse haud eo inficias: facinus commisisse, nemo dicet.

DELICTI PARS EXCVSAB.] pars de re quapiam conspecta, eaque infami, & per imprudentiam conspecta.

PARVA RELEG. P. F. FVIT] non satis pœnarum exilio dedissem, morte afficiendus fuissem.

IPSE SED HOC VIDIT] vt vir prudens, ac prouidus: seu potius vt deus, qui præuidet omnia.

B *QVI PRÆVIDET OMNIA*] Eleg. 3. de eodem, *quamuis deus omnia norit.*

STVLTIT. D. CRIM. P. MEA] stultitiæ nomine aliquoties scripta de Arte vocauit: hic errorem illum in re visa videtur eodem nomine appellare.

QVAQVE EGO PERMISI] quatenus ego illi occasionem dedi.

QVAQVE EST RES PASSA] pro conditione rei pepercit vitæ meæ. Hoc est quod subdit, vsum modicè fulmine suo, & se quasi leuiore fulmine percussum.

NEC VITAM, NEC OPES, &c.] Distinctè moderationem Cæsaris in supplicio suo explicat. Eleg. 12. lib. 5. Trist.

C *Nec vitam, nec opes, nec ius mihi ciuis ademit,*
Qui merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non affuit vllum,
Nil nisi me patriis iussit abesse focis.

NEC ADEMIT POSSE REVERTI] Reditum mihi nondum negauit, quem largietur, si vos eum precibus flexeritis.

AT GRAVITER CECIDI] Ruinam vocat alibi. Ruina ingenti procubuisti, dicet aliquis. Lucret. lib. 1. loquens de erroribus primorum philosophorum circa rerum principia.

Principiis tamen in rerum fecere ruinas.
Et grauiter magni magno cecidere ibi casu.

A IOVE PERCVSS. N. LEVE VVLN. HAB?] Plaga à potente, aut magno Principe inflicta, hoc ipso grauior apparet, quia à magno Principe, & hoc ipso qui punitur, euadit apud omnes notior, habeturque peccatum eius enotmius.

D

IPSE SVAS. Q. VIR. INHIBER. ACHILL.] Ab exemplo Achillis, cuius hasta grauiter feriebat, quamuis eam ipse validè non torqueret.

PELIAS HASTA] patronymicum à Peleo, qui eam Achilli donauit, dono acceptam à Chirone. Seu à Pelio monte, vbi cæsa arbor, vnde facta.

IVDICIVM NOB. IG. CVM VIND.] Cum Cæsar mitius me tractarit, qui tam reum non inuenit. Vindex, ait Fest. ab eo quod vindicat, quo

minus is qui prensus est, ab aliquo teneatur. Hic autem pro vltore ponitur.

NON EST CVR. T. ME. IAN. N. NEG.] non est cur tua me amicitia, & clientela excludas.

CVLTA QVID. FAT. CITRA, &c.] Officium se non satis diligenter præstitisse, & in eo colendo negligentiorem fuisse.

SED FVIT IN FAT. HOC. Q. C. MEIS] Veteres in fata & deos sibi iratos, & infensos culpas, & incommoda sua conferebant, vt nos Christiani in diabolum. Fuit ergo fatum meum, vt minus quam oportebat eam colerem.

NEC TAMEN OFF. SENSIT, &c.] AEgre posset ferre domus Messalini, se tam parcè cultam ab Ouidio, si alias coluisset: quod se fecisse negat.

HIS ILLIC. V. SVB. LARE] per ædes vestras libere vagabar.

QVÆQVE TVA EST PIET.] qui tuus est in fratrem amor.

VT TE NON EXCOLAT IPSVM] Pone, te à me non coli.

IVS ALIQ. TECVM. F. AMIC. HABET] tamen qui colo fratrem tuum, qui tibi est charissimus, non possum abs te non haberi in amicis.

A QVID QVOD VT EMERITIS, &c.] Sicut bene meritis referendæ etiam, non modo agendæ gratiæ, si posis: sic fælicitatis tuæ est mereri gratias, quia potes benefacere.

QVOD SI PERMITTIS NOB. SVAD.] Si quæris à me consilium, quid optare debeas.


VT DES QVAM REDD. PLVRA] Roga deos, vt posis plura conferre in alios beneficia, quam ab aliis accipere.

IDQVE FACIS] In cohortando tritum est huiusmodi clausulas adiicere.

OFFICII CAVSS. PLVRIB. ESSE DATI] Plures benemerẽdo ad officium tibi contra præstandum obligabas.

QVOLIBET IN NVM. ME REPONE] in aliquo numero, & ordine tuorum clientum me habeto, & sim pars aliqua eorum, quos familia vestra complectitur. Aliquo numero est, cuius aliqua ratio ducitur. Extra numerum, qui despicitur.

SI NON FERRE DOLES] quia videtur meruisse: cum non meruisse, & tamen perpeti, habeat miserationem.



ELEGIA NONA.

Ad Seuerum.

SVORVM DVLCIS MEMORIA, ET RVSTICANDI CVPIDITAS.

ARGVMENTVM.

Compendiò narrat statum suum. Degere se in belli strepitu assiduo, & cogi, quod è tot exulibus nemo præterea, arma capessere: & hæc se in procinctu scribere. Ab Ægypso, dynasta huius nominis, oppidum extructum, inopinatoque à Getis occupatum, regem cum iniqua etiam barbarorum strage recepisse. Cui regi regnum stabile, popul. Rom. & Cæsaris beneuolentiam precatur. Ad rem rediens, addit, iam quadriennium versari se in exilio, memorem amicorum, coniugis, & locorum præcipuorum Romæ. Quàm libenter ad minuendam ægritudinem pastoritiis, aut rusticis

fungeretur muneribus: quod ob hostium quotidianas irruptiones, & populationes non liceat. Qua occasione Seueri gaudia explicat, quæ ex amœnitate, & varietate locorum Romanorum capiat. Non optandum sibi in patriam reditum: satis beatum fore, si pacatam, Romanoq; solo viciniorem regionem nanciscatur.

A tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe, pars animæ magna, Seuere, meæ.
Néue roga quid agam: si persequar omnia, flebis:
Summa satis nostri sit tibi nota mali.
Viuimus assiduis expertes pacis in armis,
Dura pharetrato bella mouente Geta.
Deq; tot expulsis sum miles in exule solus:
Tuta (neq; inuideo) cetera turba latet.
Quoq; magis nostros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.
Stat vetus vrbs, ripæ vicina binominis Istri,
Mœnibus, & positu vix adeunda loci.
Caspius Ægypsus, de se si creditur ipsis,
Condidit, & proprio nomine dixit opus.
Hanc ferus Odrysiis inopino Marte peremptis
Cepit, & in regem sustulit arma Getes.
Ille memor magni generis, virtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adest.
Nec prius abscessit, merita quàm cæde nocentum
Se nimis vlciscens extitit ille nocens.
At tibi rex æuo detur fortissime nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu.
Teque, quod & præstat, (quid enim tibi plenius optem?)
Martia cum magno Cæsare Roma probet.
Sed memor vnde abij, queror ô iucunde sodalis,
Accedant nostris sæua quòd arma malis.
Vt careo vobis Scythicas detrusus in oras,
Quattuor auctumnos Pleias orta facit.
Nec tu credideris vrbanæ commoda vitæ
Quærere Nasonem, quærit & illa tamen.
Nam modò vos animo dulces reminiscor amici:
Nunc mihi cum cara coniuge nata subit.
Aq; domo rursus pulchræ loca vertor ad vrbis.
Cunctaq; mens oculis præuidet illa suis.

Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc subit æquata porticus omnis humo.
Gramina nunc campi pulcros spectantis in hortos,
Stagnaq; & Euripi, virgineusq; liquor.
At (puto) sic vrbis misero est erepta voluptas,
Quolibet vt saltem rure frui liceat.
Non meus amissos animus desiderat agros,
Ruraq; Peligno conspicienda solo:
Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia iuncta viæ.
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt tibi, si viuunt, nostra quoq; consita quædam,
Sed non & nostra poma legenda manu.
Pro quibus amissis, vtinam contingere posset
Hic saltem profugo gleba colenda mihi.
Ipse ego pendentes (liceat modò) rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oues.
Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub iuga panda boues.
Et discam Getici quæ norunt verba iuuenci,
Assuetas illis adiiciamq; minas.
Ipse manu capulum pressi moderator aratri,
Experiar mota spargere semen humo.
Nec dubitem longis purgare ligonibus arua,
Et dare quas sitiens iam bibat hortus aquas.
Vnde sed hoc nobis, minimum quos inter & hostem
Discrimen murus, clausaq; porta facit?
At tibi nascenti (quod toto pectore lætor)
Nerunt fatales fortia fila deæ.
Te modò Campus habet, densa modò porticus vmbra:
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.
Vmbria te reuocat, nec non Albana petentem
Appia feruenti ducit in arua rota.
Forsitan hoc potes, vt iustam iam supprimat iram
Cæsar, & hospitium sit tua villa meum.
Ah nimium est quod amice petis, MODERATIVS OPTA,
ET VOTI (QVAESO) CONTRAHE VELA TVI.
Terra velim propior, nulliq; obnoxia bello
Detur, erit nostris pars bona dempta malis.

COMMENTARIVS.



TIBI DIL. MISS. NAS. SAL. ACCIPE] Eleg.4. *Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem.* Sic Infra eleg.10. *Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutẽ.*

PARS ANIMÆ MAGNA MEÆ] Dimidium animæ, vt Horat. Virgilium appellat Ode 3. lib.1. Idem Ode 17. lib. 2. Mæcenatem partem animæ suæ.

SI PERSEQVAR OMNIA, FLEBIS] Nimium multis iactor malis. Flebis autem vt amicus, qui amici mala reputat sua.

SVMMA SAT. N. SIT TIBI. N. MALI] Summatim dicam, vt noris. Nolo longiore commemoratione malorum meorum tibi lacrymas excire.

VIVIMVS ASSID. EXP. PACIS IN ARMIS] Eleg.10. lib.3. Trist. *Aut videt, aut metuit locus hic quem non videt hostem.* Eleg.11.

Sic ego belligeris à gentibus vndiq; septus
Terreor, hoste meum pæne premente latus.

PHARETRATO GETA] Eleg.8. lib.5. Trist.

In quibus est nemo qui non coryton, & arcum,
Telaq; vipereo lurida felle gerat.

SVM MILES IN EXVLE SOLVS] Præter me in alias terrarum oras multi sunt pulsi, quorum nemo compellitur ad militiam, cum cuique ad miseriam sua mala sufficiant: nec enim illis vita etiam inuidetur. Miles in exilio, est miles idem, & exul, quod sane indignum apparet.

NEQVE INVIDEO] Quia propensissimi sumus ad inuidiam, & bonis alienis multo facilius dolemus, quam gaudemus, quod naturæ nostræ vitium est, ideò fere semper opinionem inuidię deprecamur, cum quippiam felix, & faustum de alio narramus. Terent. And. *more hominum euenit, vt quod sim nactus mali prius rescisceres tu, quam ego, quod tibi euenit boni.*

QVOQVE. M. NOST. VEN DIG. LIB.] Ob hoc solum digni essent venia, quod tali tempore meo, & tali loco scripti sunt. Nunc, quia in ipso motu, & sub exitum ad prælium scripsi hanc epistolam, eo magis debes ignoscere, si quid in eo desiderabis. Libellus, vt liber, sæpe iustam scriptionem, aut scriptiunculam latinis sonat. Exemplo sit, libellus supplex, libellus infamis.

HÆC IN PROCINCTV CARM. FACTA] A re militari. Genus quoddam testamenti in procinctu fiebat, de quo in Coriolano Plutarchus. Milites siquidem Romani in aciem produturi, antequam scuta caperent, togis se præcingebant, & tribus, aut quatuor simul audientibus, sine scripto testamentum faciebant, atque hæredes nominabant. Meminit Cic. 1. de Orat. In procinctu verò est, auctore Festo, cum ex ca-

A stris in prçlium exitum est. Procinctos quasi præcinctos, atq; expeditos. Nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur.

STAT VETVS VRBS] AEgypsus, de qua recepta, fuse eleg.7. lib.4. In laudibus vrbium est etiam vetustas: quam in Carthagine commendanda non præteriuit Maro 1. AEneid. *Vrbs antiqua fuit.*

BINOMINIS ISTRI] Fluuius nobilissimus. & à scriptoribus tam Græcis, quam Latinis decantatus, ab Homero autem inter plurimos alios præteritus. Alterum ei nomen est Danubius. Auctores à capite ad finem ambo ei nomina tribuunt. Tamen quibusdam in locis magis
B versus fontes Danubius, in aliis magis versus ostia vergentibus Ister nominatur. Cætera, & quidem multa Stukius in Periplum Euxini maris apud Arrianum.

POSITV VIX ADEVND. LOCI] In loco arduo, & saxoso, & ideo prope inaccesso.

CASPIVS ÆGYPSVS] De hoc heroe, seu rege, seu Toparcha nihil legitur.

DE SE SI CREDITVR IPSIS] Si incolis adhibenda fides, hoc de conditore suo affirmantibus. Possunt enim fallere. Cuique de bonis, sibique gloriosis difficile, de incommodis prædicanti facile credimus.

PROPRIO NOM. DIXIT OPVS] vt multi
C præterea vrbes ab se conditas, instauratas, amplificatas suo nomine insignierunt. Romulus ab se Romam, Alexander Alexandriam, Seleucus Seleuciam, Traianus Traianopolim, Constantinus Constantinopolim, &c.

ODRYSIIS PEREMPTIS] Odrysæ, seu Odrysij populi Thraciæ, quorum posteri hanc vrbem habitabant.

IN REGEM] qui tunc præerat, non qui condiderat: nam ille pridem decesserat: & dixit insuper. *stat vetus vrbs.*

MEMOR MAGNI GENERIS] magnæ, & inclytæ nobilitatis suæ. Est autem nobilitas iniuriarum impatientior. Huc quadrat quod ait Horat. Ode 4. lib.4.

D

Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

VIRTVTE QVOD AVGET] Quia cum virtus sit altera nobilitas, & præstet nobilitati sanguinis, quis non videt, quanto euadat nobilior, qui in ampla familia natus, cum virtute habet commercium? Eleg.2.

Maxime, qui tanti naturam nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus.

Improbi autem mores genus ipsum dedecorât, & natalitium splendorem obsfuscant.

INNVMERO MILITE CINCT.] frequêti eum exercitu accurrit.

MERITA QVAM CÆDE NOCENT, &c.] Ad vnum omnes interemit, cum se parati essent dedere. Cic. 1. Off. vbi de iure belli disserit. Et cum iis, quos vi deuiceris consulendum est; tum ij, qui armis positis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit, recipiendi sunt. Victoriam igitur rex iste AEgypti crudelius exercuit.

REX ÆVO NOSTRO FORTISSIME] qui regibus sæculi nostri fortitudinis laude antecellis.

SEMP. HONORAT. SCEPT. TEN. MANV] Vtinam tuis semper venerationi sis, & in pace regnum vsque ad extremum vitæ administres. Hoc vnum votum est. Sequitur alterum.

QVOD ET PRÆSTAT] sicuti facit.

QVID ENIM TIBI PLEN. OPTEM?] Quid tibi maius optem? Habete enim Romam, & Cæsarem offensos, hoc est miserrimum esse. Eleg. 8. lib. 5. Trist.

Sum miser, hac breuis est nostrorum summa laborum,
Quisquis & offenso Cæsare viuet, erit.

MARTIA CVM MAG. CÆS. ROMA] Martia, quia studiis asperrima belli; & quia Martem generis sui auctorem iactat. Liuius præfat. Maro 1. AEneid. *Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet Mœnia.*

SED MEMOR VNDE ABII] Horat. sat. 1. lib. 1. *Illuc, vnde abij, redeo.* Digressiuncula fuit hæc: cœperat enim breuiter exponere statũ suum, in qua expositione nunc pergit. Sed vt eo redeam, vnde paulisper aberraui, vnde aliquantum deflexit oratio, diceret orator.

QVEROR ACCED. N. S. QVOD ARMA MAL.] Repetit initium querimoniæ suæ, de vita sua inter assiduos belli motus. Quasi dicat: vsque adeo omnibus careo solatiis, vt ne hoc quidem, securitate, inquam, ab hostibus frui, & tutò miser esse queam.

SCYTHICAS DETRVS. IN ORAS] Nihil refert, vtrum dicat Geticas, an Scythicas: & vtrũ se dicat exulare apud Scythas, aut Sauromatas, cum vicini sint, & poëtæ viciuis pro vicinis vti consueuerint. *Detrusus* ait, quoniam admodum nolens eo profectus est, vt patet ex eleg. 3. lib. 1. Trist.

QVATTVOR AVTVMN. PLEIAS ORTA F.] Quartùm exortæ sunt Pleiades, idque in autumno. Iam autumnus pro anno, pars pro toto κατὰ συνεκδοχὴν, vsitatissimus modus numerandi annos apud poëtas.

NEC TV CREDID. VRB. COMMOD. VITÆ, &c.] Non ideo putes hoc à me dici, quia cupidus sim vrbanarum deliciarum, quibus scilicet in vrbe Roma oblectabar.

QVÆRIT ET ILLA TAMEN] Tametsi me illas desiderare non nego, cuius indicium frequens charorum & hominum, & locorum memoria. Quid autem potissimùm quærat, infra docebit.

MODO VOS ANIMO. D. REMINI S. AMICI] Eleg. 4. lib. 3. Trist. *Vos quoq; pectoribus nostris hæretis amici.*

CVM CHARA CONIVGE NATA SVB.] Adi eleg. 3. & 7. lib. 3. Trist.

PVLCHRÆ LOCA VERTOR AD VRB.] Vide eleg. 8. lib. 3. Trist. Fortunatissimam, pulcherrimamque vrbem vocat & Cic. 2. in Catilin.

CVNCTAQVE MENS OCVL. PRÆVID. ILLA SVIS] Eadem eleg.

At longe patria est, longe charissima coniux,
Quidquid & hac nobis post duo dulce fuit.
Sic tamen hac absunt, vt quæ contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos errat domus, vrbs, & forma locorum,
Accedunt(que) suis singula facta locis.

A sensu oculorum multæ fiunt metaphoræ ad animum, cui cum oculos quosdam tribuamus, eum & cernere, & videre, & intueri, & perspicere dicimus.

NVNC FORA, NVNC ÆDES] Enumeratio insignium locorum Romæ, quorum recordatio sibi voluptati sit. Camillus post reditum ab exilio lib. 5. apud Liuium. Cum abessem, quotiescunque patriæ in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, & Tiberis, & assueta oculis regio, & hoc cælum sub quo natus, educatúsque essem.

NVNC MARMORE TECTA THEATRA] Sensus horum verborum elicietur è Vitruuio, lib. 5. Post scenam porticus sunt constituendæ, vti cum imbres repentini interpellauerint, habeat populus quo se recipiat ex theatro.

ÆQVATA PORTICVS OM. HVMO] pauimentis æquis.

STAGNAQVE ET EVRIPI] stagnum Seruio est aqua stans. Continet aquam temporalem ibidem stagnantem, quæ plerunque hyeme collecta, æstate exarescit. Euripi sunt canales, & aquę ductus, quibus paradis Romani impensas faciebant non mediocres. Sed hic Euriporum nomine illa freta in circo Romano intelligit. De qua re, & omino de sensu huius distichi consule nostrum Ludouicum de la Cerda in Georg. 3. ad illud. *Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.*

VIRGINEVSQVE LIQVOR] Aqua virgo. Plin. lib. 31. c. 3. Marlian. Topograph. vrbis lib. 6. cap. 15. Virginem appellatam idem tradit lib. 7. cap. 16. ex Frontino. quod quærentibus aquam militibus, virguncula venas quasdam monstrauit, quas secuti, ingentem aquæ modum inuenerunt.

AT PVTO SIC MISERO, &c.] ἀπ' ἐναντίας. Ironia. At enim sic careo voluptate rerum vrbanarum, vt tamen ruris commoda mihi non desint.

NON

NON MEVS. A. ANIM. DESID. AGROS] A Fruor agris meis, quales habui in Pelignis.

NEC QVOS POMIFERIS POS.&c.] Habeo hortos ſimiles meis Romæ. Pro *montibus*, lege *collibus*. Nam ea parte, quę iuter viam Flaminiam, & Claudiam iuteriacet, etiam hodie colles, nou montes ſpectes: & ibi Ouid. hortos ſuos habuit. Ciofan. Pomi uomine coutinetur omnis fructus arborum, eſui aptus, ſiue molli, ſiue duro tegatur corio. Vude Iurecouſulti in pomis etiam nuces, ficus, vuas eſcarias numerant. Poma Plinio lib.15. etiam iuglandes, Palladio caſtaneæ.

NESCIO CVI COLVI] neſcio enim quis illos nunc poſsideat. Virgil. eclog.1. *en quis conſeuimus agros. Inſere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.* Perappoſitum huic loco epigramma Luciani de B agro per Fortunam ad alium atque alium dominum translato. quod adiungam.

ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου,
καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
οἴεται. εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ Τύχης.

Nuper Achemenida, iam nūc ſumus arua Menippi,
Rurſum & alterius mox erimus domini.
Hic ſua nos putat eſſe: olim ſic ille putabat.
Sola magis noſtri ſors tenet imperium.

AD SATA FONTAN. ADDERE AQVAS] Ipſe rigabam ſata manu mea oluſcula.

NEC PVDET] couſiteri, me tam vili opera functum. Quid pudeat vero, cum & priucipes, & reges hortulis ſuis colendis operam dediſſe le- C gamus? lege de Cyro miuore, Perſarum rege, ex OEconomico Xeuophontis quæ adducuntur in Catone à M. Tullio. Multas ad res perutiles libri Xeuophontis ſunt, &c. Diocletiauus depoſito Imperio in Dalmatiam Salonas receſsit, ibique horto colendo intentus vſque ad mortem fuit, cum tanta voluptate, vt cohortautē ſe Maximianum collegam ad imperium recipiendum minime audiuerit. De laudibus vitæ ruſticæ diſputaui dial.22. primæ, tertij, in quo hos ipſos Eximperatores loquentes feci.

SI VIVVNT] ſi prouenerunt. Si non, vt ſæpe fit, exaruerunt adhuc tenella. Eſt enim vita quædam ſtirpium, & plantarum, quæ anima vegetatrix dicitur. Sic etiam quædam mors. Varro lib. D 4. de liug. lat. Virgultum dicitur à viridi, idque à vi quadam humoris, quæ ſi exaruit, moritur. Virgil. eclog.7. *Aret ager, vitio moriens ſitit aëris herba.* Plura dixi in Symb. ad illud 4. Georg. ſub fiuem, *Fer ſtabulis inimicum ignem, atq; interfice meſſes.*

SED NON ET. N. POM. LEG. MANV] *Sic vos non vobis. &c.* noti ſunt enim Marouiani verſiculi, quibus ſua ſibi præmia ab alio prærepta conqueſtus eſt lepide ac venuſte.

PRO QVIBVS AMISSIS, &c.] Optat ſaltem ruſculum pro agris, & hortis illis amiſsis recepiſſe.

IPSE EGO PEND. RVPE CAPELLAS] Principium eleg.1. lib.1. apud Tibullum huic, & A ſequeutibus bellè reſpondet. Nam & ibi paſtoritiæ, & ruſticæ vitæ voluptates prædicantur. Virgil.1. Eclog.

Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac viridi proiectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.

IPSE VELIM BACVLO. P. NIX. OVES] 4. Triſt. eleg.1. *Fiſſus vt incubuit baculo, ſaxoq; reſedit Paſtor.* Apud Propertium lib.4. eleg.2. Vertumnus multiplicem poteſtatem, & cauſam nominis ſui enarrans, *Paſtorem ad baculum poſſum curare.* Id eſt, poſſum paſtorem agere. Pedum dicitur proprie baculus paſtoralis, quod plerumque ornare ſtudebant. Virg. eclog.5.

B *At tu ſume pedum, quod, me cum ſæpe rogaret,*
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari,
Formoſum paribus nodis atq; ære, Menalca.

Feſtus. Pedum eſt baculum incuruum, quo paſtores vtuntur ad comprehendendas à pedibus oues, aut capras, cuius meminit etiam Virgil. in Bucolicis, cum ait, *At tu ſume pedum, &c.*

NE SOLITIS INSIST. PECT. CVRIS] ne mens ſolito more ſe excruciet contemplatu calamitatis meæ.

DVCAM RVRICOL. SVB. IVGA. P. BOVES] Eleg.6. lib.4. Triſt.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.

Vbi *ruricola* epithetou ruſtici, ſeu coloni eſt. Eſt C tamen idem valde accommodatum bubus, quibus antiqui in aratione, & hodie quoque agreſtes noſtri multis locis vtuntur. Catull. de nupt. *Rura colit nemo, molleſcunt colla iuuencis.* Horum, vt animalium laborioſorum, hominique perutilium, præcipuè miſerebat Pythagoram. Quamobrem iu illa coucione ſua XV. Metamorph. inter cætera ſic ait.

Quid meruere boues, animal ſine fraude, doloque,
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Ibidem.

Immemor eſt demum nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui dempto modò pondere aratri
Ruricolam mactare ſuum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,
D *Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.*

Tibull. eleg.1. lib.1.

Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem
Et ſtimulo tardos increpuiſſe boues.

ET DISCAM GET. Q. NORVNT. V. IVVENCI] Magis tamen vocibus inarticulatis, quam verbis animantia vectoria, & doſſuaria, vt ſunt boues, cameli, equi, muli, aſini, impelluntur. Elephas autem, cui quædam ſocietas eſt cum homiue, ſermone huc illuc agitur, pæue tanquā homo: nulla enim iutelligentior bellua. *βοηλατῶν* inſtabo iuuencis, quod dixerunt antiqui minari boues, quod & Græcis *ἀπειλεῖν*, & minæ illæ *ἀπειλαί*. Inferiores dixeruut minare pro minari,

quod

quod verbum nõ semel est in Bibliis latinis. Obseruat Ioseph. Scalig. in Manil. Et hinc Germanorum Rene de equis, manasse putarim.

ASVET. ILLIS ADIICIAMQVE MAN.] tales manus, qualibus asueti sunt. Ducam reduceam, iugum imponam, detraham, pabulum obiiciam, &c. ita vt se putent à Getis tractari.

IPSE MANV CAPVLVM PRESSI MOD. ARAT.] Hoc ait. Ipse vbi stiuam tenẽdo aratrum pressero, & rexero, & sulcum duxero, inuersa, & arata humo experiar manu semen spargere. Id est, ego arabo, & sementem faciam. stiuam igitur vocat ἐχυρώτερον capulum. Festus. Capulum, & manubrium gladij vocatur, & id quo mortui efferuntur, vtrumque à capiendo dictum.

A

LONG. PVRG. LIGON. ARVA] ligo, inquit Varro 4. de ling. lat. quod eo quid sub terra facilius legitur. Isidorus autem lib. 20. ligones, quod terram leuent, quasi liuones.

ET DARE QVAS SITIENS, &c.] Deducere riuos, quibus hortus fiat irriguus, sicut Romæ, aut in Pelignis fecerat. Hæc cuperet præstare, & his fungi operibus, si & terra pateretur subandi (nam vt ait in Tristib. nulla est illic arbor fertilis, seu satiua, propter naturam regionis) & si hostis permitteret. Sequitur enim: *minimum quos inter & hostem discrimen murus*. Ad locutionem quod spectat, sic Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas*. Virgil. 4. Georg. *irriguumq. bibant violaria fontem*. Anacreon. ἡ γῆ μέλαινα πίνει oigra terra bibit, pluuiam & imbrem scilicet. Item Virgil. eclog. 3. *sat prata biberunt*.

B

MINIM. QVOS INTER ET HOSTEM, &c.] Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Quam miserum est porta vitam, muroq. tueri,
Vixq. sui tutum viribus esse loci.

Et lib. 5. eleg. 3.

Quam quòd finitimo cinctus premor vndiq. Marte,
Vixq. breuis tutos murus ab hoste facit.

AT TIBI NASCENTI, &c.] Parcæ neuerunt, & cecinerunt tibi nascenti fortia fata, hoc est, stabilem fœlicitatem: quod mihi est summo gaudio.

TE MODO CAMPVS HABET] Docet quibus locis recreetur Seuerus, cum supra docuerit, quibus ipse exclusus sit. Intelligit autem campum Martium, in quo varij exercebantur ludi, vt indicat Horat. Ode 8. lib. 1. Cicero 1. Offic. vbi agit de temperantia. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noster, & studia venandi honesta exempla ludendi. Sic item 2. de Orat. aliud enim pugna, & acies, aliud ludus, campusque noster desiderat. Sueton. Nerone cap. 10. Ad campestres exercitationes suas admisit & plebem.

DENSA MODO PORTICVS VMBRA] Pompeia porticus, arcendo soli percommoda, vbi æstiuis præsertim mensibus spatia matronæ faciebant. Ouid. *Tu modo Pompeia lentus spatiare sub vmbra*. Propert. lib. 2. eleg. 32.

C

Scilicet vmbrosis fordet Pompeia columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

Dixi plura ad 2. Trist. sub finem.

IN QVO PONIS TEMP. RARA, FORVM] forum Romanum, in quo rarò causas agis.

VMBRIA TE REVOCAT] possessiones ibi habuisse Seuerum credo, ad quas inspiciendas nonnunquam Roma excedebat.

NEC NON ALBANA PETENT.] concedentem te in Albanum prædium.

APPIA FERVENTI. D. IN ARVA ROTA] Horat. Ode 1. lib. 1. *metaque feruidis Euitata rotis*. De hac via, in qua à Milone occisus est P. Clodius, & auctore illius sic est in illa nobili oratione. Ant eo mors atrocior erit P. Clodij, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus: perinde quasi Appius ille cæcus viam munierit, non qua populus vteretur: sed vbi impunè sui posteri latrocinarentur, &c. Regina longarum viarum nominatur à Statio. Vide plura lib. sequenti, in eleg. 7. ibi, *Nec magis est curuis Appia trita rotis*. Fuerunt & aliæ viæ, Aurelia, Flaminia, Latina, Lauicans, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria, Tiburtina, &c.

FERVENTI ROTA] calescunt enim celeri cursu versatæ rotæ. Horat. Ode 1. lib. 1. *metaq. feruidis Euitata rotis*. Aut refer hoc epitheton ad celeritatem cursus.

HOSPIT. SIT TVA VILLA MEVM] Etiã Tomis vsque transferat me ad villam tuam Albanam. Nam & non vltra Tibur olim exulatum mittebantur, vt antea dictum est.

D

MODERATIVS OPTA] sicut ipse toties in Tristibus, & hisce libris non reditum, sed mutationem loci optat: atque vt eam sibi à Cæsare impetrent, alios rogat.

ET VOTI. Q. CONTRAHE VELA TVI] Eleg. 4. lib. 3. Trist. *Propositique precor, contrahe vela tui*. Horat. Ode 10. lib. 2. qua docet æquabilitatem in vtraque fortuna seruandam.

Rebus angustis animosus atq.
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

TERRA VELIM PROP.] De vxore sua, eleg. 3.

Flensq. rogat, precibus lenito Cæsare vestris
Busta sui fiant vt propiora viri.

NVLLIQVE OBNOXIA BELLO] Eleg. 3. lib. 5. Trist. ad ipsum Augustum.

Quod petimus pœna est: nec enim miser esse recuso:
Sed precor vt possim tutius esse miser.

PARS BONA DEMPTA MALIS] Immo duæ bonæ partes. Nam & nimiam loci distantiam à patria, non modo indigenarum immanitatem, & cæli grauitatem non rarò lamentatur.

ELEGIA DECIMA.

Ad Maximum.

CELSO AMICISSIMO LESSVS.

ARGVMENTVM.

De intellecto Celsi obitu doluisse vehementer, & lacrymas effudisse, ob summam cum eo familiaritatem, & fidem in suo casu eximiè sibi ab eo præstitam: simul item ob consolationem, cuius mentione, Maximi ad se iuuandum adhortandi occasionem arripit. Quantopere illum ipsum Celsum coluerit, quem iure mortuum lugeat. Cruciatur eius funeri non interfuisse, cui tamen Maximus officia omnia persoluerit, à quo proinde satis festiuè pro extincto haberi cupit, vt eius opem experiatur.

Quæ mihi de rapto tua venit epistola Celso,
Protinus est lacrymis humida facta meis.
Quodq́ nefas dictu, fieri nec posse putaui,
Inuitis oculis littera lecta tua est.
Nec quicquam ad nostras peruenit acerbius aures,
Vt sumus in Ponto, perueniatq́ue precor.
Ante meos oculos tanquam præsentis imago
Hæret, & extinctum viuere fingit amor.
Sæpe refert animus lusus grauitate carentes,
Seria cum liquida sæpe peracta fide.
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius istis,
Quæ vellem vita summa fuisse mea.
Cùm domus ingenti subitò mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitq́ue caput.
Adfuit ille mihi, cùm me pars magna reliquit,
Maxime, fortunæ nec fuit ille comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quàm si frater in igne foret.
Hæsit in amplexu, consolatusq́ue iacentem est:
Cumq́ meis lacrymis miscuit ipse suas.

O quoties vitæ custos inuisus amaræ,
Continuit promptas in mea fata manus?
O quoties dixit, placabilis ira Deorum est?
Viue, nec ignosci tu tibi posse nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima, respice quantum
Debeat auxilium Maximus esse tibi.
Maximus incumbet, quáque est pietate, rogabit,
Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax.
Cumq; suis fratris vires adhibebit, & omnem,
Quo leuius doleas, experietur opem.
Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ:
Quæ modò ne fuerint, Maxime, vana, caue.
Huc quoque venturum mihi se iurare solebat,
Non nisi te longæ ius sibi dante viæ.
Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quàm colis ipse deos.
Crede mihi, multos habeas cùm dignus amicos,
Non fuit è multis quolibet ille minor.
SI MODO NON CENSVS, NEC CLARVM NOMEN AVORVM,
SED PROBITAS MAGNOS, INGENIVMQVE FACIT.
Iure igitur lacrymas Celso libamus adempto,
Cùm fugerem, viuo quas dedit ipse mihi.
Carmina iure damus raros testantia mores,
Vt tua venturi nomina Celse legant.
Hoc est quod possum Geticis tibi mittere ab aruis:
Hoc solum est istic, quod licet esse meum.
Funera non potui comitare, nec vngere corpus,
Atque tuis toto diuidor orbe rogis.
Quod potuit, quem tu pro numine viuus habebas,
Præstitit officium Maximus omne tibi.
Ille tibi exequias, & magni funus honoris
Fecit, & in gelidos fudit amoma sinus.
Diluit & lacrymis mærens vnguenta profusis,
Ossáque vicina condita texit humo.
Qui quoniam extinctis, quæ debet, præstat amicis,
Et nos extinctis annumerare potest.



COMMENTARIVS.

DE RAPTO CELSO] de defuncto. Rapi enim dicuntur fere, qui de vita ante senectutem emigrant: propriè tamen adolescentes. Infra ademptum vocabit. Elegia 8. libro 2. *si quem dira tibi rapuit Germania.* Martialis lib. 6. *Inter Baianas raptus puer occidit vndas.* Vide quid scripserim in illum versiculum 3. Trist. eleg. 3. *Nec tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.*

PROTIN. EST LACRYM. HVMID. F. MEIS] 4. Trist. eleg. 1.

Saepe etiam lacrymae sunt me scribente profusae,
Humidaque est fletu littera facta meo.

Epistolam Terētiæ vxoris ad se exulem scriptam prope lacrymis à se deletam narrat M. Tullius epist. lib. 14.

B

INVITIS OCVL. LITT. L. TVA EST] à me inuito lecta est: sicut res ingratæ auditu, inuitis accipiuntur auribus: benignis gratæ, & iucundæ.

NEC QVID. AD. N. PERVEN. ACERB. AVRES] Nihil tristius, & quod minus vellem audini hoc quadriennio exilij mei. Virgil. 2. Aneid. *Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures.* Et lib. 1. *si vestras forte per aures Troia nomen iit.*

TANQVAM PRAESENT. IMAGO] De vxore eleg. lib. 4. *Vultibus illa tuis tanquam praesentis inhaeret.* Versari ante oculos aliquid, satis notum & tritum est. Sed esse alicui in oculis, & habitare in oculis, non ita.

C

EXTINCT. VIVERE. F. AMOR] Quod morientes extingui, & extinctos dicimus, ex illa opinione natum puta, animum esse ignem. Quam Cic. 1. Tuscul. Zenoni Stoicorum principi, Aristoteles Democrito, & Leucippo tribuit. Quemadmodum ex illo, esse aërem, alia loquēdi, mortemque exprimendi genera profluxerunt, exhalate animam, expirare, efflare spiritum, &c.

SAEPE REFERT ANIMVS] secum renoluit, animo recursant, memoria repeto. Eleg. 3. lib. 2. *Haec igitur referens.*

LVSVS ORAVIT. CAREN TES, SERIA, &c.] lusus leniores, & liberiores inter nos, pilæ, trochi, saltus, &c. 1. Trist. eleg. 7.

Quid nisi tot lusus, & tot mea seria nossem?
Tot nossem lusus, seriaque ipse tua?

Eleg. 3. lib. 4. de Ponto.

Ille ego qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi iucundis primus adesse iocis.

D

Tales erant lusus Scipionis, & Lælij amicissimorum, prudentissimorumque hominum, de quibus ita Antonius 2. de Orat. Sæpe ex socero meo audini, cum is diceret, socerum suum Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex vrbe, tanquam è vinculis euolauissent. Non audeo dicere de talibus viris: sed tamen ita solet narrare Scæuola, conchas eos, & vmbilicos ad Caietam, & ad Lucrinum legere consuesse, & ad omnem animi remissionem, ludumque descendere. De iisdem Horat. Sat. 1. lib. 2.

Quin vbi se à vulgo, & scena, in secreta remorant
Virtus Scipiadae, & mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo, & discincti ludere, donec
Decoqueretur olus.

CVM LIQVIDA FIDE] liquida fides est perspecta, spectata, certa fides.

SVBEVNT MIHI DIES. ILLIS, QVAE, &c.] Recordor temporum illorum, quibus vixi cum Celso amantissimè, & coniunctissimè. Sed eorum multò crebrius, quibus capite diminutus sum, id est, patriam perdidi, trusus in exilium.

QVAE VELL. VITAE SVMM. F. MEAE] Mallem prius vita caruisse, vt saltem in patrio solo tumularer. Eleg. 3. lib. 3. Trist.

Quantum erat ó magni peritturo parcere diui,
Vt saltem patria contumularer humo?
Vel poena in mortis tempus dilata fuisset:
Vel praecepisset mors properata fugam.

CVM DOM. INGENT. RVINA CONCID.] lib. 2. Trist.

Corruit haec igitur Musis accepta sub vno,
Sed non exiguo crimine lapsa domus.

CVM ME PARS MAG. RELIQVIT] 1. Trist. eleg. 4.

Vix duo, tresue mihi de tot superestis amici,
Caetera fortuna non mea turba fuit.

FLENTEM MEA FVNERA] sic vocat casum, & infortunium suum. De Metamorphos. libris, 1. Trist. lib. eleg. 6. *Sed quasi de domini funere rapta sui.* Notissima res lacrymæ in luctu funebri, & in iis qualecunque viuentibus in charorum morte solatium. Homer. Odyss. 4.

Τοῦτό νύ τε γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.
Namque haec sola manent miseris solatia mortis,
Et tondere comam, & lacrymis respergere vultus.

PONEND. Q. SI FRATER IN IGNE FOR.] Terent. And. *posita in ignē est, fletur.* Rogo cadauera olim exurebantur, & cineres in vrnā collecti humo condebantur. Amor fraternus pro maximo. Amor autē in incommodis amati, ac præsertim in morte fletum excitat, & in charioribus maiorem. In Trist. *Quos ego dilexi fraterno more sodales.*

HAESIT IN AMPLEXV] Trist. 3. eleg. 5.

Brachiaque excepi presso pendentia collo,
Et singultatis oscula mista sonis.

CVMQVE MEIS LACRYMIS MISCVIT. V. SVAS] cum hæreret nimirum in complexu, & osculis meis. 3. Trist. eleg. 4.

Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes,
Tempore quas vno fidaque verba dabas.

Ibid. eleg. 5.

Et lacrymas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.

VITAE AMARAE] vitæ calamitosæ, atqui ideo acerbæ: nam quæ in rebus secundis agitatur, ea dulcis est.

CONTIN. PROMPT. IN MEA FATA MAN.] paratas ad vitam mihimet extorquendam. A simili officio laudat alium, eleg. 4. lib. 1. Trist.

Qui mihi consilium viuendi mite dedisti,
Cum foret in misero pectore mortis amor.

PLACABIL. IRA DEOR. EST] De Cæsare potissimùm hoc accipe, cuius clementiæ tantus est præco. In Tristib. lib. 5. eleg. 9. *Non est placandi spes mihi nulla Dei.* Et post pauca.

Scilicet vt per vim non est superabilis vlli:
Mite cor ad timidas sic habet ille preces.

NEC IONOSCI TV. T. POSSE NEGA] Ibid.

Ergo ne nimium nostra latere ruina
Restitui quondam me quoque posse puta.
Posse puta fieri lenito Principe, vultus
Vt videas media tristis in vrbe meos.

VOX TAM. ILLA. F. CELEB.] egregia, & maxime memoranda.

QVANT. D. AVXIL. MAX. ESSE TIBI] caussas patrocinij ab eo suscipiendi recenset eleg. 3.

Ille ego sum qui te colui, quem festa solebat
Inter conuiuas mensa videre tuas, &c.

NE SIT AD EXTREM. TENAX] ne sit immortalis.

CVMQVE SVIS FRATR. VIRES ADHIB.] pluribus enim sæpe datur, quod negatur vni.

QVO LEVIVS DOLEAS] mutato videlicet exilij loco. Hactenus summa orationis Celsi, qua Ouidium abiturum amanter affatus, & quantum potuit consolatus est.

HAEC MIHI VERBA MALAE, &c.] leuationem aliquam mihi in hac misera vita attulerunt.

NE FVERINT VANA] erunt autem, si mihi lingua tua opem ferre detrectaueris.

HVC QVOQVE VENT. &c.] Viam longam ambulare cum amico, indicium magni amoris. Vide Odam Catulli. *Furi, & Aureli comites Catulli, &c.* Quanto maius per tot terrarum, marisque spatia amicum exulem in regione inhospita velle visere?

NON MISI TE LONGAE, &c.] si tu ei potestatem faceres. Sequitur caussa.

NAM TVA NON ALIO, &c.] Quoniam domum tuam non alio sensu frequentabat, quam templum: & te non secus colebat, quam tu deos colis.

TERRARVM DOMINOS] Horat. Ode 1. lib. 1.

Sunt quos curriculo puluerem olympicum
Collegisse iuuat: metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos.

Vbi Acron absurdè notat, ἀμφίβολον dictum, vt vel ad olympionicas, vel ad deos referatur. Quo enim pacto citra ineptiam olympionicæ dicantur domini orbis terræ?

A MVLT. HAB. CVM DIG. AMICOS] pro virtute, auctoritate, & opibus tuis.

NON FVIT E. M. QVOLIBET ILLA MIN.] cuiuis è multitudine illa comparandus fuit. Nemo te magis, ac sincerius amauit: nec tibi pluris quisquam faciendus fuit.

SI MODO NON CENSVS, &c.] Obuiam it tacitæ obiectioni. Ditiores, nobiliores illo me coluerunt. Respondet Ouid. sed non probiores, nec ingeniosiores. Quæ duo verè magnos faciunt, non diuitiæ, nec auita nobilitas, quæ improbis etiam, & stolidis contingunt. *Ingenium quondam fuerat pretiosius auro*, ait alibi. In his quatuor antithetis probitas claritati auorum, ingenium censui opponitur.

B LACRYM. CELSO LIBAMVS] Libamus, inquit, respiciens ad id, quod antiqui defunctorum manes in diis habebant. Nam libare verbum sacrorum est.

ADEMPTO] mortuo. Supra raptum dixit.

CVM FVGER. VIVO. Q. DED. ILLE MIHI] De verbo *fugere* vide quid annotauerim in Symb. ad illud eclog. 1. *Nos patriam fugimus.* Ad sensum quod attinet, censet Ouidius reddendas Celso defuncto lacrymas, quas ille viuus viuo, sed quasi morienti dedit.

CARMINA IVRE DAMVS] si iure lacrymas, quid ni etiam, quod minus est, carmina? sed qualia carmina?

RARAE TESTANTIA MORES] Probitatem, C & fidem, quæ non passim inter homines inueniuntur: quia vt est in Lælio apud Cic. omnia præclara rara. Et a. de Finibus. In omni re optimum quodque rarissimum.

VT TVA. VENT. NOM. CELSE LEG.] ἀποστροφὴ ad Celsum. Vt posteritas te norit. Suis enim carminibus perpetuitatem prædicit in Tristib.

HOC SOLVM EST ISTIC, &c.] 3. Tristium eleg. 14.

Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruere sui.

FVNERA NON POTVI COMITARE] Antiqui comito pro comitor, sicut contemplo dicebant pro contemplor, & alia eodem modo. Vsus est & alibi hac voce, & Propertius æquè, apud D quem vitiosè legitur *comitarer*. Certè in hoc versu legi non potest *comitari*, cum sequatur statim, *nec vngere corpus*. Munus humanitatis sic exprimunt latini. Prodire in funus, comitari, prosequi funus, exequias ire alicui. Terent. Phorm. *Exequias Chremeti, quibus est commodum, ite. bem tempus est.* His enim verbis præco funus indicebat. EXEQVIAS CRAS, QVIBVS COMMODVM TEMPVS ERIT. OLLVS QVIRIS LETHO DATVS EST. Et sub tempus elationis iterum clamabat. EXEQVIAS, QVIBVS COMMODVM TEMPVS EST. OLLVS AEDIBVS EFERTVR.

NEC VNGERE CORPVS] Mortuorum corpora lauabantur, & vngebantur cum apud Græcos, tum apud Romanos: quod officium erat

pollinctorum, qui dicti sunt à pelle vngenda quasi pellis vnctores. Nisi potius à polingo, quasi poliens vngo. Polire autem est curare, & colere. Ennius apud Nonium, polire agros pro colere. Turneb. lib. 29. cap. 20. Quanquam id & mulieres aliquando præstabant, vt clarum fit ex illo Enniano, *positumq́ tyranni Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.* Et ex Horat. Ode 17. Epod.

Vnxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atq́ canibus homicidam Hectorem, &c.

Nam pro *luxere* Muret. legit *vnxere.* lib. 3. cap. 19. sed plerumque tenuioribus. Ditiores enim ferme huic rei aduocabant, qui id cum cura & arte præstarent. Vnctionis caussam affert Donat. in 6. Virgil. vt celerius arderent. Verior illa, vt fœtor cadaueris arceretur. Testis Lucian. de luctu. Quo consilio & acerra iuxta defunctum posita. Acerra, inquit Festus, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur.

TOTO DIVIDOR ORBE] Quia persæpe in extremum orbem se missum quiritatur in Tristibus. Eclog. 1. Virgil. *Et penitus toto diuisos orbe Britannos.*

QVEM TV PRO NVMINE VIVVS HABEBAS] suprà.

Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quam colis ipse deos.

ILLE TIBI EXEQVIAS FECIT] Exequiæ ab exsequendo, quod cadauer dum ex ædibus effertur, aliqui sequuntur, prosequuntur, comitantur. Vnde ire, & venire alicui exequias dicebant. Exequias ducere idem quod funus ducere, hoc est, in funere præire, quod solebant defunctorum parentes, liberi, coniuges, ac cæteri demum propinqui pro consanguinitatis gradu. Plinius lib. 8. cap. 42. de equo Alexandri M. bucephalo. Propter quæ rex defuncto ei duxit exequias.

ET MAGNI FVNVS HONORIS] honorificum. Funus latinis supremi diei celebritas, & pompa exequiarum, dictum à funalibus: tametsi nonnunquam poëtæ præsertim ea voce mortem exprimunt. Vt Virgil. 4. Aeneid. *Nec moritura tenet crudeli funere Dido.* Funus facere, est funus celebrare. Seruius ad Ciceron. epist. 12. lib. 9. de Mar-

A cello Athenis interfecto. Ibi pro ea copia quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curaui. Inde funeri operam dare, funus ducere, funere efferri.

IN GELIDOS FVDIT AMOMA SINVS] Persius. *Compositus lecto, crassisq́ lutatus amomis.* In gelidos, quia mortuorum corpora frigent. Virgil. 6. Aeneid. de Miseno, *corpusq́ lauant frigentis, & vnguunt*, vbi posita est vox *frigens* pro mortuo. Sic frigidus lib. 9. *Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus.* Frigus pro morte μεταφορικῶς. Horat. Sat. 1, lib. 2.

——————— *ô puer, vt sis*
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

B De amomo etiam lib. 3. Trist. eleg. 3. cum de ossibus suis condendis loquitur. *Atque ea cum foliis, & amomi puluere misce.* Virgil. eclog. 4. *Assyrium vulgò nascetur amomum*, quasi præ aliis magnifaciendum. Genus herbæ nobilis. Eiusdem nominis est vnguentum inde factum, quo non tantum corpora mortuorum, sed & crines viuorum imbuebantur. Indorum. Sidon. *Indus odorifero crinem madefactus amomo.* Græcorum. Sen. Thyeste. *Pingui madidus crinis amomo.* Romanor. Ouid. *Spissáque de nitidis tergit amoma comis.*

DILVIT ET LACRYMIS VNGVENTA PROFVSIS] Lacrymarum copia significatur, Ciceronis sunt, vim lacrymarum profudi, lacrymas profundo, lacrymæ se subitò profuderunt.

C VICINA HVMO] iuxta rogum.

EXTINCTIS QVAE DEBET PRAESTAT AMICIS] Seruius Sulpitius in eadem epistola quam supra proxime citaui. Ita quæ nostra officia fuerunt, pro collegio, & propinquitate & viuo, & mortuo omnia præstitimus.

ET NOS EXTINCTIS ANNVMERARE POTEST] Ciuiliter mortuus sum, vt est verbum Iureconsultorum. Veruntamen non hanc quam Celso, sed quam rogaui eleg. 4. mihi præsta operam. Deportatos mortuorum loco habendos ait Vlpianus, & interire hominem maxima, & media capitis diminutione æquè atque morte.



ELEGIA VNDECIMA.

Ad Flaccum.

CIBI FASTIDIVM. INSOMNIA. PALLOR. MACIES.

ARGVMENTVM.

NVLLVM sibi esse morbum, præter ἀνορεξίαν. Nec cœlo, terra, mari quidquam adeo delicatum posse reperiri, quod in cibum apperat, etiam si ambrosia, & nectar sibi apponantur: non quia deliciarum tantopere sit appetens, quibus loca illa prorsus careant. Vexari se insomnia, emarcuisse, coloremq; & aspectum pristinum perdidisse, & pallere instar ceræ. Quæ omnia non ingurgitatio vini, non epularum intemperantia, non Venus, sed aqua vitiosa, loci grauitas, angores animi sibi creauerint: quibus vtriq; succumberet, nisi ipsius, & fratris eius solatiis sustentaretur. Hortatur eosdem ad constantiam in hoc officio, & ad diis supplicandum, quò Cæsar mitescat.

Naso suo profugus mittit tibi Flacce salutem,
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.
Nec dolor vllus adest, nec febribus vror anhelis,
Et peragit soliti vena tenoris iter.
Os hebes est, positaque mouent fastidia mensa,
Et queror, inuisi cùm venit hora cibi.
Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aër:
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
Nectar & ambrosiam, latices epulasque deorum
Det mihi formosa grata Iuuenta manu:
Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum,
Stabit & in stomacho pondus inerte diu.
Hæc ego non ausim, cùm sint verissima, cuiquam
Scribere, delicias ne mala nostra vocet.
Scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam possit vt esse locus.

Delicias illi precor has contingere, si quis,
Ne mihi sit leuior Cæsaris ira, timet.
Is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus
Non alit officio corpus inane suo,
Sed vigilo, vigilantque mei sine fine dolores:
Quorum materiam dat locus ipse mihi.
Vix igitur possis visos agnoscere vultus:
Quoque ierit, quæras, qui fuit antè, color.
Paruus in exiles succus mihi peruenit artus,
Membráque sunt cera pallidiora noua.
Non hæc immodico contraxi damna Lyæo:
Scis, mihi quàm solæ pæne bibantur aquæ.
Non epulis oneror: quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.
Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas:
Non solet in mœstos illa venire toros.
Vnda, locusq́, nocent, & caussa valentior istis
Anxietas animi, quæ mihi semper adest.
Hanc nisi tu pariter simili cum fratre leuares,
Vix mens tristitiæ mœsta tulisset onus.
Vos estis fractæ tellus non dura faselo:
Quamq́, negant multi, vos mihi fertis opem.
Ferte precor semper, quia semper egebimus illa,
Cæsaris offensum dum mihi numen erit.
Qui meritam nobis minuat, non finiat, iram,
Suppliciter vestros quisque rogate deos.

COMMENTARIVS.

NASO SVO] Veteres sic præscribebant epistolis. Cic. M Tull. Cic. Metello S. Et. S.D. Et. S.P.D. Adiiciebant dignitatum voces vtrinque. Si scriberent amicis, propinquis, familiaribus, addebant, suis. Tandem, ac si omnes haberent in coniunctiss. & familiariss. hoc pronominis omnibus pæne epistolis adiunxerunt æuo Plinij, Quintiliani, Martialis, qui huic rei testimonium dicit lib. 14.

Seu leuiter noto, seu claro missa sodali
Omnes ista solet charta vocare suos.

PROFVGVS] Verbo istoc pro exule iam aliquoties vsus est. Virgil. 1. Aeneid. *fato profugus.* Sic Liuius principio lib. 1. Aeneam ab simili clade domo profugum, &c.

MITTERE REM SI QVIS, &c.] Mittere qui- A dem non potest, sed optare potest. Itaque ex ambiguitate vocis *mittere*, occasionem argutandi sumit. Phœdra Hippolyto.

Quæ, nisi tu dederis, caritura est ipsa salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.

Eleg. 3. lib. 3. Trist.

Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod tibi qui mittit, non habet ille. vale.

LONGVS ENIM CVRIS, &c.] Ratio cur careat salute, quam ipsi mittit. Quia corpore toto langueat, idque iam pridem: quem languorem amaræ curæ, animi scilicet cruciamenta, induxerint.

NEC DOLOR VLLVS ADEST] membrorum puta. Nec pes, nec caput, nec alia pars corporis dolet.

Nae febrivs vror anhalis] Febrim sic definit Auicenna. Est calor extraneus, accensus in corde, procedens ab eo, mediantibus spiritu, & sanguine, per arterias, & venas in totum corpus. Essentia igitur febris est calor præter naturam, & illius propria sedes cor. Nisi enim ingens, & immoderatus ille calor in corde, ceu radice sua succendatur, febris dici non potest. Alioqui profectus ab immodica exercitatione, & labore, aut ira febris appellaretur. Complura febrium genera describuntur à medicia. Post ignẽ ætheria domo à Prometheo subductũ maciem, & nouam febrium cohortem terris incubuisse canit Horat. lib. 1. Ode 3. Febri templum in palatio publicè dicatum esse narrat Plinius libro 2. cap. 7.

Paraoit soliti vana ten. it.] Pulsus venarum sibi constat.

Os habat] stupet palatum, & gustatum amisi.

Positaeqva movent fastid. mensae] mensæ primæ, mensæ secundæ pro primo missu ferculorum, & pro bellariis. Veterum enim, vt notat Seruius ad Virgil. prima fuit mensa carnium, altera pomorum, & fructuum, seu bellariorum. Principio autem ipsa mensa siue oblonga, siue, vt postea, rotunda inter conuiuas media apponebatur cum ipsis ferculis. Vnde Varro dictam putat mensam quasi *μέσαν* mediam. Seruius in illud 1. Aen. *Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.* Quia apud antiquos, inquit, mensas ipsas apponebant pro discis.

Qveror invisi. c. vsn. hora cibi] crucior, quoties stata hora accumbendum est. Odi cibum. Inuisum est odiosum, abominandum. Virgil. 1. Aeneid. *Et genus inuisum.*

Qvod mara, qvod tellvs, &c.] Tria elementa nominat, in quibus ad esum apta inueniuntur. In aëre volucres: in terra animantea cicures, & feræ, item herbæ: in mari, & fluminibus pisces. In singulis autem generibus alia aliis exquisitiora, & sumptuosiora. Sallustius in Catilin. mores Romanorum ex optimis pessimos factos describens, vescendi caussa terra marique omnia exquirere. Similiter ep. 89. Romanorum in recibaria luxum insectans, ad vos, inquit, deinde transeo, quorum profunda, & insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alij retium variis generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus nisi ex fastidio pax est. Infælices, quod non intelligitis, vos maiorem famem habere, quam ventrem.

Qvod nobis asvriatva] quod à me appetatur.

Nactar, et amb. lat. apvl. daorvm] Potus deorum est nectar, cibus ambrosia, & in vtroq; Inest immortalitatis significatio. Nescio quis. *Iupiter ambrosia satur est, & nectare viuit.* Quidam poëtæ posteriores, vt est apud Athenæum A lib. 2. nectar cibum, ambrosiam potum fecerunt. Vide prouerb. ambrosia alendus. Latices, epulasque *ἀμβρόσιον* est. De re vehementer suaui, aut quouis honore digna, nectar spirat, aut nectar, & ambrosiam redolet. Iunius.

Det mihi formosa. g. Ivvant. manv] Heben, quam Latini Iuuentatem vocant, Iunonis filiam, & Iuuentutis deam à Ione poculis sibi ministrandis præfectam fabulantur, cui postmodum Ganymedes successit. Hæc Herculi certaminibus perfuncto, cum in cælum ascendisset, vxor data est. Natal. Comes lib. 2. cap. 5. Cic. 1 Tuscul. Nó enim ambrosia deos, aut nectare, aut Iuuentate pocula ministrante lætari arbitror. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à diis B raptum ait propter formam, vt Ioui pocula ministraret. 10. Metamorph.

Arripit Iliaden, qui nunc quoq; pocula miscet
Inuitaq; Ioui nectar Iunone ministrat.

Iuuenta proprie est lanugo, & prima, seu erumpens barba, & prima adolescentia, *ἥβη.* Iuuentas dea iuuentutis, Græcis *Ἥβη.* Iuuentus, & iuuenilis ætas, & multitudo iuuenum. Interdum tamen & iuuentus, & iuuenta deam significant De priore habes locum præsentem. De altero cibi auctorem Liuium. Iuuentutis ædem in circo maximo.

Non tamen axacvat, &c.] Sapor ille, quantumuis irritatiuus, non irritabit palatum, menum, vsque adeo obtorpuit.

C Stabit et in stomacho pond. &c.] & stomachi auersio, ac velut pigritia manebit. Vocem stomachus pro ventriculo, & eius orificio accipimus, quomodo interdum à medicis & vulgo semper accipitur, & abstrusiora significata omittimus. De stomacho doctè, & fusè disputat epist. 1. lib. 4. Cælius Calcagnnus.

Dalicias na mala. n. vocat] neme putet delicijs quibusdam singularibus frui.

Scilicat ia status ast, &c.] Per ironiam. Eo statu sum, & eo loco viuo, vt in nullo minus possim deliciosè viuere.

Dalicias illi prscor has, &c.] Qui mihi non credit, nec optat me in alium locum mitiorem lenito Cæsare transferri, vtinam ipse D degat in talibus deliciis.

Is qvoqva qvi gracili, &c.] Etiam is somnus, qui corpori meo tam extenuató, & macilento pro cibo, ac nutrimento est, dum quid quid tandem cibi capitur, optime digerit, ac conficit.

Non alit off. corp. inana svo] somnus non me alit, quia corpus ieiunum, & inane reperit, cum propter incredibile fastidium nihil esitem, & ita dormire nequeam. Somnus enim generatur ex benigna quadam, vtiliq; cibi exhalatione sursum lata, cerebrum imbuente, & aggrauante.

Sed vioilo, vioilantqva mai, &c.] Eleg. 2.

At puto cum requies medicinaq; publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis,
Somnia me terrent, veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas,
Aut dare captiuas in fera vincla manus.

QVORVM HAV. D. LOCVS IPSE MIHI] Eleg.8.lib.5.Trist.

Siue locum specto, locus est inamabilis, & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest.

Eleg.2.huius.

Adde loci faciem, nec fronde, nec arbore tecti,
Et quod iners hyemi continuatur hyems.
Hic me pugnantem cum frigore cumq; sagittis,
Cumq; meo fato quarta fatigat hyems.

VIX IGIT. POSS. VIS. AONOS. VVLVVS] Ita mutatus est vultus meus, totumq; corpus, vt si videas, non eundem esse agnoscas, quem Romæ videris. Illud.2.Aeneid, *Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore. &c.* de vultu, & toto capite dictum est, vt apertum fit ex sequentibus.

QVI FVIV ANTE COLOR] Bonæ valetudinis index bonus color: Eleg.6.lib.4.Tristib. *Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat.*

PARVVS IN EXIL. SVCOVS, &c.] Ibidem. *Vix habeo tenuem qua tegat ossa cutem.* Propert. lib.2. eleg.22. *Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus.* Plaut. Aulular. *Qui ossa atq; pellis totus est, ita cura macet.*

CERA PALLIDIORA NOVA] Non potuit summum pallorem significātius exprimere. Admodum etiam ἐμφατικῶς Catullus ad Iuuentium.

Præter quam iste tuus moribunda in sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua.

In quem locum ita politissimus noster Muretus. Aurū suapte natura pallidum est: cuius rei caussam rogatum Diogenem, respondisse ferunt, non iniuria pallere, cum tam multos habeat insidiatores.

IMMODICO LYAEO] Eleg.6. *Nec iuuat in lucem nimio marcescere vino.* Vda Lyæo tempora dixit Horatius Ode 7.lib.1. Lyæus dictus est Bacchus à λύειν soluere. Vinum quippe largius haustum, curas dissipat, & lætos facit. Id quod odario quodam ebriosus poëta Anacreon confirmat.

Ὅταν πίνω τὸν οἶνον, *Cum dulce bibo vinum,*
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι. *Tunc curæ dormiunt omnes, &c.*

Obesse tamen plurimum ingurgitationem vini, & corrumpere valetudinem certo certius est. Inde item obliuio, ingenij hebetudo, libidinis ardores, & quę enumerantur à Salomone Prouerb. 23. Et à Clemente Alexandrino Pædagogi lib.2. cap.2. Vino immodico lingua præpeditur, labra soluuntur, oculi detorquentur ac diuertuntur cum præ humoris multitudine tanquam in piscina latitent; & mentiri coacti, existimant omnia quidem in orbem circumagi, numerare autem non possunt quæ procul sunt; tanquam sint vnica, &c.

QVAM SOLAE. P. BIBANT. AQVAE] Vinum
A bibere consueui Romæ dilutissimum; Ad illud quippe tempus respicitur. Hoc enim illum in Scythia facere, Flaccus scire non poterat. Quin vinum quod biberet, illic nullum suppetebat. Itaq; morem suum indicat, quem in exilio quoque aut seruare pergat, si quis ei forte aliunde importatum vinum donauerit: aut seruare velit, si habeat. Aqua vino infusa Catullo est vini pernicies, solito meracissimum bibere.

NON EPVLIS ONEROR] non fio saturitate ebrius, vt ait in Capt. parasitus. Tantum cibi assumendum, vt ventriculus non grauetur. Vbi enim plus æquo ingeritur, morbus sequitur. Et prodest, nunquam ad satietatem, sæpius infra illam edere. Sic namque melior fit concoctio, &
B excrementorum minus generatur. Qui porrò largius se cibo inuitarit, longa inedia, somno, quiete, vomitu, lenta in posterum diem ambulatione tanta se mole leuare, cruditatemque depellere poterit. De victu frugali, & cibis parum exquisitis, prouerb. Laconicè cœnare, de quo vide Iun. Quibus vocibus Comici Græci ventri & gulæ deditos appellarint, vide Bernard. Martini lib.2. cap.3. Latini veteres appellabant mandones, comedones, edones, phagones (à græco verbo) lurcones, ventres. Victorinus libro 16. capite 9.

NEC VIRES ADIMIT VENERIS DAMNOSA VOLVPTAS] Qui sacris istis frequentius operantur, præter alia, & multa incommoda insi-
C gnem corporis debilitatem, & maciem incurrunt. Auicennæ sententia est, nullam esse similem euacuationem huic venereæ. Cui consentanea scribit Clemens Alexandrinus libro 2. capite 10. Democritus τὴν συνουσίαν dixit esse μικρὰν τινα ἐπιληψίαν paruum quendam morbum comitialem.

NON SOLET IN MOESTOS ILLA VENIRE TOROS] φιλομμειδὴς Venus Homero crebrius, amans risus. Quod ita expressit Horatius Ode 2. lib.1.

Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circum volat, & Cupido.

Nec risus modò Veneris sodalis est: sed etiam cratera, vinum scilicet, vt ait Horat. Ode 18.lib.3.
D iocus, verbosa loquela, &c. Vbi talia non sunt, ibi friget.

VNDA, LOCVSQVE NOCENT] De loco suprà dixit. Item de vtroque elegia 5. lib.3. Tristium. *Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ.* Et elegia 9. *Nec cœlum patior, nec aquis assueuimus istis.*

CAVSSA VALENTIOR ESVIS ANXIETAS ANIMI] Quoniam, vt in sacris litteris est, *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.* Prouerb.17. Plus ergo continuus mœror corpori, quam aliud quiduis incommodat. Elegia 5.

Confiteor facere hoc annos; sed & altera caussa est,
Anxietas animi, continuusq; labor.

Qvae mihi semper adest] dies, & noctes. Eleg. 2. lib. 5. Trist.

Mens tamen agra iacet, nec tempore robora sumpsit,
Affectusq; animi qui fuit ante manet.
Quaq; mora, spatioq; suo coitura putaui
Vulnera, non aliter quam modo facta dolent.

Simili cum fratre] æque mei cupido, & humano, vt tu es.

Vix mens trist. n. tulis s. onus] Velut sub graui onere procubuissem, & confectus essem mœstitudine. Sed litteræ vestræ solatio mihi fuerunt. Medicinam animi sapientem esse orationem in confesso est, & multi nostrûm sunt experti.

Fractae tellus non dura phaselo] commodus portus carinæ meæ fluctibus conquassatæ. Allegoria est. Quod genus nauigij A phalelus, continuatur Baynus de re nauali, & Gyraldus.

Qvamqve negant multi] multi, qui pro amicitia caussam meam agere deberent. Sed, *nullus ad amissas ibit amicus opes.* eleg 8. lib. 1. Trist.

Ferte precor semper, &c.] Ne quæso desinite, quamdiu Cæsarem offensum habebo, me opera, consilio, & solatio adiuuare.

Qvi meritam nob. min.] Et quisq; vestrûm, qui manetis in officio, deos vestros peculiares rogate, efficiant, vti Cæsar me dignetur mitiore exilio. Ita enim eius iram, quamuis non finitam, imminutam tamen intelligam.

Finis Libri Primi.



IN LIBRVM DE PONTO II.

EPISTOLA SEV ELEGIA I.

Ad Germanicum.

LAETITIA TRIVMPHALIS.

ARGVMENTVM.

Trivmphvm ducendum de subacta à Tiberio Germania, disertissimè descripsit eleg. 2. lib. 4. Trist. Nunc de eo quem idem Tiberius egit de Illyrico perdomito, mirifice exultat, de quo bello Sueton. cap. 16. De triumpho autem cap. 20. Hoc fœlicissimo nuntio exilij sui locum tolerabiliorem sibi factum, tandemq́ue respirasse à molestiis. Nec Cæsarem sibi hanc voluptatem inuisurum, quo vel nolente lætaturus sit: id quam iustè faciat, similitudine declarat. Famæ gratias agit, & quid ea vulgante cognouerit, sigillatim exponit. Et quoniam Cæsar hostium ducibus ignouerit, sibi quoque mitiorem fore confidit. Germanicum appellans, capta oppida ei gratulatur, longam ætatem optat, eidemq́ue triumphum vaticinatur; quem, nisi antè à Scythis, aut Getis perimatur, versibus cantaturum recipit.

Huc quoque Cæsarei peruenit fama triumphi,
Languida quò fessi vix venit aura Noti.

Nil fore dulce mihi Scythica regione putaui:
Iam minus hic odio est, quam fuit antè, locus.
Tandem aliquod pulsa curarum nube serenum
Vidi, fortunæ verba dedíque meæ.
Nolit vt vlla mihi contingere gaudia Cæsar,
Velle potest cuiuis hæc tamen vna dari.
Dij quoque vt à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.
Denique, quod certus furor est audere fateri,
Hac ego lætitia, si vetet ipse, fruar.
Iuppiter vtilibus quoties rigat imbribus agros,
Mista tenax segeti crescere lappa solet.
Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
Numen, & inuita sæpe iuuamur ope.
Gaudia Cæsareæ mentis pro parte virili
Sunt mea, priuati nil habet illa domus.
Gratia Fama tibi, per quam spectata triumphi
Incluso mediis est mihi pompa Getis.
Indice te didici, nuper visenda coisse
Innumeras gentes ad ducis ora sui.
Quæque capit latis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.
Tu mihi narrasti, cùm multis lucibus antè
Fuderit assiduas nubibus Auster aquas;
Numine cælesti solem fulsisse serenum,
Cum populi vultu conueniente die.
Atque ita victorem cum magnæ vocis honore
Bellica laudatis dona dedisse viris.
Claráque sumpturum pictas insignia vestes,
Thura prius sanctis imposuisse focis.
Iustitiáque sui castos placasse parentes,
Illo quo templum pectore semper habet.
Quáque ierit, felix adiectum plausibus omen,
Saxáque iactatis erubuisse rosis.
Protinus argento veros imitantia muros,
Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminàque, & montes, & in altas proflua siluas,
Armáque cum telis in strue iuncta suis.
Déque triumphorum, quod sol incenderat, auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.

Totq; tulisse duces captiuis addita collis
Vincula, pæne hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam, veniamqúe tulère,
In quibus & belli summa, caputqúe fuit.
Cur ego posse negem minui mihi Cæsaris iram,
Cùm videam mites hostibus esse Deos?
Pertulit huc idem nobis Germanice rumor,
Oppida sub titulo nominis esse tui.
Atque ea te contra nec muri mole, nec armis,
Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
Dij tibi dent annos, à te nam cætera sumes,
Sint modò virtuti tempora longa tuæ.
Quod precor, eueniet: sunt quædam oracula vatum:
Nam Deus optanti prospera signa dedit.
Te quoque victorem Tarpeias scandere in arces
Læta coronatis Roma videbit equis.
Maturosqúe pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens, quæ dedit antè suis.
Jam nunc hæc à me, iuuenum belloque togáque
Maxime, dicta tibi vaticinante nota.
Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum,
Sufficiat nostris si modò vita malis.
Jmbuero Scythicas si non prius ipse sagittas,
Abstuleritqúe ferox hoc caput ense Getes.
Quòd si me saluo dabitur tua laurea templis,
Omnia bis dices vera fuisse mea.

COMMENTARIVS.

HVC QVOQVE PERVEN. F. TRIVMPHI] ἐμφατικῶς, in regionem tam longinquam, in mundi oram extimam, & extremum angulum. Quis crederet? Talem nuntium optat Trist. 3. eleg. 12.

Is precor auditos possit narrare triumphos
Cæsaris, & Latio reddita vota Ioui.
Teq; rebellatrix tandem Germania magnò
Triste caput pedibus supposuisse ducis.
Hæc mihi qui referet, quæ non vidisse dolebo,
Ille mea domui protinùs hospes erit.

LANGVID. Q. FESSI VIX. V. A. NOTI] Quasi Notus à meridie versus septentrionem spirans, tardus præ fama ista fuerit. Nec mirum, cursum habet longissimũ, & ideo languidus venit. Eleg. 6. lib. 1. *Quò Boreas penna deficiente venit.* Eleg. 10. li. 4.

A

At Notus aduerso tepidus qui spirat ab axe,
Et procul, & rarus, languidiorq; venit.

NIL FORE DVLCE MIHI SCYTH. &c.] In tantis malis, & loco tam infesto spem omnem alicuius voluptatis potiundæ amiseram.

IAM MIN. EST ODIO] Non quidem libenter hic iam dego: sed minus illibenter. Præ gaudio enim de triumpho iam mala mea minus sentio.

PVLSA CVRARVM NVBE] quę animum meum velut terræ nubes operiebant. Elegia 3. lib. 1. Tristib. *Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit.* Bene autem curæ animi nubes, quia & serenus animus, & serenitas animi, vtrumque ductum à cælo. Vide annotata in eum locum.

FORTVNAE VERBA DEDI Q. MEAE] Trist.

lib. 5.

lib. 5. eleg. 8. *Experior curis & dare verba meis.* Posthabui fortunam meam. Seu, decepi cogitationes miseriarum mearum, subita lætitia gestiens.

NOLIT VT ILLA MIHI CONTING. &c.] Rescribe, *ista*, aut, *vlla* pro *illa*. Ex hypothesi. Si Cæsar adeo exacerbatus est in me, vt nullum planè gaudium me gaudere velit.

VELLE. P. CVIVIS HÆC. T. V. DARI] tamen non est cur cuiquam mortalium hoc vnum gaudium inuideat. Mox similitudinem adhibet.

DII QVOQVE VT A CVNCT. &c.] Ipsi dij festis suis neminem volunt esse tristem, quò hilarius colantur ab omnibus. Sic Cæsar in triumpho suo debet velle omnes lætari, neminem tristari.

B QVOD CERT. FVR. EST AVD. FATERI] Videtur furere, qui hoc de se fatetur, quod sequitur: nempe, etiam inuito Cæsare se lætitiam agitaturū. Quomodo enim credibile est, quenquam ausurum, quod huic Ioui non placeat? Sed quo pacto hoc facturus sit, iam ostendet, lappæ se assimilans.

IVPITER VTILIB. Q. RIG. IMB. AGROS] Iupiter μυθολογικῶς est aër. Ex aëre, coactis nubibus imbres decidunt. Virgil. 2. Georg. de verna tempestate,

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

C TENAX LAPPA] De lappa, & aliis herbis inutilibus, ac segetibus noxiis eundem audiamus. Georg. 1.

Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Esset rubigo, segnisque horreret in aruis
Carduus. Intereunt fruges, subit aspera sylua,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

NOS QVOQVE FRVGIFERVM, &c.] Sicut herba inutilis crescit beneficio imbris, & solis simul cum vtilibus: ita ego exul, & contemptus gaudeo cum pop. Rom. & honoratis, ac nobilibus.

INVITA OPE] quæ affertur à nolentibus, & ἀκαὶ συμβεβηκός.

D GAVDIA CÆS. SVNT MEA] Quod Cæsar gaudet, in eo gaudio ego quoque mihi partem, portionemque vendico, pro capacitate, & modulo meo.

PRIVATI NIL HAB. ISTA DOM.] Cæsar est communis omnium, ideo de fælicitate eius lætandum omnibus, non his, aut illis tantùm. Eleg. 4. lib. 4. Trist.

Ipse pater patriæ (quid enim ciuilius illo?)
Sustinet in nostro carmine sæpe legi.
Nec prohibere potest, quia res est publica Cæsar,
Et de communi pars quoque nostra bone est.

GRATIA FAMA TIBI, PER QVAM, &c.] Sic mihi narrata est pompa triumphi, vt quanquam circumdatus Getis, Romæ coram interfuisse, & spectasse mihi videar.

INNVMERAS GENTES] quæ ob id Romam confluxerunt. Totum pro parte, ex omnibus gentibus aliqui.

QVÆQVE CAPIT VAST. IMMENS. &c.] De magnitudine & ambitu vrbis Romæ fusè Lipsius in Admirand. lib. 3. cap. 2. Æuo suo tantam fuisse Romam prodidit litteris Aristides, qui vixit sub Adriano Aug. vt in quacunque parte quis consisteret, nihil impediret eum & in media esse. Multitudinē habitantium, & orbem quem eam sua vastitate cepisse ait Ouid. intelligere debemus de peregrinis, ex toto orbe in eam confluentibus, aliis sui, aliis publici, aliis priuati caussa negotij, multis etiam mansionis. Quare iis semper referta fuit, cum hi inirent, illi exirent, ipsaque vt mare admitteret, emitteret, nec cresceret, minueretur ve. Ob hanc causam Aristides dixit, esse velut commune totius terræ oppidum; & Athenæus lib. 1. Romanos dicit orbis populum, ipsamque vrbem orbis compendium, & epitomen, & vrbem vrbium, in qua sint omnes vrbes collocatæ, & totæ nationes simul, & confertim habitent. Hæc, & plura leges in Admirandis cap. 3. eiusd. lib. 3.

CVM MVLT. LVCIB. ANTE FVD. &c.] Tibull. lib. 3. eleg. 6. *Venit post multos vna serena dies.* Et lib. 1. eleg. 1. *Aut gelidas hybernum aquas cum fuderit Auster.*

NVM. COELEST. SOL. FVLSISSE SEREN.] Diuino nutu redditam cælo, multis diebus pluuio, summam serenitatem.

CVM POP. VVLTV CONVEN. DIE] sic, vt aspectus cæli serenissimus, & iucūdissimus cum hilarissimia populi vultibus congrueret, & quasi conspiraret. Sic. 1. Fast.

Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

CVM MAGNÆ VOCIS HONORE] laudabat enim imperator victores milites.

BELLICA LAVDAT. D. DED. VIRIS] donatiuum dedisse militibus, siue congiarium. Donatiua erant commoda, quæ militibus distribuebantur vltra stipendia, ex mera liberalitate, & quidem diuersas ob caussas, quales erant victoriæ, adoptiones, vel inaugurationes Cæsarum. Plura Steuechius ad cap. 20. lib. 2. Vegetij. Congiarium populo dabatur: etsi nonnunquam pro donatiuo ponitur. Licet item bellicorum donorum vocabulo accipere torques, phaleras, hastas puras, armillas, &c.

PICTAS INSIGNIA VESTES] pictas vestes clara insignia induturum. Appositio est, vt a. Metam. *Duxit ad hos iuuenem Vulcania munera currus.* Ad currus, qui erant Vulcania munera. Quanquam præter vestem purpuream auro intertextam, & alia insignia gestaret, lauream, & ramum vna manu, altera sceptrum eburneum, &c.

THVRA PRIVS. S. IMPOSVISSE FOCIS] *Aris imponat honorem*, dixit Maro lib. 1. Æneid. prius sacrificasse.

IVSTITIAQVE SVI. C. PLACASSE PAR.] Parentes Tiberij Augustua (per adoptionem) & Liuia. Hos placauit, non quidem thure, sed iustitia sua in eo templo, quod in pectore suo semper habet, seu illo pectore, quod iustitia tanquam templum suum semper incolit. Sic infrà dicit Augustum nuper Iustitiæ templum exædificasse, quam pridem in æde mentis suæ collocauerit. Recordare hinc similiter, & apte locutum Apostolum, cum scripsit Christianos dei templum esse, in quibus spiritus sanctus habitet. 1. Cor. 3.

QVAQVE IERIT. F. ADIECT. P. OMEN] per vias quas incesserit, plausum esse datum, cù vocibus bene ominantibus, iô triumphe, &c.

SAXAQVE IACTAT. ERVBVISSE ROSIS] vias rosis rubentibus constratas fuisse. Eleg. 2. lib. 4. Trist.

Quaeq; ibis manibus circumplaudere tuorum,
Vndiq; iactato flore tegente vias.

ARGENTO VER. IMIT. MVROS OPPIDA, &c.] Captorum de hostibus oppidorum simulacra ex argento in triumpho præportabantur, & captiui ante currum triumphalem agebantur.

FLVMINAQVE, ET MONTES, &c.] De his lege eleg. 2. lib. 4. Trist. & quæ in eam à me scripta sunt. Claudian.

Hi famulos traherent reges, hi facta metallo
Oppida, vel montes, captiuaq; flumina ferrent.

DEQVE TROPHÆORVM] trophæum dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, à conuersione hostis, & fuga. Nam ab eo quod quia hostem fugasset, merebatur trophæum. Isid. lib. 18. Grammatici definiunt monumentum victoriæ, constitutum, & erectum in loco, quo hostes fundi, & in fugam verti cœperunt. Vide Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 22. cum Tiraquello. Describitur à Virgil. principio lib. 11. Hic arma barbarorum ducum à perticis suspensa intelligi oportet.

QVOD SOL INCENDERAT AVRO, &c.] Tecta resplenduisse ab aureis trophæis, recta inquam fori Romani, per quod pompa ducebatur. Geminus huic locus est in 1. Machab. cap. 6. de clypeis Syrorū. *Et vt refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.*

TOT TVL. DVCES CAPT. VINCVLA COLLIS] In Trist. lib. eleg. 2. lib. 4.

Vinclaq; captiua reges ceruice ferentes,
Ante coronatos ire videbit equos.

Albinouanus.

Aspiciam regum lucentia colla catenis,
Duraq; per fæuas vincula nexa manum.

Dionysius in triumpho T. Quinctij Ciucinnati, ducem hostium, aliosque illustrium catenis vinctos ante se egit.

A PÆNE HOSTES. Q. SATIS ESSE FVIT] serui appellati sunt, ait Pompon. Iureconsulto. quod Imperatores nostri captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent. Et vetus ac militare prouerbium, tot serui quot hostes; quo allusisse Ouidium probabile fit. Tot tamque multi duces facti sunt serui hac victoria, quot hostes si fuissent, propemodum satis fuissent.

VITAM VENIAMQVE TVLERE] duplex gratia.

IN QVIBVS ET BELLI SVMMA] qui tamen belli promi condi fuerunt.

CVR EGO POSSE NEGEM, &c.] Argumentum à minore ad maius. Si Cæsar mitis est in hostes, quanto magis erit in me non hostem,
B quod in Trist. lib. gloriatur. *Sana deorientra non tamen arma tuli.*

GERMANICE] Germanicus Drusi, fratris Tiberij naturâ filius, Liuiæ nepos, ab eodem Tiberio est adoptatus. Sueton. Tiberio cap. 15. Calo, & Lucio intra biennium defunctis, adoptatur à Tiberio: coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. De hoc multa præclarissima idem historicus in Caligula, primis capitibus. Tacit. lib. 1. Annal. At hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenū legionibus imposuit, adscirique per adoptionem à Tiberio iussit, quanquam esset in domo Tiberij filius iuuenis: sed quò pluribus munimentis insisteret. Hunc appellat, & se oppida in Germanica expe-
C ditione ab eo occupata audiuisse scribit.

OPPIDA SVB TITVLO] Oppidum ab ope danda. Errant qui tantum de paruis vrbibus, seu vrbeculis dici putant. Seruius Sulpit. ad Ciceron. ep. 5. lib. 4. Ex Asia rediens cum ab AEgina Megaram versus nauigarem, cœpi regiones circum circa prospicere. Post me erat AEgina, ante Megara, dextra Piræeus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt. Terent. And. de Athenis. *Quem ego iam nunc credo tate me oppido exanimatum quærere.* Ibid. *Inueniet aliquam caussam, quamobrem eam eiiciat oppido.* Cæsar item Alexandriam, Cic. in epist. Antiochiam, totius orientis duas maximas vrbes oppida vocauerunt.

D NEC MVRI MOLE. N. ARM. NEC ING. LOCI] Tribus modis vrbs se tuetur. Vel murorum firmitate, & aggeribus. Vel milite è muris pugnante, aut in hostem erumpente. Vel natura ipsa loci: vt si in montibus, locisue præruptis & impeditis sita sit, vel aquis cincta. Eleg. 7. lib. 4. *Sensit in ingenio nil opis esse loci.* Vrbs AEgyptus. 1. Trist. 11. *tumulus defenditur ipse Mœnibus exiguis, ingenioque loci.* Vtrobique plura de vsu vocis *ingenium* allata sunt.

DII TIBI DENT ANNOS] Vsitatum hoc precandi genus. Quis enim non cupiat diu viuere? Nescio quis sapiens, interrogatus, cur tam diu vellet esse in vita, quia, inquit, nihil habeo cur accusem senectutem.

A TE NAM CÆTERA SVMES] Cicero 5. Tuscul. ex epitaphio Platonis. Nam cui viro ex seipso apta sunt omnia, quæ ad beate viuendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu, aut contrario, pendere ex alterius euentis, & errore coguntur, huic optime viuendi ratio comparata est. Vide sapientem Stoicum descriptum ab Horatio sat 7. lib. 2. *Quisnam igitur liber? sapiens, sibiq; imperiosus. &c.* Et 2. Parad. qui est totus aptus ex sese, quiq; in se vno sua ponit omnia. Lege Bernard. Martini, Variar. lib. 2. cap. 4.

A

SINT MODO. V. TEMP. L. TVÆ] nam hoc in tua potestate non est. Non potes hoc à te ipso sumere.

QVOD PRECOR, EVENIET] diu viues.

SVNT QVÆD. ORACVLA VATVM] Habent poëtæ præsensionem futurorum. Quam nisi haberent, non potuisset Ouid. tam fidenter dicere Germanico, *quod precor eueniet.*

B

NAM DEVS OPTANT. P. SIGNA DED.] quamuis poëtæ futura præsentiant, ac prædicant, tamen vaticinium hoc de vita Germanici diuturniore signo cuidam diuino, à se animaduerso tribuit, quod quale fuerit, tacet.

VICT. TARPEIAS SCAND. IN ARCES] Eleg. 2. lib. 4. Trist. *Inde petes arcem, & delubra fauentia votis.* 1. Fast. *Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces.* Capitolium puta, situm in monte Tarpeio, cui hoc nominis inditum siue à duce Romuli Tarpeio, vt vult Propertius eleg. 4. lib. 4. siue à Tarpeia virgine proditrice, de qua Liuius lib. 1.

CORONATIS EQVIS] Quatuor equi albi currum triumphalem trahentes, etiam lauro coronabantur.

PATER NATI SPECTAB. HON.] Tiberius Germanici.

GAVD. PERCIP. Q. DED. A. SVIS] cum ipse triumpharet de Illyrico, de quo triumpho hactenus egit.

BELLOQVE, TOGAQVE MAXIME] pacis, & belli artibus clarissime. Martial. lib. 1. *Clarum militia, Fronto, togaq; decus.* Cic. in Pison. toga pacis est insigne. Idem pro M. Marcello, semperque mea consilia pacis. & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Domi duelliique dixit Plaut. domi militiæque notum est.

A M. D. VATICIN. NOTA] manda memoriæ hoc meum vaticinium.

SVFFICIAT. N. SI. M. VITA MAL.] si modo calamitas mea eousque vitam producere me sinat.

IMBVERO SCYTH. SI NON, &c.] si me non antè Scytha arcu, aut Getes ense confecerit. Ad sanguinem, & gladios accommodauit hoc verbum Cicero quoque pro Milone. nūc eadem via Appia quantas tragœdias excitat, postea quā latronis illius (Clodij) & patricidæ sanguine imbuta est? Et 14. Philipp. imbuti sanguine gladij militum nostrorum, vel madefacti potius. Virgil. ad aram, eclog. 1. *illius aram sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.*

DABITVR TVA LAVREA TEMPLIS] In illa eleg. sæpius iam citata. *Et dabitur merito laurea vota Iovi.* Quo de ritu ibid. ni fallor.

OMNIA BIS. D. VERA. F. MEA] de triumpho Tiberij, de quo eleg. 2. lib. 4. & de tuo, qui euenturus est. Nonius, monstra & ostenta similiter intelliguntur, quod imminentia monstrent, & ostendant: omen vero votum est mentis, & vocis. Vnde sacrificantibus dicitur, bona omina habere, id est, vt circumstantes & recta velint, & bona oribus proferant.

ELEGIA SECVNDA.

Ad Messalinum.

IMPLORATIO PATROCINII.

ARGVMENTVM.



Eipsum auersetur, quando nullum facinus improbum ediderit. Culpa insipientiæ, ac timoris sui se solum periisse. Messalinum, vt Iuliæ familiæ deditissimum iure sibi difficiliorem fuisse. Veruntamen ab se timeri non posse, quod

paradigmaticis similitudinibus planum facit. Ideo se tutum, quia miserrimus. Sequi fata sua, & non tuta etiam pro tutis habere, columbarum, & ceruorum exemplo. Flagitat eius opem apud Cæsarem, quò eidem salutem suam debeat. Eiusdem Messalini eloquentiam commendat, qua non ad defensionem, sed ad excusationem delicti sui, si videatur, eum vti cupit. Non enim expedire vulnus refricari. Quare simpliciter tolerabilius exilium pro Ouidio petat. Precum tempus opportunum adesse, fusius docet. Denuo patrocinium eius inuocat, & rem quamuis arduam à Cæsare viro humanissimo, lenissimoque impetratum iri sperat.

Ille domus vestræ primis venerator ab annis,
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti:
Mittit ab indomitis hanc Messaline salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.
Hei mihi, si lecto vultus tibi nomine non est
Qui fuit, & dubitas cætera perlegere?
Perlege, nec mecum pariter mea verba relega:
Vrbe licet vestra versibus esse meis.
Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sidera posse manu.
Nec nos Enceladi dementia castra secuti,
In rerum dominos mouimus arma deos.
Nec quod Tydidæ temeraria dextera fecit,
Numina sunt telis vlla petita meis.
Est mea culpa grauis, sed quæ me perdere solum
Ausa sit, & nullum maius adorsa nefas.
Néue roges quæ sit, stultam quam scripsimus artem,
Innocuas nobis non sinit esse manus.
Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari:
Hæc duo sunt animi nomina vera mei.
Esse quidem fateor, meritam post Cæsaris iram,
Difficilem precibus te quoque iure meis.
Quæque tua est pietas in totum nomen Iuli,
Te lædi, cùm quis læditur inde, putas.
Sed licet arma feras, & vulnera sæua mineris,
Non tamen efficies vt timeare mihi.
Puppis Achemeniden Graium Troiana recepit,
Profuit & Myso Pelias hasta duci.
CONFVGIT INTERDVM TEMPLI VIOLATOR AD ARAM,
NEC PETERE OFFENSI NVMINIS HORRET OPEM.

Dixerit hoc aliquis tutum non esse, fatemur:
Sed non per placidas it mea nauis aquas.
Tuta petant alij, fortuna miserrima nostra est:
Nam timor euentus deterioris abest.
Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
SAEPE CREAT MOLLES ASPERA SPINA ROSAS.
Qui rapitur spumante salo, sua brachia campi
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos fessa venire sinus.
Nec se vicino debitat committere tecto,
Quæ fugit infestos territa cerua canes.
Da precor accessum lachrymis mitissime nostris:
Nec rigidam timidis vocibus obde forem.
Verbaq; nostra fauens Romana ad numina perfer.
Non tibi Tarpeio culta tonante minus.
Mandatiq; mei legatus suscipe causam,
Nulla meo quamuis nomine causa bona est.
Iam prope depositus, certè iam frigidus ager,
Seruatus per te, si modò seruor, ero.
Nunc tua pro rebus nitatur gratia lapsis,
Principis æterni quam tibi præstat amor.
Nunc tibi & eloquij nitor ille domesticus adsit,
Quo poteras trepidis vtilis esse viris.
Viuit enim in vobis facundi lingua parentis:
Et res hæredem reperit illa suum.
Hanc ego non vt me defendere tentet, adoro:
Non est confessi causa tuenda rei.
Num tamen excuses erroris origine factum,
An nihil expediat tale mouere, vide.
Vulneris id genus est, quod cùm sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto.
Lingua sile: non est vltra curabile quicquam:
Posse velim cineres obruere ipse meos.
Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
Verba face, vt vita, quam dedit ipse, fruar.
Cumq; serenus erit, vultusq; remiserit illos,
Qui secum terras, imperiumq; mouent:
Exiguam ne me prædam sinat esse Getarum,
Detq; solum miseræ mite, precare, fugæ.

Tempus adeſt aptum precibus: valet ille, videtque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas.
Incolumis coniux ſua puluinaria ſeruat:
Promouet imperium filius Auſonium.
Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos:
Nec vigor eſt Druſi nobilitate minor.
Adde nurus, nepteſq; pias, caroſq; nepotes,
Cæteraq; Auguſtæ membra valere domus.
Adde triumphatos modò Pæonas: adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.
Nec dedignata eſt, abiectis Illyris armis,
Cæſareum famulo vertice ferre pedem.
Ille ſuper currum placido ſpectabilis ore
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.
Quem pia vobiſcum proles comitauit euntem,
Digna parente ſuo nominibuſq; datis.
Fratribus aſſimilis, quos proxima templa tenentes
Diuus ab excelſa Iulius æde videt.
His Meſſalinus, quibus omnia cedere debent,
Lætitiæ primum non negat eſſe locum.
Quicquid ab his ſupereſt, venit in certamen amoris;
Hac hominum nulli parte ſecundus erit.
Hanc colit ante diem, per quam decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.
Fœlices, quibus hos licuit ſpectare triumphos,
Et ducis ore deos æquiparante frui.
At mihi Sauromatæ pro Cæſaris ore videndi,
Terraq; pacis inops, vndaq; vincta gelu.
Si tamen hoc audis, & vox mea peruenit iſtuc,
Sit tua mutando gratia blanda loco.
Hoc pater ille tuus primo mihi cultus ab æuo,
Si quid habet ſenſus vmbra diſerta, petit.
Hoc petit & frater, quamuis fortaſſe veretur,
Seruandi noceat ne tibi cura mei.
Tota domus rogat hoc, nec tu potes ipſe negare,
Et nos in turba parte fuiſſe tua.
Ingenij certè, quo nos malè ſenſimus vſos,
Artibus exceptis, ſæpe probator eras.
Nec mea, ſi tantum peccata nouiſſima demas,
Eſſe poteſt domui vita pudenda tuæ.

Sic igitur vestra vigeant penetralia gentis:
Curaque sit superis, Cæsaribusque tui.
Mite, sed iratum merito mihi, numen adora,
Eximar vt Scythici de feritate loci:
DIFFICILE EST, FATEOR, SED TENDIT IN ARDVA VIRTVS:
Et talis meriti gratia maior erit.
Nec tamen Ætnæus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphatésue tuas:
Sed placidus, facilisq́; parens, veniæque paratus,
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui cùm triste aliquid statuit fit tristis & ipse:
Cuique ferè pœnam sumere, pœna sua est.
Victa tamen vitio est huius clementia nostro:
Venit & ad vires ira coacta suas.
Qui quoniam patria toto sumus orbe remoti,
Non licet ante ipsos procubuisse deos.
Quos colis, ad superos hæc fer mandata sacerdos:
Adde sed & proprias ad mea verba preces.
Si tamen hæc tentas, si non nocitura putabis:
Ignoscas: timeo naufragus omne fretum.

COMMENTARIVS.

DOMVS VEST. P. VENERAT. AB ANNIS] Eleg. 8. lib. 1. fuit huius elegiæ quasi [illegible] & [illegible] qua Messalini amicitiam ambibat, docebatque, se eius familiæ notum, & clientem iam pridem extitisse. Quod nunc item hoc primo verbo confitetur.

PVLSVS] Verbum hoc in exulibus vsurpatum crebrò reperias. Cic. 3. de leg. Thucydides scripsit libros suos, cum in exilium pulsus esset. Liuius lib. 1. casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes, & ducem, rege Pylemene ad Troiam amisso quærebant, &c. Virgil. 11. AEneid. *Pulsus ob inuidiam regno.*

AD EVXINI SINISTRA FRETI] Ad læuam maris huius Tomitas esse positos ait. Et 5. Trist. *Et Scythici vero terra sinistra freti.*

AB INDOMITIS GETIS] Eleg. 8. lib. 1.
Littera pro verbis tibi Messaline salutem,
Quam legis, à sæuis attulit vsq; Getis.

QVAM SOLIT. PRÆS. EST TIBI FERRE] Ibid. *Nempe salutaris quam prius ore minus.*

A HEV MIHI SI LECTO VVLTVS, &c.] Hoc idem verebatur in Maximo eleg. 2. lib. 1.
Heu mihi, quid faciam? vereor ne nomine lecto
Durus, & auersa cætera mente legas.

VVLTVS QVI FVIT] hilaris, & blandus.

NEC MECVM. P. MEA VERB. RELEGA] Ego relegatus sum, & ita se in edicto à Cæsare appellatum aiebat, relegatum, inquam, non exulem. Tu noli verba mea, seu epistolam, seu carmina mea relegare: quod facere videberis, si reieceris, & legere detrectaueris:

VRBE LICET VEST. VERSIB. ESSE. M.] Eleg. 14. lib. 3. Trist. *Est fuga dicta mihi. &c.*

NON EGO CONCEPI] Per fabulas docet, purum se sceleris in Cæsarem, tanquam in deum B aliquem commisisse. Non induxi in animum meum, non mihi persuasi adhuc.

SI PELION OSSA TVLISSET] Gigantes regnum cæleste affectasse, coq́; per montes montibus impositos ascendere, & Iouem cum diis detrudere conatos, atque ab eo fulminatos, & moles illas dissipatas, 1. Metamorph. canit.
Neue foret terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes.

Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossæ.

Meminit etiam 1. Fast. & Virgil. 1. Georg. De gigantibus, & gigantomachia Natal. lib. 6. cap. 21.

NEC NOS ENCELAD. DEMENT. C. SECVT.] Hunc ex gigantum illa cohorte vt præcipuum, & quasi antesignanum nominat. Qui cum ad inferos detrusi dicantur, hic tamen sub AEtna, substratis flammis assidue torqueri perhibetur. Testis Virgil. 3. AEneid. vbi AEtnæ incendia depingit.

Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis,
Et fessum quoties mutat latus intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.

IN RERVM DOM.] terrarum dominos vocat eleg. 10. lib. 1. Virgil. 1. AEneid. *Romanos rerum dominos.*

NEC QVOD TYDIDÆ, &c.] Quomodo Diomades Tydei filius Venerem, AEneam filium prælio subducentem insequatur; eiusque summam manum vulneret, disertè scriptum legis apud Homerum 5. Iliad. Salsè hinc irridendæ Veneris occasionem sumpsit illustris poëta Sanazarius. *Dum Venus armatum. &c.*

EST MEA CVLPA GRAVIS] De Arte sua loquitur hîc obscurius, mox infra apertius, & seruit tempori. Nam in Trist. lib. non semel leuem, & lusus, & iuuenilia vocauit.

SED QVÆ ME PERD. SOLVM AVSA] neminem pœnæ meæ socium addidit.

NVLLVM MAIVS ADORSA NEF.] Non quod nefas minus patratum fuerit in pœna sua (sæpius enim meritum se exilium confitetur) sed quod fuisset magnum nefas, seu piaculum, nocenti adiungere innocentem; vt sit comparatiuus pro positiuo, vt aliâs Si quis tamen ita explicet, vt dicat, aliquod nefas in se admissum significare voluisse, quod tam acerbo exilio mactatus sit, non repugnabo. Nam eleg. vlt. lib. 1. Trist.

Tutius exilium, pauloq; quietius oro,
Vt par delicto sit mea pœna suo.

Et eleg. 11. lib. 5. Trist.

Vtraq; pœna grauis, merui tamen ipse carere:
Nec merui tali forsitan esse loco.

NEVE ROGES QVÆ SIT] Ne te suspensum teneam.

STVLTAM QVAM SCRIPSIMVS ARTEM, &c.] ἑλληνισμὸς, pro, ars stulta quam scripsimus, non finit, &c. 1. AEneid. *Vrbem quam statuo vestra est.* In Euangelio. *Sermonem quem audistis non est meus.* Antecedens enim cum relatiuo ponitur in eodem casu.

TIMIDVS QVE] nusquam ante hac, nisi item semel, facto suo timoris, sed stultitiæ semper, & erroris nomina imposuit.

ANIMI NOM. VERA MEI] quia & peccatum animi est, seu ab animo venit. Et cum fecerim stulte ac timide, animus meus stultus, ac timidus vocetur licet.

A *ESSE QVIDEM FATEOR, &c.*] Non possum ægre ferre, te mihi difficiliorē nunc esse post offensum Cæsarem, quandoquidem tantopere addictus es genti Iullæ, vt qui quempiam inde oriundum lædat, te lædat.

SED LICET ARMA FERAS, &c.] Nulla tamen vi à spe, quam in te locaui, me depelles. Validum argumentum ad expugnandum Messalinum. Velis nolis, inquit, tu mihi aura, & portus eris, & te nitetur spes mea. In re dissimili narratur simile à Laertio de Diogene. Cum venisset Athenas, conuenit Antisthenem. Is cum se nemini ad docendum daret, hominem repellebat. Sed
B vicit perseuerantia. Cum enim ille baculum aliquando intentaret, cæde inquit. Tam durum enim baculum non reperies, quo me abs te abigas, quamdiu aliquid dixeris.

PVPPIS ACHÆM. GRAIVM TROIAN. RECEP.] Hæc exemplo sunt, posse quamuis ab hoste auxilium peti, & vel hostem alienis moueri incommodis, ac misereſcere. De Achæmenide, qui ab Vlysse, & sociis, Polyphemum per mare fugientibus nescio quo casu in sylua relictus, & Troianis eadem loca prætetnauigantibus in littore supplex factus, atque ab iis in nauem benigne acceptus est, Virgil. 3. AEneid. Extrema sunt.

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitiq; incidere funem,
C *Verrimus & proni certantibus æquora remis.*

Ouid. 14. Metamorph.

Hanc procul aspexi longo post tempore nauem,
Oraviq; fugam gestu, ad littusq; cucurri,
Et moui. Graiumq; ratis Troiana recepit.

PROFVIT ET MYSO PEL. H. DVCI] Hasta Achillis profuit Telepho regi Mysiæ, eadem hasta ab Achille, cum Græcis transitum negaret, vulnerato, illius rubigine seu scobe videlicet eius vulneri inspersa. Plin. lib. 34. Est & rubigo ferri in remediis, & sic proditur Telephum sanasse Achilles, siue id ærea, siue ferrea cuspide fecit, ita certè pingitur, eam decutiens gladio. Pelias dicitur à Pelio monte, vnde cæsa. Propert. lib. 2. eleg. 1.

D *Mysus & Æmonia iuuenis qua cuspide vulnus*
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achillæo tollere more potest.

Fabulam de adolescente morso à cane rabido, & eiusdem morsu, iubente Apollonio Tyaneo, sanato, vide apud Philostratum lib. 6. cap. 18.

CONFVG. INTERD. T. VIOLAT. AD ARAM] Qui templa violant, sacrilegi audiunt. Eleg. 2. lib. 5. Trist.

Viderit ipse sacram quamuis inuisus ad aram
Confugiam, nullas summouet ara manus.

NEC PETERE OFFENS. NVM. HORRET OPEM] Eleg. 1. lib. 1.

Vidi

Vidi ego lnnigera numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.
Alter ob huic similem priuatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.
Talia cælestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid valeant numina teste probent.

DIXERIT HOC ALIQ. TVTVM NON ESSE] ab inimico salutem, & bona petere.

NON PER PLACID. IT. M. P. AQVAS] Fatetur: sed addit. cogi se quasi in tempestate in quemuis portum confugere.

FORTVNA MISERR. TVTA EST] Istuc cum verum non appareat, est tamē verissimum, quia nihil miseriæ accedere ad summam potest: nec enim summa foret. Sicut nihil habenti, nihil auferri potest: & nudus non timet prædones. Ergo fortuna mea afflictissima, casibus, & periculis exposita amplius non est.

QVI RAPITVR FATIS, QVID. &c.] *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Quare qui rapitur, rapiatur, & nihil nisi fatum, hoc est, aduersas res exspectet.

SÆPE CREAT MOLL. A. SPINA ROSAS] E duris, & asperis sæpe mollia proueniunt. Nam rosæ quidem non aliunde, quam è spinis nascuntur. Ex coniugibus improbis, & hæreticis sæpe nascuntur filij probi, & catholici.

QVI RAPITVR SPVMANTE SALO, &c.] Confusus est sensus. Ita autem digerendus. Qui rapitur fatis, quique rapitur spumante salo, sua brachia porrigit ad spinas, vt captet rosas (*sæpe enim creat molles aspera spina rosas*) & porrigit manus ad campi saxa, seu scopulos, quibus adhærescit. Mare vocat campum, sicut 1. Metamorph. *campum liberioris aquæ.* Virg. 2. AEneid. *Fit sonitus spumante salo.* Et in 3. *fugimus spumantibus vndis.*

PORRIGIT AD SPIN. D. SAXA] dum per spinas, perque saxa raptatur ab vndis.

ACCIPITREM MET. P. TREPID. ALES] Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Vnguibus, accipiter, saucia facta tuis.

Ales pro columba, genus pro specie.

VICINO TECTO] vicino tugurio, seu casæ rusticæ, etsi alioqui etiam casas, & homines vniuersè fugiat.

FVG. INFEST. TERRITA CERVA CAN.] Symbolum timiditatis ceruus, sicut canis impudentiæ. Quare Achilles 1. Iliad. Agamemnoni iratissimus, ab vtroque illi conuitiatur, cum canis oculos, & cor cerui habere pronuntiat, præterquam quod ebriosus. οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

LACRYMIS NOSTRIS] precibus lacrymosis.

A *OBDE FOREM*] Fast. 2. *custos in fore nullus erat.* Plaut. Casin. *forem obdo, ne senex me opprimat.* Lambinum miror, malentem legere. *fori pessulum obde,* Terentiano more, si modo versus patiatur. Quasi vero Plautus à Terentio, ac non potius à Plauto Terentius latinitatem docendus sit. Sticho. *sed aperta est foris.* Bacchid. *forem hanc pauxillulum aperi placidè, ne crepa.*

ROMANA AD NVMINA] ad deum Romanorum, Augustum, quem Romani instar numinis colunt, & suspiciunt.

NON TIBI TARPEIO. C. TON. MINVS] quem tu non minus colis, quam Iouem Capitolinum. Capitolium enim in monte Tarpeio.

B *LEGATVS SVSCIPE CAVSSAM*] Et tanquam legatus meus suscipe agendam caussam tibi mandatam. In fine. *Quos colis, ad superos perfer mandata sacerdos.*

NVLLA MEO. Q. N. CAVSS. B.] correctio. Culpam enim nō abesse à se fatetur semper, cum se scelere vacare dicat.

IAM PROPE DEPOSITVS] Ad limina ædium ægrotos desperatos deponebāt, vt transeuntes, si quid remedij putarent profecturum, edicerent. Inde depositus pro desperatus. M. Tull. 6. Verrin. Itaque ego videor mihi maxime ægram, & prope depositam reipub. partem suscepisse. Latius morem hunc explicaui Trist.

C *CERTE IAM FRIGID.*] frigere enim incipiunt moribundi. Frigus pro morte 12. AEneid. *ast illi soluuntur frigore membra.* Vide eleg. 10. lib. superioris, ibi, *Fecit & in gelidos sudit anima sinus.*

SERVATVS PER TE ERO] debebo tibi vni salutem, & incolumitatem meam,

PRO REBVS LAPSIS] pro rebus afflictis, seu in contrarium versis. Bene, *lapsis.* crebrius enim ruinam nominat in Trist. lib. Exemplum eleg. 14. lib. 5. *Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.*

PRINCIPIS ÆTERNI. Q. TIB. P. AMOR]
D Amat te Augustus. Eius amoris fiducia pro me enitere. Consule Inscriptionum antiquarum operosum opus, & inuenies æternos Imperatores, æternos principes, perpetuos Cæsares appellari, κολακευτικῶς vtique, vt alia multa. Cur autem Augustus maluerit dici ab initio Princeps potius quam Imperator, caussam edisseruimus alibi.

ELOQVII NITOR DOMESTICVS] eloquentia, quam à patre veluti hæreditariam accepisti. Eleg. vlt. lib. 4. Trist. *Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo.*

QVO POTERAS TREPID. VTIL. E. REIS] 1. Fast. de Germanico. *Ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.* Etsi porrò vtrumque oratoris est, accusa-

re, & defendere, nec minus reipub. in illo, quam in hoc commodat, ad laudem nihilominus illi istuc quam illud aliquãto maius est, vt alibi quoque diximus.

VIVIT ENIM IN. V. F. LING. PAR.] In te, & fratre tuo inest paterna eloquentia. Aut est enallage numeri. In vobis. pro. in te, cum non sequatur, *heredes suos, sed haeredem suum.*

ET RES HÆRED. REPP. ILLA SVVM] Pulchra hæreditas, & eo pulchrior, quod eloquentia nihil est laudabilius, acptæstabilius vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum qui defensi sunt gratia. Cic. 1. de Orat. & 1. Off. postquam de oppressa à se Consule coniuratione Catilinaria locutus est. Licet enim, Marce fili, apud te gloriari. ad quem & hæreditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet.

ADORO] Verbum hoc pro simplici *ore* positum est. quomodo Virgil. lib. 10.

———vos ô misereßite venti.
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem, saeuisq; vadis immittite syrtes.

Et Propert. eleg. 4. lib. 1. *maneat sic semper adoro, Ne quidquam ex illo quod querar inueniam.*

NON EST CONFESSI. C. TVEND. REI] In confessione facti iuris defensio suscipi potest, cum reus & fecisse se non negat, & iure fecisse affirmat, vt in caussa Miloniana, in statu assumptiuo. In statu autem absoluto, cum reus pro se nihil affert, defensio cadit. Ouid. se peccasse concedit, & tantummodo sibi ignosci, seu pœnam imminui cupit.

NVM TAM. EXCVS. ERROR. &c.] Permittit eius iudicio, num facti culpam, vt ab errore profectam, extenuet.

AN NIHIL EXPED. TALE MON.] An conducat magis, silere omnino de facto. Sequitur ætiologia.

VVLNERIS ID GEN. EST, &c.] quoniam vulnus hoc meum, quod offendendo Cæsare mihimet inflixi, sanari nequit: propterea quod factum infectum fieri haud potest. Quorsum igitur contrectetur, renouanda ipsi lectori eius memoria, cum etiam ex tractatione nouum dolorem, propter nouam ipsius aduersus me iram percepturus sim? *tractari vulnera nostra timent*, dixit in Trist.

NON EST VLTRA NARRAB. QVIDQVAM] Hic pausa facienda.

POSSE VELIM CIN. OBR. IPSE MEOS] Cupio posse celare, & obruere etiam cineres, & ossa mea, si possit cum iis etiam celari, & obrui peccatum meum: vsque adeo silendum puto.

QVASI ME NVLL. D. ERROR] quasi Cæsarem nihil fædum, ac flagitiosum facientem per errorem conspexerim.

VERBA FACE] Proprie oratorum est verba facere, λέγειν ἀγορεύειν. Antiqui sunt imperatiui dice, face, duce. Plaut. Bacchid. *Quid nunc es facturus? id mihi dice.* (Nænius dicebo, apud Nonium.) Aulul. *Eia, hoc face, quod te iubet soror.* Pœnulo, *testes adduce tecum.*

VT VITA QVAM. D. IPSE FRVAR] in his quippe locis securus nun sum. Eleg. proxime superiore.

Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas,
Abstuleritq; ferox hoc caput ense Getes.

Eleg. 3. lib. 1.

Non petit vt bene sit, sed vti male tutius, vtq;
Exilium saeuo distet ab hoste meum:
Quamq; dedere mihi præsentia numina vitam
Non adimat stricto squalidus ense Getes.

CVMQVE SERENVS ERIT] cum erit explicata fronte, & blando ore, serenaque facie. Eadem est ratio in huiusmodi deprecationibus, & caussis aliorum, & reorum, inprimisque apud Principes maiores, agendi, quæ in reddendis epistolis. Obseruandũ tempus. Sic enim Lamium equitem Romanum præturam petentem Bruto commendaturus scribit Cic. ep. 16. lib. 11. Permagni interest, quo tempore hæc tibi epistola reddita sit. Vtrum cum sollicitudinis aliquid haberes; an cum ab omni molestia vacuus esses. Vide annotata in eleg. 1. lib. 1. Trist. *Si poteris vacuo tradi, &c.*

QVI SECVM TERRAS, IMPERIVMQVE MOVENT] Vultus illos graues, ac seueros, & maiestatis plenos. De vultu, & oculis eius ita Sueton. cap. 79. Vultu erat vel in sermone, vel tacitus adeo tranquillo serenoque, vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum, ac remollitum, quo minus, vt destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloquij propius admissus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam diuini vigoris: gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret. Ad auctoritatem igitur illius summam indicandam subiicit, *qui secum terras, imperiumque mouent.* Sic 1. Metamorph. de Ioue indignante.

Terrificam capitis concussit terq; quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera mouit.

Virgil. 9. AEneid.

Annuit, & totum nutu tremefecit olympum. Et 1.
Vultu quo cælum, tempestatesq; serenat.

EXIGVAMNE ME. P. S. ESSE GET.] ne sinat me à Getis interfici, me, qui vix ossa atque pellis sum misera macritudine, & cui opum nihil est.

DETQVE SOLVM MISERÆ. M. FVGÆ] Eleg. 2. lib. 1.

Nec tamen vlterius quidquam speroue, precorue,
Quam male mutato posse carere loco.
Aut hoc, aut nihil est, pro me tentare modestè
Gratia quod saluo vestra pudore queat.

Et alibi per libros hosce, & superiores centies.

TEMPVS ADEST APT. PRECIBVS] Supra egi de captando tempore adeundi, & appellandi

A

landi apud viros principes. Copiosius 1. Trist. in eleg. 1.

VALET, VIDETQVE QVOS FECIT VIR. &c.] Ea recenset, quæ tempus opportunum ad eum super Ouidio alloquendum faciant. Valet, & videt, amplificatum ab se imperium Romanum esse terrorem gentium. Hoc ad lætitiam pertinet, quemadmodum quæ sequuntur.

INCOLVM. CONIVX. S. PVLVIN. SERVAT] Liuia. Puluinaria pro templis. Erant, testibus Seruio ad 3. Georg. & Acrone ad Horat. Oden 17. lib. 1. lectuli, qui diis sternebantur in templis, in quibus stabant numina, vt eminentiora viderentur. Quibus fasciculi ex verbenis, struppi vocati, vt ait Festus, pro capitibus ponebantur.

B

Deuictis autem hostibus, aut bene gesta republ. & propulsato periculo, ad omnia puluinaria deorum decernebatur supplicatio, & aliquot dies festi celebrabantur. Cic. 3. Catilin. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia puluinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cũ coniugibus, & liberis vestris.

PROMOVET AVSON. F. IMP.] Profert fines Romani imperij Tiberius, filius Augusti adoptitius.

PRÆTERIT IPSE. S. ANIM. GERMAN. ANNOS] magnitudine animi anteuertit ætatem. Alibi. *Ingenium cælestè suis velocius annis currit.* Virgil. de Ascanio lib. 9. *nec non & pulcher Iulus Ante annos animumq́; gerens, curamq́; virilem.*

C

NEC VIGOR EST DRVS. NOB. MIN.] Drusus Tiberij ex Agrippina filius tam est animo generosus, quam sanguine nobilis.

ADDE NVRVS, NEPT. PIAS. CHAR. NEP.] Ex Antonia minore, M. Antonij Triumuiri filia, Drusus Liuiæ filius tres omnino liberos sustulit, Germanicum, Liuillam, Claudium. Ex Agrippina M. Agrippæ, & Atticæ filia Tiberius alter filius Drusum. Ex Iulia Augusti filia Aquileiam filium, & Tiberium, qui infans est extinctus. Vide stemmata Aug. & Tiberij apud Onuphrium lib. 1. de Roman. Principibus, & stemma domus Augustæ apud Lipsium Comment. in Tacitum.

D

CÆTERAQVE AVG. MEMB. VAL. D.] cum Cæsare cognatione, aut affinitate aliqua coniunctos, quos inuenies in illis, de quibus te monui stemmatibus. Meritò autem in bonis numerat valetudinem. Est enim primum in bonis corporis, & præstat diuitiis, quæ externorum genere continentur. Elegans hymnus extat M. Antonij Flaminij in bonam valetudinem, quem in gratiam studiosorum adiicio.

Diua funestis inimica morbis,
Cui vigor mentis solidumq́; robur,
Et ioci dulces, animiq́; semper
Gaudia cordi,

A

Quam colunt sanctè iuuenes, senesque,
Quam sibi cuncti cupiunt, suisque,
Nam simul cœtus hominum caducos
Alma reuisis,

Ilicet morbi fugiunt proterui,
Occidit febris truculenta, dirus
Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat orco.

O quies rerum, ô hominum benigna
Mater, ô cunctis veneranda, namq;
Quid potest gratum sine te, quid vllis
Dulce videri?

Huc ades nostrum miserans laborem,
Siue te cæli tenet aula, siue
Insulis molles choreas beatis
Læta frequentas.

B

Huc ades tandem bona Diua, & artus
Languidos aura refoue salubri,
Ne meam tabes edat immerentem
Atra iuuentam.

ADDE TRIVMPHAT. MODO PÆONAS] Romanis Pannonij, qui Græcis Pæones. Lege Suetonium.

ADDE QVIETI SVBDITA, &c.] Adde ad tranquillitatem, & otium pop. Romani domitam Dalmatiam montosam. Brachiorum nomine vel regiones illius, vel robur, vires, ac potentiam intelligito.

C

CÆSAR. FAMVLO VERTICE. F. PED.] Ad pedes Tiberij se prosternere, & victum fateri.

PLACIDO SPECTAB. ORE] vultu renidenti, & conspicuus omnibus.

TEMP. PHOEBEA VIRG. NEXA] lauro, in quam mutata est Daphne virgo, Phœbum fugiens. 1. Metamorph. Phœbeam nominat etiam illa de caussa, quod deinceps Phœbus arborem laurum pro sua habuit. *Et quoniam coniux mea non potes esse, Arbor eris certè dixit mea, &c.*

QVEM PIA VOBISCVM P. COMITAVIT] Drusus Tiberij filius. Nota rursus vocem *comitauit*, à comito. Sic alibi. *Pirithoum Theseus stygias comitauit ad vndas.*

D

Vide dicta eleg. 5. lib. 5. Trist. ibi. *Teq; Menœtiaden, te qui comitatus Orestem.*

FRATRIB. ASSIMILIS] Similis Castori, & Polluci fratribus.

QVOS PROX. TEMP. TENENT DIVVS, &c] quorum templum vicinum est templo Iulij Cæsaris. Diuum vocat, quia, vt narrat Sueton. cap. 88. in deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium; sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam, creditumque est, esse animum Cæsaris in

cœlum

cælum recepti: & hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella. Iupiter Veneri 1. AEneid.

Hunc tu olim cælo spoliis orientis onustum
Accipies secura, vocabitur hic quoque votis.

Vide insuper extremum XV. Metamorph.

HIS QVIB. OMN. CED. DEBENT, &c.] Messalinus non potest negare, lætitiæ ex his victoriis, & triumphis principatum sibi iure deposcere Cæsaris agnatos, & propinquos. Quibus proinde & ipse, & omnia debent in hoc cedere.

QVIDQVID AB HIS SVPEREST] quidquid præter filium, nurus, neptes, nepotes, & membra domus est: cætera nempe multitudo ciuium.

VENIT IN CERTAM. AMORIS] certat in amando Cæsare.

NVLLI SECVND. ERIT] At enim Messalinus cum reliquis omnibus præter iam dictos nemini concedit in amore erga Cæsarem.

HVNC COLIT ANTE DIEM, &c.] Expeditior lectio ad explicandum *Hunc*, & *quem*, vt Tiberium significet, quam *hanc*, & *quam*. A quo Messalinus triumphalia ornamenta adeptus est adhuc iuuenis. Interpunge post *Hunc colit*.

FÆLICES QVIB. H. LICVIT. S. TRIVMPH.] Eleg. 2. lib. 4. Trist.

Vera tamen capiet populus spectacula felix,
Lætaque erit præsens cum duce turba suo.

ORE DEOS ÆQVIPARANTE FRVI] frui conspectu diuino victoris Tiberij. Ore pleno dignitatis: quam dij finguntur, & pinguntur pulcherrimi. De AEnea Virgil. lib. 1. *Os, humerosque deo similis.* Iustinus lib. 5. de reditu & triumpho Alcibiadis. Ad hunc redeuntis exercitus triumphum effusa omnis multitudo (Atheniensium) obuiam procedit: & vniuersos quidem milites, præcipuè tamen Alcibiadem mirantur: in hunc oculos ciuitas vniuersa, in hunc suspensa ora conuertit: hunc quasi de cælo missum, & vt ipsam victoriam contuentur, &c. Quo conspectiores fierent minio, seu rubrica triumphatores faciem infici, seu illini solebant, quomodo & Iouis simulacri facies diebus festis, teste Plin. lib. 33. cap. 7. Sed tale os, ita pictum, & rubricatum inquam ab Ouidio dici æquiparare diuinum os, populumque desiderare frui lapidei, aut lignei oris potius, quam viuentis Dei, eiusque augustissimi similitudine, vt credam vix adducar.

AT MIHI SAVROM. PRO CÆS. ORE VID.] homines deformissimi, & aspectu truculentissimi. Eleg. 8. lib. 5. Trist.

Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago:
Non coma, non vlla barba refecta manu.
Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.
Viuit in his igitur tenerorum lusor amorum,
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus.

TERRAQVE PACIS INOPS] Eleg. 3. lib. 3. *Huc quoque venisti. pax est vbi tempore nullo.* Vide eleg. 11. lib. 5. Trist. Eleg. 3. eiusdem libri.

Pax tamen interdum est, pacis fiducia nunquam.
Sic hic nunc patitur, nunc timet arma locus.

VNDAQVE VINCTA GELV] De Istro, & riuis omnibus gelatis lege eleg. 10. lib. 3. Trist.

SI TAMEN HOC AVDIS] si admittis dicta mea.

SIT TVA MVT. G. E. LOCO] Blandiatur tua gratia Cæsari. Blandis precibus efficias apud Cæsarem, vt locum mutem.

PRIMIS MIHI CVLT. AB ANNIS] Principio elegiæ. *Ille domus vestræ primis venerator ab annis.* Eleg. 5. *Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis.* Plaut. Capt. Philocrates iam inde amicus mihi fuit à puero puer. Terent. Heaut. *Nam mihi magna cum eo iam inde à pueris semper fuit familiaritas.*

SI QVID HABET SENSVS] Hoc volt, si quis relinquitur affectus in mortuis, & sentiunt quæ hic geruntur. De quo alibi.

VMBRA DISERTA PET.] hypallage, vmbra diserti. Eloquentiam enim ei supra tribuit.

Viuit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et vos heredem repperit illa suum.

Affinis locus Sulpitij in consolatione illa ad Ciceronem de obitu Tulliæ, in dehortatione tamen. Quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis, ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, &c.

HOC PETIT ET FRATER] frater Messalini, à quo se dilectum testatur eleg. 8. lib. 1. *Adde quod est frater, &c.*

QVAMVIS FORTASSE VERET. &c.] quãuis forte timeat, ne dum mihi prodesse vis, tibi obsis, in quo etiam ipsi noceretur.

TOTA DOMVS ROGAT HOC] tota familia Messalinorum.

ET NOS IN T. P. FVISSE TVÆ] me quoque fuisse inter tam multos clientes tuos. Vide eleg. 8. lib. 1.

QVO NOS MALE SENSIMVS VSOS] scribenda arte amandi. Vnde, *Ingenio perij Naso poëta meo.*

ARTIBVS EXCEPTIS] Respicit ad varia præcepta in illis libris tradita. Aut est enallage numeri. Probabas ingenium, & omnes libros meos, demptis illis.

SI TANTVM PECCATA NOVISS. DEM.] Eleg. 4. lib. 4. Trist. *sed in omnibus actu Vltima si demas, vita tuenda mea est.* Et eleg. 8.

Nec procul à metis, quas pene tenere videbar,
Curriculo grauis est facta ruina meo.

SIC IGITVR VEST. VIG. P. GENTIS] sic frequententur.

IRATVM MERITO MIHI NVMEN] Mitem esse, & irasci non sunt pugnantia: sed mitem esse, & implacabilem. Itaque & deus mitis est, & tamen aduersus impios irascitur, ac per pœnitentiam placatur.

Tendit in ardva virtvs] Albi. *Ardua melimur, sed nulla nisi ardua virtus.* Ostendes igitur virtutem tuam, si rem arduam effectam dederis. Horat. item arduam dixit Ode 24. lib. 3. quia laboriosè ad eam peruenitur, & quasi in alto sitam cum sudore ascenditur. Concinunt his Hesiodij versiculi. A

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ, καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
Virtutem voluere Dei sudore parari.
Semita longa nimis, atq; ardua ducit ad illam.

Hos versus quemadmodum Seneca & approbare, & improbare, sibique contradicere videatur, ostensum est in Hortulis nostris Ouidianis, tit. Virtus.

Et talis meriti grat. maior erit] Ita comparatum est, vt maiores gratias & habeamus, & agamus officiis laboriosius præstitis. Merita maiora sunt, quam officia. Cic. Philip. 13. magna eius in me merita, mea quædam officia in illum. Ad Brutum. Magna eius, non dico in me officia, sed merita. Ad Cornificium. Ad hæc officia, vel merita potius, iucundissima consuetudo accedit. B

Ætnasvs vasto Polyphem. in antro, &c.] Facilitatem impetrandi demonstrat ex humanitate, & facilitate Cæsaris, quam è contrariis exaggerat. Non ages cum homine fero, & agresti, & inhumano, quales Polyphemus, & Antiphates. Virgil. 3. Aeneid. *Nam qualis, quantusq; cauo Polyphemus in antro, &c.* Simili comparatione, & à contrariis laudauit clementiam Cæsaris lib. 1. eleg. 3. *Nō tibi Theromedon, crudusq; rogabitur Atreus, etc.* C

Antiphatesqve] Læstrigonum rex, qui vnum è tribus sociis Vlyssis, ad explorandam regionem missis, apprehensum dentibus dilaniauit. 14. Metamorph.

Inde tamen veterem Læstrigonis, inquit, in vrbem
Venimus, Antiphates terra regnabat in illa.
Missus ad hunc ego sum, numero comitāte duorum:
Vixq; fuga quæsita salus comitique, mihique.
Tertius è nobis Læstrigonis impia tinxit
Ora cruore suo, &c.

Vide & Homer. Odyss. 10.

Placidvs, facilisqve parens] Patres vocamus, qui patrum in filios humanitatem, beneuolentiam, mansuetudinem, charitatem imitantur. Eleg. 5. lib. 3. Trist.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.

Fvlminso saepe sine igne ton.] Eleg. 3. lib. superioris. *Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet.* Aut, sine furore, & iræ acerbitate in reos animaduertit. Sed melior sensus prior, vt ita capiamus, eum terruisse potius, quàm puniuisse sontes.

Qvi cvm triste aliq. statvit, &c.] *Quiq; dolet, quoties cogitur esse ferox.* de eodem ibid.

Victa tamen. v. e. h. clem. n.] Eleg. 8. lib. 4. Trist.

Ergo illum demens in me sæuire coëgi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet.
Ipsaq; delictis victa est clementia nostris.

Toto svmvs orbe remoti] Eleg. 2. lib. 5. Trist.

Barbara me tellus, orbisq; nouissima magni
Sustinet, & sæuo cinctus ab hoste locus.

Virgil. 1. Eclog. *Et penitus toto diuisos orbe Britannos.* Citauimus & antea in simili.


Non licet ante. ip. procvr. d.] quod facerem coram.

Qvos colis. a. svp. p. mand. sacerd.] Singulis familiis dij peculiares, & peculiaria sacra erant. Sacerdotum autem partes orare pro aliis. Rogat ergo Messalinum, vti tanquam sacerdos suos deos sibi propitiet, eosque ad Cæsarem placandum extimulet.

Proprias preces] vt non tantum referat Cæsari, quid Ouid. petat, sed suis etiam precibus eum adiuuet.

Sic tamen haec tenta, &c.] Cautio. Nihil cupio fieri cum incommodo tuo.

Timeo navfrag. omne fret.] Ratio. *παθὼν δὲ νήπιος ἔγνω* post mala prudentior, prouerb. Eleg. 7. *Tranquillas etiam naufragus horret aquas.*





ELEGIA TERTIA.

Ad Maximum.

CONSTANS AMICITIA IN ADVERSIS.

ARGVMENTVM.

EXimiam, & constantem, & illo æuo raram fidem, amoremque in se gratuitum Maximi commēdat, cum vulgus longè secus faciat, & in amicitia non quid honestum, sed quid fructuosum, intueatur, & cum fortuna mutet animum. In hoc loco diutius commoratur. Inter paucos sibi fideles ipsum extitisse præcipuum, qui virtutem propter sei psam colat. Hortatur, vt se mortuum (hunc quippe statum pro morte ducit) & quasi à mente desertum adiuuet. Rursus, vt fortunæ resistentem laudat. Fuisse sibi principio iure iratum: sed audita caussa calamitatis suæ ingemuisse, & litteris se consolatum esse, veteri commotum amicitia. Se patrem ipsius suorum carminum edendorum auctorem habuisse. Quibus lacrymis se Maximus ipse discedentem in exilium in Italiæ finibus exceperit. Denuo fidem viri prædicat, & bene merito bene precatur. Grauis, & *ῥητορικωτέρα* elegia.

Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi:
Culte mihi (quid enim status hic à funere differt?)
Supremum vitæ tempus ad vsque meæ:
Rem facis, afflictum non auersatus amicum,
Qua non est æuo rarior vlla tuo.
Turpe quidem dictu, sed (si modò vera fatemur)
VVLGVS AMICITIAS VTILITATE PROBAT.
CVRA, QVID EXPEDIAT, PRIOR EST, QVAM QVID SIT HONESTVM:
ET CVM FORTVNA STATQVE CADITQVE FIDES.
NEC FACILE INVENIES MVLTIS IN MILLIBVS VNVM,
VIRTVTEM PRECIVM QVI PVTET ESSE SVI.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non mouet: & gratis pœnitet esse probum.
NIL, NISI QVOD PRODEST, CARVM EST: en detrahe menti
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.

At reditus iam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.
Quo magis admiror, non ut torrentibus undis
Communis vitij te quoque labe trahi.
DILIGITVR NEMO, NISI CVI FORTVNA SECVNDA EST:
QVAE, SIMVL INTONVIT, PROXIMA QVAEQVE FVGAT.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis:
Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera naue relinquor aquis.
Cumq́ alij nolint, etiam me nosse, fateri,
Vix duo proiecto tréſue tulistis opem.
Quorum tu princeps: neque enim comes esse, sed auctor,
Nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
Te, nihil exacto, nisi nos peccâsse fatentem,
Sponte sua probitas officiumq́ue iuuat.
Iudice te: mercede caret, per seq́ue petenda est
Externis virtus incomitata bonis.
Turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum:
Quodq́ sit infelix, desinere esse tuum.
Mitius est lasso digitum supponere mento,
Mergere quàm liquidis ora natantis aquis.
Cerne quid Æacides post mortem præstet amico:
Instar & hanc vitam mortis habere puta.
Pirithoum Theseus stygias comitatur ad undas:
A stygia quantum mors mea distat aqua?
Adfuit insano iuuenis Phocæus Oresti:
Et mea non minimum culpa furoris habet.
Tu quoque magnorum laudes admitte virorum,
Ut facis, & lapso quam potes, affer opem.
Si bene te noui, si, qui prius esse solebas,
Nunc quoque es, atque animi non cecidêre tui:
Quo fortuna magis sæuit, magis ipse resistis:
Utq́ue decet, ne te vicerit illa, caues.
Et bene vti pugnes, bene pugnans efficit hostis:
Sic eadem prodest caussa nocetq́ue mihi.
Scilicet indignum, iuuenis carissime, ducis,
Te fieri comitem stantis in orbe Deæ.

Firmus es, & quoniam non sunt hæc qualia velles,
Vela regis quassæ qualiacunque ratis.
Quæque ita concussa est, vt iam casura putetur,
Restat adhuc humeris fulta carina tuis.
Ira quidem primò fuerat tua iusta, nec ipso
Lenior, offensus qui mihi iure fuit.
Quíque dolor pectus tetigisset Cæsaris alti,
Illum iurabas protinus esse tuum.
Ut tamen audita est nostra tibi cladis origo,
Diceris erratis ingemuisse meis.
Tunc tua me primùm solari littera cœpit,
Et læsum flecti spem dare posse Deum.
Mouit amicitiæ tum te constantia longæ,
Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.
Et quòd eras aliis factus, mihi natus amicus,
Quodq́; tibi in cunis oscula prima dedi.
Quòd cum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogor onus.
Me tuus ille pater, Latiæ facundia linguæ,
Qui non inferior nobilitate fuit,
Primus, vt auderem committere carmina famæ,
Impulit, ingenij dux fuit ille mei.
Nec quòd sit primo nobis à tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum.
Te tamen ante omnes ita sum complexus, vt vnà
Quolibet in casu gratia nostra fores.
Ultima me tecum vidit, mœstisq́; cadentes
Excepit lachrymas Italis ora genis.
Cùm tibi quærenti, num verus nuncius esset,
Attulerat culpæ quem mala fama meæ:
Inter confessum medius, dubiéque negantem
Hærebam, pauidas dante timore notas.
Exemplóque niuis, quam mollit aquaticus Auster,
Gutta per attonitas ibat oborta genas.
Hæc igitur referens, & quòd mea crimina primi
Erroris veniæ posse latere vides:
Respicis antiquum lapsis in rebus amicum,
Fomentisq́; iuuas vulnera nostra tuis.
Pro quibus, optandi si nobis copia fiat,
Tam bene promerito commoda mille precor.

Sed si sola mihi dentur tua vota, precabor,
Vt tibi sit saluo Cæsare salua parens.
Hæc ego, cùm faceres altaria pinguia thure,
Te solitum memini prima rogare deos.

COMMENTARIVS.



A VI CLARIS NOM. VIRTVTIBVS AEQVAS] Eleg. 2. lib. 1. ad eundem.

Maxime, qui tãti mensurã nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus.

Quies μεγάνυμος.

NEC SINIS IN OSN. NOBIL. PREMI] Idem dicit per expolitionem. Qui ingenio virtutem excolis, & respondes nobilitati generis tui; & es tam clarus virtute, quam sanguine, & vtrobique verè Maximus.

CVLTA MIHI SVPREM. VITAS, &c.] quem colui, & obseruaui vsque ad mortem, hoc est, vsque ad exilium meum.

QVID ENIM STAT. H. A FVN. DIFFERT?] Nam & hanc Iureconsulti mortem vocant, cum quis patriam perdit; cui aqua & igni interdicitur. Hæc ratio per parenthesin inseritur.

AFFLICTVM NON AVERSAT. AMICVM.] dum me quamuis relegatum, & calamitosum pro amico agnoscis. Dum te mei, licet afflicti, non pudet.

QVA NON EST A SVO RAR. V. TVO] quæ hoc sæculo rarissima est. Quanam autem illa? Honestatem sequi propter se. *Cana fides* apud Maronem 1. Aeneid. explicãdum est, quoniam apud priscos mortales illos reperta sit. Canum siquidem, secundùm Nonium, dicitur vetus, antiquum. Varro Eumenid. Et ecce de improuiso accedit ad nos cana veritas. Quamuis aliter Seruius.

TVRPE QVIDEM DICTV] si dictu, vtique etiam factu. Quædam enim factu turpia sunt, sed non dictu, vt adulterare, furari, &c. Quanquam nec omnia turpia dictu, factu quoq; turpia sunt. Cic. 1. Offic. quodque facere turpe non est, modò occultè, id dicere obscœnum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec oratio obscœnitate. Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici, pæne Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea quæ re turpia non sunt, verbis flagitiosa dicamus: illa autem quæ turpia sint, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe est: sed dicitur non obscœnè: liberis dare operam re honestum est, nomine obscœnum, &c.

SED SI MODO VERA FATEMVR] propter fœditatem enim, aliasque ob caussas interdum vera aut tacemus, aut dissimulamus, aut non satis eloquimur.

A VVLG. AMICIT. VTILIT. PROBAT] Hoc deplorat etiam eleg. 8. lib. 1. Trist. Tantum colit amicitias vulgus, quantum sibi id vtile experitur. Mensura vtilitatis amicitiam metitur. Præclarus est locus Aristotelis in 8. Ethic. cap. 3. & 4. quem opportunè huc adscribam. Qui ob aliquam vtilitatem, aut delectationem diligunt, ij non amicum, sed semetipsos diligunt. Quocirca eiusmodi consociatio ne amicitia quidem appellanda est. Hoc namque modo agros, & prata, & pecudes, aut, si de hominibus loqui velimus, hoc etiam modo medicos, & nautas, cum eorum opera nobis commodat, diligimus: aut scurras quoque, quorum facetiis delectamur. Restat igitur, vt legitimæ, ac sinceræ amicitiæ fundamentum
B sit honestas, & sola virtus, & ea stabilis sit amicitia, quam virtus conciliauerit.

CVRA QVID EXPED. P. EST, &c.] Explicatio est hæc versiculi præcedentis. Fæx hominum, ignobile vulgus anteponit vtile honesto: cum contrà sapiens faciat, & honestum per se, non spectata vtilitate amplectatur.

ET CVM FORT. STATQVE, CADITQVE FIDES] In illa elegia paulo ante nominata.

Donec eris fælix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

MVLTIS E MILLIBVS VNVM] Sicut nec Apollo millibus è multis præter vnum Socratem potuit sapientem inuenire. *Stultorum enim infinitus est numerus*, vt ait Ecclesiastes, cap. 1.

C VIRTVTEM PRET. Q. PVTET. S. SVI] Stoicum παράδοξον, ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν virtutem seipsa contentam esse ad beate viuendum. Vide parad. 2. apud Tullium. Claudian. *Ipsa quidem virtus pretium sibi.* Silius. *Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.* Et poëta quidam tragicus apud Clement. Stromat. lib. 4.

Ὅσ᾽ ὄντα ἀρετὴ τῶν ἐν ἀνθρώποις μόνη
Οὐκ ἐκ θυραίων τἀπίχειρα λαμβάνει,
Αὐτὴ δ᾽ αὑτῆς ἆθλα τῶν πόνων ἔχει.
Nam sola virtus rebus in mortalibus
Accipere nullum præmium extra se solet:
Sed ipsa sibimet præmium laboris est.

In hoc demum poëtæ omnes consentiunt. Seneca de beata vita, cap. 9. Interrogas quid petam ex virtute? Ipsam, nihil enim est melius, ipsa pretium sui est. Cum porrò scribit Cic. 3. de repub. vult plane virtus honorem, nec est virtutis vlla alia merces, & similia in orat. pro Archia, nec Se-

necæ, nec ſibi contradicit, alio loco ita ſcribenti. Ergo item iuſtitia nihil expetit pręmij, nihil pretij. Per ſe igitur expetitur, eademq́ue omnium virtutum cauſſa, atque ſententia eſt. Qui enim docet, virtutem nullum aliud præmium, nullam mercedem præter honorem poſcere: ſic tamen vt eum non aliunde, quam ex ſe ipſa ſumat, an non perinde eſt, ac ſi eam nullum à nobis pręmium, ac mercedem petere, aut exſpectare, gratuitamq́ue, non mercenariam eſſe doceret? Stephan. Schediaſ. lib. 5.

Et oratis poenitat esse prob.] Cic. lib. 1. de nat. deor. Charum ipſum verbum eſt amoris, ex quo amicitię nomen eſt ductum: quam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta amicitia: ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Prata, & arua, & pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ab eis capiuntur. Hominum charitas, & amicitia gratuita eſt. Habuit in mente locum Ariſtoteles ſupra à me prolatum.

Nil nisi qvod prodest charvm est] 1. Faſt. *In pretio pretium nunc eſt.*

Sollicitis compvtat articvl.] digitis, pars pro toto. Et *ſollicitis*. ipſe ſollicitus.

Amicitiae qvond. venerab. nom.] Eleg. 7. lib. 1. Triſt. *Illud amicitiæ ſanctum, ac venerabile nomen.* Rerum venerabilium ipſæ quoque appellationes habent quiddam venerationis.

Prostat, et in qvaest. p. meret. sedet] Meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus. Nam meretrices à merendo dictę, quod copiam ſui tantummodo noctu facerent: proſtibula, quod ante ſtabulum ſtent, quæſtus diurni, ac nocturni cauſſa. Vnde & quæſtuariæ. Hic meretrix locum generis obtinet, vt proſtibulum ſit etiam meretrix.

Non vt torrentib. vndis te qvoqva, &c.] Torrens eſt fluuius ſubitis imbribus concitatus, qui alioqui ſiccitatibus exareſcit. Hîc participium eſt ſine verbo. Torrere enim aliud ſignificat.

Diligitvr nemo. n. cvi. f. secvnd.] Allegoricè hoc idem eleg. 8. lib. 1. Triſt.

Aſpicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aues.

εὐτυχία πολύφιλος, fælicitas habet multos amicos, ſeu, eſt diues amicis, prouerb.

Qvae simvl intonvit, &c.] Simul eſt ſimul ac. Notauimus in Triſtibus vſitatum bonis ſcriptoribus. Tonitrua terrent: ita fortuna aduerſa terrentur, ac fugiunt, qui in diligendo non niſi commoda ſua ſpectarunt. Eleg. 4. lib. 1. Triſt.

Dum iuuat, & vultu ridet fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.
Ac ſimul intonuit, fugiunt: nec noſcitur vlli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.

En ego non pavcis qvond. m. am.] A ſuo item exemplo rem illuſtrat. Me quoq; turba amicorum coluit, & cinxit.

A Dvm flavit. v. avra. s. meis] Cic. 2. Off. dum proſpero fortunæ flatu vtimur, ad exitus optatos prouehimur. Dum vſua ſum ventis ſecundis. Dum florui, ac beatus fui. Elegia ſuprà citata.

Dum ſtetimus, turba quantum ſatis eſſet habebat
Nota quidem, ſed non ambitioſa domus.

Eleg. 5. lib. 3. Triſt.

Idq́; recens præſtas, nec longo cognitus vſu,
Quod veterum miſero vix duo treſue mihi.

Vt fera nimb. tvm. aeq. vento, &c.] Alia allegoria hoc idem in Triſt. eleg. 7. lib. 1.

Ac ſimul impulſa eſt omnes timuere ruinam,
Cautaq́; communi terga dedere fuga.

Etiam me nosse] Eadem conditione ſunt
B infælices miſeri, qua pauperes: neutri libenter à ſuis, & familiaribus agnoſcuntur.

Vix dvo treseve tvl. opem] Eleg. 4. lib. 1. Triſt.

Vix duo treſue mihi de tot ſupereſtis amici,
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.

Eleg. 5. lib. 5.

Te ſibi cum paucis meminit manſiſſe fidelem,
Si paucos aliquis treſue, duoſue vocat.

Qvorvm tv princeps] præcipuus: aut primus, aliquando enim ordinis eſt.

Neqve enim com. esse, sed avctor, &c.] Dignitas tua hoc merebatur, vt primus eſſes, & familiam duceres, nec ab aliis diſceres, ſed alios fidem atque conſtantiam doceres.

C Nec petere exemplvm] Loquitur ita Cicero pro Deiotaro. Is vir, vnde pudoris, pudicitiæq́ue exempla peterentur. Et 3. Off. nec vero ab his iuſtitię, tanquam à ſapiente petitur exemplum. Exemplum eſt quod proponitur vt ſequamur, aut vitemus. Exemplar eſt ex quo ſimilis efficitur aliqua ſpecies, & effigies: quæ & imago, & ſimulacrum appellatur. Illud animo æſtimatur, hoc oculis conſpicitur. Ita Feſtus. Sæpe tamen vnum pro altero ponitur.

Te nihil exacto, nisi nos, &c.] Senſus diſtichi huius eſt. Te probitas, & officium tuum vltro ſuſceptum iuuant, delectant, nihil exigentem, nulla re exacta, nihil ſpectantem, niſi confitentem reum.

D Per seqve petenda est, &c.] Iam ante diximus, hoc eſſe dogma Stoicorum, virtutem ſe ipſa contentam ad explendam beatam vitam, externa bona non requirere, de quo Seneca epiſtola 85. Cicer. de finibus, & 5. Tuſcul. In quo libro ſic inter cætera. In virtute ſatis præſidij ad bene viuendum, ſatis etiam ad beatè, ſatis vt fortiter viuamus, etiam vt magno animo, & quidem vt nulla re egeamus, ſemperq́ue ſimus inuicti.

Tvrpe pvt. abici q. s. miser. am.] ſi non fuit cauſſa diligendi fælicitas, non erit cauſſa deſerendi, & abiiciendi miſeria: ea enim miſeranda eſt.

Lasso digitvm sppon. mento, &c.]

Qui amicum redactum ad inopiam, aut miseriam adiuuant quibuscunque possunt officiis, quodammodo natantem in aquis sustentant, mannmque mento subiicinnt. Qui deserunt, lassum sub mergunt. Illud humanitatis, hoc immanitatis est. Eleg. 6.

Brachia da lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum.

QVID AEACID. POST MORT. P. AMICO] Achilles Patroclum sibi charissimum ab Hectore interfectum intolerantet luget, & funus eius curat sedulò, Iliad. 18.

INSTAR ET HANC VIT. MORT. H. PVTA] Et vitam quam nunc viuo in exilio, & in tantis ærumnis, puta mortem esse. Et quomodo Achillem non puduit nauare operam amico vel mortuo: sic nec te pudeat quam potes mihi dare operam.

PIRITHOVM THESEVS STYG. &c.] Imitare etiam Theseum, qui Pirithoum amicum, cupientem Proserpinam Plutoni eripere, ausus est comitari ad inferos, & societaté facti huius tam gloriosi, quanquam periculosi, nó recusauit. Fabulam hanc, quomodo quidam conati fint ad veram historiam traducere, ostendit Natalis lib. 3. cap. 5. De verbo *comito* suprà dictum habes.

A STYGIA. Q. MORS MEA DIST. AQVA?] Mors mea ciuilis à vera, & naturali morte parum distat. Quasi ad inferos iam descendo, confectus incommodis. Tu, Maxime, esto mihi quod Aeacides Patroclo, & Theseus Pirithoo.

AFFVIT INSANO IVVEN. PHOC. ORESTI] Tertium exemplum fidelitatis in amicum. Ego quoque in culpa mea quodammodo furiosus fui, vt Orestes post matricidium, furiis eum insectantibus, & exagitantibus. Verùm vt ille semper à latere suo Pyladen Phocensem habuit: fic tu me, non quidem præsentia tua perpetua, quod non est vt fieri possit, sed beneuolentia, & gratia, & auxiliis tuis comitare, ac prosequere, & tuere.

TV QVOQVE MAGN. LAVDES AOMITTE VIR.] cohortatio ad imitationem excellentium virorum, quibus laudi apud posteros fuerunt, quæ in amicos vel mortuos, vel in periculis constitutos, vel miseros officia contulerunt.

VTQVA PACIS, LAPSO. Q. P. AFF. OPEM] Statum suum vocat casum, siquidem se lapsum dicit, & alibi res lapsas. Sed si facit, cur petit vt faciat? Huic interrogationi occurrunt quæ sunt in extrema eleg. 15. lib. 5. Trist.

Nec te credideris, quia non facis ista moneri:
Vela damus, quamuis remige puppis eat.
Qui monet, vt facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

SI, QVI PRIVS ESSE SOLEBAS, &c.] Firmitatem, & inuictam constantiam Maximi commendat, qui omnes fortunæ impetus refutet. Et est sanè diserta commendatio.

ET BENE VTI PVGNES, &c.] Et quemadmodum hostis tuus (id est miserabilis conditio, & fortuna mea, quę exercet virtutem, & constantiam tuam) quia validus est (eò quod me nihil perditius) hoc magis in te pugnat, & eò te in tepugnando acriorem reddit: *sic eadem, &c.*

SIC EADEM PROD. C. NOCETQVE MIHI] Eadem caussa, exilium, nocet mihi, me conficit: & prodest, quia te ad mihi opitulandum accendit.

IVVENIS RARISSIME] Rarum crebrius pro præclaro, & insigni in multis rebus: quandoquidem quæ præclara sunt, vulgaria, & communia non sunt. Sic homo paucorum hominum, est vnus de numero paucorum, in illo genere puta, in quo laudatur.

STANTIS IN ORBE DEAE] Fortunam propter mobilitatem suam veteres pinxerunt globo insistentem, de qua feruntur versus Pacuuiani, quos adscribam.

Fortunam insanam esse, & brutã perhibent philosophi,
Saxóq; ad instar globosi prædicant volubilem:
Quia quò saxum impulerit fors, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem vocant, quia nil cernat quò sese applicet.
Insanam aũt aiunt, quia atrox, incerta, instabiliśq; sit.
Brutã, quia dignũ, aut indignũ nequeat internoscere.

De eius potentia Plin. lib. 2. cap. 7. De eadem Ouid. noster lib. 5. Trist. eleg. 9.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Apelles interrogatus, cur præter aliorum pictorum consuetudinem Fortunam sedentem pinxisset, quoniam, inquit, stare non potest.

NON SVNT HAEC QVALIA VELLES] Tu enim velles esse statum meum fælicem, nauem inconcussam.

VELA REDIS QVASSAE QVAL. RATIS] ἀλληγορία. Citra tropum eleg. 2. lib. 1. Trist. *Soluere quassata parcite membra ratis.* Præbes te mihi cum laceris velis, & quassata naui nauiganti tectorem quodammodo, ne omninò peream naufragio. Subit animo Terentianum illud ex Eunuch. *Quoniam quod vis fieri non potest, velis quod potest.*

RESTAT ADHVC] superest.

HVMERIS FVLTA RVINA TVIS] potentia, auctoritate, & beneuolentia tua sustentata.

IRA QVID. P. FVERAT. T. IVSTA] Cum dicisset Maximus, Ouidium offendisse Cæsarem, ipse, vt Cæsari deditus, ægerrimè tulit, non minus, quam ipsemet Cæsar, iratus.

CAESARIS ALTI] ad altitudinem, seu fastigium imperij referendũ est. Quasi dicat, in altissimo dignitatis seu principatus gradu collocati.

VT TAMEN AVO. S ST, &c.] Postquam intellexisti quod fuisset, & quale principium calamitatis meæ. Verisimile fit, Maximum diutius Roma abfuisse, vt infrà colligitur, & in poëtam ex Italia discedentem incidisse, atque ab eo rursum principium, & originem cladis ipsius audiuisse.

A ERRATIS INOFFENSVISSE MEIS] ex [illegible], vt amicus. Obserua, quam variè admissa sua nominet. Culpam, errorem, peccatum, delictum: facinus, aut scelus nunquam.

TVNC TVA ME PRIM. SOLARI LITT.] non antea. Quid enim solaretur, quem nondum insontem, aut parum sontem comperisset?

ET LAESVM FLECTI SP. D. P. DEVM] & excitare me ad spem clementiæ Augusti, ad me restituendum.

MOVIT AMICITIAE CVM TE, &c.] perpetuitas amicitiæ, quæ mihi cum domo vestra ante te natum intercessit.

MIHI NATVS AMICVS] vt vetustior amicus mihi esse non potueris. Plus hoc est, quam si diceret, à teneris, à puero.

B OSCVLA PRIMA] prima, non ante matrem vtiq;, aut patrem tuum. Sed prima dedi vagienti in cunis: alia postmodum cum gestareris in vlnis, vt vox *prima* ad tempus referatur.

TENERIS AB ANNIS] à prima pueritia. Ad Messalinum eleg. 2. *Ille domus vestræ primis venerator ab annis.* Loquens de viribus Maro, Georg. 2. *adeo à teneris consuescere multum est.*

ESSE VET. N. TIBI COGOR ONVS] iam grãdis natu cogor tibi esse oneri, qui tuis in pueritia, & adolescentia mea fui oblectationi.

LATIAE FACVNDIA LINGVAE] Romanorum eloquentissimus. Ad ipsum Maximũ eleg. 3. lib. 1. *Suscipe Romanæ facundia, Maxime, linguæ.*

C COMMITTERE CARM. FAMAE] euulgare, in publicum emittere. Pulcherrima est hortatio ad edendum librum epist. 10. lib. 2. apud Plin. Alibi noster. *Deniq; securum famæ liber ire memento.*

INGENII DVX FVIT ILLE MEI] Ad Messalinum, de patre eius, eleg. 8. lib. 1. *Hortator studij, caussaq; faxq; mei.*

NEC QVOD SIT PRIM. NOB. &c.] Non equidem pertinacius affirmo, fratrem tuum narrare posse, quo pacto ab adolescentulis ipsum dilexerim. Nihil hoc sit, certè te patre, & fratre amplius amaui.

ANTE OMNES ITA SVM COMPLEXVS] Amoris, & beneuolentiæ significatio inest in verbo *complector.* Ad Q. F. ep. 1. lib. 3. Frater eius mecum est multum. Quare, vt instituisti, complectere adolescentem. Epist. 6. lib. 2. ad fam. De ipso Tito Annio tantùm tibi polliceor, te maioris beneuolentię erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminẽ. Legitur etiam complecti aliquem charitate, beneuolentia, officiis, honoribus, beneficiis, muneribus, &c.

D VT VNA. Q. IN CASV GRAT. NOST. FORET] vt in quauis fortuna, & commutatione rerum nostra gratia simul esset (lego enim *vnà* vt aduerbium, non vt nomen) id est, non desineremus amare inter nos, & ęquè amaremus semper.

VLTIMA ME TECVM VID. ITALIS ORA] In finibus Italiæ, cum abirem in Scythiam, mecum es collocutus.

A MOESTISQVE OFNIS EXCEP. LACRYM.] *προσωποποιΐα.* Rei enim inanimæ personam dat.

NVM VERVS NVNTIVS ESSET] Res quæ nuntiatur, latinis in vtroque numero nuntius & nuntij, genere masculino dicitur. Ad Att. de Q. F. nuntij nobis tristes, nec varij venerãt. Et quidam boni nuntij me Thessalonicæ tenebant. Pro lege Manil. Is qui vno die, vno nuntio, vna literarum significatione, &c. Catull. in Arrium. *Cum subitò affertur nuntius horribilis.*

MALA FAMA] mihi noxia. Catull. in Rufum.

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

INTER CONFESS. MED. DVB. NEG.] nec confiteri, nec negare audebam.

B PAVID. DANTE TIM. NOTAS] pallescente me, vt solent, quos timor incessit.

EXEMPLOQ. NIVIS, QVAM MOLLIT, &c.] Hyperbolica comparatio. Eleg. 2. lib. 3. Trist.

Nil nisi flere libet, nec nostro parcior imber
Lumine, quàm verna de niue manat aqua.

HAEC IGITVR REFERENS] Horum itaque memor. Hæc igitur animo, & memoriæ tuæ subiiciens, tecum reputans. 1. Metam. de Ioue.

Fœda Lycaonia referens conuiuia mensa
Ingentes animo, dignas Ioue concipit iras.

ET QVOD MEA CRIM. P. ERRORIS, &c.] propter superiora, & propter hoc quoq;, quod peccatum meum primi erroris excusatione tegi potest.

C RESPICES ANTIQ. LAP. IN RES. AM.] In calamitate mea succurris mihi. In verbis respicere, & aspicere inest fauoris, & auxilij notio. Ideo vtriusq; vsus est in precibus. 4. Fast. ad Venerem.

Semper ad Æneadas placido pulcherrima vultu
Respice: totq; suas Diua tuere nurus.

Virgil. 2. Aeneid. *Iupiter omnipotens, precibus si flecteris vllis, Aspice nos, hoc tantùm.* Plaut. Bacchid. *Deus nos respiciet aliquis.* Terent. And. *& me, & te imprudens, nisi quid dij nos respiciunt, perdidi.*

FOMENTISQVE IVVAS VVLNERA, &c.] solatiis tuis alleuas dolorem meum.


COMMODA MILLE PRECOR] mille, sexcenta, trecenta Latinis in magno numero exprimendo vsitata sunt, quod sexcentis testimoniis probare liceret. Græcis *μυρία, μυριάκις.*

D SED SI SOLA MIHI. D. TVA VOTA] Si illud tantum mihi optare liceat, quod tu cupis, & in votis habes.

SALVO CAESARE SALVA PARENS] vtriusque igitur salutem, & incolumitatem, Cæsaris inquam Tiberij, & matris suæ imprimis optabat Messallinus.

CVM FACERES ALT. PENO. THVRE] cum thura adoleres. Eleg. 6. lib. 5. *Da mihi thura puer pingues facientia flammas.*

PRIMA] præ aliis: plura enim rogauit.



Elegia Quarta.

Ad Atticum.

IVCVNDA SVMMAE FAMILIAR. RECORDATIO.

Argumentum.

CRedit adhuc memorem sui, cuius ipse assiduò memor sit, & sibi consuetudinis cum eo familiarissimæ recordationem periucundam esse. Quanti eius de carminibus suis iudicium fecerit. Societatem illam celebrat, affirmans, fieri non posse, vt sui obliuiscatur. Monet nihilominus, curet, ne frustra tantopere fidat, & amicum veterem constanter tueatur.

Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro,
Attice, iudicio non dubitate meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
Deserit an partes languida cura suas?
Non ita dij mihi sunt tristes, vt credere possim,
Fasq́; putem iam te non meminisse mei.
Ante meos oculos præstò est tua semper imago,
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor:
Nec data iucundis tempora pauca iocis.
Sæpe cita longis visa sermonibus hora:
Sæpe fuit breuior, quàm mea verba, dies.
Sæpe tuas venit factum modò carmen ad aures:
Et noua iudicio subdita Musa tuo est.
Quod tu laudabas, populo placuisse putabam:
Hoc precium curæ dulce recentis erat.
Vtq́; meus lima rasus liber esset amici,
Non semel admonitu facta litura tuo est.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos cunctis curua theatra locis.
Denique tantus amor nobis, charissime, semper,
Quantus in Æaciden, Actoridenq́; fuit.

Non

Non ego, si biberes securæ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.
Longa dies citior brumali tempore, noxque
Tardior hyberna solstitialis erit:
Nec Babylon æstus, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæstanas vincet odore rosas:
Quàm tibi nostrarum veniant obliuia rerum:
Non ita pars fati candida nulla mei est.
Ne tamen hæc dici posßit fiducia mendax,
Stultaque credulitas nostra fuisse, caue.
Constantique fide veterem tuearе sodalem:
Quà licet, & quantum non onerosus ero.

COMMENTARIVS.



ELIDO AB ISTRO] conglaciat enim. Elegia 11. lib. 5. Trist. *Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.* Et alioqui Pontica regio, quam influit, cælo perfrigido est. Sæpius autem Istrum, quam Danubium vocat, vsitatiore scilicet vocabulo in illis locis.

IVDICIO NON DVBITATA MEO] Si non dubitat, si constantem putat in amicitia etiam nunc, quid ergo mox quærit? *Ecquid adhuc remanes. &c?* Videntur hæc pugnantia. Sed quærit, vt asseuerantius affirmet.

MEMOR INFELICIS AMICI] Laudauit ab hoc officio Maximum elegia priore.

Rem facis, afflictum non auersatus amicum,
Qua non est animo rarior vlla tuo.

DESERIT AN PART. I. CVRA SVAS?] An cura languescit, & munus suum deserit? Partes pro munere, à comœdiis translatum, in quibus sunt actores primarum, secundarum, tertiarum partium, qui Græcis πρωταγωνισταὶ, δευτεραγωνισταὶ, τριταγωνισταί.

NON ITA DII MIHI SVNT TRISTES] Non ita dij mihi aduersantur. Non ita me oderunt. Sicut autem diis amicis prospera, ita iratis contraria eueniunt: & ideo aptè tristes, ab effectu scilicet, faciunt enim tristes.

FASQVE PVTEM] posse fieri existimem. Nam fas interdum est idem quod Græcis δυνατὸν, & nefas ἀδύνατον, quomodo Cic. hoc verbum ex Timæo Platonis videtur conuertisse. Atque illius quidem quasi parentem huius vniuersitatis inuenire difficile est, & cum iam inueneris, indicare in vulgus nefas.

ANTE MEOS OCVL. P. AST. T. S. IMAGO] Eleg. 10. lib. 1.

A *Ante meos oculos tanquam præsentis imago*
Hæret, & extinctum viuere fingit amor.

Eleg. 4. lib. 3. Trist.

Ante oculos errat domus, vrbs, & forma locorum,
Accedunt que suis singula facta locis.
Coniugis ante oculos sicut præsentis imago est.

Eleg. 3. lib. 4. *Vultibus illa tuis tanquam præsentis inhæret.* Plin. ep. 1. lib. 2. de Virginio Rufo, maximo & clarissimo ciue. Totus animus in hac vna contemplatione defixus est. Virginium cogito, Virginium video, Virginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen audio, alloquor, teneo.

SERTA MVLTA MIHI. T. COLLATA] Eleg. 10. lib. 1.

Sæpe refert animus lusus grauitate carentes,
Seria cum liquida sæpe peracta fide.

SAEPE CITAE LONG. VISAE SERM. HORAE, &c.] In colloquiis iucundis horas, & dies sæpe
B consumpsimus, nec eos effluere sensimus. Elegia 14. lib. 5. Trist.

Vtque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermoni deficiente die.

Callimach. de se, & amico poëta. ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν. Expreßit Virg. eclog. 9. *Cantando puerum memini me condere soles.* Persius Satyr. 5. *Tecum etenim longos memini consumere soles.*

SAEPE TVAS VEN. F. M. CARM. AD AVRES] Quo pacto poëtæ Romani vicißsim sibi poëmata sua iudicij experiundi recitarent, dixi in eleg. vlt. lib. 4. Trist. Nec mirum tamen, si nos sæpius eadem explicationis ergo ponimus, cum poëta, quanquam non temere, eadem quoque iterare soleat. Puto insuper, me non adeo gratum lectori facere, si eum ad aliquid semel alicubi dictum semper remittam; cum præsertim ipse in hoc extremo ætatis meæ vacillante memoria non semper vbi dixerim, recordari queam.

QVOD

QVOD TV LAVDARAS POPVLO PLACVISSE PVTARAM] Tu vnus mihi eras pro populo, quod à Democrito prolatum, auctor est Seneca, cuius verba operæ pretium facturus videor, si apponam. Sunt autem in calce epistolę 7. Democritus ait: vnus mihi pro populo est, & populus pro vno. Bene & ille, quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) cum quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis spectaret, ad paucissimos peruenturæ: satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. Egregiè hoc tertium. Epicurus, cum vni ex consortibus studiorum suorum scriberet: hæc, inquit, ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Hic ille. Tu ergo Plato, tu Cato meus, qui Ciceroni fuit pro centum millibus. Vide Mureti cap. 5. lib. 16.

HOC PRETIVM CVRAE DVLCE RECENTES] Recentes labores meos in carminibus hoc dulci pretio, approbatione videlicet tua, compensabam, & solabar.

VTQVE MEVS LIMA RASVS LIBER ESSET AMICI] Meus liber, mea scriptio. Rudiores semper volumen interpretantur. In correctionibus, & cura, ac diligentia scriptionis, orationisue exprimendis, limæ vocem adhibemus, & dicimus scripta limari, ac poliri, limata, ac polita. Eleg. 6. lib. 1.

Scilicet incipiam lima mordacius vti,
Vt sub iudicium singula verba vocem.

Cicer. in Orat. perf. alij subtili quadam, & pressa oratione limati. De Finibus lib. 5. De summo bono duo genera librorum sunt: vnum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum limatius. Ad iudicium idem verbum transtulit epist. 33. lib. 7. opus est hîc limatulo, & polititio iudicio tuo.

NON SEMEL ADMONITV FACTA LITVRA TVO EST] Correxit igitur scripta sua Ouidius, quamuis non illos in exilio compositos.

NOS FORA VIDERVNT PARITER] vbique simul incedebamus, & alter alterius lateri hærebat, per fora, per porticus, per vias, per theatra.

QVANTVS IN AEACIDE, ACTORIDEQVE] Quantus fuit in Achille, & Patroclo, nepote Actoris, nobilissimo pari amicorum.

SI BIBERES SECVRAE POCVLA LETHES] Lethe fluuius inferorum, ab obliuione dictus, vnde qui bibunt, omnium rerum obliuionem bibunt. Vide Natal. cap. 20. lib. 3. Securam vocat ab effectu: facit enim securos, id est, nihil timentes, tanquam oblitos scilicet malorum omnium præteritorum, vnde nec futura metuunt: ex præteritis siquidem futura timentur.

LONGA DIES CITIOR BRVMALI SIDERE, &c.] longissimi dies, quales sunt in æstate, erunt breuiores hybernis breuissimis. Et nox breuissima solstitialis, erit quauis hyberna longior, quod fieri nequit. Seneca Hippolyto.

Sæuit solstitio cum medium dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis.

Et Agamem.

Sed cur repente noctis æstiua vices
Hyberna longa spatia producunt moras?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur, reddat iam mundo diem.

NEC BABYLON AESTVS, NEC FRIGORA PONTVS HABEBIT] quod similiter propter climatum diuersitatem, & terrarum situm fieri nequit.


CALTHAQVE PAESTANAS VINCET ODORE ROSAS] Pæstum oppidum Lucaniæ, rosis suauissimi odoris fœcundissimum. Bis anno nascuntur, Maio, & Septembri, vnde Virgil. 4. Georg. *bisferique rosaria Pæsti.* Et quis poëta harum non meminit? Caltham nominat & Maro eclog. 2. *Mollia luteola pingit vacinia caltha.* Vbi notauimus in Symb. ex Turnebo, qui id se in antiquo Lexico reperisse dicit, caltham esse buphtalmon, cum flore luteo. In generibus violarum numerat Plin. lib. 21.

NON ITA PARS FATI CANDIDA NVLLA MEI] Elegiâ 7. libro 1. *Non ita sunt fatis omnia versa meis.*

NE TAMEN HAEC DICI POSSIT FIDVCIA MENDAX] Mirum, rogari Atticum, ne patiatur hanc credulitatem de se decipi, cum tamen ab impossibili argumentans, docuerit non posse decipi.

QVA LICET] quâ potes.

QVANTVM NON ONEROSVS ERO] quatenus te non onerabo.





ELEGIA QVINTA.
Ad Solanum.

EXTENVATIO SVI, CVM LAVDIBVS SOLANI, ET GERMANICI ORATORVM.

ARGVMENTVM.

CANDOREM sæculo suo propè nullum cerni. Quod exilio suo doluerit, sibi fauerit, Cæsarem propitium optauerit, gratum habet. Motum esse ad misericordiam conditione loci potissimùm, in quo nulla pax. Legi tamen libenter versus suos in illis tumultibus scriptos, applaudique ingenio, quamuis modico. Se aggressum triumphum Tiberij, rerum grauitati, ac ponderi succubuisse; quem librum eius tutelæ tradit. Laudat Solanum à candore, ab eruditione, ab eloquentia, à communione studiorum arctissima cum Germanico Cæsare, quem pro oratore magno prædicat. Amari se à Solano vt consortem eiusdem studij. Vnum esse fontem, è quo promanent ambæ facultates, poësis puta, & oratoria: certis tamen discriminibus separari. Germanico vitam diuturnam cum imperij gubernaculis precatur.

Condita disparibus numeris ego Naso Solano
Præposita misi verba salute meo.
Quæ rata sit cupio, rebusq; vt comprobet omen,
Te precor vt saluo possit amice legi.
CANDOR IN HOC AEVO RES INTERMORTVA PAENE,
Exigit, vt faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamuis modico tibi iunctus ab vsu,
Diceris exiliis ingemuisse meis.
Missáque ab Euxino legeres cùm carmina Ponto,
Illa tuus iuuit qualiacunque fauor.
Optastique breuem fieri mibi Cæsaris iram:
Quod tamen optari, si sciat ipse, sinat.
Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti:
Nec minus idcircò sunt ea grata mihi.

Quoq; magis moueare malis, doctiſsime, noſtris,
Credibile eſt fieri conditione loci.
Vix hac inuenies totum (mihi crede) per orbem,
Quæ minus Auguſta pace fruatur humum.
Tu tamen hic ſtructos inter fera prælia verſus
Et legis, & lectos ore fauente probas.
Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis, & è riuo flumina magna facis.
Grata quidem ſunt hæc animo ſuffragia noſtro,
Vix ſibi cùm miſeros poſſe placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,
Materiæ gracili ſufficit ingenium.
Nuper vt huc magni peruenit fama triumphi,
Auſus ſum tantæ ſumere molis onus,
Obruit audentem rerum grauitaſq; nitòrque:
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Illic, quam laudes, erit officioſa voluntas:
Cætera materia debilitante iacent.
Quòd ſi fortè liber veſtras peruenit ad aures,
Tutelam mando ſentiat ille tuam.
Hoc tibi facturo vel ſi non ipſe rogarem,
Accedet cumulus gratia noſtra leuis.
Non ego laudandus, ſed ſunt tua pectora lacte,
Et non calcata candidiora niue.
Mirariſque alios, cùm ſis mirabilis ipſe,
Nec lateant artes, eloquiùmque tuum.
Te iuuenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem ſtudij Cæſar habere ſolet.
Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante places.
Te dicente prius, fit protinus impetus illi:
Teque habet, elicias qui ſua verba tuis.
Cùm tu deſiſtis, mortaliaque ora quierunt,
Clauſaque non longa conticuêre mora:
Surgit Iulæo iuuenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.
Dumque ſilens aſtat, ſtatus eſt vultuſque diſerti:
Spemque docens doctæ vocis amicus habes.
Mox vbi pulſa mora eſt, atque os cæleſte ſolutum:
Hoc ſuperos iures more ſolere loqui.

Atque hæc est dicas facundia principe digna:
Eloquio tantum nobilitatis inest.
Huic tu cùm placeas, & vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
SCILICET INGENIIS ALIQVA EST CONCORDIA IVNCTIS:
ET SERVAT STVDII FOEDERA QVISQVE SVI.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubia nauita puppis amat.
Tu quoq; Pieridum studio studiose teneris,
Ingenioq; faues ingeniose meo.
DISTAT OPVS NOSTRVM: SED FONTIBVS EXIT AB IISDEM,
ARTIS ET INGENVAE CVLTOR VTERQVE SVMVS.
Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis:
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Vtq; meis numeris tua dat facundia neruos:
Sic venit à nobis in tua verba nitor.
Iure igitur studio confinia carmina vestro,
Et commilitij sacra tuenda putas.
Pro quibus vt maneas de quo censeris amicus,
Comprecor ad vitæ tempora summa tuæ.
Succedatq; suis orbis moderator habenis,
Quod mecum populi vota precantur idem.

COMMENTARIVS.



ONDITA DISPARIB. NVM. VERBA] inclusa numeris poëticis, seu versibus: & disparibus, quia elegiacis, quorum vnus longior pedum sex, alter breuior, pedum quinque. 1. Amor. eleg. 1. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinq; residat.* Vbi pedes vocat numeros. Horat. ad Pisones versus impariter iunctos. Eleg. 1. lib. 3. Trist. *Clauda quod alterno subsidunt carmina versu.* Eleg. 7. *Aptaq; in alternos cogere verba pedes.*

PRÆPOSITA SALVTE] Apparet hinc, epistolæ huic præscripsisse hæc verba:

P. OVIDIVS NASO SOLANO S.

Quod idem de aliis æstimemus licet.

REBVSQVE VT COMPROB. OMEN] & vt vota, precationemque res sequatur.

TE PRECOR VT SALVO. P. AMICE LEGI] Precor, amice, vt posit à te saluo legi: & hoc vt precer, candor me impellit.

CANDOR IN HOC ÆVO RES INTERM. PÆNE] Plaut. de bonis moribus Trinum. *Ita iam propemodum omnes sunt intermortui.* Citabimus & alibi, vbi gratiam meritorum amici apud se morituram negat. Hac nostra ætate rarus est candor in hominibus: astus, fallaciæ, doli omnia occuparunt. Superiore eleg. *Qua non est aeuo rarior vlla tuo.*

EXIGIT VT FACIAM. T. V. TVVS] Cogit me talia vouere, & cupere tibi, cuius ego sum, sicut tu meus. De his vocibus meus, tuus, suus in amicitia diximus in eleg. 4. lib. 1.

IVNCTVS MODICO AB VSV] etsi non magno, & longo vsu coniuncti viximus. Terent. Heaut. *Quanquam hæc inter vos nupera notitia admodum est.*

DICERIS EXILIIS INGEM. MEIS] AEtiologia, quare talia vota faciat; & quare suum vocet, seque illios esse dicat. Seu potius, hæc candoris explicatio est. Quia quamuis modico vsu sibi iunctus, malis tamen ipsius indoluerit, & carminibus fauerit, & Cæsarem ei mitiorem optauerit. Talia commendat eleg. 5. lib. 3. Trist.

Vsus amicitiæ tecum mihi paruus, vt illam
Non ægre posses dissimulare, fuit. &c.

QVOD TAMEN OPT. SI. IPSE, SIN.] cui voto Cæsar ipse, si sciat, non aduersetur.

MORIBVS ISTA TVIS. &c.] Sunt quidem isti mores tui, ingeniumque mitissimum, atque ad miserationem promptissimũ, vnde hæc tam beneuola vota profecta: sed non idcirco minus me delectant.

CONDITIONE LOCI] in quo cum multa incommoda patienda sint assiduò, tum hoc incommodissimum, quod nec tuta pax est. Itaque ob hanc causam præcipue toties mutationem exilij flagitat.

AVGVSTA PACE] Augustam pacem reor appellare, quam Augustus orbi terrarum suis armis peperit. Non esse autem tumultuosiorem locum sub cælo, audacter affirmat.

STRVCTOS INTER. F. PRÆL. VERSVS, &c.] qui non possunt esse admodum boni, cum carmina secessum scribentis, & otia quærant, & pacem mentis desiderent, quæ mihi isto loco nõ contingunt. Eleg. 9. lib. 1.

Quæq; magis nostros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.

Structos versus dixit, ac si diceret compositos. Nam vt in structura est compositio, ita in compositione structura. Duriusculum tamen, struere versus, & à me quidem quod meminerim, nondum lectum. Facili, ac leui mutatione legeretur scriptos. Structuram appellat lib. 4. eleg. 13.

ORE FAVENTE PROBAS] laudibus etiam prosequeris, lingua faues, vt fit in sacris.

VENA QVOD PAVPERE MANAT] Eleg. 12. lib. 3.

Ingenium fregere meum mala, cuius & ante
Fons infœcundus, paruaq; vena fuit.

Summissius hoc, quam verius. Cuius enim vena affluentior? aut de quo poëta mage dici potest, quod ipse de Germanico 1. Fast. *Ingenij currant flumina quanta tui?* sed & alibi tam modestè de se locutus est. Vena pro ingenij facultate. Vide dicta ad eleg. 7. lib. 3. ibi. *Ne male fœcunda vena periret aqua.*

ET E RIVO FLVM. MAGNA FACIS] Qui riuus est, tu habes pro flumine. Quam versu proxime antegresso pauperem venam, nunc riuum nominat. Riuus, inquit Festus, vulgò appellatur tenuis fluor aquæ, non ope, consilioue factus; verùm naturali suo impetu. Sed iji riui dicuntur qui manu facti sunt, siue super terram fossa, siue subter specu, cuius vocabuli origo ex græco pendet, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν videlicet, quod est fluere.

HÆC SVFFRAGIA] hic calculus tuus. Hæc tua de me tam bona opinio.

VIX SIBI CVM MISER. POSSE. P. PVTES] Cum vix videatur fieri posse, vt miser sibi placeat, placeo tamen mihi, & abs te laudatus, aliquid me esse puto.

IN REBVS PARVIS] sed modicum ingenium rebus modicis, ac tenuibus sufficere, mirandum non est. Scribimus autem non grandia.

A

VT HVC MAGNI. P. FAMA TRIVMPHI] Eleg. 1.

Huc quoq; Cæsarei peruenit fama triumphi,
Languida quò fessi vix venit aura Noti, &c.

Rursum lib. 3. eleg. 4.

TANTÆ SVMERE MOLIS ONVS] Imponere humeris meis tantum onus, & suscipere laborem, quàm possem ferre, maiorem. Eleg. 4. lib. 3.

Res quia tanta fuit, quam vt subsistere summo
Æneides vati grande fuisset onus.

Imponere, suscipere onus, cum de litteris, & libris sermo est, crebra Ciceroni. Vt 1. de orat. neque vero ego tantum oneris imponam nostris hominibus, nihil vt iis liceat nescire.

B

OBRVIT AVDENT. RER. GRAVIT. &c.] Quadrant huc Horatiana illa Ode 6. lib. 1.

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor, Mæonij carminis alite,
Quam rem cunq; ferox nauibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos Agrippa, neq; hæc dicere, nec grauem
Pelidæ stomachum cedere nescij.
Nec cursus duplicis per mare Vlyssei
Nec sæuam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia, &c.

Sic lib. 2. Trist. cur omissis amatoriis leuitatibus non scripserit grauiora, atque adeo res à Cæsare gestas, caussam hanc adducit.

Arguor immeritò. Tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.

C

Non ideo debet pelago se credere, siqua
Audet in exiguo ludere cymba lacu,

& quæ sequuntur.

QVAM LAVDES ERIT OFFICIOS. VOLVNT.] Propert. eleg. 10. lib. 2.

Iam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Et noster infra; lib. 3. eleg. 4. *Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

CÆTERA IACENT] sola voluntas elucet in illo carmine: neruus, elegantia, ingenium, &c. rerum maiestatem non exæquant.

D

MATERIA DEBILITANTE] ingenium, & alia, quæ in me tanta non sunt, superante. 2. Trist.

At si me iubeas domitos Iouis igne gigantes
Dicere, conantem debilitabit onus.

VESTRAS PERVENIT AD AVRES] Romam est perlatus, in manus vestras incidit, vobisque est recitatus. Cic. pro M. Marcello, sæpe enim venit ad aures meas, te idẽ istud nimis crebrò dicere.

TVTELAM SENTIAT ILLE TVAM] Eleg. 14. lib. 3. Trist. similiter libros suos in tutelam amici contendit.

HÆC TIBI FACTVRO VEL SI NON, &c.] Quod vel non rogatus à me facturus esses, hoc amore mei adductus, aliquanto libentius facies.

NON EGO LAVDANDVS] Laudari ſe ait ab illo: ſed eam laudem magis eſſe candoris eius, quam ſuorum meritorum.

SVNT TVA PECTORA LACTE, &c.] quantus ſit in Solano candor, duabus rebus candidiſsimis per comparationem declarat. Quid enim lacte, & niue candidius?

MIRARISQVE AL. CVM SIS MIRAB. IPSE] Modeſti animi eſt, ſua negligere, aliena magni facere. Aliena admirari, ſua in minimis ponere.

NEC LATEANT ARTES] ingenuæ & bonæ vtique: nam & malæ quædam artes ſunt.

ELOQVIVMQVE TVVM] facundia, ſeu eloquentia tua. Eleg. vlt. 4. Triſt. *Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo.*

TE IVVENVM PRINCEPS. C. D. GERM. N.] Germanicus Cæſar, princeps iuuentutis. Hæc appellatio in ordine equeſtri dignitatem olim habuit. Perſes Macedonum rex de victoria ſe efferens apud Liuium lib. 42. victos ait ab ſe Romanos equites, illos principes iuuentutis. Cic. L. Domitium Ahenobarbum iuuentutis principem nominat, tanquam ſummæ exſpectationis iuuenem. Item pro Sylla L. Torquatum principem, & ſigniferum iuuentutis, quoniam in tumultu Catilinario inter equites ſtudium ſuum erga rempub. eximiè declarauerat. Imperatores quoq; Romani nepotes, & conſanguineos ſuos ita appellarunt, velut apices nobilium iuuentutis, idque Auguſti exemplo, qui cum duos ex Iulia filia nepotes ſuos, C. & L. Cæſares appellaſſet, tenera ætate in equeſtrem ordinem eos retulit, qui mox ab eodem ordine clypeis aureis, haſtiſque puris donati, & principes iuuentutis nuncupati ſunt. Hinc etiam ſatis liquet, quare nobiliſſimi Cæſares dicantur. Hactenus Onuphrius, libris de Roman. Principibus. Nulla poteſtas hac appellatione indicabatur (ex Mureto Notis in Tacitum) ſed dignitas tantum quædam, qua Imperatorum filij vſque ab adoleſcentia cohoneſtabantur, & à cæteris diſtinguebantur.

PARTICIPEM STVD. HAB. SOLET] Tu es ſtudiorũ illius ſocius, oratoriorum inquam. Legendum *ſtudiis*. Antiquè enim dandi caſus pro gignendi poſitus eſt. Sic 7. Metamorph. *Tuq; triplex Hecate, cœptis quæ conſcia noſtris.* Virgil. lib. 11. *conſilijs habitus non futilis auctor.*

TV COMES ANTIQVIS] familiaris. Quã antiquus? ſequitur.

TV PRIMIS IVNCTVS AB ANNIS] A pueris dilexiſtis inuicem. De tali amicitia Plautus, an Terentius, *incepta quæ à paruis cum ætate accreuit ſimul.*

INGENIO MORES ÆQVIPARANTE] & moribus, & ingenio ſimiles. Ariſtoteles 8. Ethic. ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται ſimile appetit ſimile. Et fertur illud, ſimilitudinem eſſe matrem amoris. Vide adagium, ſimile gaudet ſimili.

A *TE DICENTE. P. FIT. P. IMPET. ILLI*] tanquam æmulo excitatur cupiditas dicendi, & te æquandi, quoties te dicentem audit.

MORTALIAQVE ORA QVIERVNT] Tu mortalis es: ille potius deus quidam.

NON LONGA MORA] aliquandiu, ad tempus ſiluerunt.

SVRGIT IVLEO IVVEN. COG. DIGN.] Iuleum nomen eſt Cæſar, Iulius enim Cæſar; quo primus cognominatus eſt Auguſtus, deinde Tiberius, deinde Germanicus, à Tiberio, ſicut ille ab Auguſto, & is à Iulio adoptatus.

QVALIS AB EOIS LVCIF. ORT. AQVIS] Pulchri ſtellis, ſoli, luci comparantur. Huiuſmodi comparatio eſt. 8. AEneid. Nam de Pallante,
B quem filium ſuum Euander AEneæ cum auxilis militaribus adiungit militiæ tyronem,

———ipſe agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conſpectus in armis.
Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda.
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo, tenebraſq; reſoluit.

DVMQVE SILENT] auditores.

ASTAT, STATVS EST VVLT. DISERTI] Ad Vlyſſem Homericum Iliad. 3. vel etiam, & magis, ad Vlyſſem 13. Metamorph. fortaſſe alludit. Sic enim ibi, ὀμηρικῶς.

Finierat Telamone ſatus, vulgiq; ſecutum
Vltima murmur erat, donec Laertius heros
Aſtitit, atq; oculos paulùm tellure moratos,
C *Suſtulit ad proceres, exſpectateq; reſoluit*
Ora ſono.

De ſtatu oratoris, & vultu ita eſt apud Fabium lib. 11. cap. 3. ſtatus ſit rectus. æqui, & diducti paululum pedes, vel præcedens minimo momento ſiniſter, genua recta, ſic tamen, vt non expendantur, humeri remiſsi, vultus ſeuerus, non mœſtus, nec ſtupens, nec languidus.

SPEMQVE DOCENS. D. V. AMICVS HAB.] & Solanus Germanici amicus ex ſilentio, ſtatu, & vultu tali doctam orationem auditum iri ſperat. Sed quorſum illud participium *docens*? Ad Solanum puto, quem ſignificat Germanico non modo ſtudiorum ſocium, ſed ducem quoque, &
D magiſtrum fuiſſe.

MOX VBI PVLSA MORA EST] poſt aliquantum ſilentium, & moram.

OS CÆLESTE SOLVTVM] Propter hoc paulo ante de Solano, *mortaliaq; ora quierunt.* Cæleſtiſsimi oris de poëta quopiam, an de oratore? & Velleius, an alius?

HOC SVPEROS IVRES. M. SOL. LOQVI] Cic. in Bruto. Quis vberior in dicendo Platone? Iouem ſic, vt aiunt, ſi græcè loquatur, loqui. Et in Orat. perf. Xenophontis voce Muſas quaſi locutas ferunt.

FACVND. PRINCIPE DIGNA] In adminiſtratione ciuili multum prodeſſe eloquẽtiam, eamq; à priſcis regibus cultam, lib. de ciuili In-

ſtitut. docet Plutarchus. Reges enim, inquit, illi magni, & Ioue ſati (vt ait Homerus) tametſi ſceptris, & purpura nobiles, ſatellitibus conſtipati, deorum demum oraculis inflati, & tumidi vulgus territare ſoliti, ac ſibi ſubiicere, volebant tamen verborum oratores effici, gratiamque dicendi nequaquam aſpernabantur, conciones, in quibus clari ſolent effici viri, non negligebant, &c.

ELOQVIO TANT. NOBILIT. INEST] tam eſt eximia, & abſoluta illius eloquentia; tam eſt eloquentia nobilis. Magnum & nobilem Rhetorem vocat 2. de inuent. Cicero. Idem 1. de Orat. multi in philoſophia præclari, & nobiles.

ET VERTICE SID. TANGAS] ſis ideo fælicißimus, quia tanto Principi gratus, & charus es. Horat. Ode 1. lib. 1. *Sublimi feriam ſidera vertice.* Seneca Thyeſti. *Altum ſuperbo vertice tangens polum.* Propert. ad oſtendendam fælicitatem ſuam lib. 1. eleg. 8. contrarium protulit. *Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis.* Quaſi dicat. in cælo ambulo ſub pedibuſque videns nubes, & ſidera, vt Daphnis ille Virgilianus: & vt Ennius apud Varronem de Muſis. pedibus magnum pulſo olympū. Affinia ſunt, in cælum tollere, ferre, in cælo eſſe. Cic. ad Att. lib. 2. ep. 1. Digito cælum tangere. quibus quidam inducti, fruſtra legendum cenſuerunt apud Propertium *palmis* pro *plantis*.

SCRIPTA TAMEN PROFVGI, &c.] Cum ſis tantus, non dedignaris tamen exulis ſcripta legere, & apud te habere.

INGENIIS ALIQVA E. CONCORD. IVNCTIS] Ingeniorum ſimilitudo amicitias conglutinat.

ET SERVAT STVD. FÆD QVISQVE SVI] Quiſque noſtrum fœdus quoddam habet cum ſociis ſtudiorum atque artium ſuarum, & bene conuenit agricolæ cum agricola, militi cum milite, gubernatori cum gubernatore. Iuxta prouerbium, cicada cicadæ chara, & formica formicæ.

TV QVOQVE PIERID. STVD. &c.] Sic tu, cum ames Muſas, & ſtudium poëticum, amas & ingenium meum, meque vt poëta poëtam diligis. Indicat hîc, Solanum quoque poëtam fuiſſe. Alioqui non ſatis procedet comparatio. In ſequentibus tamen facit oratorem, & fontem ſibi cum eo communem eſſe vult: vt etiam própter hoc ipſum dicere potuerit, illum Pieridum ſtudio teneri.

DISTAT OPVS NOSTRVM] Opus vtriuſque, & oratoris, & poëtæ eſt oratio: ſed eſt in eo tamen diſcrimen. ac diſsimilitudo, quam explicat his verbis Cicero 1. de orat. Eſt enim finitimus oratori poëta, numeris paulo deuinctior, verborum licentia liberior, multis ornandi generibus ſocius, ac pæne par: in hoc certe prope idem, nullis vt terminis definiat ius ſuum, quo minus ei liceat eadem facultate, & copia vagari qua velit. Locum hunc copioſè explanauit in A-

A ctio dialogo Iouian. Pontanus. Principio quid Cicero, &c. pag. 151. editionis Aldinæ. Poëtica ſtudia cum oratoriis contendit Victor. orat. 4.

SED FONTIBVS EXIT AB IISDEM] Cic. 3. de orat. poëtis eſt cum oratoribus proxima cognatio. Et in orat. perf. Etiam poëtæ quæſtionem attulerunt, quid nam illud eſſet, quo ipſi ab oratoribus differrent. Numero antea videbantur, & verſu: nunc apud oratores numerus increbuit. Hoc autē laudabilior eſt poëta, quod oratoris virtutes perſequitur, cum numeris ſit aſtrictior. Accedat Quintillan. ita differens lib. 10. ſub finem. Id quoque vitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione poëtas nobis, & hiſtoricos, in illorum operibus oratores, aut declamatores imitandos putemus. Sua cuiq; propoſita lex, ſuus decor eſt. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit; nec contra tragœdia ſocco ingreditur. Habet tamē omnis eloquentia aliquid

B commune. Id imiter, quod commune eſt.

THYRSVS ENIM VOBIS] Oratores concitatiores ſunt, & quodam modo Bacchico furore incitantur. Sacerdotes enim Bacchi geſtabant thyrſos. & furentes clamitabant. Thyrſus eſt haſta pampinis, aut edera circumuoluta, in cuius extremo mucro ad ſimilitudinem coni pinei. Id erat inſigne, & velut ſceptrum Bacchi, quem & Bacchæ ſacerdotes eius in ſacris ferebant. De eo Virgil. eclog. 5. *Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.*

GESTATA EST LAVREA NOBIS] quia

C minori impetu ferimur, lauream Apollinis, præſidi noſtro ſactam geſtamus. De poëtica lauro diſſerui in Symb. meis, ad illud eclog. 7. *Paſtores edera creſcentem ornate poëtam.*

AMBOB. DEBET INESSE CALOR] De poëtico calore ſatis conſtat, & vulgatum eſt illud 6. Faſt. *Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.* De oratorio autem, vel potius de vtroque ſimul teſtatur Cic. 1. Tuſcul. Mihi verò ne hæc quidem notiora. & illuſtriora carere vi diuina videntur, vel ego aut poëtam graue, plenumque carmen ſine cæleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere; aut eloquentiam ſine maiore quadam vi fluere, abundantem ſonantibus verbis, vberibuſq; ſententiis.

D *VTQVE MEIS. N. T. D. FACVND. VIRES*] Ab oratore ſumit poëta robur, vim, neruos. Cic. in orat. perf. poëta virtutes oratorias perſequitur, cum verſu ſit aſtrictior.

SIC VENIT A NOB. IN. T. VERBA NIT.] A poëta ſumit orator verborum ornatū, & ſplendorem. Dicam *γανώσεως*. A poëtis in rebus ſpiritus, in verbis ſublimitas, in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur. Theophraſtus lectionem poëtarum plurimū oratori conferre cenſuit, ob has cauſſas vtique: cuius iudicium multi ſunt ſecuti. Quintil. lib. 10. cap. 1.

IVRE IGIT. STVD. CONF. CARM. VESTRO, &c.] Quæ hactenus de ſocietate duarum facultatum dixit, eo fine dixit, vt ſe meritò illi

n 3 eſſe

eſſe cordi oſten deret. Concluditergo. in hanc ſententiam. Quoniam ſtudia noſtra cognata ſunt, & commilitium habent, & artiſex diligit eiuſdem generis artificem, tu orator me poëtam iure tuendum ſuſcipis.

PRO QVIBVS] ſtudiis nempe,& ſacris communibus.

VT MANEAT AMICVS] tibi,Germanicus Cæſar.

DE QVO CENSERIS] decnius gratia, & fauore tua dignitas, & æſtimatio pendet. Lib.3. eleg.1. *Hoc domui debes,de qua cenſeris,* in cuius cenſu quodammodo es.

AD VITÆ TEMP.SVMMA] vſque ad exitum è vita. Vſque ad ſummum diem. Felices dueit Horat. quotum mutuum amorem ſola mors dirimit. Ode 13.lib.1.

Fælices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulſus querimoniis
Suprema citius ſoluet amor die.

A

SVCCEDATQVE SVIS ORBIS MOD. HABEN.] Succedat Tiberio, à quo eſt in filium adoptatus, quem potuiſſet, ſi voluiſſet, antenertere. En teſtimonium Suetonij cap.1. in Calig. Miſſuſque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones vniuerſas imperatorem Tiberium pertinaciſsimè recuſantes, & ſibi ſummam reipub.deferentes. incertum conſtantia,an pietate maiore, compeſcuit. Laudat eum ſuſe Tacit.lib.2.annal.& Ioſephus lib.18.cap.8.

QVOD MECVM POP. VOTA PRECANT. IDEM] Fuit namque populo chariſsimus, quod maximè ex communi luctu mortis eius patuit. Verba Taciti hîc annumerabo tibi. Hos vulgi ſermones audita mors adeò incendit, vt ante edictum magiſtratuum, ante ſenatuſconſultum, ſumpto iuſtitio deſererentur fora, clauderentur domus, paſsim ſilentia,& gemitus. nihil compoſitum in oſtentationem. Et quanquam neque inſignibus lugentium abſtinerent, altius animis mærebant.

ELEGIA SEXTA.

Ad Græcinum.

INANITAS REPREHENS. CVM ADMONIT.

ARGVMENTVM.

Caſtigarat Ouidium Græcinus, & vel grauius ſupplicium (necem opinor) meruiſſe pronuntiarat: Non negat poëta: ſed ſerò ſe reprehendi,& durius quam oporteat vltro confitentem: & ante peccatum fuiſſe monendum dicit. Facto naufragio fruſtra doceri rectum iter: potius ſibi manus porrigendas. Id vt faciat,bona viciſſim precando hortatur, & vt famæ,ac honoris ſui rationem ducat, ſeriò admonet. Exemplum Pyladis & Oreſtis, Theſei & Pirithoi opponit; &,ſi à conſtantia non diſceſſerit, celebritatem illi ex verſibus ſuis pollicetur. Quanquam autem in fide perſeueret, nihilominus currentem incitare voluiſſe.

Carmine Græcinum, quem præſens voce ſolebat,
Triſtis ab Euxinis Naſo ſalutat aquis.

Exulis hæc vox eſt, præbet mihi littera linguam:
Et, ſi non liceat ſcribere, mutus ero.
Corripis, vt debes, ſtulti peccata ſodalis:
Et mala me meritis ferre minora doles.
Vera facis, ſed ſera meæ conuicia culpæ:
Aſpera confeſſo verba remitte reo.
Cùm poteram recto tranſire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem ſaxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto,
Qua mea debuerit currere cymba via?
Brachia da laſſo potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento ſuppoſuiſſe manum.
Idq; facis, faciaſq; precor: ſic mater, & vxor,
Sic tibi ſint fratres, totaq; ſalua domus.
Quodq; ſoles animo ſemper, quod voce precari:
Omnia Cæſaribus ſic tua facta probes.
Turpe erit, in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci,
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere, amicum
Et, niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.
Non ita vixerunt Strophio, atq; Agamemnone nati:
Non hæc Ægidæ, Pirithoiq; fides.
Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas:
In quorum plauſus tota theatra ſonant.
Tu quoq; per durum ſeruato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.
Dignus es: &, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officij gratia ſurda tui.
Crede mihi, noſtrum ſi non mortale futurum eſt
Carmen, in ore frequens poſteritatis eris.
Fac modò permaneas lapſo Græcine fidelis:
Duret & in longas impetus iſte moras.
Quæ tu cùm præſtes, remo tamen vtar, & aura:
Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo.



COMMENTARIVS.

CARMINE, QVEM PRÆS. VOCE SOLEB.] Littera, dicit in aliis: ea enim est loco vocis inter absentes.

TRISTIS] Longe plus rei subest, quam vox sonat, si meministi querimoniarum eius per omnes libros.

PRÆBET MIHI LITTERA LINGVAM] Littera est mihi lingua. De Io in vaccam mutata, ad patrios questus tacente. 1. Metam.

Littera pro verbis, quam pes in puluere duxit,
Corporis indicium mutati triste peregit.

SI NON LICEAT SCRIB. MVTVS ERO] Mutus potest scribere, quamuis non possit loqui. Sed quoniam absentis sermo est littera, qui absentem prohibet scribere & ipsum quoque mutum reddit.

VT DEBES] Nam & hoc amicitiæ ratio postulat, corripere amicum delinquentem. Quare non capio, cur Megaronides senex in Trinummo dicat, reprehensurus Calliclem amicũ suum, quem falsò reum putabat:

Amicum castigare ob meritam noxiam
Immune est facinus: verum in ætate vtile.

Si enim est vtile, vtique non est immune, hoc est, improbum facinus: sic enim istuc verbi explicat Festus.

STVLTI SODALIS] Stultum se vocat, quia & peccatum suum sæpe stultitiam nominat. Et verè, dum peccamus, quid nisi stulti sumus, seu phrenetici potius, cum nosmetipsos lædamus grauissimè.

ET MALA ME MERIT. F. MIN. D.] Ostendis me pro delicti magnitudine non satis pœnarum dedisse. Hoc mirum videri queat, cum non nisi stultitia, & error fuerint, quæ peccauit. Veruntamen ipse poëta hoc alibi affirmat, vt alium idem affirmare mirum nõ sit. Eleg. 11. lib. 5. Trist.

Quid loquor ah demens? ipsam quoq; perdere vitam
Cæsaris offenso numine dignus eram.

Nodus ita soluitur. Si peccata per se spectes, nec istam pœnam, tam graue scilicet exilium, erat commeritus. Si spectes in quem peccauit, Augustum ipsum, quem diis æquat toties, & verum credis illud, *omnis an in magnos culpa deos scelus est?* forte maiora meruit.

SED SERA MEÆ CONVIT. CVLPÆ, &c.] remitte, & abstine à reo verba aspera, acerbitatem obiurgationis, quia serò culpam meam insectaris.

RECTO TRANSIRE CERAVNIA VELO] Coguntur sæpe obliquare velorum sinus nautæ, ad ventorum flatus excipiendos. Qui autem recto velo semper nauigant, prosperè nauigant. Ceraunii, & Acroceraunia idem sunt, montes Epiri, tam alti, vt fulminibus crebrius petantur, *Feriuntq; summos fulgura montes,* inquit Horat. Ode 10. lib. 2. Meminit horum Virgil. Georg. 1. *Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telum Deiicit.* Et 3. Æneid. *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta.* Et Horat. Ode 3. lib. 1. vocat infames scopulos, propter naufragia sæpenumero ibi facta.

NVNC MIHI NAVFRAG. QVID PROD. &c.] Cum perierim, frustra moneor ne peream. Hoc enim vult allegoria. 2. Amor. eleg. 2.

Serò respicitur tellus, vbi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.

Eleg. 3. lib. 1. Trist. *Ecquanquam serò clypeum post vulnera sumo.* Quintil. lib. 2. cap. 7. Plus proderit, demonstrasse rectam protinus viam, quam reuocare ab errore iam lapsos.

BRACHIA DA LASSO. P. PREND. NAT.] Adiuua naufragum, ne penitus intereat. *Si modo qui periit non periisse potest,* vt ait eleg. 3. lib. 1. Trist.

NEC PIGEAT MENTO SVPPOS. MAN.] Eleg. 3.

Mitius est lasso digitum supponere mento.
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

IDQVE FACIS, FACIASQVE PRECOR] Docuimus alibi, consuetudine fieri, vt ad quod faciendum quempiam impellimus, id eum facere dicamus, magis ad hortationem adiuuandam, quam ad veritatem rei.

SIC MATER. ET VXOR, &c.] Poëticum schema, cuius multa exempla iam vidimus, & visuri sumus.

CÆSARIB. SIC TVA. F. PROBES] Augusto, & Tiberio placeas, quibus placere quis nollit, cum sint domini orbis?

TVRPE ERIT IN MISERIS, &c.] Ab indignitate defectionis, ad se tuendum vrget hominem. Turpe est amicum veterem deserere. Ne ergo me deseras. Qui sequuntur versus. 4. eandem sententiam complectuntur. Est enim copiosus Ouidius, & hoc sibi proprium habet, & est eius regnum.

NEC PASSV STARE TENACI] A militia ductum. Boni, & generosi milites pugnam ineuntes, à loco cui institerunt non dimouentur. Sallust. in extrema Catilinaria coniurat. Sed confecto prælio tum verò cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinę. Nam fere quem quisq; viuus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disiecerat, paulo diuersi, alij alibi stantes, omnes tamen aduersis vulneribus conciderunt. Iustinus lib. 9. de Atheniensib. in pugna aduersus Philippum Macedon. Non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidere. Quippe aduersis vulneribus omnes loca, quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Plaut. Amphit.

Sed fugam in se tamen nemo conuertitur.

Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittant, priusquam loco demigrent.
Quisq; vt steterat iacet, obtinetq; ordinem.

Nota, lector, voculam *statim*, quæ exponenda est perseuetanter, [illegible], vt exponit Lambin.

NON ITA VIXERVNT] A contrario. à fideli, inquam, & perseueranti quorundam fide in amicos in aduersis casibus, vnde etiam gloriam magnam adepti sunt.

STROPHIO, ATQVE AGAMEM. NATI] Pylades filius Strophij, & Orestes Agamemnonis.

ÆGIDÆ] Thesei, cuius pater AEgeus.

QVOS PRIOR EST. MIRAT. SEQ. &c.] quos antiquitas omnis suspexit, quorumq; memoriam omnes anni consequentes excipient.

IN QVORVM PLAVS. TOT. THEAT. SON.] Cum à tragicis Euripide, Sophocle, aliis inducuntur, populus eorum amore mutuo, eoque tam fideli commotus plausum dat. Propert. lib. 3. *Stantiaq; in plausum tota theatra iuuent*. Cic. in Bruto. In versu quidem tota theatra exclamant, si fuit vna syllaba breuior, aut longior.

TV QVOQVE PER DVRVM, &c.] Hoc dum factum affirmat, fieri cupit.

PIETATE] erga me miserum.

NON ERIT OFFICII. G. SVRD. TVI] Quomodo dicit *surda*, cum potius debuisset dicere *muta*? Sequitur enim, *in ore freq. posterit. eris.* Sed vt surdi nihil audiunt; ita cum tu prædicari

A te passim audies, non eris profectò surdus. Est igitur istuc [illegible] accipiendum. Vel ita expone. Meritis tuis non apud surdum inibis gratiam, non quasi surdo fabulam canes, nó frustra officiosus in me eris. Item, puta *surda* positum pro *muta*, vt interdum vnus sensus pro alio nominatur, & gratia positum [illegible], vt sensus sit, gratia mihi abs te præstita loquetur.

NOSTRVM SI NON. M. FVT. EST CARMEN] Aliquanto modestius hoc, quam eleg. 9. lib. 4. Trist. in maledicum.

Neu tua te sontem tantummodo sæcula norint,
Perpetua crimen posteritatis eris.

Vxori quoque eleg. 15. lib. 5. æternitatem oppromittere non veretur. Et eleg. 5. lib. 1. Trist.

B *Quantumcunq; tamen præconia nostra valebunt,*
Carminibus viues tempus in omne meis.

FAC MODO PERMAN. &c.] alioqui effundes omnia. Plin. lib. 3. ep. 4. Est enim ita comparatum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpe obligati, hoc solum meminerunt, quod negatum est.

REMO TAMEN VTAR, ET AVRA] Alludit ad prouerbium, remis, velisque contendere. Omnem conatum adhibebo, [illegible] dicunt Græci.

ADMISSO EQVO] concitatus equus si vrgeatur calcaribus, celerius curret, nec ideo morietur.

ELEGIA SEPTIMA.

Ad Atticum.

CARERE SE ALLEVAMENTIS OMNIBVS.

ARGVMENTVM.

Vid agat, nosse, & sui memorem esse cupit. Quam petitionem excusat à perpessione malorum, quæ animum semper timidum in futurum efficiunt. Assumitur inductio. Fortunam sibi pertinacius iniquam esse. Multitudinem malorum suorum exaggerat more suo, quibus etiam barbari ingemuerint. Non habere suspectam eius fidem tot argumentis confirmatam: sed timere, vt solent miseri, & ex habitu dolendi, cum quasi assiduo quodam stillicidio malignæ fortunæ teratur. Nullum se ab vlla re,

quas plurimas recenset, leua mentum adipisci. Ab animi robore etiam corpus suum sustentari. Sperare adhuc lenitum iri Cæsarem: & niti amicorum fide, atque adeo ipsius Attici, cui caussam suam committit, ac tradit.

Esse salutatum te vult mea littera primùm,
A malè pacatis, Attice, missa Getis.
Proxima subsequitur, quid agas audire voluntas:
Et, modò si quid agas, sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit: sed me timor ipse malorum
Sæpe superuacuos cogit habere metus.
Da veniam, quæso, nimioq́; ignosce timori:
TRANQVILLAS ETIAM NAVFRAGVS HORRET AQVAS.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longè fugit agna, lupumque
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.
MEMBRA REFORMIDANT MOLLEM QVOQVE SAVCIA TACTVM:
VNAQVE SOLLICITIS INCITAT VMBRA METVM.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.
Iam mihi fata liquet cœptos seruantia cursus
Per sibi consuetas semper itura vias.
Obseruare Deos, ne quid mihi cedat amicè,
Verbaq́; fortunæ vix puto posse dari.
Est illi cura me perdere, quæq́; solebat
Esse leuis, constans & bene certa nocet.
Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris,
Ne numerus nostris casibus esse potest.
Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas,
Altaq́; quàm multis floreat Hybla thymis:
Et quot aues motis nitantur in aëra pennis,
Quotq́; natent pisces æquore, certus eris:
Quàm tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua.
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe,
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
Quæ tibi si memori coner perscribere versu,
Ilias est fati longa futura mei.
Non igitur vereor, quod te rear esse verendum,
Cuius amor nobis pignora mille dedit:

Sed quia RES TIMIDA EST OMNIS MISER: *& quia longo est*
Tempore lætitiæ ianua clausa meæ;
Iam dolor in morem venit meus: vtq; caducis
Percussu crebro saxa cauantur aquis:
Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu,
Vixq; habet in nobis iam noua plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab vsu,
Nec magis est curuis Appia trita rotis:
Pectora quam mea sunt serie calcata malorum:
Et nihil inueni, quod mihi ferret opem.
ARTIBVS INGENVIS QVAESITA EST GLORIA MVLTIS:
Infelix perij dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, & sine labe peracta est:
Auxilij misero nil tulit illa mihi.
CVLPA GRAVIS PRECIBVS DONATVR SAEPE SVORVM:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adiuuat in duris aliquos præsentia rebus:
Obruit hoc absens vasta procella caput.
Quem non obrueret taciti quoq; Cæsaris ira?
Addita sunt pœnis aspera verba meis.
Fit fuga temporibus leuior: proiectus in æquor
Arcturum subij, Pleiadumq; minas.
Sæpe solent hyemem placidam sentire carinæ:
Non Ithacæ puppi sæuior vnda fuit.
Recta fides comitum poterat mala nostra leuare:
Ditata est spoliis perfida turba meis.
Mitius exilium faciunt loca: tristior ista
Terra sub ambobus non iacet vlla polis.
Est aliquid patriis vicinum finibus esse:
Vltima me tellus, vltimus orbis habet.
Præstat & exulibus pacem tua laurea Cæsar:
Pontica finitimo terra sub hoste iacet.
TEMPVS IN AGRORVM CVLTV CONSVMERE, DVLCE EST:
Non patitur verti barbarus hostis humum.
Temperie cæli corpusque, animusque iuuatur:
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Est in aqua dulci non inuidiosa voluptas:
Æquoreo bibitur cum sale mista palus.
Omnia deficiunt: AMINVS TAMEN OMNIA VINCIT:
ILLE ETIAM VIRES CORPVS HABERE FACIT.

ELEGIA QVINTA.

Ad Solanum.

EXTENVATIO SVI, CVM LAVDIBVS SOLANI, ET GERMANICI ORATORVM.

ARGVMENTVM.

CANDOREM sæculo suo propè nullum cerni. Quod exilio suo doluerit, sibi fauerit, Cæsarem propitium optauerit, gratum habet. Motum esse ad misericordiam conditione loci potissimùm, in quo nulla pax. Legi tamen libenter versus suos in illis tumultibus scriptos, applaudique ingenio, quamuis modico. Se aggressum triumphum Tiberij, rerum grauitati, ac ponderi succubuisse; quem librum eius tutelæ tradit. Laudat Solanum à candore, ab eruditione, ab eloquentia, à communione studiorum arctissima cum Germanico Cæsare, quem pro oratore magno prædicat. Amari se à Solano vt consortem eiusdem studij. Vnum esse fontem, è quo promanent ambæ facultates, poësis puta, & oratoria: certis tamen discriminibus separari. Germanico vitam diuturnam cum imperij gubernaculis precatur.

Condita disparibus numeris ego Naso Solano
Præposita misi verba salute meo.
Quæ rata sit cupio, rebusq́; vt comprobet omen,
Te precor vt saluo possit amice legi.
CANDOR IN HOC AEVO RES INTERMORTVA PAENE,
Exigit, vt faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamuis modico tibi iunctus ab vsu,
Diceris exiliis ingemuisse meis.
Missáque ab Euxino legeres cùm carmina Ponto,
Illa tuus iuuit qualiacunque fauor.
Optastique breuem fieri mihi Cæsaris iram:
Quod tamen optari, si sciat ipse, sinat.
Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti:
Nec minus idcircò sunt ea grata mihi.

Quoq; magis moueare malis, doctißime, nostris,
Credibile est fieri conditione loci.
Vix hac inuenies totum (mihi crede) per orbem,
Quæ minus Augusta pace fruatur humum.
Tu tamen hic structos inter fera prælia versus
Et legis, & lectos ore fauente probas.
Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis, & è riuo flumina magna facis.
Grata quidem sunt hæc animo suffragia nostro,
Vix sibi cùm miseros posse placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,
Materiæ gracili sufficit ingenium.
Nuper vt huc magni peruenit fama triumphi,
Ausus sum tantæ sumere molis onus,
Obruit audentem rerum grauitasq; nitórque:
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Illic, quam laudes, erit officiosa voluntas:
Cætera materia debilitante iacent.
Quòd si fortè liber vestras peruenit ad aures,
Tutelam mando sentiat ille tuam.
Hac tibi facturo vel si non ipse rogarem,
Accedet cumulus gratia nostra leuis.
Non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte,
Et non calcata candidiora niue.
Mirarisque alios, cùm sis mirabilis ipse,
Nec lateant artes, eloquiumque tuum.
Te iuuenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studij Cæsar habere solet.
Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante places.
Te dicente prius, fit protinus impetus illi:
Teque habet, elicias qui sua verba tuis.
Cùm tu desistis, mortaliaque ora quierunt,
Clausaque non longa conticuère mora:
Surgit Iulæo iuuenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.
Dumque silens astat, status est vultusque diserti:
Spemque docens doctæ vocis amicus habes.
Mox vbi pulsa mora est, atque os cæleste solutum:
Hoc superos iures more solere loqui.

Atque hæc est dicas facundia principe digna:
Eloquio tantum nobilitatis inest.
Huic tu cùm placeas, & vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
SCILICET INGENIIS ALIQVA EST CONCORDIA IVNCTIS:
ET SERVAT STVDII FOEDERA QVISQVE SVI.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.
Tu quoq; Pieridum studio studiose teneris,
Ingenioq; faues ingeniose meo.
DISTAT OPVS NOSTRVM: SED FONTIBVS EXIT AB IISDEM.
ARTIS ET INGENVAE CVLTORVTERQVE SVMVS.
Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis:
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Vtq; meis numeris tua dat facundia neruos:
Sic venit à nobis in tua verba nitor.
Iure igitur studio confinia carmina vestro,
Et commilitij sacra tuenda putas.
Pro quibus vt maneas de quo censeris amicus,
Comprecor ad vitæ tempora summa tuæ.
Succedatq; suis orbis moderator habenis,
Quod mecum populi vota precantur idem.

COMMENTARIVS.



ONDITA DISPARIB. NVM. VERBA] inclusa numeris poëticis, seu versibus: & disparibus, quia elegiacis, quorum vnus longior pedum sex, alter breuior, pedum quinque. 1. Amor. eleg. 1. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinq; residat.* Vbi pedes vocat numeros. Horat. ad Pisones versus impariter iunctos. Eleg. 1. lib. 3. Trist. *Clauda quod alterno subsidunt carmina versu.* Eleg. 7. *Aptaq; in alternos cogere verba pedes.*

PRÆPOSITA SALVTE] Apparet hinc, epistolæ huic præscripsisse hæc verba:

P. OVIDIVS NASO SOLANO S.

Quod idem de aliis æstimemus licet.

REBVSQVE VT COMPROB. OMEN] & vt vota, precationemque res sequatur.

TE PRECOR VT SALVO. P. AMICE LEGI] Precor, amice, vt possit à te saluo legi: & hoc vt precer, candor me impellit.

CANDOR IN HOC ÆVO RES INTERM. PÆNE] Plaut. de bonis moribus Trinum. *Ita iam propemodum omnes sunt intermortui.* Citabimus & a-

A libi, vbi gratiam meritorum amici apud se morituram negat. Hac nostra ætate rarus est candor in hominibus: astus, fallaciæ, doli omnia occuparunt. Superiore eleg. *Quanuis est auctarior vlla tua.*

EXIGIT VT FACIAM. T. V. TVVS] Cogit me talia vouere, & cupere tibi, cuius ego sum, sicut tu meus. De his vocibus meus, tuus, suus in amicitia diximus in eleg. 4. lib. 1.

IVNCTVS MODICO AB VSV] etsi non magno, & longo vsu coniuncti viximus. Terent. Heaut. *Quanquam hæc inter nos nupera notitia admodum est.*

DICERIS EXILIIS INGEM. MEIS] AEtiologia, quare talia vota faciat; & quare suum vocet, seque illius esse dicat. Seu potius, hæc candoris explicatio est. Quia quamuis modico vsu sibi iunctus, malis tamen ipsius indoluerit, & carminibus fauerit, & Cæsarem ei mitiorem optauerit. Talia commendat eleg. 5. lib. 3. Trist.

Vsus amicitiæ tecum mihi paruus, vt illam
Non ægre posses dissimulare, fuit, &c.

QVOD TAMEN OPT. SI. IPSE, SIN.] cui voto Cæsar ipse, si sciat, non aduersetur.

MORIBVS ISTA TVIS, &c.] Sunt quidem isti mores tui, ingeniumque mitisimum, atque ad miserationem promptisimũ, vnde hæc tam beneuola vota profecta: sed non idcirco minus me delectant.

CONDITIONE LOCI] in quo cum multa incommoda patienda sint asiduò, tum hoc incommodisimum, quod nec tuta pax est. Itaque ob hanc causam præcipue toties mutationem exilij flagitat.

AVGVSTA PACE] Augustam pacem reor appellare, quam Augustus orbi terrarum suis armis peperit. Non esse autem tumultuosiorem locum sub cælo, audacter affirmat.

B *STRVCTOS INTER. F. PRÆL. VERSVS*, &c.] qui non possunt esse admodum boni, cum carmina secessum scribentis, & otia quærant, & pacem mentis desiderent, quæ mihi isto loco nõ contingunt. Eleg. 9. lib. 1.

Quoq; magis nostros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.

Structos versus dixit, ac si diceret compositos. Nam vt in structura est compositio, ita in compositione structura. Dutiusculum tamen, struere versus, & à me quidem quod meminerim, nondum lectum. Facili, ac leui mutatione legeretur scriptos. Structuram appellat lib. 4. eleg. 13.

ORE FAVENTE PROBAS] laudibus etiam prosequeris. lingua faues, vt fit in sacris.

C *VENA QVOD PAVPERE MANAT*] Eleg. 12. lib. 3.

Ingenium fregere meum mala, tuim & ante
Fons infœcundus paruaq; vena fuit.

Summisius hoc, quam vetius. Cuius enim vena affluentior? aut de quo poëta mage dici potest, quod ipse de Germanico 1. Fast. *Ingenij currant flumina quanta tui?* sed & alibi tam modestè de se loquutus est. Vena pro ingenij facultate. Vide dicta ad eleg. 7. lib. 3. ibi. *Ne male fœcunda vena periret aqua.*

ET E RIVO FLVM. MAGNA FACIS] Qui riuus est, tu habes pro flumine. Quam versu proxime antegresso pauperem venam, nunc riuum nominat. Riuus, inquit Festus, vulgò appellatur D tenuis fluor aquæ, non ope, consilioue factus; verùm naturali suo impetu. Sed ij riui dicuntur qui manu facti sunt, siue super terram fossa, siue subter specu, cuius vocabuli origo ex græco pendet; ἀπὸ τοῦ ῥεῖν videlicet, quod est fluere.

HÆC SVFFRAGIA] hic calculus tuus. Hæc tua de me tam bona opinio.

VIX SIBI CVM MISER. POSSE. P. PVTES] Cum vix videatur fieri posse, vt miser sibi placeat, placeo tamen mihi, & abs te laudatus, aliquid me esse puto.

IN REBVS PARVIS] sed modicum ingenium rebus modicis, ac tenuibus sufficere, mirandum non est. Scribimus autem non grandia.

VT HVC MAGNI. P. FAMA TRIVMPHI] Eleg. 1.

Huc quoq; Cæsarei peruenit fama triumphi,
Languida quò fessi vix venit aura Noti, &c.

Rursum lib. 3. eleg. 4.

TANTÆ SVMERE MOLIS ONVS] Imponere humeris meis tantum onus, & suscipere laborem, quàm possem ferre, maiorem. Eleg. 4. lib. 3.

Res quia tanta fuit, quanta subsistere summo
Æneidos vati grande fuisset onus.

Imponere, suscipere onus, cum de litteris, & libris sermo est, crebra Ciceroni. Vt 1. de orat. neque vero ego tantum oneris imponam nostris hominibus, nihil vt iis liceat nescire.

OBRVIT AVDENT. RER. GRAVIT. &c.] Quadrant huc Horatiana illa Ode 6. lib. 1.

Scriberis Vario fortis & hostium
Victor, Mæonij carminis alite,
Quam rem cunq; ferox nauibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos Agrippa, neq; hæc dicere, nec grauem
Pelidæ stomachum cedere nescij.
Nec cursus duplicis per mare Vlyssei
Nec sæuam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia, &c.

Sic lib. 2. Trist. cur omisis amatoriis leuitatibus non scripserit grauiora, atque adeo res à Cæsare gestas, caussam hanc adducit.

Arguor immeritò. Tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.
Non ideo debet pelago se credere, siqua
Audet in exiguo ludere cymba lacu,

& quæ sequuntur.

QVAM LAVDES ERIT OFFICIOS. VOLVNT.] Propert. eleg. 10. lib. 2.

Iam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Et noster infra; lib. 3. eleg. 4. *Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

CÆTERA IACENT] sola voluntas elucet in illo carmine: nerui, elegantia, ingenium, &c. totum maiestatem non exæquant.

MATERIA DEBILITANTE] ingenium, & alia, quæ in me tanta non sunt, superante. 2. Trist.

At si me iubeas domitos Iouis igne gigantes
Dicere, cantantem debilitabit onus.

VESTRAS PERVENIT AD AVRES] Romam est perlatus, in manus vestras incidit, vobisque est recitatus. Cic. pro M. Marcello. sæpe enim venit ad aures meas, te idẽ istud nimis crebrò dicere.

TVTELAM SENTIAT ILLE TVAM] Eleg. 14. lib. 3. Trist. similiter libros suos in tutelam amici contendit.

HÆC TIBI FACTVRO VEL SI NON, &c.] Quod vel non rogatus à me facturus esses, hoc amore mei adductus, aliquanto libentius facies.

NON EGO LAVDANDVS] Laudari se ait ab illo: sed eam laudem magis esse candoris eius, quam suorum meritorum.

SVNT TVA PECTORA LACTE, &c.] quantus sit in Solano candor, duabus rebus candidissimis per comparationem declarat. Quid enim lacte, & niue candidius?

MIRARISQVE AL. CVM SIS MIRAB. IPSE] Modesti animi est, sua negligere, aliena magni facere. Aliena admirari, sua in minimis ponere.

NEC LATEANT ARTES] ingenuæ & bonæ vtique: nam & malæ quædam artes sunt.

ELOQVIVMQVE TVVM] facundia, seu eloquentia tua. Eleg. vlt. 4. Trist. *Frater ad eloquium viridi tendebat ab æuo.*

TE IVVENVM PRINCEPS. C. D. GERM. N.] Germanicus Cæsar, princeps iuuentutis. Hæc appellatio in ordine equestri dignitatem olim habuit. Perses Macedonum rex de victoria se effeteus apud Liuium lib. 42. victos ait ab se Romanos equites, illos principes iuuentutis. Cic. L. Domitium Ahenobarbum iuuentutis principem nominat, tanquam summæ exspectationis iuuenem. Item pro Sylla L. Torquatum principem, & signiferum iuuentutis, quoniam in tumultu Catilinario inter equites studium suum erga rempub. eximiè declarauerat. Imperatores quoq; Romani nepotes, & consanguineos suos ita appellarunt, velut apices nobilium iuuentutis, idque Augusti exemplo, qui cum duos ex Iulia filia nepotes suos, C. & L. Cæsares appellasset, tenera ætate in equestrem ordinem eos retulit, qui mox ab eodem ordine clypeis aureis, hastisque puris donati, & principes iuuentutis nuncupati sunt. Hinc etiam satis liquet, quare nobilissimi Cæsares dicantur. Hactenus Onuphrius, libris de Roman. Principibus. Nulla potestas hac appellatione indicabatur (ex Mureto Notis in Tacitum) sed dignitas tantum quædam, qua Imperatorum filij vsque ab adolescentia cohonestabantur, & à cæteris distinguebantur.

PARTICIPEM STVD. HAB. SOLET] Tu es studiorũ illius socius, oratoriorum inquam. Legendum *studiis*. Antiquè enim dandi casus pro gignendi positus est. Sic 7. Metamorph. *Tuq́; triplex Hecate, cœptis quæ conscia nostris.* Virgil. lib. 11. *consiliis habitus non futilis auctor.*

TV COMES ANTIQVIS] familiaris. Quã antiquus? sequitur.

TV PRIMIS IVNCTVS AB ANNIS] A pueris dilexistis inuicem. De tali amicitia Plautus, an Terentius, *incepta quæ à paruis cum ætate accreuit simul.*

INGENIO MORES ÆQVIPARANTE] & moribus, & ingenio similes. Aristoteles 8. Ethic. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον simile appetit simile. Et fertur illud, similitudinem esse matrem amoris. Vide adagium, simile gaudet simili.

TE DICENTE. P. FIT. P. IMPET. ILLI] tanquam æmulo excitatur cupiditas dicendi, & te æquandi, quoties te dicentem audit.

MORTALIAQVE ORA QVIERVNT] Tu mortalis es: ille potius deus quidam.

NON LONGA MORA] aliquandiu, ad tempus siluerunt.

SVRGIT IVLEO IVVEN. COG. DIGN.] Iuleum nomen est Cæsar, Iulius enim Cæsar, quo primus cognominatus est Augustus, deinde Tiberius, deinde Germanicus, à Tiberio, sicut ille ab Augusto, & is à Iulio adoptatus.

QVALIS AB EOIS LVCIF. ORT. AQVIS] Pulchri stellis, soli, luci comparantur. Huiusmodi comparatio est. 8. AEneid. Nam de Pallante, quem filium suum Euander AEneæ cum auxiliis militaribus adiungit militiæ tyronem,

——ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.
Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo, tenebrasq́; resoluit.

DVMQVE SILENT] auditores.

ASTAT, STATVS EST VVLT. DISERTI] Ad Vlyssem Homericum Iliad. 3. vel etiam, & magis, ad Vlyssem 13. Metamorph. fortasse alludit. Sic enim ibi, ὑμνικῶς.

Finierat Telamone satus, vulgiq́; secutum
Vltima murmur erat. donec Laertius heros
Astitit, atq; oculos paulùm tellure moratos,
Sustulit ad proceres, exspectatoq; resoluit
Ora sono.

De statu oratoris, & vultu ita est apud Fabium lib. 11. cap. 3. status sit rectus, æqui, & diducti paululum pedes, vel præcedens minimo momento sinister, genua recta, sic tamen, vt non expendantur, humeri remissi, vultus seuerus, non mœstus, nec stupens, nec languidus.

SPEMQVE DOCENS. D. V. AMICVS HAB.] & Solanus Germanici amicus ex silentio, statu, & vultu tali doctam orationem auditum iri sperat. Sed quorsum illud participium *docens*? Ad Solanum puto, quem significat Germanico non modo studiorum socium, sed ducem quoque, & magistrum fuisse.

MOX VBI PVLSA MORA EST] post aliquantum silentium, & moram.

OS CÆLESTE SOLVTVM] Propter hoc paulo ante de Solano, *mortaliaq́; ora quierunt.* Cælestissimi oris de poëta quopiam, an de oratore? & Velleius, an alius?

HOC SVPEROS IVRES. M. SOL. LOQVI] Cic. in Bruto. Quis vberior in dicendo Platone? Iouem sic, vt aiunt, si græcè loquatur, loqui. Et in Orat. perf. Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt.

FACVND. PRINCIPE DIGNA] In administratione ciuili multum prodesse eloquẽtiam, eamq; à priscis regibus cultam, lib. de ciuili In-

stitut.

ſtitut. docet Plutarchus. Reges enim, inquit, illi magni, & Ioue ſati (vt ait Homerus) tametſi ſceptris, & purpura nobiles, ſatellitibus conſtipati, deorum demum oraculis inflati, & tumidi vulgus territare ſoliti, ac ſibi ſubiicere, volebant tamen verborum oratores effici, gratiamque dicendi nequaquam aſpernabantur, conciones, in quibus clari ſolent effici viri, non negligebant, &c.

ELOQVIO TANT. NOBILIT. INEST] tam eſt eximia, & abſoluta illius eloquentia; tam eſt eloquentia nobilis. Magnum & nobilem Rhetorem vocat 2. de inuent. Cicero. Idem 1. de Orat. multi in philoſophia præclari, & nobiles.

ET VERTICE SID. TANGAS] ſis ideo fælicisſimus, quia tanto Principi gratus, & charus es. Horat. Ode 1. lib. 1. *Sublimi feriam ſidera vertice.* Seneca Thyeſti. *Altum ſuperbo vertice tangens polum.* Propert. ad oſtendendam fælicitatem ſuam lib. 1. eleg. 8. contrarium protulit. *Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis.* Quaſi dicat. in cælo ambulo ſub pedibuſque videns nubes, & ſidera, vt Daphnis ille Virgilianus: & vt Ennius apud Varronem de Muſis. pedibus magnum pulſo olympū. Affinia ſunt, in cælum tollere, ferre, in cælo eſſe. Cic. ad Att. lib. 2. ep. 1. Digito cælum tangere. quibus quidam inducti, fruſtra legendum cenſuerunt apud Propertium *palmis* pro *plantis*.

SCRIPTA TAMEN PROFVGI, &c.] Cum ſis tantus, non dedignaris tamen exulis ſcripta legere, & apud te habere.

INGENIIS ALIQVA E. CONCORD. IVNCTIS] Ingeniorum ſimilitudo amicitias conglutinat.

ET SERVAT STVD. FÆD QVISQVE SVI] Quiſque noſtrum fœdus quoddam habet cum ſociis ſtudiorum atque artium ſuarum, & bene conuenit agricolæ cum agricola, militi cum milite, gubernatori cum gubernatore. Iuxta prouerbium, cicada cicadæ chara, & formica formicæ.

TV QVOQVE PIERID. STVD. &c.] Si etu, cum ames Muſas, & ſtudium poëticum, amas & ingenium meum, meque vt poëta poëtam diligis. Indicat hic, Solanum quoque poëtam fuiſſe. Alioqui non ſatis procedet comparatio. In ſequentibus tamen facit oratorem, & fontem ſibi cum eo communem eſſe vult: vt etiam propter hoc ipſum dicere potuerit, illum Pieridum ſtudio teneri.

DISTAT OPVS NOSTRVM] Opus vtriuſque, & oratoris, & poëtæ eſt oratio: ſed eſt in eo tamen diſcrimen. ac diſsimilitudo, quam explicat his verbis Cicero 1. de orat. Eſt enim finitimus oratori poëta, numeris paulo deuinctior, verborum licentia liberior, multis ornandi generibus ſocius, ac pænè par: in hoc certe prope idem, nullis vt terminis definiat ius ſuum, quo minus ei liceat eadem facultate, & copia vagari qua velit. Locum hunc copioſè explanauit in

A Actio dialogo Iouian. Pontanus. Principio quid Cicero, &c. pag. 151. editionis Aldinæ. Poëtica ſtudia cum oratoriis contendit Victor. orat. 4.

SED FONTIBVS EXIT AB IISDEM] Cic. 3. de orat. poëtis eſt cum oratoribus proxima cognatio. Et in orat. perf. Etiam poëtæ quæſtionem attulerunt, quid nam illud eſſet. quo ipſi ab oratoribus differrent. Numero antea videbantur, & verſu: nunc apud oratores numerus increbuit. Hoc autē laudabilior eſt poëta, quod oratoris virtutes perſequitur, cum numeris ſit aſtrictior. Accedat Quintilian. ita differens lib. 10. ſub finem. Id quoque vitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione poëtas nobis, & hiſtoricos, in illorum operibus oratores, aut de-
B clamatores imitandos putemus. Sua cuiq; propoſita lex, ſuus decor eſt. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit; nec contra tragœdia ſocco ingreditur. Habet tamē omnis eloquentia aliquid commune. Id imitetur, quod commune eſt.

THYRSVS ENIM VOBIS] Oratores concitatiores ſunt, & quodammodo Bacchico furore incitantur. Sacerdotes enim Bacchi geſtabant thyrſos. & furentes clamitabant. Thyrſus eſt haſta pampinis, aut edera circumuoluta, in cuius extremo mucro ad ſimilitudinem coni pinei. Id erat inſigne, & velut ſceptrum Bacchi, quem & Bacchæ ſacerdotes eius in ſacris ferebant. De eo Virgil. eclog. 5. *Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.*

GESTATA EST LAVREA NOBIS] quia
C minori impetu ferimur, lauream Apollinis, præſidi noſtro ſacram geſtamus. De poëtica lauro diſſerui in Symb. meis, ad illud eclog. 7. *Paſtores edera creſcentem ornate poëtam.*

AMBOB. DEBET INESSE CALOR] De poëtico calore ſatis conſtat, & vulgatum eſt illud 6. Faſt. *Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.* De oratorio autem, vel potius de vtroque ſimul teſtatur Cic. 1. Tuſcul. Mihi verò ne hæc quidem notiora. & illuſtriora carere vi diuina videntur, vt ego aut poëtam graue, plenumque carmen ſine cæleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere, aut eloquentiam ſine maiore quadam vi fluere, abundantem ſonantibus verbis, vberibuſq; ſententiis.

D *VTQVE MEIS. N. T. D. FACVND. VIRES*] Ab oratore ſumit poëta robur, vim, neruos. Cic. in orat. perf. poëta virtutes oratorias perſequitur, cum verſu ſit aſtrictior.

SIC VENIT A NOB. IN. T. VERBA NIT.] A poëta ſumit orator verborum ornatū, & ſplendorem. Dicam γανώτερον. A poëtis in rebus ſpiritus, in verbis ſublimitas, in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur. Theophraſtus lectionem poëtarum plurimū oratori conferre cenſuit, ob has cauſſas vtique: cuius iudicium multi ſunt ſecuti. Quintil. lib. 10. cap. 1.

IVRE IGIT. STVD. CONF. CARM. VESTRO, &c.] Quæ hactenus de ſocietate duarum facultatum dixit, eo fine dixit, vt ſe meritò illi

esse cordi osten deret. Concludit ergo, in hanc sententiam. Quoniam studia nostra cognata sunt, & commilitium habent, & artifex diligit eiusdem generis artificem, tu orator me poëtam iure tuendum suscipis.

PRO QVIBVS] studiis nempe, & sacris communibus.

VT MANEAT AMICVS] tibi, Germanicus Cæsar.

DE QVO CENSERIS] de cuius gratia, & fauore tua dignitas, & æstimatio pendet. Lib. 3. eleg. 1. *Hoc domui debes, de qua censeris*, in cuius censu quodammodo es.

AD VITÆ TEMP. SVMMA] vsque ad exitum è vita. Vsque ad summum diem. Felices ducit Horat. quotum mutuum amorem sola mors dirimit. Ode 13. lib. 1.

Fælices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimoniis
Suprema citius soluet amor die.

SVCCEDATQVE SVIS ORBIS MOD. HABEN.] Succedat Tiberio, à quo est in filium adoptatus, quem potuisset, si voluisset, anteuertere. En testimonium Suetonij cap. 1. in Calig. Missusque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones vniuersas imperatorem Tiberium pertinacissimè recusantes, & sibi summam reipub. deferentes, incertum constantia, an pietate maiore, compescuit. Laudat eum fuse Tacit. lib. 2. annal. & Iosephus lib. 18. cap. 8.

QVOD MECVM POP. VOTA PRECANT. IDEM] Fuit namque populo charissimus, quod maximè ex communi luctu mortis eius patuit. Verba Taciti hîc annumerabo tibi. Hos vulgi sermones audita mors adeò incendit, vt ante edictum magistratuum, ante senatusconsultum, sumpto institio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia, & gemitus. nihil compositum in ostentationem. Et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mærebant.

ELEGIA SEXTA.

Ad Græcinum.

INANITAS REPREHENS. CVM ADMONIT.

ARGVMENTVM.

Castigarat Ouidium Græcinus, & vel grauius supplicium (necem opinor) meruisse pronuntiarat: Non negat poëta: sed serò se reprehendi, & durius quam oporteat vltro confitentem: & ante peccatum fuisse monendum dicit. Facto naufragio frustra doceri rectum iter: potius sibi manus porrigendas. Id vt faciat, bona vicissim precando hortatur, & vt famæ, ac honoris sui rationem ducat, seriò admonet. Exemplum Pyladis & Orestis, Thesei & Pirithoi opponit; &, si à constantia non discesserit, celebritatem illi ex versibus suis pollicetur. Quanquam autem in fide perseueret, nihilominus currentem incitare voluisse.

Carmine Græcinum, quem præsens voce solebat,
Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.

Exulis hæc vox eſt, præbet mihi littera linguam:
Et, ſi non liceat ſcribere, mutus ero.
Corripis, vt debes, ſtulti peccata ſodalis:
Et mala me meritis ferre minora doles.
Vera facis, ſed ſera meæ conuicia culpæ:
Aſpera confeſſo verba remitte reo.
Cùm poteram recto tranſire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem ſaxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto,
Qua mea debuerit currere cymba via?
Brachia da laſſo potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento ſuppoſuiſſe manum.
Idq; facis, faciaſq; precor: ſic mater, & vxor,
Sic tibi ſint fratres, totaq; ſalua domus.
Quodq; ſoles animo ſemper, quod voce precari:
Omnia Cæſaribus ſic tua facta probes.
Turpe erit, in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci,
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere, amicum
Et, niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.
Non ita vixerunt Strophio, atq; Agamemnone nati:
Non hæc Ægidæ, Pirithoiq; fides.
Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas:
In quorum plauſus tota theatra ſonant.
Tu quoq; per durum ſeruato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.
Dignus es: &, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officij gratia ſurda tui.
Crede mihi, noſtrum ſi non mortale futurum eſt
Carmen, in ore frequens poſteritatis eris.
Fac modò permaneas lapſo Græcine fidelis:
Duret & in longas impetus iſte moras.
Quæ tu cùm præſtes, remo tamen vtar, & aura:
Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo.



COMMENTARIVS.

CARMINE, QVEM PRÆS. VOCE SOLEB.] Littera, dicit in aliis: ea enim est loco vocis inter absentes.

TRISTIS] Longe plus rei subest, quam vox sonat, si meministi querimoniarum eius per omnes libros.

PRÆBET MIHI LITTERA LINGVAM] Littera est mihi lingua. De Io in vaccam mutata, ad patrios questus tacente. 2. Metam.

Littera pro verbis, quam pes in puluere duxit,
Corporis indicium mutati triste peregit.

SI NON LICEAT SCRIB. MVTVS ERO] Mutus potest scribere, quamuis non posit loqui. Sed quoniam absentis sermo est littera, qui absentem prohibet scribere & ipsum quoque mutum reddit.

VT DEBES] Nam & hoc amicitiæ ratio postulat, corripere amicum delinquentem. Quare non capio, cur Megaronides senex in Trinummo dicat, reprehensurus Calliclem amicũ suum, quem falsò reum putabat:

Amicum castigare ob meritam noxiam
Immune est facinus: verum in ætate vtile.

Si enim est vtile, vtique non est immune, hoc est, improbum facinus: sic enim istuc verbi explicat Festus.

STVLTI SODALIS] Stultum se vocat, quia & peccatum suum sæpe stultitiam nominat. Et verè, dum peccamus, quid nisi stulti sumus, seu phrenetici potius, cum nosmetipsos lædamus grauissimè.

ET MALA ME MERIT. F. MIN. D.] Ostendis me pro delicti magnitudine non satis pœnarum dedisse. Hoc mirum videri queat, cum non nisi stultitia, & error fuerint, quæ peccauit. Veruntamen ipse poëta hoc alibi affirmat, vt alium idem affirmare mirum nõ sit. Eleg. 11. lib. 5. Trist.

Quid loquor ah demens? ipsam quoque perdere vitam
Cæsaris offenso numine dignus eram.

Nodus ita soluitur. Si peccata per se spectes, nec istam pœnam, tam graue scilicet exilium, erat commeritus. Si spectes in quem peccauit, Augustum ipsum, quem diis æquat toties, & verum credis illud, *omnis an in magnos culpa deos scelus est?* forte maiora meruit.

SED SERA MEÆ CONVIT. CVLPÆ, &c.] remitte, & abstine à reo verba aspera, acerbitatem obiurgationis, quia serò culpam meam insectaris.

RECTO TRANSIRE CERAVNIA VELO] Coguntur sæpe obliquare velorum sinus nautæ, ad ventorum flatus excipiendos. Qui autem recto velo semper nauigant, prosperè nauigant. Cerauni, & Acroceraunia idem sunt, montes Epiri, tam alti, vt fulminibus crebrius petantur, *feriuntque summos fulgura montes.* inquit Horat. Ode

A 10. lib. 2. Meminit horum Virgil. Georg. 1. *Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telum Deiicit.* Et 3. AEneid. *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta.* Et Horat. Ode 3. lib. 1. vocat infames scopulos, propter naufragia sæpenumero ibi facta.

NVNC MIHI NAVFRAG. QVID PROD. &c.] Cum petierim, frustra moneor ne peream. Hoc enim vult allegoria. 2. Amor. eleg. 2.

Serò respicitur tellus, vbi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.

Eleg. 3. lib. 1. Trist. *Et quanquam serò clypeum post vulnera sumo.* Quintil. lib. 2. cap. 7. Plus proderit, demonstrasse rectam protinus viam, quam reuocare ab errore iam lapsos.

BRACHIA DA LASSO. P. PREND. NAT.]
B Adiuua naufragum, ne penitus intereat. *Si modo qui periit non periisse potest*, vt ait eleg. 3. lib. 1. Trist.

NEC PIGEAT MENTO SVPPOS. MAN.] Eleg. 3.

Mitius est lasso digitum supponere mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

IDQVE FACIS, FACIASQVE PRECOR] Docuimus alibi, consuetudine fieri, vt ad quod faciendum quempiam impellimus, id eum facere dicamus, magis ad hortationem adiuuandam, quam ad veritatem rei.

SIC MATER, ET VXOR, &c.] Poëticum schema, cuius multa exempla iam vidimus, & visuri sumus.

CÆSARIB. SIC TVA. F. PROBES] Augu-
C sto, & Tiberio placeas, quibus placere quis nolit, cum sint domini orbis?

TVRPE ERIT IN MISERIS, &c.] Ab indignitate defectionis, ad se tuendum vrget hominem. Turpe est amicum veterem deserere. Ne ergo me deseras. Qui sequuntur versus. 4. eandem sententiam complectuntur. Est enim copiosus Ouidius, & hoc sibi proprium habet, & est eius regnum.

NEC PASSV STARE TENACI] A militia ductum. Boni, & generosi milites pugnam ineuntes, à loco cui institerunt non dimouentur. Sallust. in extrema Catilinaria coniurat. Sed confecto prælio tum verò cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinę.
D Nam fere quem quisque viuus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disiecerat, paulo diuersi, alij alibi stantes, omnes tamen aduersis vulneribus conciderunt. Iustinus lib. 9. de Atheniensib. in pugna aduersus Philippum Macedon. Non tamen immemores pristinæ glorię cecidere. Quippe aduersis vulneribus omnes loca, quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Plaut. Amphit.

Sed fugam in se tamen nemo conuortitur,

Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittant, priusquam loco demigrent.
Quisq; vt steterat iacet, obtinetq; ordinem.

Nota, lector, voculam *statim*, quæ exponenda est perseueranter, *ἐμμόνως*, vt exponit Lambin.

NON ITA VIXERVNT] A contrario, à fideli, inquam, & perseueranti quorundam fide in amicos in aduersis casibus, vnde etiam gloriam magnam adepti sunt.

STROPHIO, ATQVE AGAMEM. NATI] Pylades filius Strophij, & Orestes Agamemnonis.

ÆGIDÆ] Thesei, cuius pater AEgeus.

QVOS PRIOR EST MIRAT. SEQ. &c.] quos antiquitas omnis suspexit, quorumq; memoriam omnes anni consequentes excipient.

IN QVORVM PLAVS. TOT. THEAT. SON.] Cum à tragicis Euripide, Sophocle, aliis inducuntur, populus eorum amore mutuo, eoque tam fideli commotus plausum dat. Propert. lib. 3. *Stantiaq; in plausum tota theatra iuuent.* Cic. in Bruto. In versu quidem tota theatra exclamant, si fuit vna syllaba breuior, aut longior.

TV QVOQVE PER DVRVM, &c.] Hoc dum factum affirmat, fieri cupit.

PIETATE] erga me miserum.

NON ERIT OFFICII. G. SVRD. TVI] Quomodo dicit *surda*, cum potius debuisset dicere *muta*? Sequitur enim, *in ore freq. posterit. eris.* Sed vt surdi nihil audiunt; ita cum tu prædicari

A te passim audies, non eris profectò surdus. Est igitur istuc *κατὰ [illegible]* accipiendum. Vel ita expone. Meritis tuis non apud surdum inibis gratiam, non quasi surdo fabulam canes, nō frustra officiosus in me eris. Item, puta *surda* positum pro *muta*, vt interdum vnus sensus pro alio nominatur. & gratia positum *παθητικῶς*; vt sensus sit, gratia mihi abs te præstita loquetur.

NOSTRVM SI NON. M. FVT. EST CARMEN] Aliquanto modestius hoc, quam eleg. 9. lib. 4. Trist. in maledicum.

Neu tua te fontem tantummodo sæcula norint,
Perpetuæ crimen posteritatis eris.

Vxori quoque eleg. 15. lib. 5. æternitatem oppromittere non veretur. Et eleg. 5. lib. 1. Trist.

B *Quantumcunq; tamen præconia nostra valebunt,*
Carminibus viues tempus in omne meis.

FAC MODO PERMAN. &c.] alioqui effundes omnia. Plin. lib. 3. ep. 4. Est enim ita comparatum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpe obligati, hoc solum meminerunt, quod negatum est.

REMO TAMEN VTAR, ET AVRA] Alludit ad prouerbium, remis, velísque contendere. Omnem conatum adhibebo, *κατὰ κράτος* dicunt Græci.

ADMISSO EQVO] concitatus equus si vrgeatur calcaribus, celerius curret, nec ideo morietur.

ELEGIA SEPTIMA.

Ad Atticum.

CARERE SE ALLEVAMENTIS OMNIBVS.

ARGVMENTVM.

QVid agat, nosse, & sui memorem esse cupit. Quam petitionem excusat à perpessione malorum, quæ animum semper timidum in futurum efficiunt. Assumitur inductio. Fortunam sibi pertinacius iniquam esse. Multitudinem malorum suorum exaggerat more suo, quibus etiam barbari ingemuerint. Non habere suspectam eius fidem tot argumentis confirmatam: sed timere, vt solent miseri, & ex habitu dolendi, cum quasi assiduo quodam stillicidio malignæ fortunæ teratur. Nullum se ab vlla re,

Sed quia RES TIMIDA EST OMNIS MISER: *& quia longo est*
Tempore lætitiæ ianua clausa mea,
Iam dolor in morem venit meus: vtq; caducis
Percussu crebro saxa cauantur aquis:
Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu,
Vixq; habet in nobis iam noua plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab vsu,
Nec magis est curuis Appia trita rotis:
Pectora quam mea sunt serie calcata malorum:
Et nihil inueni, quod mihi ferret opem.
ARTIBVS INGENVIS QVAESITA EST GLORIA MVLTIS:
Infelix perij dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, & sine labe peracta est:
Auxilij misero nil tulit illa mihi.
CVLPA GRAVIS PRECIBVS DONATVR SAEPE SVORVM:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adiuuat in duris aliquos præsentia rebus:
Obruit hoc absens vasta procella caput.
Quem non obrueret taciti quoq; Cæsaris ira?
Addita sunt pœnis aspera verba meis.
Fit fuga temporibus leuior: proiectus in æquor
Arcturum subij, Pleiadumq; minas.
Sæpe solent hyemem placidam sentire carinæ:
Non Ithacæ puppi sæuior vnda fuit.
Recta fides comitum poterat mala nostra leuare:
Ditata est spoliis perfida turba meis.
Mitius exilium faciunt loca: tristior ista
Terra sub ambobus non iacet vlla polis.
Est aliquid patriis vicinum finibus esse:
Vltima me tellus, vltimus orbis habet.
Præstat & exulibus pacem tua laurea Cæsar:
Pontica finitimo terra sub hoste iacet.
TEMPVS IN AGRORVM CVLTV CONSVMERE, DVLCE EST:
Non patitur verti barbarus hostis humum.
Temperie cæli corpusque, animusque iuuatur:
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Est in aqua dulci non inuidiosa voluptas:
Æquoreo bibitur cum sale mista palus.
Omnia deficiunt: AMINVS TAMEN OMNIA VINCIT:
ILLE ETIAM VIRES CORPVS HABERE FACIT.

SVSTI-

SVSTINEAS VT ONVS, NITENDVM EST VERTICE RECTO:
AT, FLECTI NERVOS SI PATIARE, CADES.
Spes quoq; posse mora mitescere principis iram,
Viuere ne nolim, deficiamq; facit.
Nec vos parua datis pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
Cœpta tene, quæso, nec in æquore desere nauem,
Meq; simul serua, iudiciumq; tuum.

COMMENTARIVS.



MALE PACATIS GETIS] à non pacatis, à nunquam quiescentibus. Aut enim bellũ illic, aut infida pax. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *Aut videt, aut metuit locus hic quem non videt hostem.*

PROXIMA SVBSEQ. Q. AG. AVD. VOLVNT.] Primùm te saluum, & incolumem volo. Deinde quid rerum agas scire desidero. Ita enim primo congressu post salutationem amici. Valen'? valuistin'? quid agis? quid agitur? sæpe in comœdiis. Eleg. 8. lib. 3. Trist. *Scilicet, vt semper, quid agam, charissime, quæris.* Horat. lib. 1. sat. 9.

Occurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Acceptaq; manu, quid agis dulcissime, rerum?
Suauiter vt nunc est, inquam: cupio omnia quæ vis.

Plin. ep. 20. lib. 3. & hercule, quousque illa vulgaria, quid agis? ecquid commodè vales? Martial. lib. 2.

Occurris quocunq; loco mihi, Posthume, clamas
Protinus, & prima est hæc tua vox, quid agis?

QVIDQVID AGAS. S. T. CVRA MEI] De actionibus tuis non sum tam sollicitus, quam cupio te mei non obliuisci.

SED ME TIMOR IPSE MABOR. &c.] Quod semel passi sumus, horremus, ac ne redeat metuimus. Hoc argumentum tractat etiam eleg. 1. lib. 1. Trist. ab illo loco.

Esse quidem memini mitissima sedibus illis
Numina, sed timeo qui nocuere deos, &c.

SVPERVACVOS METVS] Plura sunt, inquit Seneca, quæ nos terrent, quam quę premũt: & sæpius opinione, quam re laboramus. Eiusdem consilium aduersus timorem hoc est. Si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eueniat, euenturum propone, & quodcunque est illud malum, tecum ante metire, ac timorem tuum laxa: intelliges profectò, aut non magnum, aut non longum esse quod metuis. Vbi perpendit dilemma Epicuri, quo negligendum dolorem ostendit. Dolor in longinquitate leuis est, in grauitate breuis: vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio consoletur, quemadmodum est apud M. Tullium.

A *DA VENIAM, QVÆSO*] quia ita natura fert, quod tibi pluribus exemplis ante oculos ponã, quibus addi possunt quæ sunt eleg. 1. lib. 1. Trist. de columba, quæ euasit accipitri, de agna quæ dentibus erepta est lupi: de Phaëtonte, qui aurigari per cælum nollet, si viueret; de eo qui ad Caphareum montem naufragium effugit. *Terretur minimo pennæ stridore, &c.*

TRANQVILL. ETIAM. N. HORRET AQVAS] Horrere aquas, seu mare ventis agitatum, nihil est noui: tum enim vectores non procul absunt à naufragio. Sed tranquillum, ac pacatum horrere quempiam, nouum est. Hoc facit præteriti naufragij recordatio: & quod semel factum est, potest iterum fieri. Vnde illud. Frustra Neptunum
B accusat, qui iterum naufragium facit. Eleg. 2. *Ignoscat, timeo naufragus omne fretum.* Amphis Comicus Græcus.

ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις,
ἥκιστα τούτοις πλησιάζων ἥδεται.
Vbi quis vllum passus infortunium est,
Libenter illum non propinquat ad locum.

LÆSVS FALLACI PISCIS AB HAMO, &c.] piscis vitat semel expertum hamum.

VNCA ÆRA] periphrasis hami.

CANEM LONGE VISVM AGNA, &c.] Tria genera canum statuit Columella lib. 7. cap. 12. villaticum, pastorale, venaticum. Primum genus aduersus hominum insidias eligi, & villam,
C quæque in villa sunt custodire. Secundum propellendis hominum, ferarumque belluarum iniuriis, atque obseruare domi stabulum, foris pecua pascentia. Tertium quæri ad venatum exercendum, quod agricolam nihil iuuet. Varro lib. 2. cap. 9. duo facit genera, venaticum, quod pertinet ad feras bestias, ac syluestres: alterum quod custodiæ caussa paratur, & pertinet ad pastorem. Maximè autem oues, & capræ custodia canum egent. Has enim lupus captare solet, cui opponimus canes defensores. Pastoralem ergo, seu pecuarium canem vt lupũ fugiens ouis, custodem suum fugit. De luporum, & ouium inimicitiis Horat. Ode 4. Epod.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Et Ode 12.

O ego non felix, quem tu fugis, vt pauet acres
Agna lupos, capreaq; leones.

Homerus Iliad. 22.

Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

Sententia hæc est. Nec lupi, & agni concordibus sunt animis: sed perpetuò inter se male volunt. Prouerb. Prius lupus ouem ducat vxorem.

MEMBRA REFORMID. M. Q. SAVCIA. T.] De vulneribus aliquoties hoc dixit. *tractari vulnera nostra timent.* Eleg. 11. lib. 3. Trist. *Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet.* Eleg. 4. lib. 4. Trist.

Neue retractando nondum coëuntia rumpe
Vulnera, vix illis proderit ipsa quies.

Ad vulnus animi, id est affectum vitiosum, & vehementem accommodauit 1. Remed.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
Iam sinit, & veris vocibus aptus erit.

VANAQ. SOLLICIT. INCITAT VMB. MET.] Quid si legas *incutit & incitat?* Incutere pudorem, metum alicui, vsitatiora sunt, quàm incitare. Meticulosos vocat sollicitos. Et quidem adeò meticulosos, vt vel vmbram suam timeant, quod est in prouerbio. Vide Chiliasten. Simile, vel muscas metuere præteruolantes.

SIC EGO FORT. TEL. CONFIX. INIQ.] Facio, quod in hominibus, & animantibus fieri solitum demonstraui, & ex malis mala semper formido. Telis se confixum ait, quia mala, & ærumnas suas appellat vulnera. Et *iniquis*, quia meritis grauiora perpetitur.

PECT. CONCIPIO NIL NISI TRISTE MEO] Tristibus cogitationibus, & auguriis plenus semper est animus meus.

IAM MIHI FATA LIQVET, &c.] Iam liquet, & certum est, fata mea seruatura cursum suum, & via sibi iam consueta processura, vt nihil boni contingat amplius mihi. Germanus diceret. Ich sihe wol/es ist auß mit mir/ich muß verderben.

OBSERVARE DEOS NE QVID, &c.] *ἀντὶ τοῦ.* Iam liquet dare operam deos, ne quid mihi quod velim eueniat. Ne vllam particulam voluptatis, ac lætitiæ gustem. Dictum in deos paulò liberius, & amarulentius, & iracundius. O nequam deos, qui poëtæ nostro, homini parum sonti tam infensi, infestique sunt. De iisdem audi querelam ex eleg. 2. lib. 3. Trist.

Dij, quos experior nimium constanter iniquos,
Participes iræ quam Deus vnus habet.

VERBAQVE FORT. V. P. P. DARI] Non potero vlla ratione eludere fortunam. Qualia qualis est, mihi patiunda est. Terent. *seni dare verba difficile est.* Vide parœmiam.

EST ILLI CVRAE ME PERDERE] coniurauit cum diis, & ad perniciem meam incumbit,

A CONSTANS, ET BENE CERTA NOCET] Eleg. 9. lib. 5. Trist. *Et tantum constans in leuitate sua est.* Perdidit igitur in me naturam suam. Nunc dolet, non esse constanter leuem, quia sic aliquando melior, ac tolerabilior fieret: sed constanter constantem esse in se vexando.

SI SVM VERI TIBI COGNIT. ORIS] si me expertus es veracem, ac minimè mendaciloquum.

NEC NVM. NOS. CASVS. E. P.] Casua, & mala nostra sunt innumerabilia. Hoc sæpissime inculcatur in Tristibus, adiunctis rebus numerosissimis, quas omnes multitudine calamitatum suarum superet, magna vtique *ὑπερβολῇ*.

CINYPHIAE SEGET. CIT. NVM. ARIST.]
B Africanæ segetis, à Cinyphe fluuio in finibus Africæ, quæ in regionibus frumenti feracissimis numeratur ab auctoribus. Horat. Ode 1. lib. 1.

Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis.

Et Sat. 2. lib. 2. *Frumenti quantum metit Africa.* Martial. lib. 6. *Possideat Libycos messes, Hermumq; Tagumq;.*

QVAM MVLT. FLOR. HYBL. THYMIS] Elegia 7. lib. 5. Trist. *Florida quam multas Hybla tuetur apes.* Mons Siciliæ, apibus abundans, propter herbam istam illis gratissimam, & mellificio inprimis idoneam.

QVOT AVES MOT. NIT. IN AERA PEN.] Virgil. 4. Aeneid. *Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis.* Lucret. lib. 6.

C *Cuius vbi è regione loci venere volantes,*
Claudicat extemplò pennarum nisus inanis,
Et conamen vtrinque alarum proditur omne.

QVOTQVE NATANT PISCES AEQVORE] In mari, ait Plin. lib. 9. cap. 2. reperiri maxima animalia, maiora terrestribus. Caussa euidens humoris luxuria. De multitudine autem, & varietate piscium marinorum ibidem sic est. In mari tam late supino, mollique ac fertili accremento, accipiente caussas genitales è sublimi, semperq; pariente natura, pleraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, & in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus, atque principiis: vt vera fiat vulgi opinio, quidquid nascatur in parte naturæ vlla, & in ma-
D ri esse, præterque multa, quæ nusquam alibi. Rerum quidem, non solum animalium simulacra esse licet intelligere intuentibus vuam, gladium, serras: cucumin vero & colore, & odore similem: quo minus miremur equorum capita eminere in tam paruis cochleis.

QVOS EGO SVM. T. Q. EGO P. AQVA] Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Totq; tuli pœnas terra, pelagóque, quos inter
Occultum stella, conspicuumq; polum.

Et eleg. 11. lib. 3.

Tot mala sum fugiens tellure, tot æquore passus,
Te quoq; vt auditis posse dolere putem.

NVLLA GETIS T. O. EST TRVCVLENTIOR ORBE] Vide eleg. 8. & 11. lib. 5. Trist.

Ht nostris ingem. malis] Aptum argumentum ad probandam calamitatis magnitudinem. Si tam barbari, ac propemodum immanes belluę commoti sunt malis Ouidij, quanta ea fuisse oportet?

Memori versu] si eorum omnium versu meminisse conet.

Iliás est. f. longa. f. mei] scribam Iliadem malorum. Dicitur de summis, & plurimis calamitatibus, quales leguntur in Iliade, vnde tragœdiæ tum argumenta depromebantur.

Non loitur vereor, &c.] Non timeo, ne sis immemor mei, quia te suspectum habeam. Timere propriè seruorum est, quos pœnę formido in officio continet: vereri liberorum, qui virtutis, & honestatis amore ducuntur. Et timemus dominos, ac tyrannos: veremur parentes, magistros, ac seniores, quique sunt in honore aliquo, aut dignitate locati. Cic. in Catone. Metuebant serui, verebantur liberi, eharum omnes habebant. Pro L. Flacco. nihil timent, nihil verentur. Adde egregium locum ex Quintiana. Quæ tes in ciuitate duæ plurimum possunt, eæ contra noa ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: gratia Sex. Næuij ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.

Cuius am. nob. pig. m. dedit] Qui tuum erga nos amorem documentis pluribus testatum fecisti, vt de eo dubitare non possimus. Elegia 14. lib. 5. Trist.

Qui mihi cum dederis ingentia pignora, cumq;
Per numeros omnes hoc tueare caput.

Sed quia res timid. omnis miser] Vna causa verendi, id est, timendi (liberius enim hac voce supra vsus est) vna inquã caussa est, quia miseri timent, ne videlicet miseriores, aut sæpius miseri fiant: timor quippe futurorum est.

Et quia longo est temp. &c.] Altera caussa, quia lætari, confidere, &c. ex diuturnitate dolendi, & tristandi dedidici. Ianuam habere clausam pudori & sanctimoniæ.

Iam dolor in morem ven. meus] habitum induit.

Vtque caducis percus. c. saxa. c. aquis] Simile, quo assiduitatem cruciatus, & angoris sui declarat. Alibi.

Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Et rursum lib. 4. eleg. 10. *Gutta cauat lapidem.* Vbi videas licet Commentar.

Sic ego continuo. f. vuln. ictu] *ἀπὸ κοινοῦ.* Fortuna est mihi instar stillicidij, lapidem excauantis, & me perinde terit, atque conficit.

Vixque habet in nob. l. n. plag. locum] Versus & alibi ad verbum pæne positus. Repetit enim suoa, perrarò tamen, vt Homerus

A multos simul, & sæpius, præsertim in mandatis. Virgilius quoque suos iterat, sed parcius. Dicit ergo se scatere plagis, vt superueniens vix inueniat locum.

Nec magis assid. vomer, &c.] Virgil. 1. Georg. *& sulco attritus splendescere vomer.* Quò significantius indicet, quam contabescat ægritudine, sumit vomerem, & viam Appiam: ille aratione, hæc totia curruum atteritur. De hac via Martial. lib. 9.

Appia qua simili venerandum in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.

B Dictum de hac via nonnihil lib. 1. eleg. 9. ibi, *Appia feruenti, &c.* Frontin. de aquæ duct. eam vltra Capuã non porrigit: Tacit. Strabo, Horat. Brundusium vsque. Controuersiam ita dirimit Lips. Commentar. ad. 2. Annal. Appius non vltra Capuam perduxit, ne potuit quidem, vt tum fines erant imperij Romani. Perduxit postea siue C. Gracchus Trib. qui plerasque vias fecit, refecit, siue C. Cæsar, qui curator viæ Appiæ non leuiter in eam impendit: siue August. de quo inscript. priscæ S. P. Q. R. Quod viae munitae sunt.

Seris calcata malos.] sensu, & dolore tot malorum quasi calcata, & attrita.

Et nihil inven. q. mihi. f. opem] Non modò vniuersè nullum inueni solatium ac remedium, sed ne in singulis quidem.

C Artib. ingen. quæs. e. gloria mult.] Antithesis, qua auget, & amplificat miserias suas Quem autem fugit, multos ex doctrina liberali laudem adeptos, siue eam quæsierint, siue vltro oblatam non repudiarint? Eiuscemodi honoris, & gloriæ quærendæ studio teneri se non obscurè indicat Virgil. Georg. 3. in ipso limine.

——tentanda via est, qua me quoq; possim
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas, etc.

Philosophos porrò, Mathematicos, Musicos, Grammaticos, poëtas excellentes extitisse multos, oratores pauciores, contendit Cic. 1. de Orat. in procemio.

D Infaelix perii dot. ipse meis] Alij suo sibi ingenio, & arte claritudinem, ego mihi ingenio. & doctrina mea exilium comparaui. Hoc est quod lamentatur & alibi toties.

Vita prior vitio caret] superior: nã posterior in culpam incidit. li. 2. Trist. ad August.

Me miserum, potui, si non extrema nocerent,
Iudicio tutum non semel esse tuo.
Vltima me perdunt, imoq; sub æquore mergit
Incolumem toties vna procella ratem.

Eleg. 4. lib. 4. *sed in omnibus actis, Vltima si demas, vita ... da mea est.* Eleg. 8.

Iamq; decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitæ deteriore meæ.

Culpa gravis precib. &c.] Amici, propinqui, & consanguinei frequenter suis veniam exorarunt.

A OMNIS PRO NOB. O. MVTA] Aut hic est sensus. Omnes qui mihi gratiam debebant, obmutuerant, Augustum super me non compellantes. Aut hic. Omnis deprecatio, & supplicatio meorum nihil effecit, & velut muta, ac nulla fuit.

ADIVVAT IN DVR. ALIQ. P. REBVS] nam præsentes ipsi caussam suam agere, ad fidem, & auxilium amicorum confugere, eorumque opera vti possunt, Virg. 1. Aeneid. *Res dura, & regni nouitas, &c.*

OBRVIT HOC ABS. V. PROCELL. CAP.] Ego, quoniam absens, ab his præsidiis desertus sum, & veluti procella obruor. Penelope Vlyssi, inuehens in Paridem, malorum caput.

O vtinam tunc cum Lacedæmona classe petebat
Obrutus insanis esset adulter aquis.

TACITI QVOQVE CÆS. FRA] Habet enim manus longissimas Cæsar, & absens, ac tacens potest quemuis obruere.

ADDITA SVNT POEN. ASP. V. MEIS] Præterquam quod me in exilium dirissimum pepulit, etiam præsens præsentem acerbè increpuit.

FIT FVGA TEMPORIB. LEVIOR] Alio anni tempore commodius discessissem, itinere præsertim tam longo, per tot terras, & maria.

ARCTVR. SVBIT, PLEIADVMQ. MINAS] ego nauigare coactus sum tempestuoso mari.

PLACIDAM HYEMEM] hyems non semper infesta est nauigantibus. Horat. Ode 9. lib. 2.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes: aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Nec foliis viduantur orni.

ITHACAE PVPPI] Nec Ithacus, seu Vlysses Ithacæ regulus tantas tempestates, quantas ego, expertus est. Vide eleg. 2. & 3. lib. 1. Trist. & Odysseam.

RECTA FID. COMIT. POTERAT, &c.] Poterant mihi solatio esse comites sinceri, ac fideles.

DITATA EST SPOLIIS PERFID. T. MEIS] Deprædati sunt me nebulones. Queritur & eleg. 10. lib. 4. Trist.

Quid referam comitumq; nefas, famulosq; nocentes?
Ipseq; multa tuli non leuiora fuga.

SVB AMBOB. NON IACET VLLA POL.] Eleg. 8. lib. 5. Trist.

Siue locum spectes, locus est inamabilis, & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest.

Neque sub arctico, neq; sub antarctico polo vlla est tellus hac Getica inamœnior, & horridior. *Sub vtroque iacentia Phœbo.* dixit 1. Metam. id est, ad solem orientem, & solem occasum.

EST ALIQVID. F. VICIN. FINIBVS ESSE] Eleg. 3. lib. 3. Trist.

A *Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,*
Et fient ipso tristia fata loco?

VLTIMA ME TELL. VLT. ORB. HAB.] Ibid. *Lassus in extremis iaceo populisq; locisq;.*

PRAESTAT ET EXVLIB. P. TVA LAVREA] Imperium, & victoriæ tuæ, quarum signum est laurus, reliquis per terras exulibus Romanis præstant pacem, & tutos faciunt.

PONTICA FINIT. TERRA SVB. H. IACET] tantum ista tellus, in qua ego exulo, cingitur hostibus, qui eam quiescere non patiuntur. Elegia 10. lib. 3. Trist.

Sauromatæ cingunt fera gens, Bessiq; Getæq;
Quæ non ingenio nomina digna meo.

TAMP. IN AGROR. C. CONSVM. DVLCE
B EST] Magna, & à pluribus prædicata rei rusticæ iucunditas. Lege Catonem Ciceronis, ubi eo loco: Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec vlla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere. Huc pertinet tota Ode 2. Epod. Horatij, *Beatus ille qui procul negotiis, &c.* qua laudes, & oblectamenta vitæ rusticæ persequitur. Et noster 1 Remed.

Rura quoq; oblectant animos. studiumq; colendi.
Qualibet huic curæ cedere cura potest.

Quomodo tamen hoc vitæ genus iucundissimũ non careat etiam sollicitudinibus suis, ostendit Victor. lib. 5. cap. 5. Idem, qua mente Sallust. in procemio Catilin. coniurat. studium agri colen-
C di seruile officium vocauerit, lib. 6. cap. 1. Agricolas Reipub. plus commodare quam milites, demonstrat dissertat. 14. Max. Tyrius. Cæterarum artium parentem & nutricem esse, docet io Oecon. Xenophon.

NON PATIT. VERTI BARB. HOST. HVM.] Eleg 10. lib. 3. Trist.

Tunc quoq; cum pax est trepidant formidine belli,
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic quẽ non videt hostẽ,
Cessat iners rigido terra relicta situ.

Terram vertere pro arare dixit & Virg. Georg. 1. *quo sidere terram vertere Mæcenas. &c.* Et infrà, terræ pingue solum inuertere. Idem 4. Georg. *Agricola incuruo terram molitus aratro.*

D TEMPERIE CAELI CORP. ANIMVSQVE IVVANTVR] Nec æstuosum, nec frigidum, sed ex frigore, & calore temperatum cælum commodat corpori, in quo bene valente, ac vigente, valet etiam, & viget animus vt nec ob immania frigora horreamus, ac tremamus; nec ob seruidos calores sudore diffluamus. Ciceroni temperatio, moderatio cæli. Idem 2. de nat. deor. solis tum accessus modici, tum recessus, & frigoris, & caloris modum temperant. Verum enimuero pro alio atque alio corporis temperamento aliis magis calidum, aliis frigidum, aliis humidum, aliis siccum cælum conducit. Optime temperatis, aër optimus, & temperatissimus est saluberrimus. Minus temperatis, hoc est, in quibus vna

quædam elementi qualitas modum excedit, iis id cæli genus est commodissimum, quod ei qualitati maximè est contrarium: frigidum nimium calidis, calidis præfrigidum, humidioribus siccum, siccioribus humidum.

FRIG. PERPET. SARMAT. ORA RIG.] Elegia 3. lib. 5. Trist.

Nec me tam cruciat nunquam sine frigore cælum,
Glebaq; canenti semper obusta gelu.

EST IN AQVA DVLCI. N. SNVID. VOLVPT.] Virg. 1. Aeneid. de antro ab Aenea in scopulo reperto. *Intus aqua dulces.* Ad quem locum hæc annotaui in Symb. Dicitur aqua dulcis fontium, puteorum, & fluminum, non salsa, vt est marina. Cicer. 6. Verrin. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est. Lucret. lib. 6.

Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquaï
Qui scatet, & salsas circum se dimenet vndas.

Ex toto genere liquidorum potui aptissima, & saluberrima, & gentibus communissima vinum, & aqua. Hæc gustu, visu, olfactu diiudicanda est, vt nec acorem, nec salsedinem, nec vllam aliam qualitatem habeat, quę lingua discernatur, vt sit, inquam, saporis expers: & dulcis non ob aliud, quam quod potabilis. Item vt sit sincera ac pellucida, & nullo odore prædita. Hoc genus aquæ præstat omnibus, qualis est fontana.

AEQVOREO MINIT. CVM SALE. M. PAL.] Eleg. 3. lib. 3. Trist.

Nec cælum patior, nec aquis asueuimus istis.
Et eleg. 8.
Nec cælum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec aër.

ANIMVS TAMEN OMNIA VINCIT] Seneca lib. 1. de tranquillit. vitæ. Vtiq; animus ab omnibus externis in se reuocandus est, sibi confidat, se gaudeat, sua respiciat, recedat quantum potest ab alienis, & se sibi applicet, damna non sentiat, etiam aduersa benignè interpretetur.

A Idem in Consolat. ad Martium. Nulla re maior inuidia fortunæ fit, quam æquo animo.

ILLA ETIAM VIRES C. MAE. FACIT] Eleg. 2. lib. 3. Trist.

Suffecitq; malis animus: nam corpus ab illo
Accepit vires, vixq; ferenda tulit.

Tantas aliquando vires corpus habere facit animus, vt morbum repente ex magno aliquo, & repentino gaudio depellat. Eleg. 3.

Si iam deficiam, suppressaq; lingua palato
Vix instillato restituenda mero:
Nuntiet huc aliquis dominam venisse, resurgam,
Spesq; tui nobis caussa vigoris erit.

SVSTIN. VT ONVS, NSTENDVM. V. RECTO EST] Aeneas Ascanio lib. 12. Aeneid. *Tu, ne cede ma-*
B *lis, sed contra audentior ite.*

FLECTI NERVOS SI PATIARE CADES] victus iacebis.

SPES QVOQVE POSSE MORA, &c.] Eleg. 5. lib. 5. Trist. *Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram.*

NEC VOS PARVA DAT. SOLATIA] Cic. in Bruto. Vos vero, inquam, Attice, & præsentem me cura leuatis, & absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primùm literis recreatus, me ad pristina studia reuocaui.

QVORVM SPECT. E. PER MALA. N. FID.] sicut in igne aurum spectari, dicit elegia 4. lib. 1. Trist.

NEC IN AEQVORE DESERE NAVEM] E-
C leg. 7. lib. 3. Trist.

Fluctibus in mediis nauim Palinure relinquis?
Ne fuge, neue tua sit minor arte fides.

Ibid. *Vela neq; in medio desere nostra mari.*

MEQVE SIMVL SERVA, IVD. TVVM] Nisi me serues, nec iudicium, & existimationem de me tuam seruabis: sed ostēdes te probasse, quod probare non debueris, inconsideratumq;, ne dicam stultum fuisse.

ELEGIA OCTAVA.

Ad Cottam.

EXVLTATIO DE TRIB. IMAG. CVM SVPPLIC. TRIGEMINA.

ARGVMENTVM.

ALLATAS sibi icones Cæsarum duorum, & Liuiæ argenteas: quas cum amplis diuitiis permutare nolit. Videri deos secum habere, cum diis loqui, & in media vrbe Romana versari. Ex vultu Augusti seueriore ansam capit petendæ ab eo clemen-

clementiæ ad exilium mitius. Idem rogat Tiberium, idem Liuiam, communiterq; omnes. Fælices autumat, quibus datum sit eorum vultus, atque ora tueri. Interim se eorum simulacris ex artificio tanquam diis præsentibus contentum, eaque sollicitè seruaturum, & veneraturum. Fingit demum, se blandius aspici, & precibus suis annui ab Augusti imagine, vnde spem loci mutandi concipit.

Redditus est nobis Cæsar cum Cæsare nuper,
Quos mihi misisti maxime Cotta duos.
Vtq; tuum munus numerum, quem debet, haberet,
Est tibi Cæsaribus Liuia iuncta suis.
Argentum fælix, omníque beatius auro,
Quod, fuerit precium cum rude, numen habet.
Non mihi diuitias dando, maiora dedisses,
Cælitibus missis nostra sub ora tribus.
Est aliquid spectare Deos, & adesse putare,
Et quasi cum vero numine posse loqui.
Quantum ad me, redij, nec me tenet vltima tellus:
Vtq; prius, media sospes in vrbe moror.
Cæsareos video vultus, velut antè videbam,
Vix huius voti spes fuit vlla mihi.
Vtq; salutabam, numen caleste saluto:
Quod reduci tribuas, nil puto maius habet.
Quid nostris oculis nisi sola palatia desunt?
Qui locus ablato Cæsare vilis erit.
Hunc ego cùm spectem, videor mihi cernere Romam:
Nam faciem patriæ sustinet ille suæ.
Fallor? an irati mihi sunt in imagine vultus?
Toruáque nescio quid forma minantis habet?
Parce vir immenso maior virtutibus orbe,
Iustáque vindictæ supprime fræna tuæ.
Parce puer, secli decus admirabile nostri,
Terrarum dominum quem tua cura facit.
Per patriæ numen, quod te tibi carius ipso est,
Per nunquam surdos in tua vota deos:
Perq; tori sociam, quæ par tibi sola reperta est,
Et cui maiestas non onerosa tua est,
Perq; tibi similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest.
Perq; tuos, vel auo dignos, vel patre nepotes,
Qui veniunt magno per tua iussa gradu.

Parte leua minima, nostras & contrahe pœnas:
Dáque procul Scythico qui sit ab hoste locum.
Et tua (si fas est) à Cæsare proxime Cæsar
Numina sint precibus non inimica meis.
Sic fera quamprimùm pauido Germania vultu
Ante triumphantes serua feratur equos.
Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Viuant, & possis filius esse diu.
Tu quoque conueniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura supplicis aure preces.
Sic tibi vir sospes, sic sint cum prole nepotes,
Cumq́; bonis nuribus, quas peperère nurus:
Sic quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui:
Sic tibi maturè fraterni funeris vltor
Purpureus niueis filius instet equis.
Annuite ô timidis mitissima numina votis,
Præsentes aliquid prosit habere Deos.
Cæsaris aduentu tutus gladiator arena
Exit, & auxilium non leue vultus habet.
Nos quoque vestra iuuet quod, quà licet, ora videmus,
Facta quòd est superis iam domus vna tribus.
Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deûm coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis inuidit inutile fatum,
Quos dedit ars vultus, effigiemqúe, colo.
Sic homines nouere deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur pro Ioue forma Iouis.
Denique quæ mecum est, & erit sine fine, cauete,
Ne sit in inuiso vestra figura loco.
Nam caput è nostra citius ceruice recedat,
Et patiar fossis lumen abire genis:
Quàm caream vobis, ô publica numina, raptis:
Vos eritis nostræ portus & aura fugæ:
Vos ego complectar, Geticis si cingar ab armis:
Vtq́; meas aquilas, vestra ego signa sequar.
Aut ego me fallo, nimiáque cupidine ludor,
Aut spes exilij commodioris adest.
Nam minus & minus est facies in imagine tristis:
Visáque sunt dictis annuere ora meis.

Vera precor, fiant timidæ præsagia mentis,
Iustáque quam vis est, sit minor ira Dei.

COMMENTARIVS.



CAESAR CVM CAESARE] facies Augusti, & filij eius adoptatitij Tiberij, in nummis argẽteis expressæ. Nummis aliis vtebantur in emptionibus, & venditionibus, aliis honoris caussa donabant amicos, quod etiam hodie seruatur. Denckpfenning/ & à principibus Gnadenpfenning.

QVOS MIHI MISISTI DEOS] sollemnis est hæc ὑπόθεσις Ouidio. Habet enim potestatem faciendi deos, sicut olim Messenij legati de sua ciuitate responderunt Philippo regi, cui nuntium afferebant, rempub. decreuisse ipsum diis adscribere.

NVMERVM QVEM DEBET HABERE] vt, quod mihi donabas, perfectum esset suo numero. Ternarius in rebus diuinis tanquam absolutus, & diis gratus, acceptusque adhibebatur, & quidquid ter dictum, aut factum esset, ratum habebatur. Vulgo & hodie familiare est, vt si quid asseuerent vehementius, id ter dicant. Vide prouerb. Ter.

CAESAREVS LIVIA IVNCTA SVIS] Augusto vt marito, Tiberio vt filio, non tamen ex Augusto (nam ei nihil peperit liberorum) sed ex Claud. Tiberio Nerone suscepto.

ARGENTVM FAELIX OMNIQ. BEATIVS AVRO] Præ hoc argento aurum nihil est, quamuis alioqui argento charius, & pretiosius. Iuuenal. *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.* Sequitur caussa. Aurum beatum ex effectu, beatos enim facit, si qua est beatitudo in diuitiis. Scripsi de auro dial. 44. primæ Tertij.

FVERIT PRETIVM CVM RVDE NVMEN HABET] Acutè. Cum nummi isti argentei Cæsarum, qui sunt dij, imaginibus signati sint, quantum valere debent, cum aurum adhuc rude pretium à plerisque in loco numinis habeatur, ipsi autem auro meliores, & beatiores sint?

NON MIHI DIVIT. D. MAIORA DEDISSES] Ennius. *Non mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.* Si verum est antecedens, vtiqi etiam consequens. Si donandis illis tribus nummis Cotta deos donauit totidem, certè donandis diuitiis tantum, nedum maius quiddam, donare non potuisset. Dij namque præcellunt diuitias omnes.

NOSTRA SVA ORA] mihi videndos, & retinendos.

EST ALIQVID SPECTARE DEOS ET ADESSE PVTARE] En quomodo in re patua, ac tenui ostentat ingenium, & tota pæne elegia illi maxima ex nihilo nascitur historia. *Est aliquid,* A valet, magnum est. Sicut, esse aliquem, esse magnum virum.

ET QVASI CVM VERO. N. P. LOQVI] an, quasi cum vero numine: an quasi loqui? cum vtroque enim cohæret vox *quasi.*

QVANTVM AD ME, REDII] quod ad me attinet; quomodo quidam scioli malunt loqui, illud prius pro barbaro damnantes.

REDII] In patriam restitutus mihi videor.

NEC ME TEN. VLT. TELL.] Elegia 2. lib. 5. Trist. *Barbara me tellus, orbisq́ nouissima magni sustinet.*

VTQVE PRIVS. N. SOSP. IN VRBE MOROR] Tantum ex aspectu triùm numismatum percepisse se ait voluptatis, vt iam non in exilio, sed Romæ degere se arbitretur.

CAESAREOS VIDEO VVLTVS VELVT ANTE] B Miranda vis τῆς φαντασίας, seu imaginatricis facultatis, per quam absentia videre, & audire putamus, & præteritorum tanto ante recordamur. Secundùm hanc dixit Plautus ex persona amantis, *Vbi sum, ibi non sum. Vbi ego non sum, ibi est animus.* Casina, ni fallor.

VIX HVIVS VOTI SPES. F. VLLA MIHI] optare potui, sperare vix.

VTQVE SALVTAB. N. CAELESTE SALVTO] Saluto effigiem Cæsaris, sicuti ipsum Romæ Cæsarem salutaueram. Et, *numen celeste,* quia sunt etiam non cælestia.

QVOD REDVCI TRIB. NIL. P. M. HAB.] Significantissimè dictum. Si redirem in patriam, nihil malus haberes, quo me honoris caussa donares, quam quod etiam exuli donauisti. Itáne igitur viua est imago? C

QVID NOST. OCVLIS NISI. S. PALATIA DES.] Cur autem iisdem oculis, quibus Romam, atque adeo viuum ibi Cæsarem vidit, non etiam palatium vidit, vbi Cæsar habitat? Elegia 1. lib. 1. Trist.

Forsitan exspectes, an in alta palatia missum
Scandere te iubeam, Cæsareamq́ domum.

Vide præterea lib. 3. eleg. 1. *Inde petens dextram, &c.*

QVI LOCVS ABLATO CAES. VILIS. E.] Cicer. 1. Offic. ornanda est enim dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Diogenes inuitatus, & postremo loco accumbere iussus, conuersus ad conuiuatorem, voluisti, inquit, locum hunc honoratiorem facere. Laërt.

HVNC EGO CVM SPACTO, &c.] Eleg. 3. lib. 5. *O decus, ô patria per te florentis imago.* Non quæuis

imago ciuis Romani, quamuis nobilissimi, Romam totam Ouidio subiecisset sub oculos quodammodo. Sed ista fuit prærogatiua Principis Romani. Ita in senatu ciuitatem, in rege regnum totum, in conuentu Episcoporum, atque adeo in Pontifice Romano totam Ecclesiam videmur videre.

NAM PATRIAE P. SVST. ILLE SVAE] personam. Sed alius tamen, vt dicebam, non sustinuisset.

FALLOR? AN IRATI MIHI, &c.] Eleg. 2. lib. 1. Trist. *Fallor? an incipiunt grauidæ euanescere nubes?* Vultus Augusti grauis, & seuerus, qualem decet esse Principis, admonet Ouidium deprecandæ pœnæ maioris.

B TORVAQVE FORMA] Toruitas, inquit Festus, à ferocia taurorum dicta est. Torui igitur quasi tauri.

IMMENSO MAIOR VIRTVTIBVS ORBE] Eleg 3. lib. 5. Trist. *O vir non ipso quem regis orbe minor.* Maxima laus, vnum mortalem esse maiorem simul omnibus. Huius versus crediderim recordatum M. Antonium Casanouam, scribendo illo festiuissimo epigrammate in Diocletianum Aug. qui se vltro imperio abdicauit, & Salonam secedens, hortulum suum vsque ad extremum vitæ coluit.

Imperium princeps orbis dum prætulit hortis,
Atque oleri, fuit hic omni olere ipse minor.
Postquam olera imperio, postquam hortos prætulit orbi,
Imperio verè maior, & orbe fuit.

C VINDICTAE SVPPRIME FRAENA TVAE] coërce iracundiam tuam, qua videris exardescere ad me acerbius puniendum. Laxare contrà fræna dicimus eos, qui indulgent cupiditati suæ.

PARCE PVER, &c.] Hæc ad Tiberium, ne voluntatem suam cum Cæsare coniungat. *Puer* blandientis est: non enim opinor hîc valere filium, vt aliâs. Sic eclog. 5. Mopsus Menalcæ. *Sed tu desine plura, puer, successimus antro.* Hoc autem distichon melius ponetur infra, post hunc versum. *Et tua, si fas est, à Cæsare proxime Cæsar.*

D TERRAR. DOM. Q. SVA. C. FACIT] qui industria, & virtute tua dignum te reddis orbis terrarum imperio.

PER PATRIAE NVMEN] per patrios deos. Aut, per patriam, quæ tibi pro numine est.

QVOD TE TIBI CHARIVS IPSO EST] Lego, *quæ te tibi charior ipso est.* De charitate in patriam insignis est locus in 1. Off. sed cum omnia ratione, animoque lustraueris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quam ea quæ cum republica est vnicuique nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?

PER NVNQ. SVRD. A. T. VOTA DEOS] Tan-

A gitur prouerbium, surdo canere, surdo narrare fabulam.

PERQVE TORI SOCIAM, QVAE PAR, &c.] per Liuiam. Eleg. 1. lib. 3.

Quæ Veneris formam mores Iunonis habendo,
Sola est cælesti digna reperta thoro.

Lib. 2. Trist.

Liuia sic tecum sociales impleat annos,
Quæ nisi te, nullo coniuge digna fuit.
Quæ si non esset, cælebs te vita deceret,
Nullaq́; cui posses esse maritus, erat.

Impensè eam amauit Augustus. Interrogata, quibus rationibus eum sibi subiecisset, respondit, multa modestia: quod ea quæ placerent Augusto, faceret libenter, quodq́ue se scire dissi-

B mularet, quibus ille rebus Venereis domi frueretur. Xiphilin. in Tiberio. De hoc matrimonio idem in hunc modum. Erat Liuia vxor Neronis qui cum fugerat, ex eoq́ue puerum sex mensium in aluo continebat. Eam Nero quasi pater, non maritus esset, Cæsari vxorem dedit. Ibiq́ue cum epulum fieret, in eoq́ue puerulus quidam garrulus interuenisset, quales solent esse ij, qui nudi à mulieribus deliciarum caussa educantur: vidissetq́ue Liuiam vnà cum Cæsare esse, Neronem verò seorsum cum alio sedere, ad eam accedens ait. Quid hîc agis domina? ecce enim vir tuus (Neronem monstrabat) illic sedet. Hactenus ille. Agebat Tiberius annum 17. cum mater Liuia Augusto nupsit. Post eas nuptias tertio

C mense Drusum enixa est. Inde dicterium salsum in Aug. τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. fælicibus etiam trimestres nasci liberos; quia filius eiusdem ex adulterio, quod cum Liuia adhuc Neroni nupta fecisset, credebatur.

ET CVI MAIESTAS NON ONEROSA TVA EST] nulli oneri, aut molestiæ, quod quidem appareat. Quæ se nutibus tuis belle attemperat.

PERQVE TIBI SIMILEM VIRTVTIS IMAGINE NATVM] Per Tiberium: sed si quis amborum vitas committat, non valde similem reperiet. Cur autem Augustus eum successorem destinauerit, dicat Sueton. in Tiberio, cap. 21. Adduci tamen nequeo, quin existimem, circum-

D spectissimum, & prudentissimum Principem in tanto præsertim negotio nihil temere fecisse: sed vitiis, virtutibusq́ue Tiberij perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cum & reipub. caussa adoptare se eum pro concione iurauerit: & epistolis aliquot vt peritissimum rei militaris, vtq́ue amicum populo Romano præsidium prosequatur, &c.

MORIB. AGNOSCI QVI TVVS ESSE POTEST] si credere dignum est. Sed sensus est, qui, vt filius naturalis patrem plerunque vultu, nonnunquam & moribus; sic ipse tanquam ex te genitus, non quidem vultu, at certè moribus te refert: vt qui nescit eum esse filium tuum, vel hoc argumento cognoscat.

VEL AVO] Iulio, à quo est adoptatus Augustus.

VEL PATRE] te, qui eos adoptasti, ex Iulia filia, & Agrippa natos C. & L. Cæsares.

QVI VEN. MAO. P. TVA IVSSA ORADV] qui te volente, lubenteque ad virtutem enituntur. Hoc illis optat lib. 2.

Vt faciantq; tui fidus iuuenile nepotes,
Per tua, perq; tui facta parentis eant.

PARTE LAVA MINIMA, &c.] Propter loci mutationem, quò securius exulet. Hoc si concesserit illi Cæsar, parum concesserit: quod tamen ab exule in beneficio non mediocri ponetur. Ergo minima; si dantem, non accipientem intueamur.

SCYTHICO QVI SIT AB HOSTE PROCVL] à quibus (Scythis) nunquam tutus sum.

A CAESARE PROXIMA CAESAR NVM.] Hæc ad Tiberium, à Cæsare secundum, tanquam præsentem.

SINT PRAECIAVS NON INIMICA MEIS] ne aduersentur precibus meis: sed eas auctoritate sua, qua plurimum possunt, adiuuent potius.

SIC FERA QVAM PRIMVM, &c.] Optat ei triumphum de subacta Germania.

SIC PATER IN PYLIOS] pater Augustus æquet annis Nestorem. Vide prouerbium, Nestorea senecta. Eleg. 5. lib. 1. *Credo mihi, Pylio Nestore maior ero.* De illius ætate legas licet Francisci Floridi Subseciuar. lib. 2. cap. 3.

CVMAEOS MATER IN ANNOS] mater Liuia Sibyllam Cumanam. Virgil. in 6. *longæua sacerdos.* Prouerb. Sibylla viuacior. Seruatur decorum, cum neque viro feminæ, neque feminæ viri senectus optatur.

CONVENIENS INGENTI NVPTA MARITO] Ad Liuiam, siue eius imaginem potius veluti viuam, quomodo & antecedentia sunt accipienda. Conuenire est quod supra dixit, parem esse, hoc est, dignam. *Ingens* refertur ad illam, quam toties ei tribuit diuinitatem, & ad ea omnia, quorum caussa toto orbe non minorem esse affirmat.

ACCIPE NON DVRA SVPP. A. PRECES] Ne sis dura, & acerba precanti mihi, & tuum quoque auxilium inuocanti, quæ in manu habes Augustum; est enim vxorius.

SIC STAT VIR SOSPES] sequuntur bonæ precationes, schema cum poëtis aliis, tum Ouidio tritissimum.

CVM PROLE] cum Tiberio.

NEPOTES] ex Tiberio Drusus, ex Druso Tiberij fratre Germanicus. Elegia secunda. *Adde nurus, neptesq; pias, charosque nepotes.* Vide ibi scripta.

CVMQVE ZONIS NVRIBVS QVAS PEPERERE NVRVS] Sint tibi sospites nurus cum suis filiabus.

QVEM DIRA RAPVIT GERMANIA DRV-

A SVS] Drusus Tiberij frater, Liuiæ filius obiit in Germania, super cuius obitu extat elegia consolatoria ad eandem Liuiam. Sueton. Tiberio cap. 7. Drusum fratrem in Germania amisit, cuius corpus pedibus toto itinere prægrediens, Romam vsque peruexit. De muliere inusitatæ magnitudinis, quæ eidem occurrens exitum prædixerit, Xiphilinus in Augusto. Rapuit autem, quia ante senectutem coactus est mori. Eleg. 10. lib. 1. *Quæ mihi de Celso tua venit epistola rapto.*

PARS FVSR. P. SOLA. CAD. TVI] Solus ille ex partubus tuis fuerit caducus, cæteri stent, viuantque quam diutissimè.

FRATERNI FVNERIS VLTOR PVRPVRAVS, &c.] sic Tiberius fratrem breui vlciscatur, &

B purpuratus in curru triumphali, equis albis trahentibus ad te veniat.

MITISSIMA NVMINA] ad omnes tres communiter dictum.

PRAESENTES ALIQVID. P. HAB. DEOS] Prosit mihi habere, & contemplari, & conseruare vestras effigies. Ob hoc ipsum capiamini quæso misericordia mei.

CAESARIS ADVENTV TVTVS GLADIATOR ARENA EXIT] A simili. Quidam legunt *tuta*, vt sit hypallage pro *tutus*. Sicut, *instat præbuit ille manus*, pro *instar*.

ET AVXILIVM NON LEVE VVLT. HABET] vitiosè legitur *vultum*. Aspectus Cæsaris in arenam venientis, Cæsar visus à gladiatore, præsen-

C tiâ sua eum liberat. Magnum ergo in eius vultu auxilium. Pugnam sine missione dicebant, cum gladiatores ea lege in arenam descendebant, vt neutri fas esset petere missionem: sed necesse haberent eo vsque dimicare, dum alter caderet. Apuleius. Prælisre, & fortiter præliate. Et paucis interiectis. Grassare gnauiter, & occide moriturus. Hodierna pugna non habet missionem. Muret. lib. 17. cap. 19. Petebat autem vulneratus iam gladiator missionem, seu vitam vel à populo, vel à munerario, vel à principe, & in eum diem impetrabat. Sin minus, à victore occidebatur. Sed Ouidius solo interuentu, & aspectu Principis gladiatorem liberari solitum ait; quod notabis.

D NOS QVOQ. VESTRA IVVAT, &c.] Quemadmodum gladiatori prodest vidisse in arena Cæsarem: sic nobis proficiat vidisse vos, vt licuit, in nummia argenteis videlicet.

INTRATA EST SVP. Q. D. VNA TRIBVS] si vel vnus intrasset, debuit id mihi profuisse; quanto magis debet, cum tres dij intrauerint. Nam & olim homines cum à diis inuiserentur, certum hoc ipsorum erga se beneuolentiæ iudicium habebant. Huc enim planè respexit. Catul. de nupt.

Præsentes namque ante domos inuisere castas
Cælicola, nondum spreta pietate, solebant.

FELICES ILLI QVI NON SIMVLACRA, &c.] Argumentum à minoribus. Si imago tan-

rnm habet voluptatis, quantum habebit verus A diuinorum corporum aſpectus?

Nobis invidit inutile fatum] quoniam hoe per ſata aduerſa,& inimica non poſſumus *inutile μοῖραν*.

Qvos ded. ars vvlt. effig. colo] oblecto me ſaltem vultibus in merallo per artificem expreſsis, eoſque tanquam deorum intueor.

Sic homines novere deos,&c.] A patribus. Etiam dij cæleſtes coram non conſpiciuntur ab hominibus: ſed in imaginibua, & ſtatuis videntur, colnnturque. Nihil itaque minus contingit Cæſari, Tiberio, Liuiæ quam diis.

Qvae mecvm est, et erit sine fine] quas figuras, quæ ſimulacra veſtra ſeruabo quoad vixero.

Ne sit in inviso vestra figura B loco] ne patiamini veſtras icones diuinas iſto tam barbaro loco aſſeruari. Latenter reditum petit.

Capvt a nostra. c. cervice recedat] Affirmatius dicit, quod paulò ante, imagines illas retenturum vſq; ad mortem. Prius mihi adimetur caput. Vlyſſes 2. Iliad. iurans Therſitæ, niſi quieſcat, & conuitiis abſtineat, ſe illum peſsimè mulcaturum, *μηκέτ' ἔπειτ' ὀδυσῆϊ κάρη ὤμοισιν ἐπείη*, &c. Ne hæreat humeris amplius caput Vlyſsis. Germani quoq; in ſeriis affirmationibus, ich wolt mein Kopff laſſen.

Et patiar fossis. l. abire gen.] Patiar mihi oculos erui, quibus homini charius nihil eſt. Enallage numeri. Genæ ſunt membranæ ſuperiores, inferioresque, quibus oculus aperitur, & clauditur. Ennius de dormiente, C imprimitque genam genæ. Malæ ſunt eæ faciei partes, quæ infra oculos eminent, rotundæ, in ſpeciem mali. Sed vetuſtiſsimi genas pro malis dixerunt, vt obſeruat Plinius lib. 11. cap. 37. his verbis. Infra oculos malæ homini tantum, quas priſci genas vocabant, XII. tabularum interdicto radi à fæminis eas vetantes. Et malæ appellantur etiam partes intra os. Plaut. Bacchid. *Ne nuci frangibula excuſſit malis meis.* Idem Trinum, *ambabus malis expletis vorem.*

Votis raptis] ſurreptis, quod cauebitur diligentiſsimè.

O pvblica nvmina] Publicum quaſi populicum, quod in communi populi, aut ciuitatis alicuius vſu, & dominio eſt, nec occupanti conceditur: vt forum, theatrum, baſilicæ, viæ, itinera.

Nostrae portvs, et avra fvgae] In exilio meo pro portu, & aura, pro vnico ſolatio vos habebo.

Vos ego complect. Get. si,&c.] Veſtro nitar auſpicio, ac præſidio, cum aduerſus Getas vicinos prædatores eacundum erit in pugnam. De hoc eleg. 1. lib. 4. Triſt.

Nunc ſenior gladioq; latus, ſcutoq; ſiniſtram,
Caniciem galeæ ſubiicioq; meam.
Nam dedit è ſpecula cuſtos vbi ſigna tumultus,
Induimus trepida protinus arma manu.

Vtque meas aqvilas signa s. v. seqvar] Erunt mihi imagines veſtræ pro aquilis. Signa militaria, quę exercitum præire conſueuerant, cum acies educendæ, & manus cum hoſte conſerẽdæ eſſent, à principio fœni manipuli fuerũt, quos haſtis alligatos ſigniferi deferre, illisq; præeuntibus dimicare ſolebant, inde & manipulares dicti. Aucto mox imperio, propagatisq; finibus, quinque ſigna ex ærario depromi, militumque acies, ac legiones præire ſolebant. Hæc fuerunt, vt narrat Plin. lib. 10. cap. 4. aquilæ, lupi, minotauri, equi, & apri ſimulacra. Sed cum dimicandum foret, ſola aquila, quæ ordines præiret, è caſtris educebatur, & ſub eo vexillo pugnabatur: reliqua verò in caſtris ante prętorium fixa locabantur. Hoc enim inſigni Iouem aduerſus Titanas vſum ferunt. Inde ad Cretenſes, à Cretenſibus ad Troianos, demum in Latium ab Aenea tranſlatum defluxiſſe: quo poſtea Romani velut præcipuo vexillo in bellis vſi ſunt. Lege cætera apud Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2.

Avt ego me fallo,&c.] Feſtiuè fingit, ſe benignè à Cæſare ex illo nummo aſpici: ſupra enim toruius intuentem faciebat.

Fallor? an irati mihi ſunt in imagine vultus,
Toruaq; neſcio quid forma minantis habet?

Hinc ergo, ex blandiore aſpectu, exilium commodius ominatur.

Minvs, et minvs esse trestis] torua, minitabunda.

Visaq. svnt dicere ann. ora mei] Quod cuperet verè fieri, hoc factum narrat in imagine, vt moueat ex miraculo, & præſagium veritas comprobet.

Sit minor ira Dei] Non peto vt nulla ſit, & mihi pœna omnis condonetur; ſed vt mitigetur.



ELEGIA

ELEGIA NONA.

Ad Cotyn.

ARGVMENTOSA AVXILII FLAGITATIO.

ARGVMENTVM.

COTYM Toparcham, siue Dynastam, haud procul Tomis habitantem rogat opem, quandoquidem potentia valeat, & rogatus auxilio esse soleat, sicut dij: alioqui non fore cur victimis, & muneribus colantur. Auxilia præstita & homines, & deos illustrare. Instat à communione naturæ, à crudelium, & mitium comparatione, ab artibus liberalibus, seu mãsuetioribus musis, in quibus multum profecerit, in poësi potissimùm, vt sit alter Orpheus. Laudat item à fortitudine, & scientia militari. Rogat iterum per societatem studij poëtici. Nullum à se scelus patratum. Artem amatoriam scripsisse, & quiddam aliud peccasse, ob quod moderatè à Cæsare punitus sit, sola patria priuatus. Ipse cum vicinus sit, efficiat, vt loco tam infesto securus degat. Occultè petit, quod apertè non audet, vti ipsum ad se transferendum curet. Grauis planè, & heroica elegia.

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi peruenit vsque, Coty.
Fama loquax vestras si iam peruenit ad aures,
Me tibi finitimi parte iacere soli:
Supplicis exaudi iuuenum mitissime vocem,
Quamq; potes profugo (nam potes) affer opem.
Me fortuna tibi (de qua quod non queror, hoc est)
Tradidit, hoc vno non inimica mihi.
Excipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terra tutior vnda tua.
REGIA (CREDE MIHI) RES EST, SVCCVRRERE LAPSIS:
Conuenit & tanto, quantus es ipse, viro.
Fortunam decet hoc istam, quæ maxima cùm sit,
Esse potest animo vix tamen æqua tuo.
Conspicitur nunquam meliore potentia caussa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.

Hoc

Hoc nitor iste tui generis desiderat: hoc est
A superis orta nobilitatis opus.
Hoc tibi & Eumolpus generis clarissimus auctor,
Et prior Eumolpo suadet Erichthonius.
Hoc tecum commune deis, quod vtrique rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.
NAM QVID ERIT QVARE SOLITO DIGNEMVR HONORE
NVMINA, SI DEMAS VELLE IVVARE DEOS?
Juppiter oranti surdas si praebeat aures,
Victima pro templo cur cadet icta Iouis?
Si pacem nullam pontus mihi praestet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fiant vota coloni,
Accipiet grauidae cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
Caesar vt imperij moderetur frena, precamur,
Tam bene quòd patriae consulit ipse suae.
Vtilitas igitur magnos hominesque deosque
Efficit, auxiliis quoque fauente suis.
Tu quoque fac prosis intra tua castra iacenti,
O Coty progenies digna parente tuo.
CONVENIENS HOMINI EST, HOMINEM SERVARE, VOLVPTAS,
ET MELIVS NVLLA QVAERITVR ARTE FAVOR.
Quis non Antiphaten Laestrygona deuouet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?
Non tibi Cassandrus pater est, durúsue Caphareus,
Quiue repertorem torruit arte sua.
Sed quam Marte ferox, & vinci nescius armis,
Tam nunquam facta pace cruoris amans.
ADDE QVOD INGENVAS DIDICISSE FIDELITER ARTES
EMOLLIT MORES, NEC SINIT ESSE FEROS.
Nec regum quisquam magis est instructus ab illis,
Mitibus aut studiis tempora plura dedit.
Carmina testantur: quae, si tua nomina demas,
Threicium iuuenem composuisse negem.
Néue sub hoc tractu vates foret vnicus Orpheus,
Bistonis ingenio est terra superba tuo.
Vtque tibi est animus, cùm res ita postulat, arma
Sumere, & hostili tingere caede manum:

Atq; vt es excuſſo iaculum torquere lacerto,
Collaq; velocis flectere doctus equi:
Tempora ſic ſtudiis data ſunt vbi iuſta paternis,
Atq; tuis humeris fortè quieuit opus:
Ne tua marceſcant per inertes ocia ſomnos,
Lucida Pieria tendis in aſtra via.
Hæc quoq; res aliquid tecum mihi fœderis affert:
Eiuſdem ſacri cultor vterque ſumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Terra ſit auxiliis vt tua fida meis.
Non ego cæde nocens in Ponti littora veni:
Miſtáue ſunt noſtra dira venena manu.
Nec mea ſubiecta conuicta eſt gemma tabella,
Mendacem ceris impoſuiſſe notam.
Nec quicquam, quod lege veter committere, feci:
Eſt tamen his grauior noxa fatenda mihi.
Néue roges quæ ſit, ſtultam quam ſcripſimus artem,
Innocuas nobis hæc vetat eſſe manus.
Et, quid præterea peccarim, quærere noli:
Vt pateat ſola culpa ſub arte mea.
Quicquid id eſt, habuit moderatam principis iram:
Qui niſi natalem nil mihi dempſit humum.
Hac quoniam careo, tua nunc vicinia præſtet,
Inuiſo poßim tutus vt eſſe loco.

COMMENTARIVS.

REGIA PROGENIES] Regum ſoboles, ſanguis. Horat. Ode 29. lib.3. de Mæcenate. *Tyrrhena regum progenies.*

CVI NOBILIT. ORIGO NOM. IN EVMOLP.] qui nobilitatem tuam refers vſqne ad Eumolpnm, regem Athenatum, vt quidam explicant. Alij Enmolpum Thracem, Muſæi, ſiue, vt Pauſan. in Atticis, Neptuni, & Chiones filium.

COTY] vocandi caſus eſt, ſic enim legendnm, non, *Cotys.* Ergo ô Coty regia progenies, &c. De Coty qnodam rege Thraciæ Diodor. lib. 16. & Suidas, à qno fortaſſe hic Cotys & genus & nomen deduxit. Vide Bapt. Egnat. Racemat. cap. 14.

FAMA LOQVAX] Famæ deſcriptionem habes 4. AEneid. & fuſius 12. Metamorph. Vnde perſpicies qnare loquax.

VESTRAS SI IAM PERVEN. AD AVRES] Eleg. 5. *Qui ſi forte liber veſtras peruenit ad aures.* Virgil. 2. AEneid. *Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures.* Si fama accepiſtis.

ME TIBI FINIT. P. IACERE SOLI] me mnltatum exilió, in regione Tomitana, quæ fines tuos attingit.

SVPPLICIS EXAVDI IVVEN. MITISS. VOC.] Conciliatio beneuolentiæ à perſona ſua, & Cotys. Miſer ego, & ideo ſupplex: tu autem mitis, & miſericors præ multis.

QVAMQVE POTES PROFVGO AFFER OPEM] Hæc eſt petitio, & ea explicatur verſu vltimo. *Inuiſo poßim tutus vt eſſe loco.*

ME FORTVNA TIBI TRADIDIT] quaſi tuæ fidei me commendauit, cum in hæc loca miſit, ſeu detruſit potius.

DE QVA QVOD. N. Q. HOC EST] & hoc ſolum eſt, cuius fortunam accuſare non poſſum. Non enim mihi in hoc nocuit, ſed profuit.

EXCIPE NAVFRAG. N. D. LITT. NOSTR.] Humaniter me, tanquam naufragum excipe. Philo apud Stobæum: Deus nullius indiget, rex solius dei. Imitare igitur eum, qui nullius eget, ac largiter impertire misericordiam petentibus, non summo iure, nec restrictè cum supplicibus agens: sed omnibus quæ ad vitam degendam pertinent petentibus præbens.

NE FVERIT TERRA. T. V. TVA] ne qui in vndis sectatus sum, qui vitam in vndis retinui, in terra tua, in vicino tibi solo peream. 3. Anthol. tit. εἰς ναυαγόσωντας, queritur quidā Antheus naufragus, in littore à lupo dilaniatus, se terram mari sæuiorem expertum.

ἀνδῖα τὸν ναυηγὸν ἐπὶ χθόνα ...
...
...
...

REGIA RES EST SVCCVRRERE LAPSIS] Cic. pro Ligario confirmat, nulla re homines propius ad deos accedere, quam salutem hominibus dando. Quam sententiam apud Strabonem quoque legimus lib. 10. ... τοῦτο, ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεούς, ὅταν εὐεργετῶσι. Et hanc ipsam ad æternam gloriam esse viam ait Plin. lib. 2. cap. 7. Non tantum igitur regia, sed diuina quoque res est, lapsis succurrere.

ET TANTO QVANT. ES IPSE VIRO] non modo regibus, sed etiam potentibus, & opulentis pro rata portione conuenit, subleuare miseros.

FORTVN. DECET HOC ISTAM] statum hunc tuum, & opes decet succurrere alienæ calamitati.

ESSE. P. ANIMO. VIX. T. ÆQVA TVO] Animi tui excelsitatem maior dynastia decetet.

CONSPICITVR. N. MEL. POT. CAVSSA] potentia tum demum optimè, & laudabiliter se ostendit.

QVAM QVOT. VAN. N. S. ESSE PRECES] cum rogata succurrit. Sicut tum vicissim maximè odiosa est, cum ne rogata quidem vlli benefacit.

NITOR GENERIS] splendor familiæ tuæ.

A SVPERIS ORTÆ NOBILIT. OPVS] si fabulas audiamus, dij per filios, & nepotes suos nobilitatis auctores sunt. Vide Apollodori Bibliothecam. Si veritatem quæramus, ea est ab antiquitate, virtuteque bellica, quod clypei, & galeæ in nobilium insignibus testantur.

EVMOLP. GEN. CLARISS. AVCTOR] caput, & princeps tuæ domus, rex Athenarum, vt diximus.

ERICHTHONIVS] de huius ortu, & ratione nominis vide mythologos. Natalem lib. 4. cap. 5.

A HOC TECVM COMMVNE DEIS, &c.] Et dij rogantur vt ferant opem, & tu rogaris, & auxiliaris: in quo similitudinem quandam dei adipisceris, ad quam accedere possumus iustitia, secundùm Platonem in Theæteto: secundùm Xenophont. memorab. lib. 1. τῷ μηδενὸς δεῖσθαι nullius rei indigentia: secundùm Nasonem, vti vides, beneficentia. Illi duo φιλοσοφικώτερον locuti sunt; Naso ad vulgi iudicium se accommodauit, quando & rex deorum à iuuando nomen accepit, Iupiter quasi iuuans pater: & multi in deos relati sunt, quia dum viuerent, de hominibus optimè meriti essent, &c. Steph. Schedias. lib. 3. pag. 41.

SI DEMAS VELLE IVVARE DEOS?] Si

B iuuare homines nolunt dij, non est quare colantur precibus, & sacrificiis. Sigillatim id ostenditur, & per inductionem genus concluditur. In decretis Epicuri hoc etiam erat, deos propitios esse nemini, neque irasci, vt est in Pisoniana, hoc est, res humanas non curare. Quod ita extulit Lucret. lib. 1. & 2. loquens de diuina natura.

Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Sed tamen ob eorum præstantiam, & excellentiam naturæ venerandos censuit. Cic. 1. de nat. deor. in eandem sententiam. Si nihil aliud quæreremus, nisi vt deos piè coleremus, & vt superstitione liberaremur, satis erat dictum. Nam &

C præstans deorum natura hominum pietate coleretur, cum & æterna esset, & beatissima. Habet enim venerationē iustam quidquid excellit, &c. sed idem in extremo lib. Hominum charitas, & amicitia gratuita est. Quanto igitur magis deorum? qui nulla re egentes, & inter se diligunt, & hominibus consulunt. Quod ni ita fit, quid venetamur, quid precamur deos? Cur sacris Pontifices, cur auspiciis augures præsunt? quid optamus à diis immortalibus? quid vouemus?

SVRDAS SI PRÆBEAT AVRES] surda aure alicuius preces accipere est, quod suprà dixit, dura aure accipere, auerso scilicet animo. Tales quasi surdi sunt, & audientes non audiunt. Prouerbia, surdo canere, surdo fabulam narrare,

D surdo oppedere.

VICTIMA PRO TEMPLO. C. CAD. ICTA IOVI?] Inter infinitum votorum numerum, si cui fortuna aspirasset, vt voti fieret compos, is à Ioue se id consecutum ratus, continuò aras, & templa erigebat, & ab eo euentu, vel à loco, in quo id euenisset, Ioui cognomen indebat. Colebatur itaque apud Eleos Muscarius, quia Herculè mactante, & porriciente, magna quæ aderat muscarum copia, Iouis opera trans Alpheum auolasset, vt asserit Pausan. in prioribus Eliacis, &c. Vide, si lubet, Natal. in Ioue, cap. 1. lib. 2. Pro templo dictum, vt, pro tribunali, pro concione: non enim ante templa, sed ante aras in templis hostiæ cædebantur.

SI PACEM NVLLAM PONTVS, &c.] si A mare nunquam fit tranquillum, & idoneum ad nauigandum. Hæc enim est illa pax quam præstare potest. Alioqui turbidum, ventosum, iratum, naufragum, turgidum, indomitum, insanum, &c. dicitur.

IRRITA NEPTVNO. C. EGO. D. FERAM?] Irrita dona, immeritò oblata. 2. AEneid. *timeo Danaos & dona ferentes.* Taurum Neptuno mactari solitum indicat Virgil. 3. AEneid. Vide, quæso, quomodo Charmides incolumis de prospera nauigatione Neptuno gratias agat in Triummo. *Salsipotenti, & multipotenti Iouis fratri, &c.* Act. IV.

SI FALLANT VOTA COLONI] si spes destituat colonos. Si seges agricolæ votis non respondeat. Rectius numero multitudinis scribitur, *laborantes colonos*, quam patrio casu singulari.

ACCIPIAT GRAVID. CVR. S. EXTA CERES?] Quoniam sus fruges rostro eruisset, Triptolemus, quem illa ad frumenti semen in varias regiones asportandum, sationemq; docendam miserat, eo cognito, gratum se deæ facturum arbitratus, animal ipsius iuuentis infestum eidem immolauit, frugibus capite victimæ ad aram conspersо, vt qua de caussa immolaretur appareret. Fast. 1.

Prima Ceres auida gauisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.

NEC DABIT INTONSO. I. CAP. H. BACCHO] Sicut sus dedit pœnas Ceteri propter frumenta: ita hircus Baccho propter depastam vitem. Fast. 1.

Sus dederat pœnas exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito verba dolore dedit.
Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua quod fundi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxa tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.

Intonsos fingunt Bacchum, & Phœbum, cum perpetua iuuenta. Tibull. lib. 1. eleg. 4.

Solis æterna est Phœbo Bacchoq; iuuenta;
Nam decet intonsus crinis vtrumq; deum.

MVSTA SVB IND. SI PED. NVLLA. F.] D Tibull. lib. 1. eleg. 5. *Pressaq; veloci candida musta pede.* Idem eleg. 1. *& pleno pinguia musta lacu.* Et noster eleg. 10. lib. 3. Trist. *Nec cumulant altos feruida musta lacus.* Est autem lacus vas magnum, quo mustum de torculari defluens excipitur. Musteum, quod dulcedinem musti habet. Poma, mala mustea Catoni, & Plinio. Caseus musteus Plinio pro recenti, lib. 11. cap. 42.

IMPERII MODERETVR FRÆNA] Ab equis. Virgil. 1. AEneid.

O regina, nouam cui condere Iupiter vrbem,
Iustitiaq; dedit gentes frænare superbas.

Sic quempiam imperij habenas tenere, aut moderari dicimus.

TAM BENE. Q. P. CONSVL. IPSE SVÆ] Quasi dicat. Cæsar commodat quantum potest patriæ suæ, & est deus beneficus: quem proinde optamus talem toti quod regat imperio.

VTILIT. IGIT. MAG. HOM. DEOSQVE EFF.] Et dij, & homines collatione beneficiorum honores, & gloriam adipiscuntur: hoc est enim magnum fieri. Immo enim vero hoc modo dij ex hominibus facti sunt, dum se pro acceptis beneficiis mortales erga defunctos videri gratos studuerunt. Testatur id quoque 1. Tusculan. M. Tullius. Vide Lactant. lib. 1. cap. 15.

AVXILIIS QVOQVE FAVENT. S.] dum quisque egentibus ope sua præstò est, & ea quidem, quæ eius numini propria. Habent enim dij B potestates inter se diuisas, & alius huic, alius illi rei præest. Quidam etiam rebus pluribus.

TV QVOQVE FAC. P. INTRA. T. C. IACENTI] Hortatur eum, vt bonos homines, atque deos imitatus, pæne in eius regione, quasi militi in ipsius castris iacenti (siquidem eiusdem gloriæ ingenio suo militare cupiat) auxilio esse velit.

PROGEN. DIGNA. P. TVO] qui patrem tuum non dedecoras. Qui non degeneras.

CONVEN. HOM. E. HOM. S. VOLVPT.] Quæ in terra gignuntur, ad vsum hominum omnia creari docuerunt Stoici: homines autem hominum caussa esse generatos, vt ipsi inter se aliis alij prodesse possent. Cic. 1. Off. Certe veteres illi ni- C hil aliud existimabant deum, quam prodesse mortalibus. Quare frugum, vini, legum auctores, & quisquis ad vitæ commoditatem aliquid excogitasset, pro deo habebatur: quod etiam belluis faciebant hanc ipsam ob caussam, quia prodessent. Pluta Chiliastes prouerb. Homo homini deus.

MELIVS NVLLA. Q. ARTE FAVOR] Ad beneuolentiam, & studia hominum sibi adiungenda, non est via commodior. Nam & bestiæ sibi benefacientibus blandiuntur.

QVIS NON ANTIPH. LÆSTRIG. DEVOVET? &c.] A contrariarum rerum conflictione amplificat. De hoe Homer. Odyss. 10. & nos in eleg. 2. sub finem.

MVNIFICI ALCINOI] Phæacum rex Alcinous, Vlyssem naufragum benignè suscepit, coniugium Nausicaæ filiæ obtulit, & cum muneribus virum dimisit. Odyss. 7. &c.

NON TIBI CASSANDRVS PATER EST] Cassander Macedoniæ regnum occupans, in genus Alexandri desæuit, vt tradunt Pausan. in Bæoticis, Iustinus lib. 15. Diodorus lib. 18. Dubito, num de hoc Cassandro locus accipiendus.

DVRVSVE CAPHAREVS] Lipsiensis editio monet in margine, fortasse legendum, *genitorue Pheræus*, vt intelligatur Alexander Pheræus Thessalorum tyrannus, de quo Plutarch. in Pelopida, & Cic. 2. Off. Si legis Caphareus, ita interpretare, vt Virgilianum illud.

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.

QVIVE REPERT. TORRVIT. A. SVA.] Periphrasis est Phalaridis Agrigentinorum tyranni, qui Perillum fabrũ in bouem æneum, quem ille ad homines eo inclusos, & igni subiecto torrendos fecerat, primum coniecit. Narrat historiam Trist.3.eleg.11. φαλαρισμὸς prouerbiali specie est imitatio sæuitiæ Phalaridis, crudele imperium, siue crudele factum, siue crudelitas. Cic. ad Att.lib.7.ep.12. Nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia teterrime facturum puto.

SED QVAM MARTE FEROX, &c.] quam eximius, & inuictus bellator. Ferox plerumque in laude est, pro animoso, & imperterrito. Horat. Ode 4. lib.4. *nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam.* Et Ode 9. ferox Hector. Virgil.12. AEneid. *O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci Virtute exsuperas.*

TAM NVNQ. P. PACE CRVOR. AMANS] tam in pace mitis, & à cædibus abhorrens. Sunt enim, qui in pace bellum quærunt.

ADDE QVOD INGEN. D. FID. ARTES, &c.] Etiam ab artibus liberalibus humanitatem discere potes: quarum natura est, pulsa feritate animos temperare, & ad omnia mansuetudinis officia componere. Eleg.7.lib.1.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, Pectora mollescunt, asperitasq́ fugit.

Cic. ad Q. F. ep.1. lib.1. cuius natura talis est, vt etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam excolere posset. Obseruãdum, παιδείας, quam vocem Gell.lib.13. cap.15. institutionem in bonas artes interpretatur, à latinis appellari solere non solum artes ingenuas, liberales, liberalem doctrinam, honestarum artium studia, verum etiam studia humanitatis, & humanitatem, & artes ad humanitatem pertinentes, artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informatur, politiorem humanitatem. Ouidius mox mitia studia nominabit. De studiis humanioribus ex tant orationes trium eorum Aristitum, & quasi Dictatorum, Petri Victorij, Caroli Sigonij, M. Antonij Mureti.

NEC REG. QVISQVAM. M. E. INSTRVCTVS AB ILLIS] Nemo Principum te doctior. De studiis regis vide Viperan. de rege, & regno cap.9. & 10. Detestanda vox Licinij Imp. qui litteras virus, ac pestem publicam appellabat. Quas quidem adeo nesciebat, vt decretis subscribere non posset, ἀναλφάβητος.

MITIBVS AVT STVD. T. P. DEDIT] nemo regum litteras istas mitiores (mitem enim faciunt, vt paulo ante dictum) re tractauit diutius.

A At nunc à Principibus tractantur leuiter satis: & græca lingua omnibus studiis vtilissima, planè ab iisdem negligitur. Quam tamen si tenerent, magno sibi honori ducerent. An igitur quopiam indignum erit discere, quod didicisse illi gloriosum?

CARMINA TESTANTVR] Ab eius carminum perfecta elegantia probat quod dixit.

THREICIVM IVVEN. COMPOSVISSE NEGEM] negem à Thrace, hoc est barbaro composita (Cotys enim barbarus) si nomen tuum absit: sed à Romano quopiam, eoque optimo vate condita iudicem.

B NEVE SVB HOC TRACTV, &c.] Plus dicit: nam alterum esse Orpheum pronunciat: vt iam Thracia (nam & ille Thrax fuit) duos habeat Orpheos. Trita loquendi figura, eloquentissimos vocare Cicerones, magnos philosophos alteros Platonas, & Aristoteles, summos poëtas Virgilios: & in aliis artibus non liberalibus, vt pictura, statuaria, &c. similiter. Bistonidem terram nominat Thraciam, ab vrbe, & stagno huius nominis. De Orpheo, & eius lyra Propert.lib.3. eleg.4. Horat. Ode 12.lib.1. Claudian. præfat.in 2. de raptu Proserp. Vide etiam 3. Antholog. tit. εἰς πίνακας. De lyra eiusdem, & capite in Hebrum proiectis 11. Metamorph.

C *————caput Hebre, lyramq́,*
Excipis, &, (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, respondent flebile ripæ.

SVB HOC TRACTV] Et terræ, & cæli, & maris tractus apud Virgilium leguntur.

VTQVE TIBI EST ANIM. &c.] Quam sit animosus in pugna, tam esse feruentem in studio poëtico, & in otio fugere otium.

HOSTILI TINGERE CÆDE MAN.] hostium sanguine gladium, & manus imbuere.

D EXCVSSO IACVLVM TORQ. LACERTO] Iaculis iaciendis quondam pugnabatur. Virgil. 9. AEneid. de Turno.

Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem?
En, ait, & iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

COLLAQVE VELOCIS. F. D. EQVI] doctus flectere, græca loquẽdi ratio. Metamorph.5. *Figere doctus erat, sed tendere doctior arcus.* Vetus inscriptio. *Flectere doctus equos, nitida certare palæstra.* Horat. Ode 1. lib.1. *Indocilis pauperiem pati.* Horat. ep.2. lib.1. *Fingit equum tenera docilem ceruice magister ire viam quam monstrat eques.*

TEMP.

TEMP. SIC STVD. D. S. VBL. I. PATERNIS] studiis, quæ pater tuus coluit, militaribus nempe. Supra quoque sic locutus est. *Mitibus aut studiis tempora plura dedit.* A

ATQVE TVIS HVM. F. QVIEVIT OPVS] opus castrense humeros tuos grauare desiit. *Graue Martis opus.* Virgil. in 8.

NE TVA MAR. P. INERT. O. SOMNOS] Ne tempus vacuum inerti somno tibi pereat. Seu, ne tu otio, & somno marcescas.

LVCIDA PIERIA. T. IN AST. VIA] Viam Pieriam vocat Pieridum artem, & studium faciendorum versuum. Musa enim cælo beat, vt inquit Horat. Ode 8. lib. 4. non eos modo quos celebrat; sed etiam per quos celebrat. Vnde illud Ode 1. lib. 1. B

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

HÆC QVOQVE RES ALIQ. T. M. FOED. AFF.] Cum quisque amicus sit, & diligat studiorum socium, par est Ouidium poëtam quoque à Coty poëta diligi, ac proinde, quod diligentis est, eius auxiliis iuuari.

EIVSDEM SAC. CVLT. VTERQVE SVMVS] Eorundem sacrorum dixisset orator. In Tristib. sæpe monui, poëtas studium suum vocare sacra, & se sacros, & sacerdotes Musarum. Alludit ad communia sacra familiarum, de quibus eleg. sequenti, ad illum versum. *Sunt tamen inter se communia sacra poëtis.*

ORANTIA BRACHIA TENDO] gestus supplicis. Virgil. de AEnea in tempestate, lib. 1. *& duplices tendens ad sidera palmas.* Et 2. *tendentemque manus Priamum conspexit inermes.* C

TERRA SIT EXIL. V. TVA FIDA MEIS] Numerus pro numero. Sensus est, vt me terra tua tueatur. Vt me in tuam regionem hinc transferas.

NON EGO CÆDE. N. IN. P. LITT. VENI] Capitalia crimina à se remouet, quæ sibi apud Cotyn obstare potuissent. Solebant homicidæ abire in exilium voluntarium. Scholiastes Homeri in Iliad. o. id facere solitos refert, qui non sponte, sed casu aliquo cædem perpetrassent.

MISTAVE. S. N. D. VEN. MANV] In grauissimis sceleribus numeratur etiam veneficium. D Catilinaria 1. Qui siccas vibrare, & venena spargere didicerunt. Miscentes venena in iure ciuili dicuntur venenarij. Suetou. Nerone, cap. 33. Britannicum veneno aggressus est. Quod acceptum à quadam Locusta venenariorum indice, cum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto, accersitam mulierem sua manu verberauit. Tertullian. de Pudicitia. Vt tragœdias omittam, sciunt hodie venenarij, sciunt magi.

NEC MEA SVBIECTA, &c.] Negat se falsarium fuisse, & mentito signo subiecisse fictas ab se litteras.

NEC QVIDQVAM QVOD LEGE VETER] nihil egi contra leges, quarum violatoribus pœna capitis, exilium, & aliæ atroces pœnæ sunt propositæ.

EST TAMEN HIS GRAVIOR. N. F. MIHI] Quomodo stulta ars amandi grauior est cæde, veneficio? An stultitia est peccatum his grauius? Si grauius, cur se grauiter punitum lamentatur? Offensione forsan grauius, scandalo, vt nos diceremus, & malo, quod per eam inuehi potest in totam rempub. quando sic tollitur pudicitia, sterniturque via stupris, & adulteriis.

NEVE ROGES QVÆ SIT] ne te suspensum teneam. Ne te multis morer.

INNOCVAS VETAT ESSE MAN.] Sicut qui interficit hominem, dicitur habere nocentes manus: ita suas se manus stultè scribendo impiasse confitetur.

QVID PRÆTEREA PECCARIM] quid viderim. Quanquam Cotyn etiam hoc celat, se vidisse aliquid.

VT PATEAT S. CVLP. SVB ARTE MEA] vt videar ob solam Artem reus.

QVIDQVID ID EST] qualiscunque culpa, quam dicere nolo.

HABVIT MOD. PRINCIP. IRAM] qui ei facultates reliquit: nec exulem, sed relegatum in edicto vocauit, & tantummodo carere patria iussit. Iterum, vt sæpe, exaggerat peccatum illud suum, quod non nunquam etiam eleuat.

NATALEM HVMVM] Non est natus Romæ Ouid. sed Sulmone, in Pelignis. Tamen quia Roma illi patria iuris, tanquam de patria originis loquitur.

TVA NVNC VICIN. PRÆSTET] Propter vicinitatem hoc mihi præsta beneficium.

INVISO. P. TVTVS. V. ESSE LOCO] Vt viuam in loco tam horrido sine metu vitæ amittendæ. Sed quonam modo id poterat efficere Cotys? Occultè petit ab eo locis illis eripi. Sed rursum, quomodo id auderet Cotys inuito Cæsare?



ELEGIA DECIMA.

Ad Macrum.

IVCVNDAE PEREGRINATIONIS COMMEMORATIO.

ARGVMENTVM.

A Signo,& manu ipsum posse auctorem cognoscere. Non debere sui obliuisci: vel propter longum conuictum: vel propter affinitatem, quæ sibi cum eo per vxorem intercedat: vel propter communionem studiorum, quibus dissimiliter vsi sint, cum ille grauia, ipse leuicula, sibique detrimentosa cecinerit. Quæ loca eius ductu, atque comitatu lustrauerit, quamque lepidis sermonibus peregrinationem transegerint. Cuius si recordetur, fieri non posse vt sui memoriam deponat. Se illum ante oculos habere assiduò, quem par facere desiderat.

Ecquid ab impressæ cognoscis imagine ceræ,
Hac tibi Nasonem scribere verba, Macer?
Auctorisq; sui si non est annulus index
Cognitáne est nostra littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum?
Nec repetunt oculi signa vetusta tui?
Sis licet oblitus pariter gemmaque, manusque,
Exciderit tantùm ne tibi cura mei.
Quam tu vel longi debes conuictibus aui,
Vel mea quòd coniux non aliena tibi.
Vel studiis, quibus es, quàm nos, sapientius vsus:
Vtque decet nulla factus es arte nocens.
Tu canis æterno quicquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.
Naso parum prudens, artem dum tractat amandi,
Doctrinæ precium triste magister habet.

SVNT TAMEN INTER SE COMMVNIA SACRA POETIS,
DIVERSVM QVAMVIS QVISQVE SEQVAMVR ITER.
Quorum te memorem (quanquam procul absumus) esse
Suspicor, & casus velle leuare meos.
Te duce magnificas Asiæ perspeximus vrbes:
Trinacris est oculis te duce visa meis.
Vidimus Ætnæa cælum splendescere flamma,
Suppositus monti quam vomit ore gigas:
Ætneosq; lacus, & olentia stagna Palici,
Quaq; suis Cyanen miscet Anapus aquis.
Nec procul hinc Nymphe, quæ dum fugit Elidis amnem,
Tecta sub æquorea nunc quoq; currit aqua.
Hic mihi labentis pars anni magna peracta est:
Eheu quàm dispar est locus ille Getis!
Et quota pars hæc sunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi iucundas efficiente vias!
Seu rate cæruleas picta sulcauimus vndas,
Esseda nos agili siue tulère rota:
Sæpe breuis nobis vicibus via visa loquendi est:
Pluraque, si numeres, verba fuere gradu.
Sæpe dies sermone minor fuit, inq; loquendo
Tarda per æstiuos defuit hora dies.
Est aliquid casus pariter timuisse marinos,
Iunctaq; ad æquoreos vota tulisse deos.
Est modò res egisse simul, modò rursus ab illis,
Quorum non pudeat posse referre, iocos.
Hæc tibi si subeant, hìc sim licet omnibus annis,
Ante tuos oculos vt modò visus ero.
Ipse quidem certè cùm sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior extat aquis:
Te tamen intüeor, quo solo pectore possum,
Et tecum gelido sæpe sub axe loquor.
Hìc es, & ignoras, & ades celeberrimus absens,
Inq; Getas media missus ab vrbe venis.
Redde vicem, & quoniam regio felicior ista est,
Istic me memori pectore semper habe.



COMMENTARIVS.



AB IMPRESSÆ IMAG. CERÆ] Quod signum fuerit annuli Nasoniani, nobis incertum est, certum Macro. Consule quæ diximus lib. 5. Trist. eleg. 5. ibi, *nec qua signabat ad os est Ante, sed ad madidas gemma relata genas.*

AVCTORISQVE. S. SI NON EST ANNVL. IND.] si non perspicis ex imagine, quam impresit in cera annulus, à quo veniat hæc epistola.

COGNITA NE. E. N. LITT. F. MANV?] Certè ex ipsa manu, tibi notissima, cognoscis. Vtrúque dicimus, alicuius manus, alicuius littera pro scriptura.

AN TIBI NOTIT. M. T. ERIP. HOR. &c.] Si & signi mei, & manus te cepit obliuio, propter B diuturnitatem, quæ animo rerum obliuionem inducit, velim saltem mei te non esse oblitum, quod iustè non potes, ob rationes quæ statim sequuntur.

QVAM TV VEL LONGI, &c.] Tres caussæ. Prima, quia de eodem salino frequentissime comederunt ambo. Conuictu longo, vsuque, & consuetudine diuturna opus est, vt constans, & stabilis euadat amicitia. Hinc adagium, nemini fidendum, nisi qui cum salis modium comederis, quod adducit & in Lælio M. Tullius.

VEL MEA QVOD CONIVX, &c.] In hoc versu induximus verbum *est*, quod in antiquis exemplaribus non reperitur, & subauditur commodè. Secunda igitur caussa est vinculum affinitatis. Debes mei meminisse vt conuictoris, & vt C necessitudine coniuncti.

VEL STVDIIS, QVIBVS ES, &c.] Tertia. Debes mei meminisse vt poëta poëtæ. Sapientius autem vsus est studiis: non enim stulta scripsit vt Ouidius; sed lectione digna, & minimè erubescenda.

NVLLA FACTVS ES ARTE NOCENS] nobis autem stultitia nostra. vt supra dixit *stultitias non finit esse meam*.

TV CANIS ÆTERNO. Q. RESTAB. HOM.] Homerus Iliadem suam terminat in morte Hectoris, Troiam captam non describit, quod fecit multis postea sæculis Q. Calaber, seu Smyrnæus, D cuius extant Paralipomena. AEternum vocat Homerum & Tibullus lib. 4.

Est tibi qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius, æterno propior non alter Homero.

AEterno, propter æternitatem eius carminum, Alibi Ouid.

Viuet Mæonides Tenedos dum stabit, & Ide,
Dum rapidas Simois in mare voluet aquas.

Lucret. lib. 1. *Vnde sibi exortam semper florentis Homeri Commemorat speciem.* Ilias conscribi posset de huius poëtæ laudibus, inuito Scaligero, & iis qui A singula eius Critici dicta vt oracula merissima venerantur.

DOCTRINÆ PRET. TRISTE MAG. HAB.] exilium, quod quam triste sit præmium, tot locis per libros Tristium, atque hos etiam liquidò apparet. Eleg. 3. lib. 3.

Nec satis hoc fuerat, stultus quoq; carmina feci,
Artibus vt posses non rudis esse meis.
Pro quibus exilium misero mihi reddita merces,
Id quoq; in extremis, & sine pace locis.

SVNT TAMEN INT. S. COMM. S. POET.] Habét multa communia poëtæ, quà poëtæ sunt. Quasi digitum ad sacra familiarum peculiaria intendit, de quibus ita Cicer. 3. de leg. De sacris autem, qui locus patet latius, hæc sit vna sententia, vt conseruentur semper, & deinceps familiis prodantur, &, vt in lege posui, perpetua sint sacra. Hoc posito, hæc iura Pontificum auctoritates consecutæ sunt, ne ante patrisfamilias sacrorum familia occideret, & vt iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit, &c. Ioannes Passeratius præfat. in 4. lib. Propertij hunc locum ita explanat, & illustrat: Poëticorum sacrorum alia communia sunt, alia propria. Communia, quorum omnes poëtæ sunt participes, vt Apollinis, Liberi patris, & Musarum: quoniam eorum numinum afflatu, in flinctuque concitati vates sua fundunt oracula. De quibus Virgil. 2. Georg.

Me vero primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, cœliq; vias, & sidera monstrent.

Ouid. eleg. 10. lib. 2. de Ponto (quem locum in manibus habemus) *sunt tamen inter se communia sacra poëtis.* Statius lib. 5. sylvar. acerbum filij deflens interitum, *quæ vestra sorores Orgia Pieriæ, quas incestaui meas aras?* Persius. *Ipse semipaganus ad sacra vatum carmen affero nostrum.* Horum communium sacrorum se velut Antistitem esse gloriatur Ennius, cum ait, Musarum Pompilius clueo, quasi in cæremoniis Musarum alter esset Numa, plusquam rex sacrorum, aut Pontifex max. Idcirco Theocritus in Gratiis poëtas omnes vocat μουσάων ὑποφήτας. Propria sacra sunt vel cuiusque poëtæ, vel cuiusque generis, nam plura poëtarum genera sunt, &c.

DIVERSVM QVAM. QVISQVE SEQ. ITER] Suum iter sequuntur Epici, suum elegiaci, suum lyrici, suum comici, suum tragici, &c. Propria enim sunt cuiusque generis præcepta.

QVANQVAM PROCVL ABSVMVS] Propert. lib. 3. eleg. 20. *Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.* Obiecta commouent sensus, vt aiunt. Plerumq; igitur amor erga absentes languescit.

TE DVCE MAGNIF. ASIÆ. P. VRBES] Durius est, *perreximus.* Pergo in vrbem dicimus,

non

non pergo vrbem. Quamuis poëtica libertate excusari posset fortasse. Catull. ad seipsum de aduentu veris, & peregrinatione sua.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam cæli furor æquinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygij, Catulle, campi,
Nicææq; ager vber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus vrbes, &c.

Vide annotata in eleg. 2. lib. 1. Trist. ibi,

Nec peto quas quondam petij studiosus Athenas,
Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.

De vtilitate peregrinationis lege Mureti cap. 8. lib. 17. quanquam vtilius esse domi se continere, ibidem eleganter, & diserte docet. Philo lib. 2. de Abrahamo. Quantum cæci cedunt videntibus, tantum præstant peregrinati nunquam patriam egressis. Antisthenes ridebat Athenienses, gloriantes, quod essent αὐτόχθονες. & nec aliunde eò commigrassent, nec patriam sedem aliquando mutassent, aiebatque hoc illis cum testudinibus, & cochleis esse commune.

TRINACRIS EST OCVL. &c.] Sicilia à tribus promontoriis, Lilybæo, Pachyno, Peloro sic dicta: ἄκρον enim summum, extremum, extremitas. Postmodum Sicania à Sicano rege, aut duce. Triquetra Lucretio. *Insula quem triquetris terrarum gessit in oris.* De Empedocle.

ÆTNÆA CÆL. SPLEND. FLAMMA] Vide 3. AEneid. & poëma hoc nomine inscriptum, Cornelij Seueri, non Virgilij.

SVPPOSIT. MONTI GIGAS] Enceladus. Metamorph. 5. nominatur Tiphœus.

ÆTNÆOSQVE LACVS] Vitiosa lectio. Legendum *Ennæosq; lacus.* Ennæus, & Ennienfis (vt Ilius Iliensis) deducuntur ab Enna, quæ est vrbs, & vmbilicus Siciliæ: propè quam visitur lacus, Ennæus ab ea dictus hoc loco, idque lib. 5. Metamorph. etiam apertè indicatur. *Haud procul Ennæis lacus est à mœnibus altus* Nomine Pergusæ. Ciofan.

QVAQVE SVIS CYANEN, &c.] Fabulantur Cyanen fuisse nympham Siculam, quæ dum Proserpinam aduersus Plutonem raptorem adiuuare niteretur, ab illo in fontem sui nominis commutata sit in agro Syracusano, vbi Anapo flumini permisceatur.

NEC PROCVL HINC NYMPHE, &c.] De Arethusa videndus 3. AEneid. in extremo, *fama est huc Elidis amnem, &c.* Alpheum intellige. Consule & symb. nostras in Eclog. 10. Metamorphosin habes lib. 5.

HIC MIHI LABENT. P. ANNI, &c.] Vixi in his locis, aut in Sicilia multis mensibus. 1. Fast. *Iane biceps, anni tacitè labentis origo.* Virgil. 2. Aeneid. tot iam labentibus annis. Horat. Ode 14. lib. 2.

Eheu fugaces Posthume Posthume
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæq; morti.

HEV QVANT. DISP. EST LOCVS ILLE GET.] Siciliam describit Plin. lib. 3. cap. 8. Instin. lib. 4. ab initio. Multa de eadem Cic. in Verrinis, & in IV. ait à Catone illo sapiente cellam penuariam Reipub. Rom. nominatam.

ET QVOTA PARS RERVM, &c.] Multo plura vidimus, quæ recensere nimis longum sit.

TE MIHI IVCVND. EFF. VIAS] Mirum dictu, quantopere molestiam longi, aut alioqui incommodi itineris leuet, ac minuat facundus comes.

SEV RATE CÆRVL. P. SVLCAVIMVS VND.] Siue naui per fluuios, aut mare vecti sumus. Metaphora ab agricultura, qua vsus cernitur & Virgil. lib. 5. *& longo sulcant vada salsa carina.* Et 10. *& longa sulcat maria alta carina.*

ESSEDA NOS AGILI, S. TVL. ROTA] siue curru iter fecimus. Essedum genus vehiculi Gallicum, & Britannicum, quo Britanni etiam in prælio, inde pugnantes vtebantur. Cæsar lib. 4. & 5. Gallicor. multa de militibus essedariis. Ouid. alibi. *Paruaque quam primum rapientibus esseda mannis.* Horat. ep. 1. lib. 1. *Esseda festinant, pilenta, petorita, naues.* Propert. lib. 2. eleg. 1.

Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna iugis.

Meminit & Cic. ad Att. lib. 6. ep. 1. Vedius venit mihi obuiam cum duobus essedis. Apud eundem ep. 6. lib. 7. ad famil. est essedarius.

SÆPE BREVIS NOBIS VICIBVS, &c.] Alterni sermones nostri, seu vicissitudo nostra loquendi, sæpe fecit, vt iter nobis breue videretur. Hac vice sermonum dixit Virgil. in 6. de Colloquio AEneæ, & Sibyllæ.

PLVRAQVE SI NVM. V. F. GRADV] Hoc vel iniurato crediderim. Liquet etiam hinc, pedibus eos sæpius iter fecisse.

SÆPE DIES SERM. MINOR F.] non sentientibus nobis, dum iucundè colloquimur, effluxit. Eleg. 4.

Sæpe citæ longis visa sermonibus horæ:
Sæpe fuit breuior quam mea verba dies.

TARDA PER ÆST. DEF. H. DIES] cum tamen dies in æstate sint longi.

CASVS PARITER TIMVISSE MARIN.] Mecum nauigando, mecum tempestates, & procellas, periculaque marina timuisti. Chariores autem fiunt socij in periculis, & laboribus.

IVNCTAQVE AD ÆQVOR. V. T. DEOS] ad Neptunum, Nereum, Nereidas, &c.

ET MODO RES EGISSE SIMVL] res serias inter nos tractasse. Eleg. 4.

Seria multa mihi tecum collata recordor,
Nec data iucundis tempora pauca iocis.

MODO RVRSVS AB ILLIS IOCOS] ἀπὸ κοινοῦ, tractasse.

QVORVM NON PVDEAT REFERRE] quos iocos ausim memorare: nihil enim habuerunt turpitudinis.

HÆC

A

HÆC TIBI SI SVBEANT] si in mentem veniant. Eleg.2.lib.1.Trist. *Cum subit illius tristissima noctis imago.*

HIC SIM LICET OMNIBVS ANNIS] quamuis hic vsque ad mortem permaneam, & in patriam nunquam redeam.

ANTE TVOS OCVL. VT. M. VISVS ERO] ita memineris mei, quasi paulo ante abs te discesserim.

SVB CARDINE MVNDI] sub polo Arctico, quem ad Antarcticum, qui sub pedibus nostris est, respiciens Virgilius, sublimem vocat. 1. Georg.

QVI SEMP. LIQVID. ALT. EXT. AQVIS] quia vrsæ ambæ nunquam occidunt, quod dicunt poëtæ in vndas, seu ad Thetym descendere, ad sensum videlicet loquentes. Iudicat autem sensus, post orizontem esse mare.

QVO SOLO PECTORE POSSVM] pectore te intueor, quo solo possum te intueri. Eleg.4. lib.3. Trist.

Sic tamen hæc absunt, vt quæ contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.

De Didone Virgil. in 4. *illum absens absentem auditque, videtque.*

HIC ES, ET IGNORAS] κατὰ φαντασίαν scilicet.

ET ADES CELEBERRIM. ABSENS] nomen pro aduerbio, κατ' ἀντιμερίαν, frequentissimè ades, cum tamen absis. Nam verba celebris, & celebrare habent notionem frequentiæ. Est igitur simul ὀξύμωρον.

REDDE VICEM] responde amanti, tui memori.

ET QVONIAM REG. FÆL. ISTA EST.] Quid si legamus. *Et quoniam regio fælicior illa est?* in qua nimirum viuis, vt optare non debeas ad me venire, qui viuo in regione infælicissima. Aut lege *istic*, & repete initio pentametri, *Istic me memori. &c.* Laodamia Protesilao. *Signatum hoc memori pectore nomen habe.*



ELEGIA VNDECIMA.

Ad Rufum.

GRATVS ANIMVS.

ARGVMENTVM.

HAnc epistolam se illi mittere, signum memoris animi: cui & perennem memoriam pollicetur. Eius erga se beneuolentiam, & merita agnoscit. Vxorem suam ab eo pro iure cognationis admonitam, in officio fore alacriorem. Gaudet præterea, mandata sua curari fideliter. Gratiis tantæ pietati referendis imparem se fatetur. Quare id diis committit, & longam ei vitam precatur.

Hoc tibi Rufe breui properatum tempore mittit
Naso parum faustæ conditor artis opus.
Vt quanquam longè toto sumus orbe remoti,
Scire tamen possis nos meminisse tui.

Nominis ante mei venient obliuia nobis,
Pectore quàm pietas sit tua pulsa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia vana tui.
Grande voco meritum lacrymas, quibus ora rigabas,
Cùm mea concreto sicca dolore forent.
Grande voco meritum mœstæ solatia mentis,
Cùm pariter nobis illa tibiq; dares.
Sponte quidem, per seq; mea est laudabilis vxor,
Admonitu melior sit tamen illa tuo.
Namq; quod Hermione Castor fuit, Hector Iulo,
Hoc ego te lætor coniugis esse meæ.
Quæ, ne dißimilis tibi sit probitate, laborat,
Seq; tui vita sanguinis esse probat.
Ergo quod fuerat stimulis factura sine vllis,
Plenius auctorem te quoq; nacta facit.
ACER, ET AD PALMAE PER SE CVRSVRVS HONORES,
SI TAMEN HORTERIS, FORTIVS IBIT EQVVS.
Adde, quod absentis cura mandata fideli
Perficis, & nullum ferre grauaris onus.
O referant grates, quoniam non possumus ipsi,
Dij tibi, qui referent, si pia facta vident.
Sufficiatq; diu corpus quoq; moribus istis,
Maxima Fundani gloria Rufe soli.

COMMENTARIVS.

BREVI. PROPERAT. TEMPORE] properatò scriptum. Verbum *properare* interdum est actionis, proinde cum accusandi casu coniungitur. Virgil. AEneid. 12. *Arma citi properate viro.* Georg. 1. *Et quamuis igni exiguo properata maderent*, vbi vides pasiuè positum.

A

PARVM FAVSTÆ ARTIS] infaustæ, infælicis, quia auctorem suum afflixit, ac perdidit. Suprà. *Doctrina pretium triste magister habet.* Et eleg. 3. lib. 3. *Stultus quoq; carmina feci Artibus vt posses non rudis esse meis.*

TOTO SVMVS ORBE REMOTI] alter ab altero seiūctus longissimis terrarum, aquarumque tractibus.

SCIRE. T. POSSIS. N. MEM. TVI] vt habeas argumentum à me memoriæ tui.

NOMINIS ANTE MEI, &c.] prius, quod fieri non potest, capiat obliuione nominis mei, quam tuæ erga me pietatis, quæ qualis fuerit, deinceps patefaciet. Hinc sumptum prouerbium pro magna obliuione, sui nominis obliuisci, quod Messallæ Coruino oratori ex morbo euenisse auctor est Plin. lib. 7. cap. 24.

PRIVS HANC ANIM. &c.] prius moriar. Auras vacuas poëtæ sæpius vocant hoc spatium quod inter cælum, & terram est; non quia nihil in eo sit, cum sit plenum aëre, quas illi auras dicunt: sed quia nullum in eo animal, vt in terris, & in aquis habitet. Vtriusque hexametri. *Nominis ante, &c.* & huius item sententiam complexus est vno Virgil. 4. AEneid. *Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.*

LACRYMAS QVIB. ORA RIGAB.] cupi-

dilsimæ voluntatis non leue teſtimonium lacrymæ. & ideò grande meritum. Ab hoc officio & alios in Triſtib. commendauit.

CVM MEA CONCRET. SICCA. D. FORENT] me non flente, quod calamitatis immenſitate obtorpueram, vt fit. Concretum dolorem, accipe dolorem cum ſtupore, & torpore quodam animi coniunctũ, ex acerbitate præſentis mali: qui propterea non finebat ire lacrymas. Quin & vocem doloris magnitudo intercludit.

MOESTÆ SOLAT. MENTI] Hoc meritum etiam alibi laudat in aliis.

PER SEQVE MEA. E. LAVDAB. VXOR] Laudat eam eleg. 5. lib. 1. Triſt. & eleg. 3. lib. 3.

ADMON. MEL. FIT. TAM. ILLA TVO] Non ſollicitabat, credo, amicos ad Cæſarem pro marito rogandum, quod ille vehementer cupit: & in re familiari tuenda euaſerat negligentior.

QVOD HERMIONE CASTOR FVIT] Hermione filia Menelai, & Helenæ, cuius frater Caſtor. Ita hic auunculus Hermiones, & Hector auunculus Iulij, quia frater Creuſæ matris eius. Andromacha 3. AEneid. ad AEneam de Iulio. Ecquid in antiquam virtutem, animoſque viriles Et pater AEneas, & auũculus excitat Hector?

HOC EGO TE LÆT. &c.] ſimile officium ei abs te præſtari.

QVÆ NE DISSIMIL. T. SIT. &c.] quæ ſtudet à norma probitatis tuæ nec latum pedem deflectere, quem propinquitate attingit.

A PLENIVS AVCTOR. T. Q. NACTA. F.] tuis monitis impulſa, cumulatius facit.

ACER, ET AD PALMÆ, &c.] A ludis Circenſibus, ſiue Olympicis. Qui præclaram alicui ſpem faciunt, animandoque incitant, vel elatiorem etiam reddunt, eum ἀναπτεροῦν, hoc eſt, ei pennas addere dicuntur. Plura Iun.

ADDE QVOD ABSENT. &c.] Quæ tuæ fidei mando, curas ſedulo. Et quod tibi onus impono, illud perfers libenter.

ORE FERANT GRATES DII TIBI] Nimis abſurdè, ſi legas *ore*, vt cupiat deos Rufo verbis pro ſe gratias agere, tanquam vicarios ſuos. Lege ergo cum exclamatione. *O referant grates*, vt optet, non agi, ſed referri grates tam bene merito, idque à diis, qui ſunt diuites, & quorum ſumus omnia, vt lib. 1. eleg. 1. dixit. B

SVFFICIATQVE DIV CORP. Q. MORISTIS] Dignum eſt virum tam probum quam diutiſsimè viuere.

MAXIMA FVND. G. SOLI] Fundi oppidum Campaniæ, patria Rufi huius. De ſe, *Pelignæ gentis gloria dicar ego*. 3. Amor. eleg. 15.



FINIS LIBRI SECVNDI.



IN LIBRVM DE PONTO III.

EPISTOLA, SEV ELEGIA I.

Ad Coniugem.

SOLLICITVDO VXORIS PRO SE.

ARGVMENTVM.

CLEMENTIVS exilium suspirat. Regionis asperitatem, commodorumque, ac solatiorum omnium egestatem profert; quam ob caussam mirum non sit, si locum pœnarum mutare concupiscat. Vxorem ad id sibi impetrandum maiorem in modum sollicitat, monens, ne tantùm animo, & cogitatione sibi bene velit: sed re ipsa quoque nitendo, ac laborando pro se vincat alios, quando eam antea, vt optimam coniugem laudauerit. Alioquì famam illi male dictitaturam ipso vel tacente. Calamitate sua, vt alios quosdam viros magnos, se celebrem factum, & carmine suo illi, vxori, inquam, nomen peperisse. Spectatum iri in vtramque partem quod egerit, & æquè multos reprehensores, vt laudatores habituram. Rationibus denuo ad se adiuuandum vrget. Non debere sibi vitio vertere, si eam toties impellat, à simili confirmat. Negotij facilitatem ostendit. Ad Liuiam vt humanissimam mittit. Captandum huius rei tempus, & quale. Quomodo rem agat, & quid petat. Etiam diem, horam, auspicium obseruet, sacrificium diis faciat, Cæsari, Tiberio, Liuiæ potissimùm, quos illi propitios, & secundos precatur.

Æquor Iasonio pulsatum remige primùm,
Quæq; nec hoste fero, nec niue terra cares:
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam,
In minus hostili iussus abesse loco?
An mihi barbaria viuendum est semper in ista?
Inq; Tomitana condar oportet humo?
Pace tua, si pax vlla est tua, Pontica tellus,
Finitimus rapido quam terit hostis equo:

Pace tua dixisse velim; tu pessima duro
Pars es in exilio, tu mala nostra grauas.
Tu neque ver sentis cinctum florente corona,
Tu neque messorum corpora nuda vides.
Nec tibi pampineas auctumnus porrigit vuas:
Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
Tu glacie freta iuncta tenes, & in aequore piscis
Inclusus tecta saepe natauit aqua.
Non tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini;
Qui potus, dubium est, sistat alátne sitim.
Rara, nec haec felix, in apertis eminet aruis
Arbor: & in terra est altera forma maris.
Non auis obloquitur: syluis nisi si qua remotis
Aequoreas rauco gutture potet aquas.
Tristia per vacuos horrent absinthia campos:
Conueniensq́ suo messis amara loco est.
Adde metus, & quòd murus pulsatur ab hoste:
Tinctáque mortifera tabe sagitta madet.
Quàm procul haec regio est & ab omni deuia cursu,
Nec pede quò quisquam, nec rate tutus eat!
Non igitur mirum finem quaerentibus horum
Altera si nobis vsque rogatur humus.
Te magis est mirum non hac euincere coniux,
Inq́ meis lacrymas posse tenere malis.
Quid facias, quaeris: quaeras hoc scilicet ipsum:
Inuenies, verè si reperire voles.
Velle parum est, cupias, vt re potiaris, oportet:
Et faciat somnos haec tibi cura breues.
Velle reor multos: quis enim mihi tam sit iniquus,
Optet vt exilium pace carere meum?
Pectore te toto cunctis incumbere neruis,
Et niti pro me nocte diéque decet.
Vtq́ iuuent alij, tu debes vincere amicos
Vxor, & ad partes prima venire tuas.
Magna tibi imposita est nostris persona libellis:
Coniugis exemplum diceris esse bonae.
Nec cane degeneres: & sint praeconia nostra
Vera vide, famae quo tuearis opus.
Vt nihil ipse querar, tacito me fama queretur
Quae debet, fuerit ni tibi cura mei.

Expoſuit memet populis fortuna videndum:
Et plus notitiæ, quàm fuit antè, dedit.
Notior eſt factus Capaneus de fulminis ictu:
Notus humo merſis Amphiaraus equis.
Si minus erraſſet, notus minus eſſet Vlyſſes:
Magna Philoctetæ vulnere fama ſuo eſt.
Si locus eſt aliquis magna inter nomina paruis,
Nos quoque conſpicuos noſtra ruina facit.
Nec te neſciri patitur mea pagina, quæ non
Inferius Coa Battide nomen habes.
Quicquid ages igitur, ſcena ſpectabere magna:
Et pia non paucis teſtibus vxor eris.
Crede mihi, quoties laudaris carmine noſtro,
Qui legit has laudes, an mereare, rogat.
Vtq; fauere reor plures virtutibus iſtis,
Sic tua non paucæ carpere facta volent.
Quarum tu præſta ne liuor dicere poſſit,
Hæc eſt pro miſeri lenta ſalute viri.
Cumq; ego deficiam, nec poſſim ducere currum,
Fac tu ſuſtineas debile ſola iugum.
Ad medicum ſpecto venis fugientibus æger:
Vltima pars animæ dum mihi reſtat, ades.
Quodq; ego præſtarem, ſi te magis ipſe valerem,
Id mihi, cum valeas fortius ipſa, refer.
Exigit hoc ſocialis amor, fœduſque maritum:
Moribus hoc coniux exigis ipſa tuis.
Hoc domui debes, de qua cenſeris, vt illam
Non minus officiis quàm probitate colas.
Cuncta licet facias, niſi eris laudabilis vxor,
Non poterit credi Martia culta tibi.
Nec ſumus indigni, nec (ſi vis vera fateri)
Debetur meritis gratia nulla meis.
Redditur illa quidem grandi cum fœnore nobis:
Nec, te ſi cupiat lædere rumor, habet.
Sed tamen hoc factis adiunge prioribus vnum,
Pro noſtris vt ſis ambitioſa malis.
Vt minus infeſta iaceam tellure, labora:
Clauda nec officij pars erit vlla tui.
Magna peto, ſed non tamen inuidioſa roganti:
Vtque ea non teneas, tuta repulſa tua eſt.

Nec mihi succense, toties si carmine nostro,
Quod facis, vt facias, téque imitere, rogo.
Fortibus assueuit tubicen prodesse, suóque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua est probitas, testatáque tempus in omne,
Sit virtus etiam non probitate minor.
Nec tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut excussa leui pelta gerenda manu.
Numen adorandum est, non vt mihi fiat amicum,
Sed sit vt iratum, quàm fuit antè, minus.
Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fiant:
Hac potes, aut nulla parte mouere deos.
Quæ tibi ne desint, bene per mala nostra cauetur:
Déque viro flendi copia diues adest.
Vtque meæ res sunt, omni puto tempore flebis:
Has fortuna tibi nostra ministrat opes.
Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset:
Admeti coniux, quam sequereris, erat.
Æmula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.
Si comes extincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui.
Iphias ante oculos tibi erit ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere forte rogos.
Morte nihil opus est, nihil Icariotide tela:
Cæsaris at coniux ore precanda tuo.
Quæ præstat virtute sua, ne prisca vetustas
Laude pudicitiæ secula nostra premat.
Quæ Veneris formam, mores Iunonis habendo,
Sola est cælesti digna reperta toro.
Quid trepidas? & adire times? non impia Progne,
Filiáue Æetæ voce mouenda tua est,
Nec nurus Ægypti, nec sæua Agamemnonis uxor,
Scylláque, quæ Siculas inguine terret aquas.
Telegoníue parens vertendis nata figuris,
Nexáque nodosas angue Medusa comas:
Fœmina sed princeps, in qua fortuna videre
Se probat, & cæca crimina falsa tulit.
Qua nihil in terris ad finem solis ab ortu
Clarius, excepto Cæsare, mundus habet.

Eligito tempus captatum sæpe roganti,
Exeat aduersa ne tua nauis aqua.
Non semper sacras reddunt oracula sortes,
Ipsáque non omni tempore fana patent.
Cùm status vrbis erit qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor:
Cùm domus Augusti, Capitoli more colenda,
Læta (quod est, & sit) plenaqúe pacis erit:
Tunc tibi, dij faciant, adeundi copia fiat:
Profectura aliquid tunc tua verba putes.
Si quid aget maius, differ tua cœpta, cauéque
Spem festinando præcipitare meam.
Nec rursus iubeo, dum sit vacuissima, quæras:
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.
Curia cùm patribus fuerit stipata verendis,
Per patrum turbam tu quoque oportet eas.
Cùm tibi contigerit vultum Iunonis adire,
Fac, sis personæ, quam tueare, memor.
Nec factum defende meum (mala caussa silenda est)
Nec nisi sollicitæ sint tua verba preces.
Tum lachrymis demenda mora est, summissaqúe terra
Ad non mortales brachia tende pedes.
Tu pete nil aliud, sæuo nisi ab hoste recedam:
Hostem fortunam sit satis esse mihi.
Plura quidem subeunt: sed tu turbata timore
Hæc quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suspicor hac damno tibi non fore, sentiet illa
Te maiestatem pertimuisse suam.
Nec tua si fletu scindentur verba, nocebit:
INTERDVM LACHRYMAE PONDERA VOCIS HABENT.
Lux etiam cœptis facito bona talibus adsit,
Horaqúe conueniens, auspiciumqúe fauens.
Sed prius, imposito sanctis altaribus igne,
Thura fer ad magnos vinaqúe pura Deos.
E quibus ante omneis Augusti numen adora,
Progeniemqúe piam, participemqúe tori.
Sint vtinam mites solito tibi more, tuasqúe
Non duris lachrymas vultibus aspiciant.



COMMENTARIVS.



A EQVOR IASONIO. P. REMIOR PRIM.] Apostrophe, & prosopopœia. Loca enim inanima, & intelligentiæ vacua, mare, & regionem compellat. Mare Euxinum, quod primum omnium, ante alia maria, prima nauis (quę dicta est Argo, quod ea veherentur Argiui delecti viri, duce Iasone, in Colchos nauigantes, ad petendum vellus aureum) sulcauit. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. *Prima Deûm magnis canimus freta peruia nautis*. Catul. de nupt. Pelei, & Thetid. *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*. Et noster 2. Amor eleg. 11.

Prima malas docuit mirantibus aquoris vndis
Peliaco pinus vertice casa vias.
Qua concurrentes inter temeraria cautes
Conspicuam fuluo vellere vexit ouem.

PVLSATVM REMIGE] Virgil. 3. Aeneid. *Certatim socij feriunt mare, & aquora verrunt*. Remis pulsatum est, sed à remigibus.

B QVASQVE NEC HOSTE FERO] Vide eleg. 10. lib. 3. Trist. & eleg. 3. lib. 5.

NEC NIVE TERRA CARES] Ibid.

Nix iacet, & iactam non sol. pluuiaq; resoluunt:
Indurat Boreas, perpetuamq; facit.

ECQVOD ERIT TEMPVS] vnquámne veniet tempus? Virgil. eclog. 8. *En erit vnquam ille dies.*

QVO VOS RELINQVAM] quo hinc discedam, & his intolerandis miseriis exoluar.

IN MINVS HOSTILI LOCO] Eleg. 3. *Méque loco plecti commodiore velit*. & 3. lib. 5. Trist. *nec enim miser esse recuso, sed precor vt possim tutius esse miser*. Eleg. 2. lib. 1. de Ponto.

Hostibus in mediis, interq; pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.

AN MIHI BARB. VIVAND. E. IN ISTA?] In stomachum erumpit, & indignitatem rei. Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Suppositum stellis nunquam tangentibus aquor,
Me sciat in media viuere barbaria.

C INQVE TOMIT. COND. OPERT. HVMO] quod magnopere horret, ac reformidat. Eleg. 3. lib. 3. Trist.

Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Et fient ipso tristia fata loco?

PACE TVA DIXISSE VELIM] bona venia tua. Quod in bonam partem accipias. Modi sunt loquendi, latinis sollemnes. Cicer. 1. de Orat. Tu vix vllam cæteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Q. Catulus. *Pace mihi liceat caelestes dicere vestra.*

SI PAX VLLA EST TVA] Ratio huius parentheseos est in pentametro: sequitur enim.

FINITIM. RAPID. Q. TERIT. H. EQVO] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Hostis equo pollens, longeq; volante sagitta,
Vicinam latè depopulatur humum.

A Alludit porro ad veriuerbium terræ, quæ secundum Varronem dicitur à terendo, quod teratur.

TV PESSIMA. D. P. ES IN EXILIO] In exilio meo nihil mihi grauius est te vna. Omnia facilius, & æquius persero: tu me conficis. Adiiciuntur caussæ, ab eius descriptione, qua horrida, & miserabilis ostenditur.

TV NEQVE VER SENTIS] Notatio quatuor anni temporum, ab adiunctis. Nullum in hac regione ver. Et quid vere amœnius, ac iucundius? Vide prouerb. Ver ex anno tollere. Nec æstas, nec autumnus, sed hyems continenter est in his locis.

CINCTVM FLORENTE CORONA] Vernis quippe mensibus existit florum copia. 2. Metam. *Verq; nouum stabat cinctum florente corona*. Catull. ad Hymenæum. *Cinge tempora floribus*. Horat. Ode 4. lib. 1. in descriptione veris.

B *Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,*
Aut flore, terra quem ferunt soluta.

In Catalect. Virgil. *Vere nouo latis decorantur floribus arua*. Aestati quoq; coronam, sed spiceam in Metam. tribuit.

TV NEQVE MESSOR. CORP. NVD. VID.] In æstate siquidem colliguntur messes. Propter æstum autem messores pæne nudi sunt. Virgil. 1. Georg. *Nudus ara, sere nudus*. Ob hoc nuda æstas. 2. Metam. Et eclog. 2.

Thestylis & rapido fessis messoribus æstu
Allia, serpyllumq; herbas contundit olentes.

NEC TIBI PAMPINEAS AVTVM. P. VVAS] Hinc quoque notat autumnum. 2. Metamorph. *Stabat & autumnus calcatis sordidus vuis*. Virgil. 2. Georg. *tibi pampineo grauidus autumno Floret ager, spumat plenis vindemia labris*. In Catalect. *Dat musto grauidas autumnus pomifer vuas.*

CVNCTA SED IMMOD. T. FRIGVS HAB.]
C Non hic cernitur quadripartita anni varietas: sed aliorum quoq; locum vna, & sola hyems occupat, ea dominatur. Eleg. 2. lib. 1.

Adde loci faciem nec fronde, nec arbore tecti,
Et quod iners hyemi continuatur hyems.

TV GLACIE FRETA. V. TENAS] Elegia 10. lib. 3. Trist.

Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaq; immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est: durum calcauimus aquor,
Vndaq; non vdo sub pede summa fuit.

INCLVSVS TECTA. E. NATAV. AQ.] Ibid.

Caruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.

Effectus, & argumentum dulcedinis huius maris, est conglaciatio, quam non patitur aqua salsa. Quoniam verò parte superiore duntaxat dulce, inferiore autem salsum, ideo in hac gelu non constringitur.

A Laticis nisi paene marini] Eleg.7. lib.2.

Est in aqua dulci non inuidiosa voluptas,
Æquoreo bibitur cum sale mista palus.

De vitiositate huius aquæ habes querimoniam quoque eleg.3.lib.3.Trist.&eleg.8.Latex propriè liquor fontis. Et dicitur latex, quod in venis terræ lateat. Isidor.lib.13.

Dubium est sistat, alatne sitim] propter salsuginem. Salsa comedunt bibones de industria, vt quamplurimum queant bibere, & se ingurgitare.

Rara, nec haec faelix arbor] non satiua, & fertilis; sed agrestis, & sterilis. Elegia 12. lib.3.Trist. *Nam procul à Geticis finibus arbor est*. Eleg. 1. lib.4. *Aspiceres nudos, sine fronde, sine arbore campos.* B De fælicibus, & infælicibus arboribus consule Macrob.Saturnal.lib.2.cap.16. Arbor infælix Liuio aliud est, cum inquit lib.1. ab V.C. arbori infælici suspendito. Sicut infælicia ligna Catullo, cum de annalibus Volusianis loquens ait.

Electissima pessimi poeta
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus vstulanda lignis.

Et in terra est alt. p. maris] Mare Homero ἀτρύγετον, ἀ τρύγο vindemia, & τρυγάω vindemio, quod vindemiari nequeat, quis sit ἄκαρπον infructuosum, ac sterile: vnde Euripides vocanit ἀκάρπους πεδία campos sterilissimos, seu minimè feraces. Et de opera inani, nulliusque fructus, ac stulta prorsus, κατὰ θαλάττης σπείρειν in mari C seminare. Quanquam & aliud veriloquium affertur vocis ἀτρύγετος, cum de mari dicitur. Sed nihil ad institutum nostrum. Ergo terra Pontica est lata, & plana, & instar maris ἀτρύγετος, seu infructuosa.

Non avis obloqvitvr] non hîc circumuolant aues, quæ cantibus suis hominum aures demulceant: Ad citharæ sonum transtulit hoc verbi Virgil.in 6.

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Lucretius item de fidibus lib.4. *Et cithara liquidum carmen, chordasq; loquaces Auribus accipere.* Horat. Ode 32. lib.1. *age dic latinum Barbite carmen.* Tibullo garrula fistula, garrula lyra.

D Tristia per v. horr. absinth. campos] pro virenti, & læto gramine videas prata referta absinthio, cuius herbæ considerationem require apud Plin.cap.7. lib.27. Inest hîc amaritiei notio in epitheto *tristia*, vt item eleg.8.

Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraq; de fructu quàm sit amara docet.

Virgil.1.Georg. *tristisq; lupini*, eodem sensu, vt capit Macrob.lib.6.cap.5.Et ita Ennius. *Neque triste quæritat sinapi, neq; cæpe mæstum*. Vide Isidor.lib.17. cap.4.Ponticum absinthium laudant medici, de quo & Columell. lib.10. cap.15.

Conven. svo messis amar. loco] Quemadmodũ locus est iniucundus, & amarus, ita seges loci.

A Et qvod mvrvs pvlsat. ab hoste] Eleg.1. lib.4.Trist.

Quam miserum est porta vitam, muroq; tueri,
Vixq; sui tutum viribus esse loci?

Si aries murum percusserit Cic.1.Off.Virg.lib.12. *quiq; imos pulsabant ariete muros.* Noster eleg.2.lib.1. *Quam graue balista mœnia pulsat onus.*

Tinctaqve mortif. tabe sagitta] Eleg.10.lib.3.Trist. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* Et eleg.1. lib.4. *Hostis habens arcum, imbutaque tela veneno.*

Qvam procvl haec reg. est, &c.] in orbe vltimo, vt sæpe dixit. Eleg.7. lib.4.Trist.

Innumeri montes inter me, teq; , viæq;
Fluminaq; & campi, nec freta pauca iacent.

B Nec pede qvo qvisq. tvtvs eat] propter latrocinia.

Nec rate] propter crebras tempestates, & quia importuosa est regio; mare enim portubus orbum, vt dixit alibi: vnde & malè Euxinum vocari, cum sit ἄξενος potius.

Non igitvr mirvm, &c.] Cum sit talis regio, haud iniquè rogamus aliam mitiorem. Eleg.4. lib.4 Trist.

Mitius exilium, pauloq; quietius oro,
Quiq; sit à sæuo longior hoste, locum.

Te magis est mirvm, &c.] mirum est, te hoc mihi non omni ratione impetrare, te coniugem, & mihi tam dilectam, & mei tam amantem, quod ostendebas, cum in exilium abirem. Eleg. C 3. lib.1. Trist.

Inqve meis lacrym. p. ten. malis] non collacrymari mihi & marito, & tam ardenter te amanti, & adeo te ad posteritatem commendanti.

Qvaeras hoc scilicet ipsvm] vt locum exilij mutem.

Invan. vera si reperir. voles] In extremo primo Metamorphoseωn *non inuenta reperta es.* Vbi discrimen à nonnullis inter hæc duo verba statuitur, vt inuenire sit cogitationis, laboris, diligentiæ, reperire autem casus. Sed confunduntur sæpe, & perinde hoc accipiendum quod hîc dicitur, ac si dixisset, inuenies, si inuenire voles.

D Velle parvm est] Dicat vxor, velle marito suo melius esse eumque iuuare. Respondet, parum hoc est.

Cvpias, vt re potiaris, oportet] Non satis est te velle. Oportet te etiam cupere, quod maius est, & in ea cogitatione dies & noctes versari, vt quod cupis obtineas, nec vllis parcere contentionibus, ac laboribus.

Et faciat som. haec tibi c. brev.] Et ita sollicitè cogites hac de re, itaque labores, vt dormire te hoc negotium non sinat: vt somnum tibi abrumpat. Etsi enim somnus est perfugium, ac requies curarum, molestiarumque, interdum tamen grauiores, & acerbiores curæ somnum aut non admittunt, aut interrumpunt,

dum animo toties recursant. Cic. ad Attic. lib. 9. epist. 12. sed cum me ægritudo non solùm somno priuaret, verum ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur. Tibull. eleg. 4. lib. 3.

Nec me sopierat menti Deus vtilis ægræ
Somnus. sollicitas deficit ante domer.

Quèm locum cum sic, & quidem verè interpretatus esset Guliel. Canterus, nouar. lect. 1. cap. 18. Id innuere vult, se, cum sollicitus esset, atque anxius, multisq; curis torqueretur, maiore noctis parte somnum capere nequiuisse: sæpe miratus sum, cur ibidem Mureti, hominis sine controuersia eruditissimi, quod nec ipse negat, sed hominis tamen, interpretationem tam aculeate carpserit, & vt frigidam, ineptam, fatuam, insulsam (omnibus enim his epithetis eam ornat) irriserit. Hoccine, Cantere, est modestum factum? omitto reliquam ibidem dictam Mureto contumeliam.

VELLE REOR MVLTOS] Credo equidem, plerisque adesse voluntatem me iuuandi. Si tantùm vis, & optas me hinc liberari, est id tibi commune cum multis, nec magnam inde laudem mereris. Voluntatem desidem, & otiosam aspernatur, vt vides.

QVIS ENIM. M. T. SIT INIQVVS, &c.] Exilium mihi contigisse, maleuoli quidam fortasse non dolent, vt Ille, in quem est elegia 4. libri 4. Trist. & 9. lib. 5. Sed nemo tam exuit omnem humanitatem, vt etiam vitam mihi in exilio inuideat.

PECTORE TE. T. C. INCVMB. REM.] summum conatum duobus prouerbiis declarauit. εἰκὼν vxoris germanissimæ.

ET NISI PRO ME NOCTE, DIEQVE] magnum onus imponit miseræ mulieri. Genus loquendi nocte dieque, pro assiduò, semper, creberrimè.

VTQVE IVVENT ALII] Quamuis alij, quorum per hosce libros auxilium imploro, Cæsarem pro me rogent.

TV DEBES VINCERE AMICOS] tu, quoniam vxor es, ideoque mihi coniunctissima, & pars mei, debes in hoc palmam aliis præripere: & quæ sunt partes tuæ, in iis exequendis prima, & præcipua videri.

MAGNA. T. IMP. C. N. PERS. LIB.] In libris nostris cum te laudo, quasi in theatro magnam, & illustrem tibi personam impono, quam tu vt bene, ac decenter agas, da operam. Loquitur ita M. Tull. 1. Off. Nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, præstantiaque reliquarum animantium. Eiusdem sunt, tueri, gerere, sustinere personam.

CONIVGIS EXEMPL. DICERIS ESSE BONAE] ex meis libellis, & versibus, te vsque adeo prædicantibus. Encomium habes elegia 5. lib. 1. Trist. Ibi, postquam eius fidem, & sedulitatem extulit, eamque cum Andromacha, Laodamia, Penelope contulit, ita pergit.

Siue tibi hoc debes, nullo pia facta magistro,
Cumq; noua mores sunt tibi luce dati.
Femina seu Princeps omnes tibi culta per annos
Te docet exemplum coniugis esse bonæ. &c.

Vxorem bonam & malã inter se comparat Fulgentius extremo libro 1. mytholog. vbi plura de Admeto, & Alcesti.

HVIC CAVE DEGENERES] Caue degeneres, & discedas ab exemplo bonæ coniugis. Propertius æque cum dandi casu. *Dij mihi sunt testes, non degenerasse propinquis.* ἀρχαϊκῶς. Legitur item. *Ne caue degeneres.*

ET SINT PRAECON. M. VERA VIDE] Cura, ne ego mentitus inueniar, & vt famæ tuæ respondeas. Venies enim per carmina mea in ora hominum.

VT NIHIL IPSE QVERAR, &c.] me quoque tacente, fama de te sinistra emanabit, nisi me curandum, adiuuandumque susceperis.

EXPOSVIT MEMET POP. P. VID.] Ego per exilium meum, & scripta mea in exilio iam notior in vulgus quam antea, te quoque notiorem feci. Lege *populis* pro *populo*. plenius enim: & quia non modo ciues suos, populumque Romanum, verum etiam exteros intelligit.

NOTIOR EST. F. CAPAN. DE FVLM. ICTV] Inductione per exempla quatuor declarat, quomodo etiam calamitates famã concilient, quod sibi perinde contigerit. Capaneus vnus de VII ducibus, qui ad Thebas expugnandas cum Polynice venerant, cum conaretur scalas mœnibus admouere, à Thebanis obrutus est lapidibus. Inde nata fabula, cum deos, & Iouem despiceret, eius fulmine percussum interiisse. Pausan. in Bœot. Statius Thebaide, Apollodorus Biblioth. lib. 3. Euripid. Phœniss.

NOTVS HVMO MERSIS AMPHIARAVS AQVIS] Amphiaraus vates Eriphylen vxorem habuit, quem cum Adrastus rex, Polynicis socer, ad bellum Thebanum secum ducere vellet, ille præscius inde se non rediturum, latuit. Cumque diu quæsitus non inueniretur, tandem ab Eriphyle aureo monili ab Adrasto, siue ab Argia Polynicis vxore, Adrasti filia corrupta proditus, & proficisci coactus, primo die quo ad Thebas venit, hiatu terræ cum quadrigis absorptus est. Filius Alcmæon postea matrem iugulauit. Propert. lib. 3. eleg. 12.

Tu quoq; vt auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Apollodorus lib. 3. Papinius in calce lib. 7. Thebaid.

——ecce altè præceps humus ore profundo
Dissilit, inq; vicem tremuerunt sidera & vmbræ
Illum ingens haurit specus, & transire parantes
Mergit equos, non arma manu, non fræna remisit.
Sicut erat, rectos defert in tartara currus,
Respexitq; cadens cælum, campumq; coire
Ingemuit, donec leuior distantia rursum
Miscuit arua tremor, lucemq; exclusit auerno.

Amphiaraum sic honorauit fama, Græciæ Deus vt baberetur, atq; vt ab eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Cic.1.de Diuinat.

SI MINVS ERRASS. M. NOT. E. VLYSSES] Cum Vlysis miseriis suas comparat eleg.4.lib.1. Trist. *Ille per ignotas audax errauerit vrbes, &c.*

MAGNA PHILOCTETAE VVLN. F. S. EST] Vide dicta in eleg.1. lib.5. Trist. ibi

Hoc erat, in gelido quare Pæantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.

Eleg.2.

Pene decem totis aluit Pæantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.

TANTA INTER NOM.] uomen pro nominato, & celebrato legimus.

PARVIS] 1.Trist. eleg.3. *Si licet in paruis exemplis grandibus vti, si parua licet componere magnis,* Virgil.4. Georg.

NOSTRA RVINA] casus bic nôster.

NEC TE NESCIRI PATITVR MEA PAG.] Calamitas exilij mei uotum me fecit: ego semper te notam; & nominatam facio. Vide eleg.15. lib.5.Trist.

INFERIVS COA BATTIDE NOMEN] Philetas Cous, poëta elegiacus, cuius ad exemplum se effinxit Propertius, Battidem vxorem amauit impensissimè, & carminibus suis nobilitauit. Eleg.5. lib.1.Trist.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poëta,
Nec tantum Coo Battis amata suo est.

SCENA SPECTAB. MAGNA] in vtramque partem nota eris populis. Scena hic pro theatro, seu potius pro spectaturibus in theatro, siue ad theatrum. Nomen inuenit ex eo, quod alia atq; alia facies subinde appareret ex ædiculis (vnde prodibant personæ) quæ olim cum è ramis, ac frondibus conficerentur, ita suntab vmbris, & tabernaculis appellatæ. Scaliger poët. lib.1. capite 7.

NON PAVCIS TESTIBVS] malè vulgati, *paruis*.

AN MEREARE ROGAT.] Admirana tautas laudes, porrô quærit, & scire desiderat, num reuera talis fueris.

VTQVE FAVERE REOR, &c.] Et quemadmodum fœminæ plures virtutibus tuis à me prędicatis recreabuntur, & beneuolum accipient in te animum: sic æquè multæ (si me secus à te habitum intellexerint) obtrectabunt tibi.

QVARVM TV PRAESTA NE LIVOR] Præsta, effice, ne harum liuor, & inuidia, ne hæ tuis laudibus inuidentes dicere posint, vt sequitur.

HAEC EST. P. MIS. LENTA. S. VIRI] Negligentem, remissum, & socordem se præbet in curanda salute viri sui. Penelope Vlysi. *Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysse.* id est, segni, tardo, flaccido, & in amore coniugali frigescenti, & languido. Cic. ad Att. ep.9. lib.1. Teucris illa (nomen est tragœdiæ componendæ) lentum sanè

A negotium. Lenta viburna, lenta salix, lenta vitis apud Maronem alia notione dicuntur.

NEC POSSIM DVCERE CVRRVM, &c.] Coniuges dicuntur à iugo, quod matrimonio cuniungendis imponebatur, ad notandam eorum perpetuam societatem, atque concordiam. Horat. de immatura virgine ad thalamum, Ode 5. lib.2.

Nondum subacta ferre iugum valet
Ceruice: nondum munia comparis
Æquare, &c.

Etiu nuptiis iugandi verbum vsurpauit Catull. de uupt. *Tum Thetidi* pater ipse iugandum Pelea sensit. Horat. carm. sæculari ad Dianam.

Diua producas sobolem, patrumq;
B *Prosperes decreta super iugandis*
Feminis, prolesq; nouæ feraci
Lege marita.

AD MED. SPECTO VEN. PVO.] Desiuente pulsu, vt vulgus loquitur, voco medicum.

VLTIMA PARS ANIMAE. D. M. RESTAT] dum prope vltimum traho, duco anhelitum, spiritū. Plaut. Aulul. *Follem obstringit ob gulam, ne quid animæ amittat dormiens.* Cic.3. de Orat. interclusio animæ, & angustiæ spiritus. Martial. lib.1. *Atque duplex anima longius exit odor.* Iterum Plautus Asin. *Dic amabo, num fœtet anima vxoris tuæ?* Et Mercat. *Iam plenum ætatis, animaq; fœtida.*

QVODQVE EGO PRÆSTAREM, &c.] Par ratio. Quantum tibi deberem, si tibi malè, mihi
C bene esset: tantum cum tibi beue, mibi malè sit, tu mibi debes.

EXIGIT HOC SOCIALIS AMOR] *ἡ κοινωνικὸς ἔρως. socialis amor*, non simpliciter, qualis est sociorum quomodocunque: sed qualis est sociorum tori, viri & mulieris, per nexum coniugalem corpora quoque inter se douantium. *Perpetuo sociatam fœdere lecti*, inquit, nescio de qua coniuge.

FOEDVSQVE MARITVM] Fœdus maritale, seu connubiale, quo nihil arctius, & sanctius inter maritum, & maritam. De Ceyce, & Alcyone coniugibus in aues conuersis 11. Metamor. *Tunc quoque mansit amor, nec coniugiale solutum est Fœdus in alitibus.* Virgil.4. Aeneid. *nec coniugis vnquam Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.* Fœdus, docente
D Festo, appellatur ab eo, quod in paciscendo fœta hostia iugularetur. Virgil. 8. *& cæsa iungebant fœdera porca.* Vel quia in fœdere interponatur fides.

MORIBVS HOC EXIGIS IPSA TVIS] Postulant hóc abs te mores tui, & natura tua.

HOC DOMVI DEBES, DE QVA CENS.] Postulat hoc familia tua honorata, & proba.

NON MIN. OFF. QVAM PROBIT.] vt non modò proba sis; sed etiam in me officiosa, atque ita te illa dignam præstes.

NISI ERIS LAVDAB. VXOR] nisi partes bonæ vxoris cum laude impleas, vt pro me teutes omnia.

NON POTERIT CREDI MART. Ĉ. TIBI]

nemo credet te Martiæ deditam fuisse. Ad Maximum eleg. 4. lib. 1.

Ille ego, de vestra cui data nupta domo est.
Hanc probat, & primo dilectam semper ab æuo
Est inter comites Martia censa suas.

Nec svmvs indigni, &c.] A meritis in eam suis nunc argumentatur, & instat. Debentur quidem mihi abs te officia propter maritum fœdus, vt viro cuilibet ab vxore sua: sed debentur etiam vt bene merito.

Redditvr illa q. &c.] Etsi autem refers cumulatè gratiam, eo scilicet modo, quo narrauit eleg. 5. lib. 1. Trist. Occupatio figura est, cum anteuertimus id, quod obiici poterat. Fœnus, inquit Festus, appellatur naturalis terræ fœtus. Ob quam caussam & nummorum fœtus fœnus est vocatum, & de ea re leges fœnebres. Fœnus, & fœneratores, & lex de credita pecunia fœnebris à fœtu dicta, quod crediti nummi alios pariant, vt apud Græcos eadem res τόκος dicitur. Fœnum quoque pratorum ab hac caussa est appellatum, quando idipsum manens, quotannis nonum parit.

Laedere habet] ἐλλειπτικῶς pro, non potest te lædere. Nam ἔχω Græcis valet etiam possum, quem vsum Latini suo quoque verbo *habeo* dant nonnunquam. ἔχω εἰπεῖν, ἔχω λέγειν, habeo dicere. Cic. de opt. gen. orat. In quibus verbum pro verbo non necesse habui reddere. Et alibi.

Hoc factis adivnge prioribvs vnvm] Adde hoc vnum ad reliqua tua in me benefacta. Plaut. Trinum, *adde ad hanc gratiam vnam.*

Pro nostris vt sis ambit. malis] vt in obtinenda mihi exilij mutatione omnibus laudem præripias, & videare eius rei affectare principatum.

Vt minvs infesta iaceam reo.] Eleg. 3. lib. 1. ad Maximum.

Non petis vt bene sit; sed vti male tutius, vtque
Exilium saeuo distet ab hoste meum.

Clavda nec off. pars. e. vlla tvi] Officium tuum erit omni ex parte integrum, & perfectum, nihil in eo desiderabitur. Verbum *claudicare* in moribus, & fœlicitate adhibuit Cic. 1. de Finib. Qui verentur, ne si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Et 5. Tuscul. Item beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte claudicet, tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum.

Non invidiosa roganti] quę sibi non creent odium, ac inuidiam. Quis enim vxorem pro viro sollicitè laborantem reprehendendam putet? Quis non potius laudet?

Tvta repvlsa tva est] si voti compos non fias, si repulsam patiare, nihil vltra patiere. Sunt enim, quorum petitiones non sine petentium ignominia, & damno repelluntur.

Nec mihi svccense, toties si, &c.] Blanditiæ. Quod tam enixè rogat, eam facere affirmat, petitionemque suam à similibus è re militari excusat.

Teqve imitere] Cic. Dolabellæ epist. 14. lib. 9. te imitere oportet, tecum ipso certes. Pro Quinctio. nihil aliud, nisi vt vestræ naturæ, bonitatique obsequamini.

Fortibvs assvevit tvbicen prodesse] Opportuna huic loco illa Maroniana lib. 6. de Miseno tubicine.

Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Et initio 8.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Vtque acres concussit equos, vtque impulit arma,
Extemplò turbati animi: simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium.

Nec modo viros fortes ad pugnam, sed equos item militares tuba accendit, id quod insinuat prouerb. Sus tubam audiuit. Nihil quippe vel sues tubarum, vel asini lyræ sonitu commouentur. In vrbium expugnatione iubet Onosander in Strateg. tubicines vna cum militibus, primis murum ascendentibus attrahi. Hostili enim tuba noctu de mœnibus audita obsessorum animi insanum percelluntur, quasi iam vi penitus expugnata sit ciuitas: & sæpe portas, ac propugnacula deserentes diffugiunt. Vnde obsidentibus militibus, qui adhuc extra vrbem sunt facilius est vel portas perstringere, vel per scalas sese in vrbem dirigere, nemine hostium arcente: fieríque hoc modo potest, vt vrbs aliqua ab vno, & inermi tubicine capiatur.

Dvx bene pvgn. incit. ore viros] Cic. 4. Philipp. Faciam igitur, vt Imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, vt eos tamen adhortentur: sic ego vos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Quantum possit oratio ducis in prælio, ad militum animos aduersus hostem, & ad contemptum vitæ incendendos, poëta prudentissimus 2. Aeneid. demõstrauit. *Inde lupi ceu raptores atra in nebula. &c.* Regibus, Principibus, belli ducibus necessariam esse eloquentiam, demonstrat orat. 1. de regno Dio Chrysost.

Testataqve temp. in omne] vota futura sæculis omnibus.

Sed virtvs. e. non probit. min.] Necesse est hîc inter probitatem & virtutem differentiam constituere. Ergo virtus hîc fortitudo est, quæ magna aggreditur, & nihil timet.

Nec tibi Amazon. e. p. me. s. secvris] A facilitate negotij noua cohortatio. De Amazonibus multa Diodorus lib. 2. capite 11. & lib. 3. cap. 4. Herodotus lib. 4. Iustin. 2. Pausan. lib. 1. Hæ vero solæ inquit ex omnibus fœminis nulla vnquam clade deterreri potuerunt, quin belli nouam semper aleam subirent. Nam & Themiscyra capta, & copiis quas contra Athenienses miserant

rant deletis, ad Troiam cum Athenienfibus ipfis, & vniuerfis Græcis pugnarunt. Infantium puellarum (mafculos enim necabant) dexteras mammas adurebant, ne in præliis tumore fuo corporis agilitatem, & haftæ gerendæ commoditatem impedirent. Siue, vt ait Curtius lib. 6. quò facilius arcus intenderent, & tela vibrarent. Inde nomen fortitæ funt *ἀμαζόνων*, quod effent fine mamma, *μαζὸς* enim mamma. Hinc Titinnius, poëta antiquus vnimammas vocauit. In pugna fecuribus vtebantur. Inde Phædra Hippolyto. *Prima fecurigeras inter virtute puellas Te peperit.* Hippolyte regina Amazonum videlicet, quam à fe victam Hercules Thefeo vxorem iunxit.

Avt excite levi. p. obrand. manv] Pelta lunam femiplenam referebat. Suidas, *πέλτην ἀσπὶς ἴτυν οὐκ ἔχουσα* clypeus rotunditate carens. Inter parmam, clypeum, fcutum, peltam, ancile quid difcriminis fit, docebit Ald. Manut. Pauli F. de quæfit. per epiftolam lib. 1. cap. 6. Huc pertinent etiam quæ habes 1. Aeneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthefilea furens, mediisq́ in millibus ardet,
Aurea fubnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetq́ viris concurrere virgo.

Nvmen adop. est] Numen Liuiæ. Infra.

E quibus ante omnes Augusti numen adora:
Progeniemq́ piam, participemq́ tori.

Sit vt iratvm. q. p. ante minvs] erit autem, fi locum exilij mitiorem concefferit.

Lacrymae tibi oratia piant] fi nullis argumentis, & precibus rem quiueris impetrare, adhibe lachrymas, quibus ineft ad expugnandos animos vis maxima; his inito gratiam. Seneca. Maior fides lachrymis quas fundimus danda eft, quam verbis quæ loquimur. Sæpe enim fallit in verbis lingua, fed perrarò in lacrymis fallunt oculi.

Hac potes, avt nvlla. p. m. deos] Qui lacrymis non mouentur, nulla re alia mouebuntur. Deos intellige Cæfarem, Tiberium, Liuiam: non enim nunc de cæleftibus loquitur, quamuis hos cæleftes faciat, non quidem præfentes, fed futuros.

Qvae tibi ne desint] vt flere pofsis, vt fuppeditent tibi lacrymæ.

Bene per mala nostra cavetvr, &c.] Tot, & tam grauia paffus fum, ac patior, vt eorum confideratio non difficulter lacrymas, & quidem vberes tibi excutere queat.

Vtqva meae res svnt] vt eft ftatus meus, & conditio.

Omni pvto temp. flebis] non facies finem flendi.

Has opes] hanc plorandi materiam, & quafi gazam.

Si mea mors redimenda tva esset] Demonftrat quarum fœminarũ in maritos charitatem imitari deberet, fi res poftularet. Si igitur tibi pro me moriendum effet.

A Admeti conivx qvam seqver.] quæ, cum pro viro ad mortem nemo fe vellet offerre, ipfa fe lubens obtulit. Euripid.

Æmvla Penelopes fieres at fravde, &c.] Quomodo tela retexenda procorum fpem delufèrit, Vlyfsique marito fidem feruauerit Penelope, exemplum caftitatis, & pudicitiæ coniugalis, Homerus in Odyffea. Repete quę diximus in eleg. 5. Trift. lib. 1. ibi, *Penelopes effet fama fecunda tua.*

Si comes extincti man. seq. mariti] Vide ibidem ad verfum, *Aut comes extincto Laodamia viro.*

Esset dvx. f. Laod. tvi] Virg. 1. Aeneid. de Didone, *dux fœmina facti.*

B Iphias ante ocvlos tibi erit, &c.] Euadne Iphiclis filia, quæ in eundem rogũ, quo mariti Capanei cadauer cremabatur, infiluit. Propert. lib. 1. eleg. 15.

Coniugis Euadne miferos elata per ignes
Occidit, Argiua fama pudicitia.

Nihil Icariotide tela] Penelopes pater Icarius. Vide prouerb. Tela Penelopes.

Caesaris at conivx ora precand. t. est] nihil opus tanto molimine: folis verbis fupplicibus apud Liuiam indigeo, quæ tibi conuenienda, & roganda eft, vt Auguftum flectat, quod poterit, fi volet.

Ne prisca vetvstas l. p. saecvl. n. premat] Liuia nulli prifcarum mulierum, nec C Lucretiæ, nec Porciæ Catonis filiæ, vt de Græcis taceam, pudicitia quidquam concedit.

Qvae Veneris formam] Venus pulchritudinis, & elegantiarum nomen, vt Minerua ingenij, Bacchus vini, &c. Plaut. Pœnulo. *munera digna diua venuftifsima Venere.* Et Sticho. *Amœnitates omnium Venerum atque venuftatum offero.* Catull. *Tum omnibus vna omnes furripuit Veneres.* Terentia tamen vxor Mœcenatis cum Liuia certaffe de pulchritudine fcribitur. Ad orationis quoque lepores, & feftiuitates transfertur nomen Venus. Horat. ad Pifones. *Fabula nullius Veneris.* Ponitur & pro amafia, quomodo Græcis *κύπρις*, & *ἀφροδίτη*. Virgil. eclog. 3. *Parta meæ Veneri funt munera.* Item pro re placita, & iucunda, &, vt dicebamus pulchra, atque D eleganti. Nam pro amore & libidine fumi, *καὶ πασὶ δῆλον*.

Mores Ivnonis habendo] Quos mores hîc Iunonios, præter eximiam quandam, & matronalem grauitatem intelligat, non video. Ad inceffum quod attinet, exiftimaffe veteres, eam infigni maieftate procedere, & eò refpexiffe Maronem 1. Aen. cum dicit illa, *Aſt ego quæ diuûm incedo regina.* notauit doctifsimus Turneb. lib. 13. cap. 16. Vide Symb. noftras. Hunc itaq; greffum, feu inceffum fortafsia etiam æmulata fit Liuia, *ἡραῖον βαδίζειν*.

Sola est coelesti digna rep. toro] Eleg. 8. lib. 2. *Perq́ tori fociam, quæ par tibi fola reperta eft.* Et lib. 2. Trift. *Quæ, nifi te, nullo coniuge digna fuit.*

fuit. Cælesti toro, quia Cæsar Deus, & vnus de cælitibus.

NON IMPIA PROGNE] A contrariis vult summam Liuiæ humanitatem, & mansuetudinem intelligi. Progne Itym paruulū filium communem occisum coxit, coctum patri eius marito suo Tereo comedendum apposuit. Caussam refert in 6. Metamorph.

FILIAVE AESTAE] crudelis & Medæa, quæ similiter ad vlciscēdam Iasonis mariti perfidiam liberos mares ex eo susceptos necauit. Metam. 7.

NEC NVRVS AEGYPTI] Lege *Ægypti*. Qui cum haberet L. filios, coëgit fratrem Danaum totidem patrem filiarum singulas copulare matrimonio singulis. Quibus mandauit Danaus, vt vnaquæq; suū sponsum nocte prima interficeret. Quod fecerunt omnes præter Hypermnestram, quæ Lynceo pepercit. Vide eius epist. ad eundem. Non igitur rogāda est tibi pro me aliqua ex Danaidibus, quæ tantum parricidium admiserunt.

NEC SÆVA AGAMEMNONIS VXOR] Clytæmnestra, quæ Agamemnonem regem confecto bello Troiano redeuntem, adiuuante AEgistho adultero miserè trucidauit. Extat tragœd. apud Senecam. Velleius lib. 1. Idem (Agamemnon) mox scelere patruelis fratris AEgisthi, hæreditarium exercentis in eum odium, & facinore vxoris oppressus occiditur. Regni potitur AEgisthus per annos 7.

SCYLLAQVE QVAE SICVLAS, &c.] Scyllæ feruntur duæ, vna filia Nisi regis Megarensium, quæ in cirin auem commutata est, Metamorph. 8. alia Phorco, & Cratide genita, quæ Glauci amores aspernata, Circes veneficiis, & carminibus in varia monstra, tandemque in fretum Siculum desiliens, in saxum, canibus circumlatrantibus coonersa fingitur, nauigantibus periculosa vt Charybdis. Metamorph. 14. De his scyllis Maro Eclog. 8.

Quid loquar aut Scyllā Nisi? aut quā fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis.

Et 3. Aeneid.

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pristis,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

TELEGONIVE PARENS] Circe, quæ ex Vlysse apud se commorante, quanquam inuito, Telegonum genuit. Hic patrem in Ithaca quærens, per imprudentiam interfecit. Horat. Ode 29. lib. 3. parricidam nominat.

VERTENDIS NATA FIGVRIS] De pharmacis Circes, quibus homines in lupos, vrsos, leones, & socios Vlysis in porcos vertit, Metamorph. 14. Et Virg. 7. Aeneid. de eiusdem.

Hinc exaudiri gemitus, iraeq; leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigeriq; sues, atque in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.
Quos hominum ex facie dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

NEXAQVE NODOSAE ANGVE MEDVSAE COMAS] Quamobrem Minerua comas Medusæ in angues conuerterit, & quo pacto eius aspectus aspicientes in lapides mutarit, lege Nat. li. 7. c. 11.

FEMINA SED PRINCEPS] Liuia, non quidem genere Princeps, sed connubio, vtpotè nupta cum Principe omnium maximo. Mulieres à viris nobilitatem accipiunt. Elegia 5. lib. 1. Trist. Martiam, Philippi vitrici Augusti filiam quoque fæminam principem nominauit. Sed hic Liuiam ἐμφαντικῶς.

IN QVA FORT. VID. SE PROB.] Philosophos, ait Pacuuius, finxisse fortunam cæcam, quia non cernat quo sese applicet. Huc alludens poëta, ait istuc in Liuia verum non apparere, in quam videns, & sciens fortuna tot, & tam ampla bona congesserit.

QVA NIHIL IN TERRIS, &c.] Quam magnifica, & quam paucis verbis comprehensa laudatio? post Augustum hæc mulier totius mundi honos, & gloria est.

ELIGITO TEMP. CAPT. &c.] Hactenus hortatio, & impulsio ad rogandam pro se Liuiam. Nunc cautiones, quibus id rectè fiat. Tempus adeundi Neronis opportunissimum erat, cum luderet aleam: Vespasiani, cum iret in balneas: Theodosij magni, cum esset iratus. Nunquam enim reperiebatur mitior quam in ira, & ad concedenda quæ petebantur promptior. Hoc eum casus Thessalonicensis docuerat. Prima igitur cautio præscribitur vxori, vt, quod sæpe solent rogaturi, captet commodum tempus adeundi, ac rogandi. Nam vt epistolæ non loco redditæ offendunt: sic qui intempestiuè Principes conueniunt. Vide 1. Trist. eleg. 1. ibi, *Si poteris vacuo tradi, sicundā, &c.*

EXEAT ADVERSA. N. T. NAVIS AQVA] Allegoria, ne repulsam feras. Ne, quod vetat prouerbium, contra torrentem nitaris. Iuuenalis de quodam Crispo, qui se Domitiani ingenio accommodarit. *Ille igitur nunquam direxit brachia contra Torrentem.*

NON SEMP. E. REDD. ORACVL. SORTES] Apollo sex mensibus hybernis apud Lycios Pataræ, totidem æstiuis apud Delum responsa dabat. Reliqua vero oracula aliquādo Idibus, nonnunquam Calendis, nunc die oriente, nunc desinente respondebant. Plura de oraculis Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2.

NEC OMNI TEMP. FANA PATENT] Hoc & apud nos quotidiana comperimus experientia. Nec enim omni tempore vacatur precibus, & sacrificiis, quorum caussa conduntur templa. Liuia ergo, quam quasi quoddam oraculum in regia, & sicut templum facit, non semper admittit qui vellent.

CVM STATVS VRB. ERIT, &c.] Indicat, qualis possit esse ista opportunitas temporis. Cum vrbs tota pace, & otio, nullia agitata procellis. ac discordiis florebit.

ET NVLLVS POP. CONTRAH. ORA DOLOR] Tristitia contrahit vultum, & corrugat frontem: gaudium diffundit. Cum nihil dolebit populus.

CVM DOM. AVG. CAPITOL. M. COLENDA] Altera cautio, siue conditio, cum in ipso palatio (sic enim dicta est domus Augusti) quod est instar Capitolij templi Iouis venerabile, quia velut alterum Iouem continet, lætitia, & pax erit. Potest enim illa domus priuatis, & intestiuis labare dissidiis, molestiis, & incommodis.

TVM TIBI DII FACIANT AD. COP. FIAT] Tum tibi facultas contingat, non quidem Augustum ipsum, sed Augustam conueniendi. Sollemnia precationum, & apprecationum verba erant: dij faciant, quibus sæpe vsus est etiam in Tristib. & in epist. heroidum. Cui autem alius faustum precatus erat, id ille euenire optans respondebat; ita dij faciant, faxint. Brisson. Formul. pag. 73.

PROFECTVRA ALIQVID TVNC, &c.] Tunc preces tuas confide non inanes fore.

SI QVID AGET MAIVS, DIFFER] Tertia cautio. Ne interuenias occupatæ.

CAVEQVE SPEM FESTINAND. PRÆCIPIT.] Inconsulta festinatio sæpius spes bonas corrupit. Ipsius Augusti symbolum est, Festina lentè, græcè σπεῦδε βραδέως.

DVM SIT VACVISSIMA] Quarta cautio. Quamuis nolit eam occupatæ interuenire, non vult tamen idcirco exspectare, & aucupari tempus, quo omni actione vacet. Quo fit omni occupatione solutissima.

CORPORIS AD CVLT. VIX VACAT] Adeo vacuum à negotiis tempus nullum habet, vt vix illi tempusculum ad sese ornandum suppeditet. Et nemo nescit, quam sint huius rei studiosæ fœminæ, diuites præsertim, ac nobiles. Non potest de illa Terentius dicere, in Heaut. *dum moliuntur, dum comuntur annus est*. Mundum mulieris definit Vlpian. quo mulier mundior fit, quem Tertullian. ornatum vocat, & ait consistere in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt, debereque potius dici immundum muliebrem. Cultum autem esse mundum muliebrem, & illum in auro, argento, & vestibus deputari. Curiosam nimis, & superuacaneam operam muliercularum, in corpore modis omnibus ornando disertissimè describit, & grauiter reprehendit Bernard. Martini, Variar. lib. 1. cap. 7.

CVRIA CVM. F. PATRIB. STIP. VEREND.] Quinta cautio. Cum fuerit coactus senatus. Patres verendos dicit. propter ætatis maturitatem, & senectutem, à qua senatus appellatur. *A senibus nomen mitte senatus habet*. Senectus enim reuerēda.

PER PATRVM. T. TV QVOQVE. O. EAS] per medios patres, si fortè in curia Augustis gratulatum conuenerint. tibi ad Liuiam pudore omisso penetrandum est.

CVM TIBI CONTIG. F. IVNONIS] Hactenus cautiones circa tempus adeundi. Nunc aliæ cautiones, & conditiones post aditum obseruandæ. Forma Iunonis, periphrasis. pro. formosa Iuno. Sicut apud Horatium *mitis sapientia Leli*. Apud Ennium *fortis equi vis*. Genua loquendi Græcis, & Latinis poëtis familiare. Suprà Liuiæ tribuebat formam Veneris, mores Iunonis. Quare ne secum puguet, ex libris calamo exaratis legendum *vultum* pro *formam*, hoc sensu. Cum tibi contigerit in conspectum Iunonis, hoc est, Liuiæ venire. Nec ineptè Iunonem vocat, cum ipsum quoque Augustum toties Iouem appellarit. Fuisse autem Liuiam hâc habitu, ac nomine Iunonis quoque consecratam, & cultam, docuit nos Prudentius. *Adiecere sacrum, fieret quo Liuia Iuno*. Plura super hoc Lipsius in 5. Annal. Taciti. pag. 98. Et viuam adhuc Iunonis nomine appellatam, hic Ouidij versus subindicat.

PERSONÆ QVAM TVEARE MEM.] Prima cautio. Memento te esse vxorem meam, cui præ omnibus pro me laborandum, & caussa mea fidelissimè agenda sit. Hoc præceptum generale est, & καθόλου.

NEC FACTVM DEFENDE MEVM] καὶ [illegible], & secunda cautio. Sicut ipse totis hisce, & Tristium libris nunquam defendit; excusat tamen, & eleuat semper, & rursus exaggerat aliquoties.

MALA CAVSSA SILENDA EST] ne vulnus refricemus Augusto.

NEC NISI SOLLICIT. S. T. V. PRECES] Tertia. Oratio tua non sit nisi supplicatio.

TVNC LACRYMIS DEMENDA MORA EST] Adhibendas verbis ipsis lacrymas. Supra.

Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fiant,
Hac potes, aut nulla parte mouere deos.

SVMMISSAQVE TERRÆ] Quinta. Procumbens in genua. Pedibus eius accidens. Virgil. 3. Aeneid. *Summissi petimus terram.*

AD NON MORTAL. BRACH. TENDE PED.] Sexta, de tendendis suppliciter manibus. En quomodo nihil omittit, quod flectere Liuiam, & quemuis iratum possit.

NISI SÆVO VT AB HOSTE RECED.] Septima, quid petere debeat: solam mutationem exilij: nec tam propter incommoda multa, quibus ipse prematur assiduè, quam propter timorem quotidianum mortis, ab hostibus capiti eius impendentis.

HOSTEM FORTVN. S. SATIS ESSE MIHI] Calamitas mea satis hostiliter me habet.

PLVRA QVIDEM SVBEVNT] Plura veniebant in mentem, quæ mandare volebam tibi: sed finem facio. Cur? sequitur caussa.

HÆC QVOQVE VIX POT.V.TREM.LOQVI] Hæc de loco mutando. Tremes autem coram tanta maiestate personæ illius, & voa propemod um faucibus hærebit. Magnis oratoribus euenit, vt turbati conspectu audientium, oratione eacidcrent. Lege Crinit.lib.5.cap.3. Crassus certe 1. de orat postulat ab oratore timorem, cuius verba producenda censui. Mihi etiam quique optimè dicunt, quique id facillimè. atque ornatissimè facere possunt, tamen nisi timidè ad dicendum accedant, & in exordienda oratione perturbentur, pæne impudentes videntur. Tametsi id fieri non potest. Vt enim quisque optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem, variosque euentus pertimescit. Narrat moa, quid sibi in quadam accusatione Q. Max. iudice contigerit.

A

SVSPICOR HÆC DAMNO. N.T. FORE] Immò beneuolentiæ potius. Cur enim sese reuerentes ac timentes, & ita se ad pedes eius abiicientes oderit? Etiam leo in sylua occurrens viatori se prosternenti parcere dicitur.

TE MAIESTAT. PERTIMVISSE SVAM] quanquam caussa pertimescendi nulla fuerit. Non enim rogabis Amazonem securigeram, nõ Prognen, non Medæam liberorum iugulatrices, aliasque inhumanas, & cruentas fœminas: sed moribus placidam, & flexibilem.

NEC TVA SI FLETV.S.VERB.NOCEB.] Non oberit, pro. multum proderit (μετώνυμ) si verba tua singultus flentis interrumpat.

INTERD. LACRYMÆ POND. VOCIS HAB] Quis nescit pro voce, & oratione aliquando esse solas lacrymas? tantas præsertim, vt vocem ea singultu intercludant. Quare diuinus orator sapienter orationem illam omnium suarum reginam, Milonianam puta, sic claudit. Sed finis sit, neque enim præ lacrymis iam loqui possum, &c. Supra. *Gratia si desit, lacryma tibi gratia fiant.*

LVX ETIAM COEPTIS, &c.] Sequuntur præcepta aliquot seruanda ante aditum, ad fæliciter conficiendum negotium. Lux bona, est dies faustus, & fælia, boni auspicij.

HORAQVE CONVENIENS] Vide quousque monendo descendit. Et tempus, & diem, & horam, & auspicium obseruari, captarique vult. Nunquid amplius? etiam.

SED PRIVS IMPOS.S.ALTARIB.IGNI] Sacrificium ne omitte. Veterum hæc pietas erat, vt bona quæque quibuscunq; rebus seriis agendis à diis exspectarent, eaque sacris, & precibus faciundis impetrare studerent. Omnium rerum magnarum principia à diis ducenda affirmat in Vatiniana M.Tull. quod putarent. vt inquit Plin. in Panegyr. nihil rite, nihil prouidenter sine deorum immortalium ope, consilio, honore homines aspicari.

B

THVRA FER AD MAG. VINAQVE. P. DEOS] Thura, & vinum sacrificare, etiam non certis diis, in vsu fuit. Dicebant autem thure, & vino supplicare. Sallust. apud Macrob. lib.3.cap.13. cui tum venienti thure, quasi deo supplicabatur. Sueton. Aug. cap.35. Quo autem lecti, probatique & religiosius, & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanait, vt priusquam consideret quisque, thure, ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur. Seneca lib.3. de ira, cap.18. Mario. cui populus vicatim statuas posuerat, cui thure, & vino pop. Rom. supplicabat.

ANTE OMNES AVG. NVM. ADORA] quoniam ille tibi nunc est summus Iupiter.

PROGEN. PIAM] Tiberium.

C

PARTICIPEMQVE TORI] Liuiam tori consortem, siue sociam.

SINT VTINAM MITES] Apprecatur felicem euentum eius sacrificiis, & precibus.

NON DVRIS VVLTIBVS] oculis placidis, blandis, benignis. Sint tibi fælices, te exaudiant, cuius rei προγνωστικόν vultus placidior.





ELEGIA SECVNDA.
Ad Cottam.

LAVS AMICITIAE, CVM HISTORIA PYLADIS, ET ORESTIS.

ARGVMENTVM.

QVòd cognoscat illum bene valere, inde & sibi melius fieri. Eius constantiam extollit. Desertores suos vbertim excusat, & peccatum eorum eleuat. Contrà in fide perseuerantes laudat. Officiorum memorem fore vsque ad mortem, & apud posteros scriptis suis prædicaturum. Etiam barbaris ea narrare solitum. Recenset subinde audita à Taurensi quodam sene, & Scytha de sacris Dianæ, deque eius sacerdote Iphigenia, Pylade & Oreste amicis, mutuò pro se mori cupientibus: & quomodo simulacrum deæ clam abstulerint. Applausisse tantæ amicitiæ præsentes. Hinc argumentum ducit à minoribus. Cum feri homines amicitiam adeo suspiciant, multo magis eam suspicere, & colere debere cultos, & humanitate præditos, vt Romanos, & ipsum Cottam inprimis, qui sit mansueto ingenio, nobilitatemque generis moribus haud contaminet.

Quam legis à nobis missam tibi Cotta salutem,
Missa sit vt verè perueniat que, precor.
Namque meis sospes multum cruciatibus aufers,
Atque, sit vt nobis pars bona salua, facis.
Cumq; labent alij, iactataq; vela relinquant,
Tu laceræ remanes anchora sola rati.
Grata tua est igitur pietas: ignoscimus illis,
Qui cum fortuna terga dedère fugæ.
CVM FERIANT VNVM, NON VNVM FVLMINA TERRENT,
Iunctaq; percusso turba pauere solet.
Cumq; dedit paries venturæ signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
QVIS NON E TIMIDIS AEGRI CONTAGIA VITAT,
VICINVM METVENS NE TRAHAT INDE MALVM?

Me quoq; amicorum nimio terrore, metúque,
Non odio quidam destituère mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit, aduersos extimuère deos.
Vtq; magis cauti possunt, timidiq; vocari,
Sic appellari non meruère mali.
At meus excusat caros ita candor amicos,
Vtq; habeant de me crimina nulla, facit.
Sint hi contenti venia, signentq; licebit
Purgari factum me quoque teste suum.
Pars estis pauci melior, qui rebus in arctis
Ferre mihi nullam turpe putatis opem.
Tunc igitur meriti morietur gloria vestri,
Cùm cinis absumpto corpore factus ero.
Fallor, & illa meæ superabit tempora vitæ,
Si tamen à memori posteritate legar.
CORPORA DEBENTVR MOESTIS EXANGVIA BVSTIS:
EFFVGIVNT STRVCTOS NOMEN, HONOSQVE ROGOS.
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem:
Sed tamen in laudes viuit vterq; suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes,
Claráque erit scriptis gloria vestra meis.
Hîc quoq; Sauromatæ iam vos nouère, Getæque,
Et tales animos barbara turba probat.
Cumque ego de vestra nuper probitate referrem,
(Nam didici Geticè, Sarmaticèque loqui)
Fortè senex quidam, cœtu cùm staret in illo,
Reddidit ad nostros talia verba sonos:
Nos quoq; amicitiæ nomen bene nouimus, hospes,
Quos procul à vobis alter & orbis habet.
Est locus in Scythia, Tauros dixère priores,
Qui Getica longè non ita distat humo.
Hac ego sum terra, patriæ nec pœnitet, ortus:
Consortem Phœbi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vastis innixa columnis,
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic signum cæleste fuisse:
Quoque minus dubites, stat basis orba Dea.
Aráque, quæ fuerat natura candida saxi,
Decolor affuso tincta cruore rubet.

Fœmina sacra facit tæda non nupta iugali,
Quæ superat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrifici genus est (sic instituère priores)
Aduena virgineo cæsus vt ense cadat.
Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter.
Quā leuibus ventis sub nube per æquora vectam
Creditur his Phœbe deposuisse locis.
Præfuerat templo multos ea ritè per annos,
Inuita peragens tristia sacra manu:
Cùm duo velifera iuuenes venère carina,
Presseruntque suo littora nostra pede.
Par fuit his ætas, & amor: quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades: nomina fama tenet.
Protinus immitem Triuiæ ducuntur ad aram,
Euincti geminas ad sua terga manus.
Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat vt fuluas infula longa comas.
Dumq; parat sacrum, dum velat tempora vittis,
Dum tardæ causas inuenit illa moræ:
Non ego crudelis, iuuenes ignoscite, dixit:
Sacra suo facio barbariora loco.
Ritus is est gentis. Qua vos tamen vrbe venitis?
Quóue parum fausta puppe petistis iter?
Dixit, & audito patriæ pia nomine virgo,
Consortes vrbis repperit esse suæ.
Alter & è vobis, dixit, cadat hostia sacris,
Ad patrias sedes nuncius alter eat.
Ire iubet Pylades carum periturus Orestem;
Hic negat, inq; vicem pugnat vterq; mori.
Extitit hoc vnum, quod non conuenerat illis,
Cætera pars concors & sine lite fuit.
Dum peragunt iuuenes pulchri certamē amoris,
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mādata dabat, cuiq; illa dabantur,
(Humanos casus aspice) frater erat.
Nec mora, de templo rapiunt simulacra Dianæ,
Clamq; per immensas puppe feruntur aquas.

Mirus amor iuuenum, quamuis abiere tot anni,
In Scythia magnum nunc quoque nomen habent.
Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo,
Laudarunt omnes facta, piamq; fidem.
Scilicet hic etiam, qua nulla ferocior ora est,
Nomen amicitiæ barbara corda mouet.
Quid facere Ausonia geniti debetis in vrbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
Adde, quod est animus semper tibi mitis, & alta
Indicium mores nobilitatis habent.
Quos Volesus patrij cognoscat nominis auctor,
Quos numa maternus non eget esse suos:
Adiectiq; probent genitiua agnomina Cotta,
Si tu non esses, interitura domus.
Digne vir hac serie, lapso succurrere amico
Conueniens istis moribus esse puta.

COMMENTARIVS.



A *ISSA SIT VT VERE, PERVEN. PRECOR*] Possunt enim litteræ pluribus de causaia non venire quò mittuntur, quod neminem fugit. Eleg.7.lib.4.Trist.

Innumeri montes inter me, teque, viaque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca iacent.
Mille potest caussis à te quæ littera sæpe
Missa sit in nostras rara venire manus.

Eleg.14.lib.5.

Pluribus accusem, fieri nisi possit, vt ad me
Littera non veniat, missa sit illa tamen.

MEIS SOSPES. M. CRVCIATIBVS AVFERS.] Tua sospitas de inualetudine, & ægritudine mea multum detrahit. Eleg.8.lib.5.

B *Si tibi contingit cum dulci vita salute,*
Candida fortunæ pars manet vna meæ.

Eleg.14.lib.5.Trist. *Si tamen ipse vales aliqua nos parte valemus.*

IACTATAQVE VELA RELINQVANT.] Me in hac tempestate mea deserant. Eleg.3.lib.2.

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis.
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera naue relinquor aquis.

TV LACERÆ REMAN. ANCH. S. RATI] Vide prouerb. Sacra anchora. Quidquid est cui innitimur, quo fidimus, & fulcimur, anchoram vocamus, ducta à nauibus metaphora, quæ anchoris sustentatæ, à fluctibus tutæ sunt. Simile

A est, portus & aura, quomodo in Tristibus amicum quendam appellauit.

GRATA TVA EST IGITVR PIETAS] & eo gratior, quo maior, & cum paucioribus.

IGNOSCIMVS ILLIS] AEquitas animi, & candor Nasonis. Dicendum potius fuerat, irascimur illis.

QVI CVM FORT. TERGA DED. FVGÆ] Eleg.8.lib.1.Trist.

Dum stetimus, turba quantum satis esset habebat,
Nota quidem, sed non ambitiosa domus.
At simul impulsa est, omnes timuere ruinam,
Cautaq; communi terga dedére fugæ.

CVM FERIANT VNVM. N. V. FVLM. TERRENT] Pluribus, & sedulò desertorum perfi-
B diam excusat, culpamque omnem in timorem transfert, ac primam similitudinem sumit à fulmine. Eleg. iam citata.

Sana nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæq; timent.

IVNCTAQVE PERCVSSO] ei, qui de cælo tactus est proxima.

CVMQVE DEDIT PAR. V. S. RVINÆ, &c.] Altera similitudo, à ruina, Eleg.5.lib.4.

Vt cecidi, cunctiq; metu fugere ruinam,
Versaq; amicitiæ terga dedere meæ, &c.

QVIS NON E TIMID. ÆGRI CONTAG.] Tertia similitudo, à contagione, seu morbo contagioso, cuius caussa deseritur, qui eo conflictatur.

A *VICINVM MET. N. TRAH. INDE MAL.*] Hoc in morbo peſtilentiæ patet maxmè. Quamobrem qui eo tenentur, diligentiſsimè præ morboſis omnibus vitantur: ac ſi dicat vnuſquiſque, heu to, egomet mibi ſum proximus.

ME QVOQVE AMICOR. NIM. TERRORE,&c.] ἀπόδοσις. Sicut danda venia his, quos iam diximus, ſibi in alieno malo cauentibus; ita ignoſcendum deſertoribus meis, timentibus, ne mecum fulminarentur: ne ruina mea opprimerentur: ne contagium meum attraherent. Sed eleg. 8. lib. 1. Triſt. & eleg. 3. lib. 2. de Ponto aliam fugæ, & deſtitutionis huius cauſſam affert, ſuorum nempe commodorū deſperationem, quibus & ipſi, vt plerique omnes, amicitiam metirentur. B

NON ILLIS PIET. NON OFF. VOL. DEFVIT] ſi credere dignum eſt de omnibus.

ADVERSOS EXTIMVERE DEOS] timuerunt, ne dij aduerſi mibi, propter me fierent aduerſi etiam ſibi. Offenſionem Auguſti timuerunt, ſi mihi ſtudere pergerent. Eſſe autem hanc magnopere timendam, perſpicias ex illis verſibus eleg. 11. lib. 3. Triſt. qua io maledicum inuehitur.

Et mala nulla feram, niſi nudam Cæſaris iram,
Nuda parum nobis Cæſaris ira mali eſt?

Et lib. 2.

Nulla quidem ſana grauior, mentiſq́ potenti
Pœna eſt, quam tanto diſplicuiſſe viro.

C Qoanquam hunc ipſum timorem conatur illis eximere eleg. 4. lib. 1. Triſt.

Neue metu falſo nimium trepidate, timentes
Hac offendatur ne pietate deus.
Sæpe fidem aduerſis etiam laudauit in armis,
Inq́ ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.

VTQVE MAGIS CAVTI. P. TIMID. VOCAR.] Cautionem, & timiditatem coniungit etiam Cicero: timor enim cautos facit; ſicut ſecuritas, & ἀφελία diſſolutos, ac negligentes.

SIC APPEL. NON MER. MALI] Humanum eſt timere, & à natura nobis ingenitum. Quo enim pacto noxia fugeremus, ſi ea non timeremus? Vult autem natura, vt corpus, vitam, & commoda deniq; noſtra conſeruare nitamur. D Mali ſunt inuidi, doloſi, perfidi, auari, proditores, homicidæ, fures, latrones, &c. quibus plenus eſt mundus.

MEVS EXCVS. CHAR. I. CAND. AMICOS] Ego illorum fugam ita candidè interpretor. In homines candidos cadit illud Ciceronis. Vt enim quiſq; vir optimus eſt, ita difficillimè alium ſuſpicatur malum.

VTQVE HAB. DE ME CRIM. NVLLA. F.] Efficit, ne mea cauſſa in improbis numerentur. Non enim ego mihi iniuriam factam conqueror, aut illos perfidiæ coarguo.

SINT HI CONTENTI VENIA] Quamuis enim deſtituendo mali non fuerint, quia terrore, non odio me deſeruerunt, laudari tamen nullo modo merentur. Vera enim laus vni, & ſoli virtuti debetur. Ergo cum recte quidem non fecerint, non grauiter tamen peccarint, venia ſint contenti.

SIGNENTQVE LICEB. PVRG. FACTVM] Poteſt videri tetigiſſe conſuetudinem teſtamentorum, in quibus teſtes ſignabant. Vide eleg. 15. lib. 4. ibi, *Confiteor, teſtere licet, ſignate Quirites.* Eſt enim verbum formulæ.

PARS ESTIS PAVCI MELIOR] Poſtquā culpam perfidorum, vt potuit, excuſauit, illiſque ignouit, nunc ad fideles, & in officio permanentes tranſit, quibus æternam meritorum memoriam ſpondet, animo vtique gratiſsimo, vt ſæpe in vtriſque libris. *Pauci*, duo treſue, vt eſt eleg. 5. lib. 3. Triſt. & eleg. 4. lib. 1. *Vix duo treſue mihi de tot ſupereſtis amici.*

REBVS IN ARCTIS] res anguſtas appellar Horat. Ode 10. lib. 2. Martial. lib. 11. Virgil. afflictas, 1. AEneid. Difficilibus, aſperis, incommodis.

TVRPE PVTATIS] ſi honeſtum eſt leuare amici miſeriam, ſi poſsis, turpe vtique id non facere, ſi poſsis.

TVNC MERITI MOR. G. VESTRI] Obliuio meritorum, eſt mors illorum. Elegans tranſlatio, qua & Ciceronem vſum videmus ep. 16. lib. 6. ſi nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas. In Piſon. ne ſuauiſsimi hominis memoria moreretur. Et quod loco Ouidiano pulchre conſpirat, poſt reditū in ſenatu. Nunquam veſtrorum in nos beneficiorum memoria ac fama morietur. Plaut. Trinum. de bonis moribus. *Ita plerią; omnes iam ſunt intermortui.*

CINIS ABSVMP. C. FACT. ERO] ex conſequenti antecedens συνεκδοχικῶς intelligimus, ex rogo, & corpore in cineres redacto mortem. Ergo quoad anima ſuperabo mea, pietatis erga me veſtræ meminero. Eleg. 11. lib. 2.

Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam meriti fiat gratia vana tui.

FALLOR] non ſatis dico.

ET ILLA MEÆ SVPERAB. T. VITÆ] Gratia meritorum veſtrorum etiam me mortuo vigebit apud poſteros.

SI TAMEN A MEM. POST. LEGAR] Non poſſunt vigere, & gratiam obtinere apud poſteros amicorum in illum beneficia, niſi perueniant ad poſteros: peruenient autem per ſcripta illius, ſi modo legātur, de quo alibi nihil dubitat: quin ſe toto orbe lectum iri confirmat, nempe 4. Triſt. eleg. 9.

CORPORA DEBENT. BVSTIS] rogis, & ſepulchris. Buſtum proprie locus, in quo mortuus eſt combuſtus, & ſepultus.

EFFVG. STRVCT. NOM. HON. ROGOS] Hoc idem ſonant Horatiana illa Ode 30. lib. 3.

Non omnis moriar. multaq; pars mei
Vitabit Libitinam. Vsq; ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cùm tacita virgine Pontifex. &c.

Accipe autem honorem, & nomen quod virtus conciliat. Sed ipsa virtus nisi litterarum, & poëticarum inprimis, lumen habeat, in tenebris iacet. Et id lumen monumentis, ac statuis omnibus est diuturnius. Nec est quisquam tam auersus à Musis, vt ait orator pro Archia, qui non mandari versibus æternum suorum laborũ præconium facilè patiatur. Ibid. Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset, ô fortunate, inquit, adolescens, qui tuę virtutis Homerum præconem inueneris. Et verè. Nam nisi Ilias extitisset illa, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Adde rursus Horat. Ode 9. lib. 4.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia vate sacro.

OCCIDIT, ET THESEVS] cuius res gestas pertractauit Plutarchus, & multa de eo poëtæ. Natal. lib. 7. cap. 9. Horat. Ode 28. lib. 1. *Occidit & Pelopis genitor, conuiua deorum.*

ET QVI COMITAVIT ORESTEM] *comitauit* lege, non *comitatus*. quomodo scioli correxerunt. Iam ante monui, esse antiquum. Comes hic fuit Pylades, socius Orestis indiuiduus, quem in tragœd. Orest. præcipuè celebrauit Euripides.

IN LAVD. VIVIT VTERQVE SVAS] Per litteratos & Theseus, & Pylades viuunt laudibus suis immortaliter.

VOS ETIAM SERI LAVD. S. NEPOTES] Nepotum nomen pro posteris, non est rarum poëtis, ad auctorem aliquem generis respiciendo videlicet. Ode 2. lib. 1. *Siue neglectum genus, & nepotes Respicis auctor.* De Marte sermo est, patre Romuli: & eius nepotes Romani. Aliquando absolute pro posteris. 2. AEneid. Sinon, *& nostros ea fata manere nepotes.*

CLARAQVE E. SCRIPT. G. VEST. MEIS] è scriptis meis claritatem adipiscemini, qui alioqui in obscuro iacuissetis. Ad vxorem eleg. 5. lib. 1. Trist.

Quantumcunq; tamen praeconia nostra valebunt,
Carminibus viues tempus in omne meis.

SAVROMATÆ IAM VOS. N. GETÆQVE] me narrante scilicet de vobis. Etenim, vt sequitur. *Nam didici Geticè Sarmaticeq; loqui.*

REDDIDIT AD. N. T. VERB. SONOS] excepit verba mea tali narratione. Vel, Laudes à me vobis tributas, vt amicis optimis, iucunda duorum amicorum historia confirmauit. Eleg. sequenti. *Hos visus nobis ille dedisse sonos.*

NOS QVOQVE AMICIT. N. E. NOVIM.] Non erant vsque adeo humanitatis expertes illi

A populi, vt nullam partem amicitiæ complectentur. Facilius enim aqua & igni, quam amicitia carere possunt homines quicunque, & qualescunque sunt. Argumentum non dubium, quod insigne par amicorum Pyladem & Orestem suspiciebant.

QVOS PROCVL A VOB. ALT. ET ORB.] Etiamsi agrestes simus, ac barbari; vos culti, & moribus mansuetioribus, & distemus à vobis toto quod aiunt cælo, vt vix quidquam vestræ humanitatis ad nos peruenire posse videatur. Cum sit vnus tantùm orbis, vnum cælum, vnus sol, sunt tamen vsitata probatis auctoribus, alio in orbe, alio sub cælo, alio sub sole, cum de terris, & regionibus longinquis, peregrinis, & trans-
B marinis loquuntur.

TAVROS DIXERE PRIORES] Historia hæc eleg. 4. lib. 4. Trist. sed succinctius exponitur. Crebrum est nostro priores pro, maiores, cui respondet minores, pro, posteri. Locus iste fuit Taurica Chersonesus, cui nomen à Tauris incolis.

QVI GET. LONG. N. ITA. D. HVMO] Ibid. *Nec procul à nobis locus est, vbi Taurica dira, &c.*

HAC EGO SVM TERRA ORTVS] poterat igitur à maioribus rem gestam veluti per manus accepisse: nam ex litteris non didicerat, quæ illi populo ignotæ penitus.

CONSORTEM PHOEBI DEAM] sororem Phœbi. Dianam. In Trist. *vbi Taurica dira Cadae pharetratae spargitur ara deae.*

C TEMPLA M. HOD. VAST. INNIX. COLVM.] Confirmatio à monumentis quæ ipsemet vidit. Et est testis oculatus, cui vni plus creditur, quam auritis decem. Ex magnitudine porro columnarum ipsius templi amplitudo colligitur.

PERQVE QVATER DEN. &c.] situm est in loco admodum edito, cum per gradus quadraginta eò ascendatur.

SIGNVM CÆLESTE FVISSE] cælo delapsum, vt Palladium, simulacrum Palladis. quod cum in arce Troiana illi deæ templum ædificaretur, cælitus delapsum est.

STAT BASIS ORBA DEA] quia simulacrũ Dianæ illi basi insistens Pylades, & Orestes ab-
D stulerunt.

QVÆ FVERAT NAT. CAND. SAXI] è marmore candido, quod est cæteris nobilius. Vnde sæpius Pario de marmore, quoniam in insula Paro eius copia.

DECOLOR AFFVSO. T. CRVORE RVBET] cæsis super eo victimis inquinatur.

FÆM. TÆDA NON NOTA IVGALI] Periphrasis virginis. Et est metonymia, tæda iugalis pro nuptiis, seu connubio. 1. Metamorph. *Illa velut crimen tædas exosa iugales.* A facibus, quæ sponsæ nocte præferebantur, cum in ædes sponsi deduceretur.

QVÆ SVPERAT SCYTH. &c.] Scythicarum fœminarum nobilissima.

SIC INSTITVERE PARENTES] Secundum institutum, moremque maiorum.

ADVENA VIRGIN. CÆS. VT ENSE CAD.] vt à sacerdote illa virgine aduenæ mactentur. Herodot. lib. 1. Euripid. Iphig. in Tauris. Vide adagium apud Iunium, Taurica arâ crudelior.

MÆOTIDE IN ORA] Iuxta Paludem Mæotidem, quæ nomen habet ab accolis Mæotis. Palus latissima, & celeberrima Mæotis, per Bosporum Cimmerium, quasi per ostium in Pontum Euxinum influens.

NEC FVIT EVXIN. N. ALTER AQVIS] per regiones Ponto Euxino adiacentes fuit fama notissimus.

LIQVID. FECISSE. P. AVRAS, &c. IPHIGEN. ITER] Lege quæ notauimus ad eleg. 4. lib. 4. Tristib. & Natal. lib. 1. esp. 18. & in Symb. 2. AEneid. ibi. *Sanguine placastis ventos, &c.*

PRÆFVERAT TEMPLO, &c.] Functa erat illo sacerdotio Iphigenia multis annis, & mactauerat multos.

INVITA PERAG. TRIST. SACRA MANV] Inhumanum est hominem ab homine, & indignum viros à fœmina etiam sic interfici, tanquã pecudem. Lib. 4. Trist. eleg. 4.

Hic pro supposita virgo Pelopeia cerua
Sacra deæ coluit qualiacunq; sua.

DVO IVVENES] Pylades, & Orestes.

PRESSERVNT QVE. S. LITT. N. PEDE] egressi sunt in littus, in terram nostram descenderunt de naui.

PAR FVIT HIS ÆTAS, ET AMOR] Metam. 8. *Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon.* Coæui erant. Orestes enim Clytæmnestræ matri, cum iugulare cupienti subtractus, à patre Pyladis Strophio, cum filio eius puerulo, & æquali educatus fuit, qui inter se mirifice amabant. *Qui duo corporibus mentibus vnus erant.*

NOMINA FAMA TENET] eorum hæc nomina fama produntur.

PROTINVS IMMITEM TRIVIÆ, &c] In Tristib.

Protinus euincti tristem ducuntur ad aram
Quæ stabat geminas ante cruenta fores.

Triuia dicta est Diana, quia eadem Luna, Diana, & Hecate, cui in triuiis sacrificabatur. Virgil. 4. AEneid. *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

SPARSIT AQVA CAPT. LVSTRALI] vt eos prius expiaret.

AMBIAT VT FVLVAS INF. L. COMAS] Græci Homero καρηκομόωντες, comam enim alebant. Fuluus, seu flauus capillus erat in laude. ξανθὸν μενέλαον, flauicomũ Menelaum idem poëta non semel nominat. Est autem infula fascia in modum diadematis, à qua vittæ ex vtraque parte dependebant, quæ plerumque lata, & tortilis de albo, & cocco. Aliter de infula victimarum Ludouicus Cerda in 3. Georg. ibi. *Lanea dum niuea circumdatur infula vitta.* pag. 464.

A

DVM VELAT TEMPORA VITTIS] Vittæ, ait Capella, quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capiti: & vittæ dictæ, quod vinciant. Erant autem vittati sacerdotes, & ipsæ quoque victimæ. Plura de vittis habes in Symb. nostris ad 10. AEneid. ibi. *Infula cui sacra redimibat tempora vitta.*

DVM TARDÆ. C. INVEN. IPSA MORÆ] quia, vt supra dixit, peragebat, *inuita tristia sacra manu.*

NON EGO CRVDELIS] Excusat quod factura est, à solemni ritu gentis.

B

SACRA SVO BARBARIORA LOCO] quid enim immanius, quam tales mactare hostias?

RITVS IS GENTIS] Plures gentes ritum hunc nefarium mactandorum hominum ad sacrificia obseruarunt. Saturno humanis hostiis rem diuinam factam testatur Plato in Minoe, qui ritus in Italia diu permansit. Lacedæmonij quoque hominem Marti immolasse feruntur. Lactantij verba lib. 1. cap. 21. apponam. Apud Cypri Salaminem humanã hostiam Ioui Teucrus immolauit. idq; sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperante sublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam, ac feram gentem, vt Dianæ hospites immolarentur: & id sacrificium multis temporibus celebratum est. Galli Esum atq; Teutaten humano cruore placarunt. Nec Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latialis Iupiter etiam nunc sanguine colitur humano.

C

QVA VOS TAMEN VRBE VENITIS?] Virgil. 1. AEneid. *Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?*

QVODVE PAR. FAVSTA PVPPE. P. ITER?] *Quoue tenetis iter?* parum fausta, ipsi vos parum fausti, quoniam ad necem vestram imprudentes appulsi estis.

AVDITO PATRIÆ NOMINE] Atgis natus est Orestes, frater Iphigeniæ, Pylades in Phocide.

D

CONSORTES VRBIS SVÆ] ciues suos: non tamen ambos: quanquam ambo Græci.

ALTER VT E VOBIS CAD. HOSTIA SACRIS] forte delectum fuisse è duobus, aut pluribus vnum qui moreretur, probabile est. Deest autem verbum, & subaudiendum fors, seu mos, siue ritus iubet.

IRE IVBET PYLAD. C. PERIT. OREST.] fors Oresti venit. Pyladesq; se Orestem esse dixit. Vide verba Ciceronis, quæ protuli ex Off. lib. 4. Trist. ibi,

Nec tamen hunc sua mors, nec mors sua terruit illũ;
Alter ab alterius funere mæstus erat.

Sed ea non consentiunt cum narratione Nasoniana. Non enim ad fratrem scripsisset, vt paulo

post

post legimus, si ipsum præsentem cognouisset; tamen si post cognouit.

EXTITIT HOC VNVM. Q. N. CONVEN. ILLIS] In hoc solo discordes fuerunt, quod alter pro altero mori cum vellet, impetrare id à socio non poterat.

CÆTERA PARS CONCORS FVIT] quod ad cætera, concordes, & vnanimes fuerunt.

PVLCHRI CERTAMEN AMORIS] vtrique honestissimum fuit hoc certamen, quia virtutis, ex honesto nimirum, & laudabili amore profectum. Eleg. 2. lib. 2. *Quidquid ab his superest, venit in certamen amoris.*

AD FRATREM SCRIPT. EXAR. ILLA NOT.] quem putabat iam è Phocide, quo puer delatus erat, rediisse, & Argis manere. Ad eum conscribit epistolam, & fratri (quod ne sciebat) portandam committit.

NEC MORA, DE TEMPLO RAP. SIMVL.] κατὰ τὸ συνώνυμον intelligimus cognouisse fratrē, & vtrumque à nece liberasse. In Tristib.

Cum vice sermonum fratrem cognouit, & illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit.

Rapuerunt autem secum statuam illam Dianæ, sorore sequente. Iterum

Læta dea signum crudelia sacra perosa
Transtulit ex illis in meliora locis.

PER IMMENSAS AQVAS] per mare. Cic. 1. Tuscul. Tanquam raris in mari immenso nostra vehitur oratio. In Pisoniana, cum mare vastissimum hyeme transibas. In Arateis appellauit Neptunia prata.

MIRVS AMOR IVVENVM] ἐπιφώνημα, vt, *Tantus amor laudum*, & similia, post rem narratam.

QVAMVIS ABIERE TOT ANNI] Factum est hoc pluribus annis ab euersa Troia. Agamemnonem enim prius redire domum, & ab vxore occidi oportebat, Orestem è Phocide, quo adolescentulus cum Pædagogo ab Electra sorore missus fuerat (vt matri sequenti subtraheretur) & annos 12. manserat, redire Argos, patrem vlcisci, inde furiis obnoxium vagari, & in Scythiam deuenire. Ab eo tempore si annos numeres ex Chronologis vsq; ad eum annum quo hoc scribebat Ouidius, admodum multas centurias, siue sæcula effluxisse certum est.

IN SCYTHIA MAG. N. Q. NOM. H.] Sunt in ore multorum. Lucian. Tom. IV. in Toxaride regem ab iis trucidatū. & ambos à Scythis, sacrificiis, diebus festis ac celebribus conuentibus ob virtutis admirationem coli eos referr.

A

FABVLA NARRATA EST] si fabula, quis eam primus commentus est? Nam tragœdiarum argumenta quale est hoc, sæpe vera sunt, & ex historiis deprompta: ue Euripidem auctorem faciamus.

VVLGARIS] vulgò nota, & sermonibus trita.

LAVDARVNT OMNES FACTA] Amorem tam insignem, & piæ mortis certamen omnes qui astabant, commendabant.

QVA NVLLA FEROCIOR ORA] nusquam in terris homines sunt magis belluæ moribus, quam in regione Tomitana, & Taurica. Eleg. 8. lib. 5. Trist. *vix sunt homines hoc nomine digni, Quamq; lupi sæuæ plus feritatis habent.*

B

NOMEN AMICIT. BARB. CORD. MOVET] Adeo magna, sancta, naturæ blandiens, & experenda res amicitia.

QVID FACERE AVSON. G. DEB. IN VRBE] Argumentum à minoribus. Vrbs Ausonia pro Roma, antonomasia. Martial. lib. spectacul. *Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe.* Ausonia ab Ausone Vlysis ex Calypso filio: propriè ea pars Italiæ, in qua Beneuentum, & Cales.

CVM TANGANT] cum afficiant. Æneid. 12. *per, si quis Amata Tangit honos animum.*

ANIMVS SEMP. TIBI MITIS] & ideo ad amicitiam appositus.

ALTÆ IND. MORES. NOB. HAB.] Mores tui te clarissimo genere oriundum declarant.

QVOS VOLESVS PATRII, &c.] Princeps familiæ tuæ cognoscat esse genuinos, & germanos. Vide Plutarch. in Numa.

C

QVOS NVMA MATER. NON NEC.] Vt paternum genus à Voleso, sic maternum à Numa Pompilio duxit Cotta.

ADIECTIQVE PROB. GENIT. AGNOM.] gentilitia agnomina.

SI TV NON ESSES, INTERITVRA DOM.] solus enim ex sua gente restabat.

HAC SERIE] hac maiorum origine.

CONVEN. ISTIS MORIB.] qualibus tu es ornatus.





ELEGIA TERTIA.

AdMaximum.

CVM AMORE COLLOQ. PER QVIETEM.

ARGVMENTVM.

EXponit oblatum sibi somnium. Visum astare Amorem, siue Cupidinem, mœsto vultu, cum sceptro ligneo, sine torque, sine crinali, incomptum, alis horridulis. Percunctatum se, cur in ea loca venerit. Eo dictante ab se conscripta iuuenilia, & amatoria, ac pro pretio tulisse exilium, atque ita à suo discipulo sibi soli malum δίδακτρον persolutum. Excusat illa scripta, quod ad vulgares tantum, & delibatæ pudicitiæ fœminas pertinere voluerit. Orat, vti ab Augusto commodiorem sibi locum efflagitet. Respondet Amor, nihil se ab eo nisi licitum, & legitimum didicisse: in alio quodam ipsius facto crimen inesse, quod erroris nomine velet. Eum se visum, & consolatum aduenisse. Bene sperandum de Cæsare leniendo, quia Romæ nunc lætitiis redundent omnia. Fauere huic viso Maximum confirmat poëta, cuius laudes à simplicitate, candore, excelsitate animi, ingenij exsequitur, & se eius fidei commendat.

Si vacat exiguum profugo dare tempus amico,
O sidus Fabiæ Maxime gentis, ades:
Dum tibi, quæ vidi, refero, seu corporis vmbra est,
Seu veri species, seu fuit ille sopor.
Nox erat, & bifores intrabat luna fenestras,
Mense ferè medio quanta nitere solet.
Publica me requies curarum somnus habebat,
Fusaq; erant toto languida membra toro:
Cum subitò pennis agitatus inhorruit aër,
Et sonuit paruo mota fenestra sono.
Territus in cubitum releuo mea membra sinistrum:
Pulsus & è trepido pectore somnus abit.

Stabat Amor vultu, non quo prius esse solebat,
Sceptra tenens laua tristis acerna manu.
Nec torquem collo, nec habens crinale capillis,
Nec bene compositas comptus, vt antè, comas.
Horrida pendebant molles super ora capilli:
Et visa est oculis horrida penna meis.
Qualis in aëria tergo solet esse columba,
Tractatam multa quam tetigêre manus.
Hunc simul agnoui (neque enim mihi notior alter)
Talibus affata est libera lingua sonis:
O puer, exilij decepto causa magistro,
Quem fuit vtilius non nocuisse mihi:
Huc quoque venisti, pax est vbi tempore nullo,
Et coit astrictis barbarus Ister aquis?
Quæ tibi causa viæ? nisi vti mala nostra videres?
Quæ sunt, si nescis, inuidiosa tibi.
Tu mihi dictasti iuuenilia carmina primus,
Apposui senis te duce quinque pedes.
Nec me Mæonio consurgere carmine, nec me
Dicere magnorum passus es acta ducum.
Forsitan exiguas, aliquas tamen, arcus & ignes
Ingenij vires comminuêre mei.
Namque ego dum canto tua regna, tuaque parentis
In nullum mea mens grande vacauit opus.
Nec satis hoc fuerat, stultus quoque carmina feci,
Artibus vt posses non rudis esse meis.
Pro quibus exilium durum mihi reddita merces,
Id quoque in extremis, & sine pace locis.
At non Chionides Eumolpus in Orphea talis,
In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
Præmia nec Chiron ab Achille talia cepit:
Pythagoraq́; ferunt non nocuisse Numam.
Nomina neu referam longum collecta per æuum,
Discipulo perij solus ab ipse meo.
Dum damus arma tibi, dum te, lasciue, docemus,
Hæc de discipulo dona magister habet.
Scis tamen, & liquidò iuratus dicere posses,
Non me legitimos sollicitasse toros.
Scripsimus hæc illis, quarum nec vitta pudicos
Attingit crines, nec stola longa pedes.

Dic, precor, hoc, quando didicisti fallere nuptas,
Et facere incertum per mea iussa genus?
An sit ab his omnis rigidè summota libellis,
Quam lex furtiuos arcet habere viros?
Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege seuerá
Credor adulterij composuisse notas?
At tu, sic habeas ferientes cuncta sagittas,
Sic nunquam rapido lampades igne vacent:
Sic regat imperium, terrasq́; coërceat omnes
Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos:
Effice, sit nobis non implacabilis ira,
Méque loco plecti commodiore velit.
Hæc ego visus eram puero dixisse volucri,
Hos visus nobis ille dedisse sonos:
Per mea tela faces, & per mea tela sagittas,
Per matrem iuro, Cæsareumq́; caput.
Nil, nisi concessum, nos te didicisse magistro,
Artibus & nullum crimen inesse tuis.
Vtq́; hoc, sic vtinam defendere cætera posses:
Scis aliud, quod te læserit, esse magis.
Quicquid id est (neque enim debet dolor ipse referri)
Non potes à culpa dicere abesse tua.
Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres,
Non grauior merito iudicis ira fuit.
Vt tamen aspicerem, consolarerqúe iacentem,
Lapsa per immensas est mea penna vias.
Hæc loca tum primùm vidi, cùm matre rogante
Phasias est telis fixa puella meis.
Quæ nunc cur iterum post secula longa reuisam,
Tu facis ô castris miles amice meis.
Pone metus igitur: mitescet Cæsaris ira:
Et veniet votis mollior aura tuis.
Néue moram timeas, tempus, quod quærimus, instat:
Cunctáque lætitiæ plena triumphus habet.
Dum domus, & nati, dum mater Liuia gaudet:
Dum gaudes patriæ magne ducisqúe pater:
Dum tibi gratatur populus, totamqúe per vrbem
Omnis odoratis ignibus ara calet.
Dum præbet faciles aditus venerabile templum,
Sperandum est nostras posse valere preces.

Dixit:

Dixit: & aut ille est tenues dilapsus in auras:
Cœperunt sensus aut vigilare mei.
Si dubitem, faueas quin his ô Maxime dictis,
Memnonio cycnos esse colore putem.
Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor:
Nec quod erat candens, fit terebinthus, ebur.
Conueniens animo genus est tibi: nobile namque
Pectus, & Herculeæ simplicitatis habes.
Liuor, iners vitium, mores non exit in istos,
Vtq; latens ima vipera serpit humo.
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum:
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alij noceant miseris, optentque timeri,
Tinctaque mordaci spicula felle gerant:
At tua supplicibus domus est assueta iuuandis,
In quorum numero me, precor, esse velis.

COMMENTARIVS.



I VACAT EXIG. PROFVG. &c.] A Homines alicuius dignitatis, & auctoritatis occupatos, & negotiis districtos sic appellari conuenit. Eleg. 1. lib. 1. *Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos excipe.* Vbi duplicem sensum attulimus.

O SIOVS FABIAE GENTIS] De gente Fabiorum nubilissima huuc Maximum testatur esse eleg. 2. lib. 1.

Qui nasci vt posses, quamuis cecidere trecenti;
Non omnes Fabios abstulit vna dies.

Admonui lectorem antea, sidus, stella, lumen, lux, iubar, splendor, lampas, sol, trita esse auctoribus de claris viris.

SEV CORPORIS VMBRA EST, SEV, &c.] Tripartita disiunctio. Aut enim fuit inane quid- B dam, & vmbra corporis: aut fuit verum corpus: aut fuit merissimum somnium, seu insomnis phantasia.

ET BIFORES INTRAB. LVNA FENEST.] De penatibus Troianis Aeneas apud Maronem libro 3.

——*visi ante oculos astare iacentis*
In somnis, multo manifesti lumine, quà se
Plena per insertas fundebat Luna fenestras.

Bifores, quæ in dextram, & læuam aperiuntur. 2. Metam. *Argenti bifores radiabant lumine valuæ.*

MANSE FERE MED. Q. NITERE SOLET] Lunæ permutationes sunt septem, quæ dicuntur phases. Prima cum exoritur, emergitur à sole, & corniculatio vocatur, siue cornicularia luna. Ea à Græcia figura menoides. Vnde lunata conchy- A lia. Sunt qui emergentem primitus [illegible] nuncupent, non menoidea. Postea est dichotomos, hoc est, dimidio orbe cæsa, vel diuidua. Porrò amphicyrtos, quod est vtriuque gibbosa. Inde panselene, siue plena, è solis regione cum normaliter steterit, vt Marcellini verbo vtamur. Rursusque amphicyrtos, ac deuuò dichotomos. Demum luminis vniuersitate priuatur, quum silere intelligitur; & à Græcorum scientissimis synodica nuncupatur, velut cùm sole commeans. Hæc Rhodigin. lib. 20. cap. 7. Hanc varietatem, & mutationem eius luminum describit eleganter Apuleius libro de Deo Socratis, his verbis. Luna solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu di- B uidua, seu protumida, seu plena sit, varia ignium face, quanto longius facesset à sole, tanto longius collustrata: pari incremento itineris, & luminis, mensem suis auctibus, ac dehinc paribus dispendiis æstimans: siue illa proprio, seu perpeti candore, vt Chaldæi arbitrantur, parte luminis compos, parte altera cassa fulgoris, pro circummeusione oris, discoloris, multiuaga, polleus, speciem sui variat: seu tota proprij candoris expers, alienæ lucis indiga, denso corpore, seu leui, ceu quodam speculo radios solis obstiti, vel aduersi vsurpat, & vt verbis Lucretij vtar, notham iactans de corpore lucem.

PVBLICA ME REQ. CVR. SO'M. HAB.] somnus publica, id est, communis requies curarum, [illegible]. Aut appositio est. Sic in Tristib. appel-

lauit. Cicer. in somnio Scipionis. Vt cubitum discessimus, me & fessum de via, & qui ad multam noctem vigilassem, arctior quam solebat, somnus complexus est. Hoc distichon persimile est sententia Virgilianis tiits lib. 6. vbi Deiphobus ita de se.

Tum me confectum curis, somnoq; grauatum
Infalix habuit thalamus, pressitq; iacentem
Dulcis, & alta quies, placidaq; simillima morti.

Seneca Agamem. *Non curarum somnus domitor Pectora soluit.*

FVSAQVE ERANT TOTO. L. MEMB. TORO] De ipso somno Deo 11. Metam. *Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.* Simile est de Cerbero 6. Aeneid. *atque immania terga resoluit Fusus humi, totoq; ingens extenditur antro.* Et 5.

Iamq; ferè mediam cæli nox humida metam
Contigerat, placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.

PENNIS AGITAT. INHORRVIT AER] Vim huius verbi *inhorruit* discas licet ex his locis. Georg. 1. *spiceáque in campis cum messis inhorruit.* De apro lib. 10. Aeneid. *postquam inter retia ventum est substitit, infremuitq; ferox, & inhorruit armis.* Horat. Ode 23. lib. 1. *Nam seu mobilibus veris inhorruit Aduentus foliis.* Inhorrere est intremere, cum aliquo sonitu, vel strepitu.

ET GEMVIT. F. M. FENEST. SONO] ex paruo sono paruam quoque fenestram fuisse coniicimus. Stridorem, seu crepitum impulsæ aëris motu fenestrę, gemitum vocat ἀνίῳον, seu στεναγμόν. Virgil. de equo ligneo à Laocoonte hasta percusso. *Ingemuere caua, gemitumq; dedere cauernæ.* Et in 6. *gemuit sub pondere cymba.*

IN CVBITVM RELEVO. M. MEMB. SINIST.] de somno 11. Metam. *Excussit tandem sese, cubitóque leuatus.*

PVLSVS ET E TREPID. P. SOM. ABIT.] Maro 2. Aeneid. *Excutior somno.* Contrarium lib. 9. *qui forte tapetibus altis Extructus toto proflabat pectore somnum.*

VVLTV NON QVO. P. ESSE SOLEB.] Mœsto vtique, cum esset rebus salqis, & integris lætissimo. Obserua quam graphicè depingat hic Cupidinem dupliciter. Nam ex habitu mœsti lętantis habitus describi, ac depingi optimè, ac facillimè potest. Cui placet, statuam Cupidinis videat, descriptam cum multis aliorum à Callistrato.

SCEPTRA TENENS LAEVA ACERNA] Cur ei sceptrum tribuit? quia in homines, ac deos est αὐτοκράτωρ βασιλεύς, imperium, inquam, in ambos tenet. Habes ad hoc aptum dialogum Luciani, Veneris & Cupidinis Tom. IV. Et 1. Aeneid. Venus ad eundem.

Nate, mea vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis.

Quia verò Amor Ouidianus ingratus accidit Augusto, & proscriptus est, ideo non aureum, sed ligneum sceptrum gerere fingitur: lignum

A enim est in despicabilibus. Adhæc non in dextra, sed in læua, vt spretus, & abiectus intelligatur.

NON TORQVEM COLLO] In ornamentis locum habet torques. Quare & poëta Latinus in ludo, cui Troia nomen, 5. Aeneid. Troianos adolescentulos eo insignit.

Pars leues humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Sed miserum Amorem torques per id tempus non decebat.

NEC HAB. CRINALE CAPILLO] Crinale substantiuum, est fascia qua cohibentur crines, ne in frontem defluant. ein Haarband. Cutuum criuale 5. Metamorph.

B NEC BENE DISPOSIT. COMPT. V. A. COMAS] Alicubi. *Neglectæq; iacent, & sine lege coma.* Et 1. Metam. *positos sine lege capillos.*

HORRIDA PENDE. MOLL. S. ORA CAP.] quia nimirum crinali carebat. Horrida ora squalentem, & pallentem vultum cape. De barbaro rege, siue duce, ducto in triumpho, eleg. 2. lib. 4. Trist. *squalida prolixis qui tegit ora comis.*

HORRIDA PENNA] alæ sordidæ, cum pennis disturbatis. Alatus inducitur Cupido 1. Aen. *Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.* Tibull. eleg. 5. lib. 2. *Impiger Ænea volitantis frater Amoris.* Alatus autem, ad leuitatem, & inconstātiam amantium significandam. Terent. Eunucho. *In amore hæc sunt vitia, iniuria, suspiciones, inimicitia, induciæ, bellum, pax*

C *rursum.* Ponit & hanc caussam Propertius eleg. 12. lib. 2.

Idem (pictor) non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostráque non vllis permanet aura locis.

Recentiorum poëtarum figmētum esse alas Cupidinis, monet Ioseph. Scalig. Catalect. in Virgil. antiquos enim nihil tale de eo prodidisse. Ac fuit cum non alatum modo, sed barbatum quoque pingerent, quod minus vulgare est. Theocrit. auctorue Ἀδωνιάζ. μηδὲ τρέσῃς, αἰ τοῦτο ὅν δασεῖα βίβλος λάχνα φύει. Doricè τοῦτο pro τοῦτο. Ne timeas, si, cum tantillus sim, densa lanugine mentum vestitum gero.

D AERIAS COLVMBAS] quæ per aëra vagatur. Sic aëreas volucres. Lucret. lib. 1. *Aëriæ primum volucres te, diua, tuumq; Significant initum.*

TRACTAT. M. QVEM TETIG. MAN.] ipse enim frequens contactus, & tractatio sordidat, quod alioqui purum, ac mundum est, vt pennæ columbæ candidæ.

NEQVE ENIM MIHI NOTIOR ALTER] multos quippe salis modios cum eodem comedit, cum Artem, & Amorum libros, & epistolas Heroidum scriberet.

TALIBVS EFFATA EST LIB. E. FONTE] sic eum libere, vt notum, & familiarem sum allocutus.

O PVER] Laudatur à Propertio in illa elegia,

quam paulo ante ciraui, qui Cupidinem pinxit puerum, quod amantes non plus sapiant quam pueri.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Is primùm vidit sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.

Quos versiculos concinnè in græcos ita mutatos inuenio ab H. S.

Ὅς ποτε παιδίον πρῶτος τὸν ἔρωτα χάραξεν,
Τόνδ' ὁ χεῖρ' οὐκ ἔχειν δαιμονίους παλάμας;
Οὗτος ἴδε πρῶτον κενόφρονας ἔμμεν' ἐραστάς,
Καὶ μελεδῶσι κεναῖς πήματα πολλὰ παθεῖν.

Ad declarandum porrò, amantes esse leues, inconstantes, nihil sapientes, puerorumque simillimos, tres trium optimorum auctorum, Horatij, Sophoclis, Plutarchi similitudines producit Bernard. Martini variar. lib. 2. cap. 5.

Exilii decepto cavss. magistro] Deceptus est, quia pro lusibus accipiendum putauit laborem suum, & ea mente, qua ipse scripsisset. Sed secus euenit. Magister amoris fuit, dum non ipsum Amorem, sed alios amare docuit, & in animos hominum istum quasi hilarem, & amabilem hospitem carminibus suis introduxit.

Qvem fvit vtil. n. docvisse mihi] siquidem vtilius fuisset carere exilio, & manere in patria, quam propter illum amisit.

Hvc qvoqve venisti] Etiam ne huc, in terras tam remotas venire voluisti?

Pax est vbi temp. nvllo] Eleg. 10. lib. 3. Trist. *Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt hostem.* Tu autem ab armis abhorres plurimum, & otio ac pace gaudes. Propert. lib. 3. eleg. 4. *Pacis Amor Deus est, pacem veneremur amantes.*

Et coit astrict. barb. Ister aq.] barbarus apud barbaros, vbi & nomen mutat; alioqui Danubius. Eleg. 11. lib. 5. Trist. *Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.*

Qvae tibi cavssa viae?] Virgil. lib. 9. *State viri: quæ caussa viæ, quiue estis in armis?* Hîc nullæ amorum illecebræ. Nec me, puto, de integro magistrum capere voles.

Nisi vt mala nost. vid.] Curiositas, credo, huc te adduxit, vt statum, & miserias meas intuerere.

Qvae svnt invidiosa tibi] quæ creant tibi inuidiam. Quæ te reddũt odiosum; quia iniquo pretio laborem meum compensasti.

Tv mihi dictasti ivvenil. c. prim.] In Tristib. sæpe sic appellat, quasi ignoscenda. Iuuentuti enim ludus aliquis permittendus putatur. Simo in And. de Pamphilo filio.

———nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, siui animum vt expleret suum.
Nunc hic dies aliã vitã affert, alios mores postulat.

Primùm ait, quia prius illa quam Fast. Metam. & alia composuit.

A Apposvi senis te. d. qvinqve ped.] elegias scripsi, quæ hexametris, & pentametris constant. Huc, atque item ad sequentes duos facic principium 1. Amor.

Arma graui numero, violentaq́; bella parabam
Edere, materia conueniente modis.
Par erat inferior versus. Risisse Cupido
Dicitur, atque vnum surripuisse pedem.

Atque hinc etiam perspicis, elegiacum idoneum esse cantandis amoribus, qui vtique hexametris, aut iambicis ineptè cantarentur: si tamen vnquã aptè, & potissimùm Christiano homini decenter cantantur.

Nec me Maeonio consvrg. carm.] sublime, & grande genus carminis heroicum, B quod Mæonium, id est, Homericum, ab omnium poëtarum velut Apolline cognominat, quomodo Horat. Ode 6. lib. 1. in quo se humo tollit poëta, victorq́; virûm per ora volitat, vt de se ait Latinus Homerus initio 3. Georg.

Dicere maonor. p. es acta. d.] Enumerata. Trist. eiuscemodi grauia argumẽta, quæ pro nugatoriis, & amatoriis illis sumi melius potuissent: sed an ingenium sibi ad eadem tractanda idoneum fuerit, dubitat, cum forte nec leuioribus satis aptum sit. *Cur non Argolicis potius quæ concidit armis. &c.* sic vinolentus ille, & ἐρωτικός, mirè tamen suauis Anacreon queritur festinè, se, dum grandia, etiam mutatis fidibus, & lyra tota cantare vellet, non nisi ἔρωτας canere potuisse. C Quocirca argumenta grauiora valere iubet. Θέλω λέγειν Ἀτρείδας, &c. Ode 1.

Forsitan exig. aliq. tamen] Et alibi extenuat ingenium suum. Et elegia sequenti.

Nos, quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit.

Cic. pro Archia. si quid est in me ingenij, iudices, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum.

Arcvs, et ignis comminvere] Arcus cum pharetra, & fax dantur Cupidini, de quo diximus in Tristib. Et ideo vulnerari, & vulnera, ignes, & ardere, & similia vsitata sunt in amoribus exprimendis. De sagittis quidem, & pharetra D Propert. lib. 2. eleg. 12.

Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia vtroq; sonat.
Ante ferit quoniam tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

De iisdem Anacreon Ode 2. Et poëtæ Græci, ac Latini passim.

Tva regna, tvaeqve parentis] Regnum Cupidinis, & Veneris sunt inconcessi, & Christianis legibus prohibiti amores, per quos, prô dolor, etiam nunc longè lateque regnant apud eos, qui proiecta honestate, & securi Numinis in libidinum intemperantiam se effundunt. Concessi enim, id est, coniugales, tam lasciui non sunt, vt cani, & doceri totis libris debeant.

Canit eos tamen immistis lusibus ineptis poëta insignis libris tribus. Secundum à primo lasciuls puellarum amoribus diuulsit. Scalig. in Hypercrit.

IN NVLL. MSA. M. O. VACAVIT OP.] nihil magnum, & egregium mihi propositum habui ad scribendum, dum amatoriis ineptiis distinerer. Hinc factum, vt ingenium mihi quantumcunque (aliquod enim fuit) imminutum, nec grauioribus accommodatum sentiam.

NEC SATIS HOC FVERAT] scripsisse libros amorum.

STVLTVS QVOQVE. E. TECI ARTIB. VT POSS. &c.] Alibi stultam artem vocat: nunc rursum eo honore dignatur. Stultus autem, & stultitia sub vnum significationis iugum deuincta sunt. Obseruandum itaque, quotiescunque etiam in Tristib. se stultum, aut stulte scripsisse affirmat, non libros amorum, sed de Arte amandi accipiendos. Hoc magisterium, & præfecturam istam à Venere sibi commissam infælix homo gloriatur etiam lib. 1.

Me Venus artificem tenero præfecit amori:
Tiphys, & Automedon dicar amoris ego.

Ibidem.

Æacidæ Chiron, ego sum præceptor amoris.

PRO QVIB. AXIL. M. MIHI REDD. MERCES] Eleg. 10. lib. 2.

Naso parum prudens artem dum tractat amandi.
Doctrinæ pretium triste magister habet.

ID QVOQVE IN EXTR. ET. S. P. LOCIS] Adiuncta duo, ad exaggerandam pœnam exilij, quod per seipsum est graue, distantia loci, & metus hostilis, isque perpetuus. Ita nec potest communicare cum suis, quia nimium abest: nec securitatem vitæ sibi promittere, quia nunquam pax ab hoste.

AT NON CHIONID. EVMOL. IN ORPH.] Amorem vt ingratum discipulum insectatur, ex comparatione gratissimorum. De Orpheo Apollinis, & Calliopes filio quæ dici possunt, iam vulgata sunt, & in Symb. nonnulla retulimus. Huius discipulus fuit Eumolpus.

IN PHRYGA NEC SATVR. T. OLYMP.] Gratior fuit Olympus, seu Olympius, quem Marsyas Satyrus tibia canere docuit. Hic Satyrus cum Apolline certare ausus, ab eo victus, & pelle nudatus est. Metamorph. lib. 6.

Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit.
Ah piget, ah non est, clamabat, tibia tanti.
Clamanti cutis est summos direpta per artus:
Nec quidquã nisi vulnus erat. Cruor vndiq; manat,
Detectiq; patent nerui: trepidæq; sine vlla
Pelle micant venæ: salientia viscera posses,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

PRÆMIA NEC CHIRON. AB ACHIL. TAL.] Achillem pater Peleus ad Chironem, centaurorum iustissimum deportauit, quem ille educauit amantissimè, &c. de hac educatione sua gloriatur ipse apud Euripid. Iphigenia Aulidensi. Ab eodem Chirone præter artem pulsandæ citharæ, herbarum vsum, venandi, iaculandi, medendi peritiam, & leges æquitatis edoctus est.

PYTHAGORAEQ. F. NON NOCVISSE NVM.] [illegible] pro, beneficum fuisse. De doctrina Pythagoræ multa in 15. Metamorph. Item Laërtius, & Iamblichus. Falsò auctorem doctrinæ Pompilij Numæ 2. regis Romanorum edi Pythagoram, probat Liuius lib. 1. ab V. C. & centum amplius post annos demum Seruio Tullio regnante Romæ in vltima Italiæ ora circa Metapontum, Heracleamq;, & Crotonam iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse constanter antumat. Plin. tamen lib. 13. Cassium Heminam, & C. Pisonem aliter sensisse docet. Vide, si otium est, dissertationem Francisci Floridi libro 1. cap. 13. Resellit commentum Cicero quoq; in 2. de orat. & 1. Tusculan.

NOMINA NEV REF. L. COLL. PER AEVVM] ne sim ex omni antiquitate colligendis discipulorum erga magistros gratorũ nominibus longior. De compluribus exemplis grati animi discipulorum in magistros pauca hæc accipe. M. Aurelius Imp. vt scribit Capitolin. tantum honoris magistris suis detulit; vt imagines eorum in larario haberet, eorumq; sepulcra additis hostiis & floribus semper ornaret. Gratianus Ausonium consulem creauit. Carolus V. Hadrianum Belgam, qui sibi adolescenti à studiis, & moribus fuerat, auctoritate sua qua apud Ecclesiasticos proceres plurimum efficere potuit; primùm ad Episcopatum, deinde ad Cardinalatum, postremò ad summum Pontificatum euexit. Minorum principum, ac dynastarum exempla mox inueniet qui quæsierit.

DISCIPVLO PERII. S. AB IPSE MEO] Non periisset à discipulo, nisi voluisset suo perire ingenio. Ergo nemo discipulus magistrum suum perdidit; præterquam Nasonem suus. Linus tamen Apollinis, & Terpsichores filius, musicæ scientissimus, est ab Hercule discipulo, impacta ei in caput cithara occisus, quod eum agrestius canentem irrisisset. Nero item Senecam doctorem suum mori coëgit. In Christianorum historiis legitur S. Martyr Cassianus à pueris, quos docebat, stylis, & cultellis miserabiliter interemptus. Atqui Ouid. non est à suo discipulo interfectus, vt illi. Iam sæpe monui, & res ipsa loquitur, exilium ab eo pro exitio, & morte haberi: quam ei mortem Amor peperit, eo modo quo ostensum est, & mox ostendetur.

DVM DAM. ARMA TIBI, &c.] Arma nominat artes illas, & præcepta stolida, quibus velut armis, ac telis pudicitia expugnatur, & sunt meræ lasciuiæ.

HAEC TE DISCIP. D. M. HABET] Hæc præmia refero abs te ego magister tuus. Das ist mein Schulgelt. Gott erbarms.

LIQVIDÒ IVRAT.] De sericiis, & tenuissimis

fœminarum Roman. vestibus conquerens Seneca de Benef. lib. 7. cap. 9. quibus sumptis mulier parum liquidò se nudam non esse iurabit.

NON MELIOR. SOLLICIT. TOROS] Hoc colore, nempe, non se ingenuis, & matronis, sed meritoriis, & impudicis fœminis scripsisse, nec adulteria, & virginum constuprationes docuisse, vtitur & 2. Trist.

Illa quidem fateor frontis non esse seuera,
Scripta nec à tanto Principe digna legi, &c.

In voce *sollicitare* inest quædam molestiæ adhibitæ, & impulsionis notio.

Ausus es ante oculos adducta pellice nostros
Iam bene compositum sollicitare torum.

Transfertur ad inanima. Tibull. eleg. 7. lib. 1. *Et tenerum ferro sollicitauit humum.* Virgil. lib. 12. *ne quid quam spicula dextra sollicitat.* Claudian. *Et rudibus remis sollicitauit aquas.*

QVARVM NEC VITTA PVD.] Hæc, & quæ sequuntur de stola, explicauimus lib. 2. Trist. Tibull. lib. 1. eleg. 6. *quamuis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes.*

ECQVANDO DIDICISTI. F. NVPT?] Num aliquando, aut quando tandem, aut vbi te docui nuptas corrumpere?

ET FACERE INCERT. P. M. IVSSA GEN?] Et per mea præcepta producere nothos, quorum genus incertum, quia pater incertus. Metamorph. 5. *dubio genitore creatum.* Virg. lib. 11. *genus huic materna superbum Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat.* Puer lapillos in populum iaciebat. Cui Diogenes, caue ne patrem ferias. Erat enim è scorto, & incerto patre natus.

AN SAT AB. H. OMNIS REO. SVM.] An non satis rigidè, ac serio per quatuor illos versus: *Este procul vitta tenues, &c.* ab ista arte legenda, & vsurpanda remota est omnis mulier maritata?

QVAM LEX FVRTIVOS. A. HAB. VIR.] Lex Iulia de adulteriis. Furtiui viri sunt adulteri, quia libido turpis, & vetita dicitur furtum. Vnde in 1. de Arte, *concessaq; furta canemus.* Minus rectè. Si enim concessa, quomodo furta? Verùm poëtæ vtuntur libertate sua, & concessas atque inconcessas libidines furta appellant, quia occulte patrantur, sicut furta occultè, & sine testibus committuntur.

VATITI LAGE SAVARA] Quomodo seuera? cum etiam hodie barbari suis singuli vxoribus contenti viuant?

CREDOR ADVLT. COMPOS. NOTAS] Lib. 2. Trist. *Arguor obsceni doctor adulterij.* Si, quamuis nuptas fallere non docuerim, putor tamen teneri lege de adulteriis, quia quasdam notas scripsi, quibus adulteri, & adulteræ taceutes sibi in mensa loquantur, quid prodest illa professio mea de qua iam dictum est? De notis istis adulterij, & nequitia, dixit lib. 1.

Blanditiasq; leues tenui perscribere vino,
Vt domina in mensa se legat illa tuam.

Heleua Paridi.

Orbe quoq; in mensa legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, amo.

Tibull. lib. 1. eleg. 6. *digitisq; liquorem Ne trahat, & mensa ducat in orbe notam.* Mensæ etenim antiquorum tripodes, & rotundæ, quales & hodie Romæ in vetustis, & saxeis monumentis conspiciuntur. Hæc ad sententiam versus percipiendam necessariò adducenda fuerunt. Non itaque se omnino purgare potest Ouidius, & hæret in luto.

FERIENTES CVNCTA SAGITTAS] Incipit bene precari Cupidini, rogaturus eum, vt sibi Cæsarem miriget. Quod ait eius sagittas cuncta ferire, insinuat insitum animantibus omnibus coniunctionis appetitum procreandi caussa, vt est in 1. Offic. quem naturæ scopum bestiæ, quia bestiæ sunt, non vident, & cæco impetu in Venerem ruunt. Homo autem etsi videt, quia rationis est particeps, nihilominus id quod sine voluptate non fit, ob solam voluptatem sæpe consectatur. Blandissimæ dominæ voluptates, inquit Cicer. 2. Off. sæpe maiores partes animi à virtute detorquent. *Vini vitio atque amoris feci.* ait Lyconides adolescens in Aulularia. Et seruus ille in Persa. *Sanctus factus sum in Veneris pralio. Sagitta Cupido cor meum transfixit.* Appositè huic loco, & sagittis istis cuncta ferientibus (sine quibus non constat Venus) Lucretius in exorsu librorum suorum de Natura.

Æneadùm genitrix, hominum diuùmq; voluptas,
Alma Venus, cæli subterlabentia signa
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras: per te quoniam genus omne animantū
Exoritur, visitq; exortum lumina solis.

SIC NVNQ. RAPIDO LAMP. IGNE. V.] Nihil refert, vtrum lampadem, an facem dicamus gestare Amorem, dum intelligamus ignem ei assingi, propterea, quod amor accendit, & amātes calescunt, & cæco carpūtur igni. *Ardet amans Dido,* inquit Maro. Etiam sanctus, & diuinus amor hoc habet. Quare quosdam pre calore illo cælesti pene consumptos & legimus, & audinimus. Vide vitam B. Philippi Nerei, sacerdotis Romani.

SIC REGAT IMPERIVM] totum orbem, vt sequitur; cuius est dominus: quem quibus artibus sub se redegerit, docet Onuphrius lib. 1. de Roman. Principibus.

AB AENEA QVI TIBI FRATRE NEP.] Vterque, & Amor, & Aeneas Veneris filius: hic ex Anchise, ille vel ex Marte, vel ex Vulcano. 1. Æneid. ipsa Venus. *Frater vt Æneas pelago tuus, &c.* Tibull. eleg. 5. lib. 2. *Impiger Ænea volitantis frater Amoris.* Nepos absolutè de liberis filiorum, filiarumue. Sed de fratrum, ac sororum, cum adiuncto. Ex fratre, ex sorore nepotes, qui græcè ἀδελφιδοῖ.

EFFICE SIT NOB. NON IMPLACABILIS IRA] Mirum cur Amorem pro se rogatum ad Cæsarem mittat, cum propter hunc discipulum Cæsar magistrum ipsum patria eiecerit. Sed frater est Aeneæ: vnde intelligimus per hanc propinqui-

pinquitatem rogare debere, vt, quemadmodum rhetores præcipiunt, rei non honestæ persona honesta subueniat. A

MEQVE LOCO PLACIT COMMOO.] non vt exilium condonet: sed vt locum exilij mutare velit. Eleg. 1. *In minus hostili iussus abesse loco.*

HAEC EGO VISVS ERAM DIXISSE] Hæc fuit oratio mea. Sic ipsum videbar prior allocutus.

PVERO VOLVCRI] Et quare puer Cupido: & quare alatus pingeretur, supra docuimus.

HOS VISVS NOBIS ILLE DED. SONOS] Dialogo similis est hæc elegia. Hactenus audiuimus Ouid. nunc quid ei respondeat Amor, consideremus. Quod porrò erat in eius sermone potissimum, ipsum docuisse adulteria, ad hoc primo loco respondet, & poëtam defendit. B

PER MEA TELA, FACES, ET PER MEA TELA SAGITTAS] Tibullus elegia sexta libri 2.

Acer amor fractas vtinam tua tela sagittas,
Si liceat, extinctas aspiciamq; faces.

Per vnum itaque genus telorum meorum quæ sunt faces, & per alterum genus, quæ sunt sagittæ. Telum propriè quod ab arcu mittitur, à prisca voce telo, à qua protelo exspecto, emitto, non à τηλοῦ, siue τηλόθεν, quod è longinquo mittatur, vt quidam censent. Vsu tamen, quidquid manu in aliquem mitti potest, vt ensis, lapis, hasta, sagitta, telum dicitur. Est igitur genus hoc loco ad faces, & sagittas. Hoc ergo primum iusiurandum est, per arma sua. C

PER MATREM IVRO] hoc secundum.

CAESAREVMQVE CAPVT] per Cæsarem ipsum, hoc est tertium. Iuratur enim per res vel charissimas, vel maximas, & diuinas: alioqui iuramentis non est fides, nec auctoritas.

NIL NISI CONCESSVM] Legibus permissum, non interdictum. Propter maius malum fugiendum, etiam in Christianorum republica aliquando minus malum permittitur, vt lupanaria propter cauenda stupra in virginibus, & adulteria in coniugibus, ac matribus familias. Ipsa tamen libido extra coniugium diuinis legibus non permittitur.

NOS TE DIDICISSE MAGISTRO] sicut ipse se doctorem, & magistrum, ita vicissim Amor se discipulum eius profitetur. D

SIC VTIN. DEFEND. CAST. POSSES] In aliis reus es magis, quę vel nihil, vel minus defensionis admittunt.

SCIS ALIVD QVOD TE LAES. E. MAGIS] Ordinanda sunt verba hoc modo. Scis aliud esse, quod te magis læserit, quod Augusto magis doluerit.

NEQVE ENIM. D. DOL. IPSE REFERRI] Etiam antea, lib. 2. ni fallor, *referre* vsus est pro meminisse, seu in memoriam reuocare, & ita exponendum hoc loco, non, *narrari*, vt sæpe. Non igitur retractandum est vulnus animo.

A NON POTES A CVLPA. D. AB. TVA] non potes omnino excusare.

LICET ERRORIS SVB IMAG. C. OBVMBRES] Quam crebrò dixit in Tristibus se vidisse aliquid, & huic ipsi erroris nomē imposuit, quia casu factum sit, vt videret? Et tamen modò fatetur, se erroris nomine obumbrare illud quidquid est. Videtur ergo sponte, & sciens interuenisse, aspexisseque illud quidquid tandem fuit, ideoque Augustum meritò tam implacabilem habuisse, quod etiam confitetur. Hanc tam apertam confessionem miror, cum caussæ nocitura videatur. Adhuc ad Sex. Pompeium elegia 15. libro 4.

Erroris nam tu vix est decernere nostri
B *Sis argumentum maius, an auxilium.*

VT TAMEN ASPICER. CONSOL. IACENTEM] Initio elegiæ ex eo quæsierat, cur eo venisset. Huic interrogationi nunc respondet, & duplicem sui aduentus caussam edicit.

PER IMMENSAS VIAS] Per aëris tractus longissimos aduolaui. Immensum cælum, immensum mare, immensa tellus.

HAEC LOCA TVM PRIM. VIDI] non ante id tempus, nec postea, nisi modò.

CVM MATRE ROGANTE] quia mater ei subiecta est cum diis omnibus, quos singulos suis armis & insignibus spoliauit, vt est in epigrammate Philippi, Iouem fulmine, Phœbum sagittis, C Herculem claua, Martem galea, Mercurium talaribus, Dianam face, Bacchum thyrso, Neptunum tridente. Vltimum distichon hoc est.

[illegible]
[illegible]

Nec mirum est iaculis homines quoq; cedere Amorum,
Queis sua vel superi sceptra dedere Dei.

Hinc Plato in Symposio πάντων τῶν θεῶν εὐδαιμονέστατον omnium deorum fælicissimum pronuntiauit, ob tantam scilicet potētiam. Rogat eundem 1. Aeneid. Venus. *Ad te confugio, & supplex tua numina posco.*

PHASIAS EST TEL. F. P. MEIS] Medea Colchis, vbi labitur Phasis fluuius, sauciata est amore Iasonis, Argonautarum ducis. Metam. 7. Phasis ex Armenia fluens Colchos alluit, per quem è D mari Iaso in eam regionem ascendit, in qua tunc AEetes Medeæ pater regnabat. De hoc flumine plura lib. 4.

POST SAECVLA LONGA] post mille annos, & amplius.

CASTRIS MILES AMICE MEIS] Militauit Ouid. in castris Cupidinis vt [illegible]. Sunt autem Tactici instruendæ aciei, & ad disciplinam militarem pertinentium periti, & magistri. De hac amatoria militia noster alibi.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

Et 1. de Arte.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt has timidis signa tuenda viris.

Propertius eleg. 6. lib. 1. *Hanc memini tuam fata subire volunt.* At nos spurcam hanc, & ingloriam militiam toto pectore fugiamus.

PONE METVS MITES. CAES. ERA] Hæc est consolatio, qua miserum delinit, & bona spe recreat.

ET VENIET. VOTIS MOLL. AVRA TVIS] Tua nauis accipiet ventum secundiorem, quemadmodum optas. Aliter, secundiorem quam optas.

NEVE MORAM TIMEAS] ne, quod polliceor, diu exspectandum sit.

QVOD QVAERIMVS, INSTAT] in foribus est quod cupimus.

CVNCTAQVE LAETIT. P. TRIVMPH. HABET] Triumphus Tiberij Dalmaticus, & Illyricus totam vrbem, & regiam repleuit gaudiis. Temporibus autem lætis facilius impetrant supplices quod petunt.

DVM DOMVS, ET NATI, &c.] Quod generatim dixerat, in partes diducit, & totum diuidit.

PATREAS DVCESQVE PATER] Iam hoc notum est ex Tristibus fuisse Augustum patrem patriæ appellatum, cuius filius adoptatitius Tiberius.

DVM TIBI GRATATVR POPVLVS] gratulatur. Virgil. 4. Aeneid. *Iuueni, germana, viam. gratare sorori.* Et 5. *veterum non immemor ille parentum Gratatur reduces.*

OMNIS ODORAT. IGNIBVS. A. CALET] Aguntur diis gratiæ per omnia delubra, incensis per aras odoribus. Tibull. eleg. 2. lib. 2. *Vrantur pia thura focis, vrantur odores.*

VENERAB. TEMPLVM] Deprauatè legitur *tempus.* cum quo non bene cohæret epitheton *venerabile.* Templi autem nomine intellige palatium, in quo dixit alibi, non minus coli Iouem, quam in Capitolio.

SPERAND. E. NOST. P. VAT. PRECES] Iam dixi, lætis temporibus facilius petita concedi, quam tristibus. Quid Asuerus, & Herodes in conuiuiis exhilarari promiserint, & concesserint, omnes norunt. Apud Persas, reges, cum aut regnum inirent, aut vxores ducerent, tributa remittebant. Herodot. lib. 6. Et quod extat Esther. 2. vbi agitur de nuptiis Asueri, & Esther, *& dedit requiem vniuersis prouinciis*, de tributi remissione quidam interpretantur.

TENVES DELAPSVS IN AVRAS] Autenanuit, cum esset veri species, & ego vigilarem: aut somnium fuit, & expergefactus sum.

QVIN PAVEAS HIS DICVES] quin approbes, & ita fieri cupias.

MEMNON. CVG. ESSE COL. PVT.] nigros, quod tam rarum est, vt abierit in prouerbium. *Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno.* Sicut albus coruus. Aethiopes porrò nigri; & Memnonem fuisse Aethiopem, indicat Virgil. 1. Aeneid. *Eoasq;*

A *acies, & nigri Memnonis arma.* Nisi alia de caussa n grum vocet. Consule Symb.

SED NEQVE MVTATVR NIG. PICE, &c Etiam hoc, & sequenti *ἀδυνάτῳ* Maximi constan tissimum erga se animum demonstrat.

NEC QVOD ERAT CANDENS] pro cand dum. Candidum autem opponitur nigro, vt al bum fusco, vel atro. Albam togam Romani fe stis diebus induebant; candidam, qui honore petebant. Sed vsus confundit.

TEREBINTHVS] Plin. in opere illo diffusc erudito, nec minus vario, quam ipsa natura, v scripsit eius è sorore nepos ep. 5. lib. 3. toto cap. lib. 13. de terebintho disputat.

B CONVEN. ANIM. G. E. TIBI NOB.] Eleg. 2 libro 1. ad eundem. *Et geminus animi nobilitate ge nus.*

PECTVS ET HERCVL. SIMPLICIT. HAB. ingenuum, nulla in alios maleuolentia suffu sum, sine dolo & astu, quale fuit in Hercule au ctore generis tui. Ab eo enim oriunda Fabiorum familia. Plutarch. in Fabio.

LIVOR INERS VITIVM] inertium est liuor & ignauorum, qui ipsi nihil præstant egregium & laudabile.

MORES NON EXIT IN ISTOS] in tam ge nerosum animum non cadit inuidia.

VTQVE LATENS IMA VIP. S. HVMO] In uidia miserorum, & infælicium est. Nec enim in uident bonis alienis, quibus suppetunt sua. Sem

C per sunt tristes. Bion sophista quendam inui dum tristem, & vultu in terram deiecto conspi catus, aut huic, inquit, magnum malum, aut al teri cuipiam magnum bonum contigit.

SVPRA GEN. EMINET IPSVM] Multò es a nimo quam genere nobilior. Vide eleg. 2. lib. 1 ibi. *Et geminus animi nobilitate genus.*

GRAND. INO. NEC. T. NOMEN] vt diceris Maximus, sic es ingenio maximus, & tanti natu ram nominis imples.

ERGO ALII NOCEANT MISERIS] alij po tentes, & inhumani.

OPTENTQVE TIMERI] quod est tyranni cum. Oderint dum metuant, dixit quidam, vt re fert Cicero in Offic. & iactabat vocem hanc sæ

D pe Caligula, vt memoriæ proditum est à Suetonio.

TINCTAQVE MORDACI SPICVLA FELLE GERANT] & conuiria iaciant, & sint verbis contumeliosi.

TVA SVPPLICIBVS DOMVS EST ASSVETA IVVANDIS] familia vestra morem habet gratificandi supplicibus, & aliena ope indigentibus.

IN QVORVM NVMERO, &c.] Tibi ego quoque commendo spes meas.



ELEGIA

ELEGIA QVARTA.

Ad Rufinum.

LIBELLO DE TRIVMPHO TIBERII PETITA VENIA.

ARGVMENTVM.

De triumpho, quem è Dalmatis, & Illyricis per Tiberium retulit Augustus, libellum à se conscriptum Rufino committit, ac de eo libello summissè admodum, modesteque tota elegia differit. Candore Rufini, amicorumque sustentari sese. Complures rationes adducit, ob quas venia libello illi donanda sit. Alios spectata coram, se tantum per famam audita, proinde nec simili affectu scripsisse. Singillatim exponit, quænam in pompa triumphali conspecta spiritum excitassent. Nec ducum, nec locorum nomina ad plenum sibi comperta. Ex assiduitate tristium scribendorum lætis haud satis fuisse idoneum. Sua minus esse recentia, quod in tam distantia loca serius rumor, serius Romam per tantum interuallum libellus peruenire potuerit. Ab aliis item præreptum sibi argumentum. Non ista contra poëtas, sed pro se excusando afferri: nam illos à se diligi, quibus carmen suum commendat, etsi post mortem demum placere carmina soleant. At enim se ducendum in mortuis, cui tantum sepulchrum restet. Voluntatem sibi non defuisse, qua & dij contenti sint. Præterea materiam esse grandem, difficilem, quæ vel Maronem defatigasset: & elegos eidem tractando impares. Incertum se, quo genere de Rheno triumphum describat, quem futurum vaticinatur, & ad apparatum maturè instruendum hortatur. Ad vltimum deos orat, vti vaticinium suum re comprobent. Ex hac elegia potissimùm furor ille poëticus qualis sit, cognoscitur.

Hæc tibi non vanam portantia verba salutem
Naso Tomitana mittit ab vrbe tuus:
Vtque suo faueas mandat, Rufine, libello,
In vestras venit si tamen ille manus.
Est opus exiguum, vestrisque paratibus impar:
Quale tamen cumque est, vt tueare, rogo.

FIRMA VALENT PER SE, NVLLVMQVE MACHAONA QVAERVNT:
AD MEDICAM DVBIVS CONFVGIT AEGER OPEM.
Non opus est magnis placido lectore poëtis:
Quemlibet inuitum difficilemque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forsitan antè fuit:
Viribus infirmi, vestro candore valemus:
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.
Cunctáque cum mea sint propenso nixa fauore,
Praecipuum veniae ius habet ille liber.
Spectatum vates alij scripsêre triumphum:
Est aliquid memori visa notare manu.
Nos ea vix auidam vulgi captata per aurem
Vidimus, atque oculi fama fauere mei.
Scilicet affectus similes, aut impetus idem
Rebus ab auditis, conspicuisque venit.
Nec nitor argenti, quem vos vidistis, & auri
Quod mihi defuerit, purpuráque illa, queror.
Sed loca, vel gentes formatae mille figuris
Nutrissent carmen, praeliáque ipsa, meum.
Et regum vultus certissima pignora mentis
Iuuissent aliqua forsitan illud opus.
PLAVSIBVS EX IPSIS POPVLI, LAETOQVE FAVORE
INGENIVM QVODVIS INCALVISSE POTEST.
Tamque ego sumpsissem tali clamore vigorem,
Quàm rudis audita miles ad arma tuba.
Pectora sint nobis niuibus, glaciéque licebit,
Atque hoc, quem patior, frigidiora loco:
Illa ducis facies in curru stantis eburno
Excuteret frigus sensibus omne meis.
His ego defectus, dubiisque auctoribus vsus,
Ad vestri venio iure fauoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota locorum
Nomina: materiam non habuere manus.
Pars quota de tantis rebus, quam fama referre,
Aut aliquis nobis scribere posset, erat?
Quo magis ô lector debes ignoscere, si quid
Erratum est illic, praeteritúmue mihi.
Adde, quòd assiduas domini meditata querelas
Ad latum carmen vix mea Musa venit.

Vix bona pôst tanto quærenti verba subibant:
Et gaudere aliquid res mihi visa noua est.
Vtq́ reformidant insuetum lumina solem,
Sic ad lætitiam mens mea segnis erat.
EST QVOQVE CVNCTARVM NOVITAS GRATISSIMA RERVM:
GRATIAQVE OFFICIO, QVOD MORA TARDAT, ABEST.
Cætera certatim de magno scripta triumpho
Iam pridem populi suspicor ore legi.
Illa bibit lector sitiens, mea pocula plenus,
Illa recens pota est, nostra tepebit aqua.
Non ego cessaui, nec fecit inertia serum:
Vltima me vasti sustinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properatáque carmina fiunt,
Factáque eunt ad vos: annus abisse potest.
Nec minimum refert, intacta rosaria primus,
An sera carpas pene relicta manu.
Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
Si duce non facta est digna corona suo?
Deprecor hac vatum contra sua carmina ne quis
Dicta putet: pro se Musa locuta mea est.
Sunt mihi vobiscum communia sacra poëtæ,
In vestro miseris si licet esse choro.
Magnáque pars animi mecum vixistis amici,
Hac ego vos absens nunc quoque parte colo.
Sint igitur vestro mea commendata fauore
Carmina, non possum pro quibus ipse loqui.
SCRIPTA PLACENT A MORTE FERE: QVIA LAEDERE VIVOS
LIVOR, ET INVISO CARPERE DENTE SOLET.
Si genus est mortis malè viuere, terra moratur,
Et desunt fatis sola sepulchra meis.
Denique opus nostræ culpetur vt vndique curæ,
Officium nemo qui reprehendat, erit.
VT DESINT VIRES, TAMEN EST LAVDANDA VOLVNTAS:
HAC EGO CONTENTOS AVGVROR ESSE DEOS.
HAEC FACIT, VT VENIAT PAVPER QVOQVE GRATVS AD ARAS,
ET PLACEAT CAESO NON MINVS AGNA BOVE.
Res quoque tanta fuit, quanta subsistere summo
Æneidos vati grande fuisset onus.
Ferre etenim molles elegi tam vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

triumphi peracti magnificentiæ haud satis respondens.

QVALE TAMEN CVNQVE EST] τμῶνς, vt, inque vicem, & similia. Virgil. 12. AEneid. *Qui me cumq; manent isto certamine casus.* Catull. ad Cornel. Nepot. *Quare habe hoc tibi, quidquid est libelli, Qualecunque.*

VT TVEARE] vt tutelam eius suscipias. Vt tanquam pupillum curæ, ac fidei tuæ velut testamento commissum tractes, & ab omni iniuria defendas.

FIRMA VALENT PER SE] adminiculis, fomentis, medicinis non egent.

NVLLVMQVE MACHAONA QVÆRVNT] à quo θεραπευτικὰ medicamenta accipiant, quibus ab inualetudine, morboque liberentur. Machaon AEsculapij filius, medicus. Interfuit bello Troiano. Meminit eius & Propert. eleg. 1. lib. 2. *Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon.*

AD MED. DVB. CONFVG. ÆG. OPEM] Nec enim valentibus, sed male habentibus opus est medicus. *Dubiam*, quia non omnes qui curantur à medicis, conualescunt. *Interdum docta plus valet arte malum.*

NON OP. EST MAG. P. LECT. POET.] Magnis poëtis lectorem beneuolum ipsa eorum magnitudo, & anticipata de illis opinio facit, vt Homero, & Virgilio: hi siquidem verè magni, & ex heroicis propemodum soli poëtarum nomine dignandi.

C

QVEMLIBET INVIT. DIFFICIL. TENENT] propter multa, quæ in eorum vita, & laudibus initio operum illorum, è libris virorum doctissimorum afferuntur, & quæ lector in cursu vera esse, & ita prorsus se habere perspicit. Nemo igitur est aut tam occupatus, aut tam à versibus lectitandis alienus, aut tam morosus, quio eorum lectione vehementer afficiatur, ac plurimum delectetur.

NOS QVIB. INGEN. L. MIN. LAB.] Eleg. 13. lib. 5. Trist.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.

AVT ETIAM. N. FORSIT. ANTE FVIT] Elegia superiore.

D

Forsitan exiguas, aliquas tamen arcus & ignis
Ingenij vires comminuere mei.

Et Eleg. 14. lib. 3.

Ingenium fregere meum mala, cuius & ante
Fons infœcundus, paruaq; vena fuit.

At Senecæ testimonio, & indicio (quo quid potest esse grauius, & credibilius?) maius est illi ingenium, quam cuiuis de poëtarum numero, latinorum inquam, de quibus locutum existimo.

VIRIB. INFIRMI. V. CAND. VAL.] Gaudium, quod vester candor nobis parit, corpus quoque reficit, & peius valere non sinit.

OMNIA RAPTA PVTEM] putem me rebus omnibus exutum: siquidem vos mihi estis omnia.

A

CVNCTAQVE CVM. M. S. PROP. N. FAVORE] & cum omnia scripta mea nitantur fauore, præsidioque vestro, alioqui multa ignoscenda continentia, nec cum excellentium poëtarum monumentis comparanda.

PRÆCIP. VENIÆ IVS. H. ISTE LIBER] hic liber de triumpho Tiberij præcipuè, multas ob caussas veniam suo iure sibi poscit. Sequuntur caussæ.

SPECTAT. VAT. A. SCRIPS. TRIVMPH.] De his aliis vatibus συγχρόνοις eleg. vlt. lib. 4. Trist. Hi ergo, quicunque fuerint (nam id nusquam proditur) mandauerunt litteris, quod oculis suis aspexerunt.

EST ALIQVID MEM VISA. N. MANV]

B

Prodest scriptori, si memor in litteras referat, quæ ipse viderit, quibusque interfuerit; plus enim fidei merebitur. Est aliquid, pro, multum est, multum valet, potest. Eandem vim habet, haud nihil est. Terent. *extrema linea amare, haud nihil est.*

VIX AVID. VVLGI CAPT. P. AVR. VIDIM. &c.] Auidum vulgus rerum nouarum captauit ea auribus, quæ nos fama, & incerto auctore cognita videre conati sumus: hi enim fuerunt oculi nostri. Et tamen vix etiam isto modo vidimus.

SCILICET AFFECT. SIMIL. &c. REB. AB AVD. &c.] Ironia est. Inter videre, & audire, quod ad animum afficiendum, ac permouendum attinet, non paruum est discrimen. Horat.

C

ad Pison.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Oculi augent dolorem. Cic. ep. 1. lib. 6.

NEC NITOR ARGENTI, ET AVRI] Ad triumphum Romanum spectantia dixi non pauca in eleg. 2. lib. 4. Trist. & eleg. 1. lib. 2. de Ponto. Oppidorum captorũ simulacra ex argento præferebantur.

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.

De nitore auri quod ait, in eadem elegia sic est.

Deq; trophæorum quod sol incenderat auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.

D

PVRPVRAQVE ILLA] In Trist. eleg. 2. lib. 4.

Hos super in curru, Cæsar, victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui.

SED LOCA VEL. G. FORM. M. FIG.] Figuræ, & simulacra locorum, & diuersi vultus, habitusque captiuorum de variis gentibus. In Tristib. ibid.

Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.

Huiusmodi simulacra Scipioni Asiatico vno triumpho triginta supra centum prælata memorantur. Iulio Cæsari Massilia, Nilus, Rhenus, Rhodanus, ex auro & ebore omnia.

NVTRISSENT CARMEN MEVM] Hæc omnia si oculis meis conspexissem, fuissent car-

mini meo quasi pabulum quoddam, fecissentque multo lucculentius, plenius, neruosius, absolutius. A

PRÆLIAQVÆ IPSA] non quæ tunc vidissem: sed quæ, & quanta fuissent perpetrata, ex apparatus magnitudine cognouissem euidentius.

ET REGVM VVLTVS] Locus post milites lauro coronatos dabatur regibus, nobilibus, & hostium ducibus, qui fere aut curriculis vehebantur, aut ferculis gestabantur, reuincti ponè manus.

CERTISS. PIGNORA MENTIS] Vultus est nuntius, & index cogitationum. Iam tu tecum reputa, quo vultu fuerint captiui, & ante ora pop. Roman. cum magna ignominia sua traducti reges, ac principes. Verùm ij vultus poëtam exacuissent. B

IVVISSENT ALIQVA] aliqua ex parte, est enim aduerbium. Virgil. eclog. 3. *Et si non aliquà nocuisses, mortuus esses.*

PLAVSIB. EX IPSIS POP.] In Trist. eleg. 2. lib. 4.

Quaq; ibis, manibus circumplaudere tuorum;
Vndiq; iactato flore tegente vias.

De Ponto lib.

Quaq; ierit felix adiectum plausibus omen,
Saxaq; iactatis erubuisse rosis.

INGEN. QVODVIS INCAL. POTEST] Etiam mediocre ingenium huiusmodi rebus mirabiliter excitatur, & incalescit illo deo, ac spiritu, qui sedibus ætheriis venit, quem furorem poëticum vocant, sine quo egregium poëma non fit. C

TAMQVE EGO SVMP. T. CLAM. VIGOR] Exprimit clarius, quam fuisset illis spectaculis commotus. Non aliter animus fuisset concitatus.

QVAM RVD. AVD. M. AD. A. TVBA] Rudis, militiæ adhuc expers, tyro, qui in acie nunquam est congressus, affert tamen animum pugnæ cupidum. De vi tubæ ad terrendos obsessos, cum tubicines vnà cum militibus primis murum ascendunt, Onosander in strategico, cuius verba, produxi eleg. 1. huius, ibi. *Fortibus assueuit tubicen prodesse.* Sed Ouidius etiam rudes adhuc militiæ tubarum cantu ad præliandum fortiter excitari, nec falsò, affirmat. D

PECTORA SINT NOB. NIVIB. &c.] Etsi nunc frigeo, & torpeo. Hoc frigus, atque hunc torporem ὑφαντικῶς per niuem, glaciem, frigus Scythicum declarat.

ILLA DVCIS. F. IN. C. STANT. EBVR.] Lætissimus ille, & augustissimus Imperatoris victoris, ac triumphatoris aspectus in curru eburneo. Currus hic fuit nihilominus inauratus, gemmis distinctus, nec bellicarum, aut ludicrarum quadrigarum, sed turriculæ rotundæ similis, duabus rotis sustinentibus, deorumque imaginibus mirè decoratus.

EXCVTERET FRIG. SENSIB. O. MEIS] eo modo quo dictum est. Vocamus lentitudinem, tarditatem, torporem, inertiam, item hebetudinem animi, & cum res sua gratia, & lepore caret, vocamus, inquam, frigus: & aliquem parum ornatè, acutè, &c. scribentem, frigere dicimus. Philipp. 1. Iacent beneficia Nuculæ, friget patronus Antonius. In Bruto tibicen Antigenidas discipulo sanè frigenti ad populum dixit, mihi cane, & Musis. Quintil. lib. 2. cap. 12. de indoctis oratoribus. Itaque illud quæstionum, & argumentorum apud corrupta iudicia frigus euitant. Cic. ad Q. F. ep. 14. lib. 1. Pridie Idus, cum Appius senatum infrequentem coëgisset, tantum fuit frigus, vt populi conuitio nos coactus sit dimittere. Terent. Eunucho *Frigent hic homines.*

HIS EGO DEFECTVS] his frustratus, quæ me visa tantopere inflammassent.

DVBIISQVE AVCTORIBVS VSVS] Fama enim *tam ficti, prauiq; tenax, quam nuntia veri,* vt est in 4. diuini operis. Cic. 1. Philipp. Addebant præterea (fit enim plerûque, vt ij, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, lætius) rem conuenturam.

AD VEST. VEN. IVRE FAVOR. OPEM] Hæc faciunt, vt ope, auctoritate, præsidio, & tutela vestra magis indigens, ad vos confugiam. Hinc enim quodammodo magis æger, magis medicum requiro. Suprà. *Præcipuum veniæ ius habet iste liber.*

NEC MIHI. N. D. NEC LOCOR. NOM] quæ Romæ facilè indagassem, & didicissem, vbi & libri, & instar librorum eruditi homines, cum in ista barbaria neutrum sit.

MATERIAM NON HAB. MAN.] quæ satis esset.

PARS QVOTA DE TANT. REB. &c.] De tanta rerum copia quod nobis aut scriberetur, aut ore commemoraretur, non potuit esse multum. Distichon hoc cum interrogatione, & citra legi potest.

QVO MAGIS DEBES IGNOSCERE] Ingenui est animi, lectorem poscere veniam, vbi veremur ne quid peccauerimus. Et id ad captandam beneuolentiam pertinet, estque in vsu bonis scriptoribus.

SI QVID ERRAT. EST PRÆTERIT.] si quid non verum in eo libello, aut aliter quam gestum, aut plus minusue narraui: & si quid penitus omisi, de quo dubium non est, cum ipse iam dixerit, *Pars quota de tantis rebus, &c.*

ASSIDVO DOM. MEDIT. QVEREL.] Nil egit aliud Musa mea, quam vt quotidie in ærumnis meis deflendis versaretur. Quare eleg. 1. lib. 1. hos libros æquè vt priores rerũ tristium plenos fore affirmauit. Obserua item, quo modo se hîc Musæ dominum appellet: quod nisi μετωνυμικῶς pro carmine accipias, arrogantius dictum videbitur, cum sint vatum numina Musæ, & ipse eas hoc honore non semel dignatus fuerit.

A AD LÆT. CARM. VIX. M. MVSA VEN] A diuturna mœstitudine ad hilaritatem non facilis est transitus in scribendo. Idcirco Musa ægre inde hoc aduocatur. Inepta lectio in quibusdam codicibus, *vix mea versa lyra est*. Horatius, Anacreon, Pindarus, Sappho de lyris suis loquantur.

VIX BONA. P. TANTO. Q. V. SVBIBANT] Post tantũ temporis spatium ab acto triumpho, vix occurrebant, seu vix à me inueniebantur verba rebus apta, & accommodata.

ET GAVDERE ALIQVID] aliqua re lætari. Ex aliqua re concipere lætitiam. Seu, gaudere vel aliquantum.

RES MIHI VISA NOVA] Noua apparent, quæ diu intermissa, & desita iacuerunt.

B VTQVE REFORMID. INSVET. L. SOLEM, &c.] In hac similitudine sanè eleganter tristitia cum tenebris, lætitia cum sole confertur: & cum hoc lætantium, cum illis mœrentium vultus consentiunt.

SEGNIS] vix veniebat, vt paulo ante. Claudo pede accedebat.

EST QVOQVE CVNCTAR. NOVIT. G. RERVM] Etiam hinc opusculum suum extenuat, quod nempe haud nouum, ideoque minus gratum futurum, cum alij se in eo argumento anteuerterint. Sed cur non nouum, caussas addet postea. Seneca lib. 4. Declamat. Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi. Hoc in histrionibus, in gladiatoribus, in oratoribus, de quibus modo aliquid fama pro- C misit, in omnibus denique rebus videmus accidere. Ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt. Idem lib. 5. natural. quæst. quod naturale est, magis noua, quam magna mirari.

GRATIAQVE OFFICIO. Q. MORA TARD. AB.] Seneca de Benef. lib. 2. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit. Ausonius.

Si bene quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

Vide prouerb. Bis dat, qui citò dat.

CÆTERA CERTAT. D. M. SCRIPT. T.] Quæ alij poëtæ certantes, & velut capiti suo inde D coronam petētes de hoc illustrissimo triumpho ante me, & re adhuc recenti cecinerunt.

POP. SVSPICOR ORE LEGI] Oculorum est legere. Sed respicit ad pronuntiationem verborum inter legendum, vt fit. Eleg sequenti. *Quæ quanquam mihi sunt lingua properante per horas Lecta satis multas.*

SITIENS LECTOR] lectorem sitientem vocat, qui nec dum quidquam de hoc triumpho editum legerat, & legere tamen vehementer cupiebat.

MEA POCVLA PLENVS] meum carmen est illi quasi poculum nō amplius sitienti, & qui se iam aliunde potando expleuerit.

ILLA RECENS POTA EST. N. T EP. AQVA] Recens hausta de puteo, aut de fonte longe est iucundior, quam quæ diu in vase stetit, & frigidulum illud gustatu iucundum in teporem mutanit. Tepidiorem autem fieri aquam potui paratam, esse in calescere, & tepidam non esse minus calidam, & quæ deferbuerit, vt voluit Lipsius, sed minus gelidam, & quæ rigorem, frigusque remiserit, & incalescere cœperit, ostendit Ioseph. Castalio. Decad. 1. Obseruat. in Criticos cap. 9. ex Seneca.

NON EGO CESSAVI. N. F. INERT. SERVM] suspicionem cessationis, & inertiæ ab se amolitur. Quid enim ignauia, desidia, & fuga laboris turpius, cum generosus animus nutriatur laboribus? Dicit ergo se, posteaquam auditione acceperit hunc triumphum, non distulisse scribere, nec in aliud tempus reiecisse, & serò mittere libellum suum.

VLTIMA ME. V. SVSTIN. ORA, F.] Caussam seræ missionis totam in loci distantiam conijcit. Viuere enim se in extimis terrarum oris, mari proximis. Cic. ad Curionem lib. 2. ep. 7. sera gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. Longè enim absum, audio serò.

DVM VENIT HVC RVMOR] per tot loca, campos, montes, maria.

PROPERATAQVE CARM. FIVNT] & ego carmina compono, quod feci propere, & laborem vrsi. Eleg. 11. lib. 2.

Hoc tibi, Rufe, breui properatum tempore mittit
Naso parum fausta conditor artis opus.

FACTAQVE EVNT AD VOS] dumque mittuntur Romam, tam immenso itinere.

ANNVS ABISSE POTEST] effluxisse tempus longissimum. Ea enim nonnunquam est anni notio. Eleg. 11. lib. 4.

Dum tua peruenit, dum littera nostra recurrens
Tot maria, & terras permeat, annus abit.

Terent. ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ Heaut. de mulieribus se ornantibus, *dum comuntur, dum moliuntur, annus est.* Ergo, annus est, sæculum est, sunt prouerbiales hyperbolæ. Eandem pæne vim habet quod Plautus ait in Asinar. *ætatem velim seruire, Libanum vt conueniam modo. Et, vt tibi superstes vxor ætatem siet*, id est diutissimè. Vel reuera ætatem, γῆρας, id est, annos triginta & amplius.

INTACTA ROSAR. PRIMAN SERA, &c.] primus carpit. Sera manu carpit, qui adultas, & pæne pro desertis habitas legit.

QVID MIRVM LECTIS EXHAVSTO, &c.] Hac allegoria docet, alios materiam occupasse, quodque in ea fuerit ad delectationem insignius, & commendationem maius, sibi præripuisse. Quoniam illi visa scilicet scripserunt, ipse audita tantum, & incerta, & pauca.

NON DIGNA SVO DVCE CORONA] non digna Tiberio triumphatore. Laudes, quas merentibus suo carmine tribuunt poëtæ, coronas nominant, quibus eorũ capita velut ornent,

acreuiuciant. Pindar. in Pythiis σὺν εὐμενίᾳ δέξαι στεφάνωμα τόδε, *cum beneuolentia coronam hanc suscipe.* Ita Hippolytus apud Euripidem de hymno, quo Dianam celebrauerat, quasi de corona quapiam loquitur. Versus profert Muret. lib. 8. cap. 1. & latinè reddit, adiungitque nonnullos de suo quodam edyllio, poëtici mellis, fragrantiæque plenos. Sic Horat. Ode 26. lib. 1.

——ô quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplæa dulcis. nil sine te mei
Possunt honores.

Apud græcos poëtas στέφειν quoque coronare, pro laudare, & honorare.

DEPRECOR, HÆC VAT. C. S. CARM, &c.] Tacitæ suspicioni occurrit, confirmans, non ista à se detrahendi, aut insimulandi caussa dici. Quasi dicat cum Catullo ad Mallium.

Quod cum ita sit, nolim statuas me mente maligna
Hoc facere, aut animo non satis ingenuo.

PRO SE MVSA LOCVT. MEA EST] egit caussam suam. Purgauit se.

SVNT MIHI VOBISCVM COMMVN. SACRA] Eleg. 10. lib. 2.

Sunt tamen inter se communia sacra poëtis,
Diuersum quamuis quisq; sequatur iter.

Lege quæ ibidem in medium attulimus.

IN VESTRO MISER. SI. L. ESSE CHORO] Fælicium omnes malunt esse, & haberi amici, cognatique, quam infælicium, & pauperum, quod vt aliâs diceremus, poëta nobis occasionem porrexit, quiritans de miseria sua, & quam expertus esset in suo casu ὀλιγοφιλία. Propert. lib. 3. eleg. 1.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum quæso me sinite ire nemus.

Sed Ouidius apposite dixit *in vestro choro.* Nam poëtæ cum sint Musarum, Phœbique sacerdotes, & præterea cantores, conficiunt chorum. Horat. de poëtis dixit epist. 2. lib. 2. *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.* Noster eleg. 4. lib. 5. Trist. orat sui sæculi poëtas, vti in sacrificio pro se Bacchum precentur, cuius valitura sit apud Cæsarem auctoritas. Ibi sic est.

Atq; aliquis vestrûm Nasonis nomine dicto
Apponat lacrymis pocula mista suis.
Admonitusq; mei, cum circumspexerit omnes,
Dicat, vbi est nostri pars modo Naso chori?

Et ad extremum.

Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen,
Quod licet, inter vos nomen habete meum.

MAGNAQVE PARS ANIMI. M. VIXIST.] animi, subaudi mei, quomodo aliquem dimidium animæ nostræ vocamus, ex Horatio, quomodo & hîc fortasse sincerius legeretur, *animæ* inquam, pro *animi.* Vos mihi charissimi vixistis mecum. Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes
Iure sodalitij qui mihi iunctus erat.

A *Ponticus heroo, Battus quoq; clarus iambo*
Dulcia conuictus membra fuere mei.

HAC EGO VOS AB. N. Q. P. COLO] animo, & memoria: aliter enim absens colere vos non possum.

VESTRO COMMEND. FAVORE] vester itaque fauor mea carmina tueatur.

NON POSSVM. P. QVIB. IPSE LOQVI] quæ commendare vobis coram nequeo.

SCRIPTA PLACENT A MORTE FERE] Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Tu mihi, quod rarum est, viuo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet.

Vide ibid. Commentar.

QVIA LÆDERE VIVOS LIVOR SOLET]
B 1. Amor. *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.* Lucian.

οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι τίμιον·
ἀλλ' ἐν θαυμάζεις, τοῦτ' ἑτέροισι γέλως.
Editur humana eximium nil mente; sed illud
Quod tu miraris ridiculum est aliis.

Ergo inuidia facit, ne suis laudibus viui perfruantur, qui digna laudibus aut fecerunt, aut scripserunt.

ET INIVSTO CARPERE DENTE] Vide prouerb. Dente theonino rodere. Verbo rodere eadem notione vtitur Horat. sat. 4. lib. 1. *absentem qui rodit amicum.* Et sat. 6. *Quem rodunt omnes libertino patre natum.* Cic. pro Cornel. Balbo more hominum inuident, in conuiuiis rodunt.

C *SI GENVS EST MORT. MALE VIVERE*] Infæliciter, ac misere qui viuunt, viuentes mortui sunt. Et ego mortuus, quamuis nondum sepultus; & hoc tantum à mortuo differo. Plaut. Capt. *male viuo, & vale.* AEgre sustêta vitam tuam, duriter vitam cole.

TERRA MORATVR] quonam modo ipsum moretur, indicant statim sequentia.

SOLA SEPVLCRA] sepulchrum optat eleg. 2. lib. 3. Trist.

Heu mihi quod toties nostri pulsata sepulchri
Ianua, sed nullo tempore aperta fuit.

DENIQVE OPVS NOST. CVLPET, &c.] vt libellus meus multis de caussis, & à multis reprehendatur.

D *OFFICIVM NEMO QVI REPREH. ERIT.*] Quod in vna re positum est à Terentio in And. in vitæ scilicet auxilio, id in toto genere officiorum locum habet, licetque dicere de quouis officio, non esse reprehendendum. Sic igitur Sosia seruus Simoni hero.

Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?

VT DESINT VIRES. T. E. LAVD. VOLVNT.] Nobile ἐνθύμημα. Eleg. 5. lib. 2.

Illic quam laudes erit officiosa voluntas,
Cætera materia debilitante iacent.

Metamorph. 8. de Philemone, & Baucide rusticis coniugibus, qui Iouem, & Neptunum hospitio acceperant, & vnicum quem habebant anse-

rem

rem iis apposuerant. *Super omnia vultus Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.* Tibull. lib. 4. *Est nobis voluisse satis.* Plin. proœmio. Itaque etiam non assecutis, voluisse abundè pulchrum, & magnum est. Adde Apuleium lib. 4. Florid. Maiore scilicet voluntate quam facultate: eoq; propensius fortasse laudandus est, quod omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.

HAC EGO CONTENT. AVGVR. ESSE D.] Si bona voluntate cum re imperfecta vel dij contenti sunt, an non multo magis debent contenti esse homines, quibus tantum non debemus, etiam cum debemus? Seneca. Sicut ne in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerãtium. Plin. paneg. Animaduerto etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamq; mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

VT VENIAT PAVP. Q. GRATVS AD ARAS] Voluntas pia, & bona etiam munus exiguum diis gratum efficit. Laberius. *Puras deus, non plenas aspicit manus.* S. Chrysost. in Maccabæos. Deus, cum quispiam ei dona obtulit, non oblatæ rei præstantiam; sed alacritatem animi offerentis attendẽs, præmium admetitur. Sic erga viduam illam se gessit. Duos obolos demisit mulier, & illis qui multa demiserunt, antelata est: non enim pecuniæ paucitatem, sed animi magnificentiam respexit deus. Oboli duo pecunia: sed talentis auri sexcentis pretiosior animus erat. Vide lib. sequenti. eleg. 8. ibi. *Sed qui quam potuit dat maxima, &c.* Edisce etiam vetustum versiculum.

Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.
Diis operare sacris, vt opes, viresq; tulerunt.

NON MINVS AGNA BOVE] Horat. Ode 17. lib. 2. ad Mæcenatem.

——reddere victimas
Ædemq; votiuam memento.
Nos humilem feriemus agnam,
Ode 23. lib. 3.
——te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Paruos coronantem marino
Rore deos fragiliq; myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit auersos penates
Farre pio & saliente mica.

Tibull. lib. 4. *Paruaq; cælestes pacauit mica.*

RES QVOQVE TANTA FVIT] Tam laboriosa, & onerosa fuit.

QVANTÆ SVBSIST. SVMMÆ ÆNEID. VATI, &c.] quantam suis humeris sustinere cum difficultate potuisset fælix auctor AEneid. P. Virgilius Maro. Sic eum etiam 2. Trist. [illegible] nominauit. Ad quem ego quid sum? Ecquid animaduertis, lector, quantum Maroni tribuat?

A Neque hic solum, sed & alibi: & tantum quidem, quantum poëtarum nemo; potestque illorum Plato huius vnius grauissimo, & splendidissimo testimonio contentus, cætera non requirere. *Quo nullum Latio clarius extat* opus, inquit de AEneide, in 3. de Arte.

FERRE ETIAM MOLL. ELEGI, &c.] Lepidè ad currum triumphantis alludens, qui parem numerum rotarum, id est binarium, qui est primus par, habebat, elegos suos non modo quia molles (mollibus enim, & leuioribus rebus aptiores) verùm etiam quia rotis disparibus sint (hexameter enim, quod vox ipsa declarat, senis pedibus constat, pentameter quinis) ad triumphi pondus sustinendum non valere affirmat.

B *QVO PEDE NVNC VTAR DVB. &c.*] pes pro genere carminis, vt in epitaph. Tibulli, de ipso, & Virgilio.

Ne foret, aut molles elego qui fleret amores:
Aut caneret forti regia bella pede.

ALTER ENIM DE TE, RHENE. TRIVMPH.] Breui continget triumphus nouus de Germania, à Tiberio expeditione suscepta, quem quo carminis genere describere, ac celebrare debeam, nondum satis constitui: cum elegi grauioribus non sint idonei; & ego heroico carmini non satis aptus.

IRRITA VEROR. N. S. PRÆSAG. VATVM] 15. Metamorph. *si quid habent veri vatum præsagia.* Eleg. 1. lib. 2. *sunt quædam oracula vatum.*

C *DANDA IOVI LAVR. D. P. ILLA VIRET*] prior, quam debellato Illyrico Ioui obtulit. Triumphandum priore triumpho adhuc recenti. Eleg. 2. lib. 4. Trist. *Et dabitur merito laurea vota Ioui.* Triumphantes ascendere in Capitolium soliti, & laurum quam manu tenebant, quæque in fascibus lictorum, deponere in gremio Iouis: arbitri scilicet victoriæ, & auctoris. Statius. *Laurumq; superbam In gremio Iouis excisis deponere Pœnis.* Plura Lipsius in 2. Annal. Taciti, pag. 38. Plinius Paneg. Allata erat ex Pannonia laurea, id agẽtibus diis, vt inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc Imp. Nerua in gremio Iouis collocârat.

NEC MEA VERBA LEGIS] Noli putare

D hanc esse vocem meam.

QVI SVM SVMMOT. AD ISTR.] quasi voce cum eo loqueretur, & è loco tam longinquo audiri non posset.

NON BENE PACAT. F. P. GETIS] quem fluuium bibunt, seu accolunt Getæ, à quibus nulla pax Tomitanis conceditur.

ISTA DEI VOX EST] deus per me hæc prænuntiat.

DEVS EST IN PECT. NOSTRO] Est deus in nobis (Apollo) per quem non modò versus scribimus: sed etiam futura præsagimus, & prædicimus: vt non tantum ποιηταὶ, sed & προφῆται, & vates simus: quoniam ipse de se 1. Metamorph. *per me quod eritque, fuitque, Estque patet.* De diuini-

tare poëtarũ locos complures congesſit ex græcis & latinis in 5.Eclog.noſter Lud.Cerdius,pag. 100. A

HOC DEO DVCE] non quouis deo duce; ſed hoc, qui eſt in pectore noſtro, præſes ac patronus ſtudij noſtri, idemque ſuturorum præſcius.

QVID CESSAS CVRRVM POMP.&c.] phantaſiam vocaret Seruius, rerum venturarum tanquam præſentium conceptionem, ac deſcriptionem. Qualis autem currus,& qualis pompa paranda,ex tota hac *ὑποτυπώσει*, & ex iis quæ tum in hanc,tum in duas elegias,2. lib.4.Triſt.& 1.lib. 2.de Ponto notata ſunt, facilè perſpicies.

DANT NVLLAS IAM T. B. MOR.] non te impediunt bella, quibus iam finis eſt impoſitus. B

PERFID. DAMNAT. GERM. P. HASTAS] Abiicere arma ſignum deditionis,& tacita *τῆς ἥττης* confeſsio. Aliquando oblatæ pacis,& diſceſſionis ab armis. Cic.1.Off. & cum iis quos vi deuiceris conſulendum eſt: tum ij, qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, recipiendi ſunt. Hinc Anchiſes in 6.apud inferos, loquens de bello ciuili inter Pompeium, & Cæſarem, è gente ſua olim naſciturum. *Tuque prior tu parce, genus qui ducis olympo, Proiice tela manu ſanguis meus.* Vt porrò hîc perfidam, ita eleg. 12.lib.3. Triſt.rebellatricem,& eleg.2.lib.4.feram nuncupat Germaniam.

IAM POND D.OMEN HAB.M.] Meum augurium dices verum fuiſſe.Ponderis nomine latini ſæpe auctoritatem, fidem, momentum indicant. C Cic.ep.9.lib.1.ſed idem ſcribit.meas litteras magnum apud te pondus habituras.Et 1.Off. ſin minus, plures cauſſæ, & maiores, ponderis plus habebunt.

BREVIQVE FIDES ADERIT] res ipſa breui loquetur, & clamabit.

GEMINAB. HON. FILIVS] iterum triumphabit Tiberius, & honorem geminabit, ſeu iterabit.

QVOD INIICIAS HVM.VICT.OSTRVM] Diximus Imperatorem triumphantem ſolitum cooperiri veſte purpurea, auro intertexta, qualem extra hanc pompam geſtare nemini fas erat. Oſtrum pro purpura frequenter legimus. Virgil.1.AEneid. D *ſtratoq; ſuper diſcumbitur oſtro.* Et in 4. *oſtroq; inſignis,& auro Stat ſonipes.*

SOLITVM CAPVT] corona laurea nouerit iam caput Tiberij, vtpote cui antea quoque fuerit impoſita.

SCVTA SED, ET GAL. GEM. RAD. ET AVRO] Auro,& gemmis ornata fundant radios,coruſcent. Centuriones, præfecti,equites,ac pedites inſigniores de victore exercitu,donis militaribus ob egregia facinora cohoneſtabantur: & ea dona palam quoq; conſpicienda ferebantur, erantque varia coronarum genera,torques,phaleræ, armillæ,&c, vt hinc liquet, galeæ quoque, & ſcuta inaurata.

A *STENTQVE SVPER VICT. T. TROPH. VIR.*] Videtur dictum vt illud, *dare claſſibus auſtros;* hypallagen vocant,pro, ſtent victi viri, id eſt, arma virorum qui victi ſunt. ſuper truncos.Præferri autem trophæa quoq; ſolita triumphantibus, vel ex hoc loco diſcimus.

OPPID.TVRRITIS CING.EBVR.MVR.] De auro,& argento ſupra.Et eleg.1.lib.2.fieri oppidorum ſimulacra conſueuiſſe ait.

FICTAQVE RES.V.MORE.P.AGI] propter artificium.

SQVALID.IMMITT.F.S.ARVND.CRIN.] Cernis hinc, quo geſtu effingerentur flumina, quo quidem ſe victa fatebantur. Caput ipſum crinibus defluentibus ſubmittebant, & ſub a- B rundineto occultabant. Immittere crines puto hîc non eſſe,quod aliâs promittere crines.

INFECTAS SANGVINE] propter cæſorum corpora in eum proiecta.Eleg.7.lib.4.

Non negat hoc Iſter,cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico ſanguine fecit aquam.

Florus lib.2. cap. 6. de pugna Cannenſi, vbi cæſa à Pœnis duce Annibale vno prælio 40.Romanorum millia. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus, &c. 2.Machab.cap.12. de ſtrage à Machabæis data hoſtibus.Ita vt adiacens ſtagnum ſtadiorum duorum latitudinis ſanguine interfectorum fluere videretur.

INSIGNIA] coronas,ſceptra, & alia, quibus internoſcebantur,& quibus nunc orbati ſunt.

C *TEXTAQVE. F.DIVITIOR.SVA*] veſtes regio,& pretioſo textu factas, cum præſenti fortuna minimè conuenientes. Quam multi texta, fortuna ſua diuitiora gerunt, qui ingrediuntur in holoſericis, & domi panem atrum, ac vulgares offas eſitant?

ET QVÆ VIRT.INVICTA TVOR.&c.] De ornamentis triumphalibus, quæ Auguſto, & liberis ob virtutem parauit ſæpe,& paratura fuit.

QVORVM MONITV.&c.] quorum afflatu, inſtinctu hæc oracula edidimus.

CELERI FIDE] ipſo mox exitu, & euentu me vera locutum docete.



ELE-

ELEGIA QVINTA.

Ad Cottam.

VOLVPTAS EX EIVS ORAT. ET CONGRESSV IMAGINARIO.

ARGVMENTVM.

Maluisse præsens præsentem salutare. Orationem ab eo ad Centumuiros in foro summa cum voluptate pluribus horis legisse, ac postmodum pari semper delectatione relegisse. Felices fuisse auditores, quando audita, quam lecta plus afficiant, & delectent. Se quoque, si Romæ affuisset, inter iudices illos sedentem, iucundius etiam dicentem auditurum fuisse. Quod quia fata negauerint, petit, vt sua in scriptis sibi crebrius mittat, exemplo suo videlicet. Quærit, ecquid per studiorum similitudinem sui sæpius admoneatur? Se quidem omnibus pęne momentis habere ipsum ante oculos. Cumque mens libere vagetur quò libet, ea non rarò Romam venire, cum eo colloqui, & beatum, & inter deos putare se versari. Contrà, vbi cogitationem ad exilij loca reflexerit, videri apud inferos esse. Inde si frustra Ouidium rediturum confidat, rogat, vti litteris suis hanc inanem spem sibi detrahat.

Quam legis, vnde tibi mittatur epistola quæris?
Hinc, vbi cæruleis iungitur Ister aquis.
Vt regio dicta est, succurrere debet & auctor,
Læsus ab ingenio Naso poëta suo.
Qui tibi, quam mallet præsens afferre salutem,
Mittit ab hirsutis, maxime Cotta, Getis.
Legimus, ô iuuenis patrij non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diserta foro.
Quæ, quanquam lingua mihi sunt properante per horas
Lecta satis multas, pauca fuisse queror.
Plura sed hæc feci relegendo sæpe, nec vnquam
Hæc mihi, quàm primò, grata fuère minus.

Cumq́; sua toties nihil è dulcedine perdant,
Viribus illa suis, non nouitate placent.
Fælices, quibus hæc ipso cognoscere in actu,
Et tam facundo contigit ore frui.
Nam quanquam sapor est ablata dulcis in vnda,
GRATIVS EX IPSO FONTE BIBVNTVR AQVAE.
ET MAGIS ADDVCTO POMVM DECERPERE RAMO,
QVAM DE CAELATA SVMERE LANCE IVVAT.
At, nisi peccassem, nisi me mea Mussa fugasset,
Quod legi, tua vox exhibuisset opus.
Vtq́; fui solitus, sedissem forsitan vnus
De centum iudex in tua verba viris.
Maior & implesset præcordia nostra voluptas,
Dum traherer dictis, annuerem'q́; tuis.
Quem quoniam fatum patria vobisq́; relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas:
Quod licet, vt videar tecum magis esse legendo,
Sæpe, precor, studij pignora mitte tui.
Exemploq́; meo, nisi dedignaris idipsum,
Vtere: quod nobis rectius ipse dares.
Namq; ego, qui perij iampridem Maxime vobis,
Ingenio nitor non periisse meo.
Redde vicem, nec rara tui monimenta laboris
Accipiant nostræ grata futura manus.
Dic tamen, ô iuuenis studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei?
Ecquibus aut recitas factum modò carmen amicis?
Aut (quod sæpe soles) exigis vt recitent?
Interdum queritur tua mens, oblita quid absit,
Nescio quid certè sentit abesse sui?
Vtq́; loqui multum de me præsente solebas,
Nunc quoq; Nasonis nomen in ore tuo est?
Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu,
Et sit periuri quam propè pœna vides:
Te nisi momentis video pæne omnibus absens.
Gratia diis, menti quò libet ire licet,
Hac vbi perueni nulli cernendus in vrbem,
Sæpe loquor tecum, teq́; loquente fruor.
Tunc mihi difficile est, quàm sit bene, dicere, quamque
Candida iudiciis illa sit hora meis.

Tunc me, si qua fides, cælesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse deis.
Rursus vbi huc redij, cælum superosq́; relinquo,
Aſtygenon longè Pontica distat humus.
Vnde ego si fato nitor prohibente reuerti,
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.

COMMENTARIVS.



BI CÆRVL. IVNGIT. ISTER A- QVIS] vbi Iſter in mare influit: iſtæ enim sunt aquæ cæruleæ. A quo colore Scyllæ canes vocat cæruleos Maro lib.3. AEneid. & Neptuno dat cæruleum currum lib.5. Cæruleum quoque dicit Proteum 4. Georg. vt noſter cæruleum Iouis fratrem Neptunum 1. Metamorph. In 3. AEneid. & alibi mare appellat cærula. *Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.* Facetè Plautus Rud. *Nempe equo ligneo per vias cæruleas eſtis vecta.* A

VT REG. D. EST. SVCCVRRERE. D. ET AVCT.] ſicut nominato me auctore locus, ita loco nominato auctor debet in mentem venire. Dicam tamen qui ſim.

B *LÆSVS AB INGEN. NASO. P. SVO*] lib.2. Triſt. *Ingenio perij. qui miſer ipſe meo.* Et alibi in eandem ſententiam.

QVAM MALLET. P. AFF. SALVT.] Multo iucundius præſentes, quam abſentes ſalutamus. Aliud eſt enim amicum imaginari; aliud coram intueri, & dextræ iungere dextram, & veras audire, ac reddere voces. *Nihil inuenies hoc certo magis certius*, inquit Plautus Capt.

MITTIT AB HIRSVT. M. COTTA GET.] Ex poſtremo huius epiſtolæ verſiculo apparet, non eſſe iſtuc epitheton *maxime*, ſed prænomen, vt dictus ſit Maximus Cotta. Scribendum igitur maiuſcula. Hirſutos nominat propter pelles hirſutas, quibus ſe aduerſus frigora illo ſub cælo pæne perpetua communiant. Eleg.10. lib.3. Triſt. C

Pellibus & ſutis arcent mala frigora braccis,
Oraq; de toto corpore ſola patent.

O IVVENIS. P. NON DEGEN. ORIS] facie patrem tuum referens. Sic enim ille oculos, ſic ora ferebat. Haud enim ad eloquentiam paternam referendum opinor.

DICTA TIBI. P. V. DISERTA FORO] diſertiſsimam orationem tuam, quam in foro multis audientibus habuiſti.

LINGVA PROPER. P. HOR. L. SATIS MVLT.] Ex adiunctis colligi poſsit longiſsimam fuiſſe hanc orationem; ſiquidem per multas horas, & celeri lingua recitari debuit. Dabantur autem accuſatori horæ ſenæ, reo, ſeu defenſori nouenæ: ſed dicendi tempus liberum, dicebantq́ue ad clepſydram: cuius menſura nobis incerta eſt. In hac diſputatione longus eſt Raderus noſter in Martial. ep.35. lib.6. quem lege. Verùm ſequenti diſticho aperitur myſterium, quomodo per horas multas Ouid. hanc Cottæ orationem legerit.

PLVRA SED HÆC FECI RELEG. SÆPE] Quia relegit iam lectam, idq́ue non ſemel, ideo longiorem fecit, & legendo plures horas conſumpſit.

NEC VNQ. HÆC MIHI. Q. PRIMO, &c.] quod mirum eſt, cum aurium ſenſus ſit faſtidioſiſsimus. De poëſi, quæ ſub luce videri volet, nec ſubtile iudicis acumen formidat, Horat. ad Piſon. *Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.*

CVMQVE SVA TOT. NIHIL, &c.] cum æquè dulcis ſit ſemper, quotieſcunque legitur.

VIRIBVS ILLA. S. NON. N. PLACENT] Cum ſuperiore elegia dixerit, *Eſt quoq; cunctarum nouitas gratiſsima rerum*, toties relecta Cottæ oratio non poteſt ipſa nouitate placere: ſed habet in ſeipſa vnde placeat. Vt gemmæ, & aurum ſemper ornant, quotieſcunque adhibentur, & aſpicientem nunquam non recreant. Monemur etiam hinc, res quaſdam ſola nouitate placere, cum tamen magni momenti non ſint, nec per ſe multum valeant. Indi mire capiuntur cymbalis, ſpeculis, cultellis ſcriptoriis, imaginibus, horologiis, &c.

FELICES QVIBVS HÆC, &c.] qui hæc in ipſo actu, & coram cognouerunt, hoc eſt, qui ipſum Cottam agentem, ſeu pronunciantem viderunt, magiſq́; delectati ſunt: & ideo fælices præ nobis.

ET TAM FACVNDO CONTIG. ORE FRVI] Prior verſus ad geſtum, hic ad vocem, vterque autem, & vtrumque ad eandem eloquentiæ partem ſpectat, quæ ab illo actionis, ab hac pronunciationis nomen tenet, & in oratione miram habet vim, ac poteſtatem. Quam eximiè, & copioſè extollens Quintilianus lib.11. cap.3. hoc etiam addit. Documento ſunt vel ſcenici actores, qui & optimis poëtarum tantum adiiciunt gratiæ, vt nos infinitè magis eadem illa audita, quam lecta delectent, & viliſsimis etiam quibuſdam impe-

trent

trent aures: vt quibus nullus est iu bibliothecis locus, sit etiam frequeus iu theatris. Notum quoque litteratioribus, quid AEschines apud Rhodios de oratione Demosthenis à se illis lecta dixerit, & refert Cic. 3. de Orat. cuius est item illud iu Orat. perf. Actionem esse corporis quaudam eloqnentiam, quæ constet è voce, atque motu. A

QVANQ. SAP. EST ABLATA D. &c.] Hæ duæ similitudines, de aqua ex ipso fonte potata, & pomo ex ipso ramo decerpto rem illustrant, quantoque iucundius sit viuam orationem audire, quam, vt ita dicam, mortuam, seu mutam legere, ante oculos ponunt. Martial. lib. 9. pentametrum imitatus est.

Multum, crede mihi, refert, à fonte bibatur
Quifluit, an pigro cum stupet vuda lacu.

DE CÆLATA LANCE] lanx sacrum vas Virgilio, cuius vsus in extisigni inferendis. Georg. 2. *Lancibm & pandis fumantia reddimm exta.* Et 12. AEneid.

In flammam iugulant pecudes, & viscera viuis
Eripiunt, cumulantq, oneracis lancibm aras.
De libra ibid.
Iupiter ipse duas aquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum

Inter vasa escaria recensetur ab Isidoro.

NISI ME MEA MVSA FVG] Eleg. 3. lib. 5. Trist.

Pace nouem vestra liceat dixisse sorores,
Vos estis nostra maxima caussa fuga.
Vtq, dedit iustas tauri fabricator abeni:
Sic ego do pœnas artibm ipse meis.

QVOD LEGI. T. VOX EXHIB. OP.] interfuissem, orantem audiuissem.

SEDISS. F. VN. DE CENT. &c.] lib. 2. Trist.

Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Vsq, decem decies inspicienda viris.

Vide quid ibidem aunotauerim de centumuirali iudicio.

MAIOR ET IMPLESS. P. N. VOLVPT.] Repete quæ supra ex Quintiliano, & Cicerone de pronuntiatione sunt posita.

DVM TRAHERER. D. ANNVER. TVIS] Et trahuntur, & annuunt oratori audi ores, dum persuadentur, & mouentur. Mouentur autem vel leniter, vt in exordiis: vel vehementer, vt in epilogis. Illi motus dicuntur ἤθη, isti πάθη. Ira tria sunt officia oratoris, docere, delectare, impellere. Primum necessitatis est: alterum suauitatis: tertium victoriæ.

QVONIAM FATVM VOLVIT, &c.] quoniam vt exilio à vobis disiungerer, mihi in fatis fuit.

INTER INHVMANOS GETAS] Eleg. 13. lib. 4. *cœpiq, poëta inter inhumanos nomē habere Getas.* Alicubi in Trist. lib. ait nou esse gentem inhumaniorem, & truculentiorem in terris. Et tamen eleg. 14. lib. 4. negat se quidquam de illorum moribus secus quam ipsi vellent locutum. Quid censes?

QVOD LICET] scripta vicissim missitare. Nemo enim istue prohibet.

STVDII TVI PIGNORA] Labores, orationes, & carmina, qui sunt tanquam fœtus, & proles tuæ. Nam & poëtam fuisse, infra significat.

EXEMPLOQVE MEO VTERE] Multas ego epistolas Romam misi, quolibet modo vobiscum esse cupiens.

NISI DEDIGNARIS] Tu fælix, & beatus imitari miserum forsitan pudori habeas.

QVOD NOBIS RECT. IPSE DARES] minores enim à maioribus petere exempla debent.

QVI PERII IAM PRID. VOBIS] sæpius exilium suum mortem reputat. Et est mors ciuilis. B

INGENIO NITOR NON PERIISSE MEO] Nitor ingenio ne peream; qui perij vobis, & eo mihi immortalitatem pariam; de qua vita diserte, & eleganter Propert. lib. 3. eleg. 2.

Nam neq, Pyramidum sumptm ad sidera ducti,
Nec Iouis Elæ celum imitata domm:
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet: ingenio stat sine morte decm.

REDDE VICEM] fac paria.

TVI MONIMENT. LAB.] suprà, studij tui pignora. C

GRATA FVTVRA] Quam grata, coniicere potes ex oratione, quā proximè accepit, quamque legendo, & relegendo satiari voluptate non potuit.

STVDIORVM PLENE MEOR.] exercitate in poësi, quæ sunt mea studia.

ECQVID AB. H. IPSIS ADM. MEI] Nunquid dum versus facis, mei, vt commilitonis tui recordaris?

ECQVIBVS AVT RECIT. &c.] De more poëtarum inter se, & amicis scripta sua ad eliciendum iudicium recitantium non semel dictum in Trist. lib. & in hoc item altero Commentario.

NESCIO QVID CERTE. S. AB. SVI?] & hic versus, & qui tertio loco sequitur pentameter, etiam cum interrogatione legēdi sunt. Nam cum quæsierit, num fui à studio, & labore similis admoneatur, & num recitet sua carmina amicis, non conuenit ista mox affirmari. Sensus hic est. Ecquid nonnunquam queritur secum animus tuus, abesse aliquid à carminibus tuis, nec scit tamen quid absit: sed sentit aliquid sui abesse? ita lege, *sui* pro *tui*. Sui autem explica, suæ facundiæ, acuminis, solertiæ, &c. quæ sunt bona animi tui. Quidam hoc distichon ad Ouid. ipsum referūt, & legunt *tui*, quos vadari nolumus. D

NASONIS NOMEN IN ORE TVO EST?] Cic. ep. 16. lib. 5. Consolatio peruulgata, quam semper in ore, atque in animo habere debemus.

Phi-

A Philipp.1. Brutus erat in desiderio ciuitatis, in ore, & in sermone omnium.

GETICO PEREAM VIOLAT. AB ARCV] Deuouet se, nisi illius memor sit assiduissimè.

ET SIT PERIVRI. Q. P. POENA VID.] Periuris pœna à tergo, seu supra caput est.

TE NISI MOM. VID. P. OMNIB. AB.] oculis animi. Eleg.4.lib.3.Trist.

Si tamen hæc absunt, vt quæ contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.

GRATIA SIT MENTI] Mente enim, vt scriptum est 3. Off. nihil dedit hominibus deus ipse diuinius. Idem 1.Tuscul. nulla est celeritas, quæ possit cum animi celeritate comparari. Lege expressius, *Gratia diis, menti, &c.* & ama pietatem poëtæ, donum cæleste agnoscentis.

QVOLIBET IRE LICET] per supera, media, infima, per totum mundum. Disiunctè legas *quò libet*. Eleg.3.lib.Trist.

B

Illa per immensas spatiatur libera terras,
In cælum celeri peruenit illa fuga.

Thaletis est, τάχιστον ὁ νοῦς, διὰ παντὸς γὰρ τρέχει. Mens celerrima est, peragrat enim hæc vniuersum.

NVLLI CERNENDVS] Animus, seu mens nec figuram, nec colorem habet, cum corpore omnino vacet. *Cernendus*, inquit, cum præmiserit, *Hac vbi perueni*, vt eam esse hominis partem meliorem indicet, à qua homo totus crebrò nominatur.

SÆPE LOQ. TECVM, TEQVE LOQ. FRVOR] misceo sermones tecum.

QVAM SIT BENE] quam sim fortunatus.

CANDIDA HORA] felix, candidum quippe felicitatis nota, & indicium. Vnde & candidus dies pro fausto, & alia multa similiter.

A *CVM FORTVNAT. SVSPICOR ESSE DEIS*] Dij sunt beatissimi. Cic.1.de nat.deor. Ea est dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia, & virtute gaudet, habet exploratum fore se semper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus.

VBI HVC REDII, &c.] vbi velut aliquandiu peregrinatus foris, cogitatione domum reuerti, videor mihi cœlum, & deos reliquisse.

A STYGE NEC LONG. P. DISTAT HVM.] & videor mihi non multum ab ipsis sedibus infernis abesse, adeo horrida, incommoda, & omnimodis inamabilis est hæc regio. Ad qualitatem, & conditionem locorum non ad distantiam ista spectant.

SI FATO NITOR PROHIB. REVERTI]
B Cupio quidem hinc abire, & Romam redire. Quod si fata mea non permittunt, & tu indicaueris nunquam futurum, &c.

SPEM SINE PROF. TOLLE MIHI] inanem, inutilem spem litteris tuis mihi adime. Epictetus. καὶ τοῦ σκέλους, καὶ τῆς ἐλπίδος τὰ δυνατὰ δεῖ διαβαίνειν. Vt crura, sic spem quoque non vltra quam commodè fieri potest extendere oportet. Est porrò in prouerbiis, spes alunt exules.

Nemo enim ferme exulat, qui non speret se aliquando rursus patriæ compotem futurum.



ELEGIA SEXTA.

Ad Sodalem quendam.

REPREHENSIO CONSILII DE TACITIS ANTE AMICORVM NOMINIBVS.

ARGVMENTVM.

PEtiuerat ab eo hic sodalis, & amicus, vti abstineret ipsius nomine, veritus vtique ne id sibi fraudi foret. Asseuerat Ouidius, Augustum inter eos permittere vicissitudinem litterarum, etiam expressis nominibus. Quare tuta metuendo, non

do, non debere Principem clementissimum in inuidiam rapere. Locus communis de benignitate deorum in miseros, & à se afflictos. Cæsarem iisdem moderatiorem videri. Et cum Iupiter, Neptunus, Mars immetentes multos temere perdiderint, abesse illum ab hoc peccato. Præterea, cum à diis perditi non possint restitui, Cæsarem complures aut reuocasse ab exilio, aut mitius puniuisse, in quorum numerum venire optat. Et quia tanta est eius clementia, sodalem monèt, ne ad se scribere dubitet. Quod in libris Trist. amicorum nòmina tacuerit, immodico timori suo tribuendum. Rogat, vt bona cum venia deinceps nominati velit. Nihil tamen se contra voluntatem ipsius facturum. Si periculosum existimet amari apertè, nec dissimulari nomen, amet occultè.

Naso suo, posuit nomen cui pæne, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breue carmen aquis.
At si cauta parum scripsisset dextra quis esses,
Forsitan officio parta querela foret.
Cur tamen hoc aliis tutum credentibus, vnus
Appellent ne te carmina nostra, rogas?
Quanta sit in media clementia Cæsaris ira,
Si nescis, ex me certior esse potes.
Huic ego, quam patior, nil possem demere pœnæ,
Si iudex meriti cogerer esse mei.
Non vetat ille sui quenquam meminisse sodalis,
Nec prohibet tibi me scribere, teq́ mihi.
Nec scelus admittas, si consoleris amicum,
Mollibus & verbis aspera fata leues.
Cur dum tuta times facis vt reuerentia talis
Fiat in Augustos inuidiosa deos?
Fulminis afflatos interdum viuere telis
Vidimus, & refici, non prohibente Ioue.
Nec, quia Neptunus nauem lacerarat Vlyssis,
Leucothoë nanti ferre negauit opem.
CREDE MIHI, MISERIS CAELESTIA NVMINA PARCVNT,
NEC SEMPER LAESOS, ET SINE FINE PREMVNT.
Principe nec nostro Deus est moderatior vllus:
Iustitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar facto de marmore templo,
Iam pridem posuit mentis in æde suæ.
Iuppiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruère pati.

Obruerit cum tot sæuis Deus æquoris vndis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?
Cùm pereant acie fortissima quæque, vel ipso
Iudice delectus Martis iniquus erit.
At si fortè velis in nos inquirere, nemo est,
Qui se, quod patitur, commeruisse neget.
Adde, quòd extinctos vel aqua, vel Marte, vel igne,
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos, aut pœnæ parte leuauit
Cæsar, & in multis me, precor, esse velit.
At tu, cùm tali populus sub principe simus,
Alloquio profugi credis inesse metum.
Forsitan hæc domino Busiride iure timeres,
Aut solito clausos vrere in ære viros.
Desine mitem animum vano infamare timore:
Sæua quid in placidis saxa vereris aquis?
Ipse ego quod scripsi primò sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.
Sed pauor attonito rationis ademerat vsum,
Cesserat omne meis consiliumqúe malis.
Fortunamqúe meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.
Hactenus admonitus memori concede poëtæ,
Ponat vt in chartis nomina cara suis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus vsu
Si nulla in libri parte legere mei.
Ne tamen iste metus possit tibi rumpere somnos,
Non vltrà, quàm vis, officiosus ero.
Téque tegam, qui sis: nisi cum permiseris ipse,
Cogetur nemo munus habere meum.
Tu modò quem poteras vel apertè tutus amare,
Si res est anceps illa, latenter ama.

COMMENTARIVS.



OBVIT NOMEN CVI PAENE] Eleg 5. lib. 4. Trist.
Tẽporis oblitũ dũ me trabit impetus huius,
Excidit heu nomen q̃ mihi pæne tuum?
AB EVXINIS AQVIS] Eleg. 6. lib. 2.
Carmine Gracinum, quem præsens voce solebat
Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.

A

HOC BREVE CARMEN] Hanc breuem epistolam, seu elegiam: de tota enim scriptione, & de integro libro dicitur. Lucretius lib. 1. *volui tibi suauiloquenti Carmine Pierio rationem exponere nostram*, vbi totos sex libros de natura suos carminis nomine intelligit.

AT SI CAVTA PAR. S. DEXTRA Q. ESSES]

si per imprudentiam apposuissem nomen tuum, vt feci in aliis per hosce libros de Ponto.

Forsit. obp. p. qverel. poret]Forsitan displicuisset tibi officium meum, & de me querelam habuisses.

Cvr tamen hoc altis. t. cred]Cum alij tutò, sine suo, ac meo periculo se nominari posse credant.

Vnvs apell. ne te rogas]Cur tu vnus id recusas, quin etiam ne id faciam rogas?

Qvanta sit in med. clem. Caes. tra] Docet sodali huic nihil timendum, quandoquidem Cæsar sic irasci nouerit, vt clementię non sit immemor, & iram mansuetudine temperet.

Hvic ego qvam pattor, &c.] A suo ipsius exemplo.

Si ivdex meriti cog. esse mei] me indice mereor quod patior. Aliquid tamen de pœna mea demit Cæsar, eo modo quo sequitur. Aliquoties autem vel morte, nedum exilio se dignum fuisse pronuntiat in Tristibus. Exempli caussa eleg 3.lib.5.cum dixisset sibi ab eo nec ius, nec nomen ciuis, nec bona adempta, nec exulem se in edicto appellatum, sed relegatum, & vitam quoque sibi donatam, subiicit,

Omniaq́ hæc timui, quia commeruisse videbar,
Sed tua peccato lenior ira meo est.

Non vetat ille svi, &c.] generatim, neminem amici sui meminisse, ac de eo loqui vetat; ergo nec vos mei.

Nec prohibet tibi me. s. teqve mihi]Non interdicit etiam scriptione mutua, subaudi positis quoque nominibus. *Id populus curat scilicet*, inquit ille apud Terentium. And.

Nec scelvs admitt. si consol. a.]Si non est scelus consolari amicum absentem, cur vetaret Cæsar id fieri? immò quia officium est, ideo & Princeps mitissimus, & vir optimus non vetat, qui etiam fidem in hoste probat, vt dicitur 1. Trist. eleg. 4.

Mollib. et verb. asp. pata leves]Lenis oratio consolanti, aspera obiurganti, grauis cohortanti, interrupta, & concisa dolenti conuenit.

Facis vt reverent. talis piat, &c.] Qui Principem mitem, & clementem timet, immitem, & tyrannum videri facit. Ergo odium illi creat.

In Avgvstos deos]In Augustum Deum. Enallage numeri. Nomine Augusti & *ἐγκωμιαστικῶς*, & *ἐπιδεικτικῶς* bellè vtitur.

Fvlmenis applat. int. viv. t. vid.] Iupiter non omnes quos fulmine tangit, interficit; & quosdam refici, atque ad pristinam sanitatem reduci patitur. Ita Cæsar mihi ab se quodammodo fulminato, aliquod ab amicis solatium non inuidet. Telum, tela Iouis pro fulmine, poëtis vsitata. Virg. 2. Aeneid. *Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.*

A Neptvnvs navem lacerar. Vlyssii] Tota res ab Homero Odyss. 5. ante oculos ponitur.

Levcothoe nanti, f. neg. opem]Eleg. 2. lib. 1. Trist. *Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.* Et in Ibin.

Sollertiq́ viro, lacera quem fracta tenentem
Membra ratis Semeles est miserata soror,

vitta scilicet illi sua suppeditata, quacum in littus ad Phæacas enataret. Quomodo Ino Athamantis, regis Thebarum vxor cum paruulo filio Melicerta se per insaniam in mare præcipitauerit, & mutatis nominibus, orante Neptunum Venere ambo dij euaserint, illaque dicta Leucothea, hic Palæmon, narratur 4. Metamorph. Extremi versus sunt.

B

Annuit oranti Neptunus, & abstulit illis
Quod mortale fuit: maiestatemq́ verendam
Imposuit, nomenq́ simul, faciemq́ nouauit:
Leucotheaq́ Deum cum matre Palæmona dixit.

Matutam Latinis appellari testatur Cicero 1. Tuscul.

Miseris coelest. nvm. parcvnt]modum tenent in pœnis irrogandis.

Nec semp. laes. et sine. f. prem.]*quem das finem rex magne laborum?* inquit Venus 1. Aenei. Iouem pro Troianis compellans. Qui respondens filiæ, finem in Italia futurum spondet. Horat. Ode 10. lib. 2. *neque semper arcum Tendit Apollo.*

Principe nec nost. d. est moderat.
C vll.]Audin' hæc summe Iupiter? Sed licet poëtis etiam in deos *παῤῥησιάζεσθαι*.

Ivstitia vires temp. l. svas]Ne sit iniustus, parcit aliquando, & respirare multatos finit, pœna leuanda nonnihil: scit enim summum ius summam esse iniuriam. Seneca hanc iustitiæ regulam tradit. Ita iustitiæ regula tenenda est, vt reuerentia disciplinæ eius neq; nimiæ negligentiæ communitate despecta vilescat: neque seueriore atrocitate durata, gratiam amabilitatis amittat.

Nvper eam Caesar. p. de. m. temp.] Aeneid. 4. *Præterea fuit in tectis de marmore templum.*

Iam prid. p. m. in æde svæ]Cui nuper ædificauit templum, Iustitiæ videlicet, ei iam
D pridem in animo suo templum dedicatum habuit. Hoc est, non primum nunc, cum templum illi extruere cœpit, Iustitiam colere instituit.

Ivpiter in. m. temer. e. torqvet, &c.] Paulo ante Cæsarem Ioue, & diis omnibus moderatiorem affirmabat: modò eundem Iouem temeritatis liberrimè accusat, qui fortuitò, & sine consilio percutiat fulmine insontes multos. En quam timidè, ac reuerenter de patre diuûmque hominumque loquuntur poëtæ, si illis diis placet.

Obrverit cvm tot sarv. d. aeq. &c.] Neptunus quoque in crimen vocatur, qui paucos merentes, plurimos immerentes summerserit.

Cvm

A Cvm pereant acie. f. q.] Cic. 14. Philip. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Cui sententiæ pulcherrimè consonat epigramma Anacreontis in Timocritum strenuissimum militem, in prælio cæsum.

Καρτερὸς ἐν πολέμοις Τιμόκριτος, οὗ τόδε σῆμα,
Ἄρης δ᾽ οὐκ ἀγαθῶν φείδεται, ἀλλὰ κακῶν.
Conditus hoc tumulo est præstãs Timocritus armis.
Fortibus haud vult Mars parcere, sed timidis.

Hoc insinuauit etiam Plautinus Philocrates in Capt. Nam cum Hegio senex dixisset. *Vt vos hic, itidem illic apud vos meus seruatur filius,* quærit ille, *captus est?* H. ita. P. *non igitur nos soli* (ego, & Tyndarus seruus meus) *ignaui fuimus.* Nimium quippe vitæ cupidi, & ignaui videntur, qui se dedunt, & capi sinunt.

B Dalectvs inqvvs erit] Imbelles enim, & inutilia terræ pondera oportebat occumbere: fortes autem, ac strenuos ad patriam, ac fines defendẽdos seruari. Hoc vel ipse Mars, id est, natura belli, indicauerit, ac probauerit. Cur ergo occumbunt hi? quia sicut Iupiter, sicut Neptunus sunt temerarij, & munus suum male curant, ita quoque Mars. Dilectus pro delectus qui constanter scribunt, Festi auctoritate nituntur. Dilectus militum, inquit, & is qui significatur amatus, à legendo dicti sunt.

Si forte vales in nos inqvirare] Si in nos exules (multi enim eodem tempore in diuersis partibus orbis Romani exulabant) velis inquirere, & quantum quisque peccauerit cognoscere.

C Qvi se qvod patit. commer. neg.] Nemo non fatebitur, se iure punitum exilio, nec Cæsarem crudelitatis arguet. Quod multi vel fulmine, vel aqua, vel in acie deleti, si reuiuiscant, non facile fatebuntur. Hoc igitur non leue inter Cæsarem Deum, & illos alios deos discrimen facit.

Adde qvod extinctos] Alterum discrimen, quo laus Cæsaris amplificatur. Illi hia tribus modis extincti, ferro, aqua, igni, nunquam in vitam reuocari poterunt.

Restitvit mvltos Caesar, &c.] quia exules etiam sunt quodammodo mortui, quibus patriam reddendo Cæsar vitam reddidit. Pœna autem minuenda, quosdam velut in vita seruauit.

D Et in mvlt. m. p. esse vel.] vt vel restituat me, vel de exilij diritate loci commutatione detrahat, quod centies iam rogauit.

Cvm tali popvl. s. princip. semvs] cum habeamus tam pium, & clementem Principem.

Alloqvio prof. cred. inasse met.] times, ne pœnas des, si profugum, & exulem consoleris? Alloqui, alloquium, allocutio pertinent etiam ad consolationem. Agratius Grammaticus. loqui est hominis, obloqui est obtrectatoris, alloqui est suadentis, vel hortantis, vel blandientis, eloqui est oratoris. Tacitus lib. 4. Vix propinquorum alloquia tolerari. Alio loco plura super hoc verbo disserui.

Domino Bvsiride] Immania Aegyptiorum tyrannus Busiris, qui hospites omnes Ioui immolabat. Timendum ergo potius sub aliquo Busiride, quam sub mitissimo Cæsare.

Avt solito clavs. vrere in. ae. viros] Aut sub Phalaride, qui viuos in æneum bouem inclusos torrebat. Vide eleg. 11. li. 3. Trist. *sæuior ille Qui lento falsum torruit igne bouem.* Sic eleg. 1. libri huius cum vxorem pro se ad Liuiam Augustam mittit, ait, non adituram fœminas importunas, fæuas, veneficas, horribiles, &c.

Nec nurus Ægypti, nec sæua Agamemnonis vxor,
Scyllaq́; quæ Siculas inguine terret aquas,
Telegoniue parens vertendis nata figuris
Nexaq́; nodosas angue Medusa comas.
Fœmina sed princeps, &c.

Desine mitem an. v. inp. tem.] dum immitem tibi fingis, maculam illi inuris, quo nihil mitius.

Qvid in placid. s. vereris aqvis?] Allegoria, & simul allusio ad prouerb. è scopulo natus, de homine agresti, & immani natura prædito.

Ipse ego qvod scrip. p. s. nom. vob.] Prolepsis est. Tu ipse, Ouidi, non ausus es nos, quibus scribebas, nominare. Timebas igitur Cæsarem.

Vix excvs. p. mihi ved.] fatetur culpam magna ex parte.

Sed pavor atton. rat. adem. vi. &c.] Prætexit culpæ suæ timorem ingentem, adeo, vt mente non constiterit. Quid ergo mirum, aliquem facere contra rationem, qui non habet in potestate rationem, seu, in quo affectus impotens oppresserit rationem? Versus Ennianus, nisi erro. *Tum pauor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat.* Quod igitur & ipsos, & se timere dicit, ne nomen oppositum officiat eleg. 4. lib. 3. & eleg. 5. lib. 4. Trist. & eleg. 1. lib. 1. de Ponto. id hoc loco suo duntaxat, eique inconsiderato timori adscribit.

Fortvnamqve. m. met. n. vind. iram] metuens vobis, quia exul vos appellarem, non quia iracundum Cæsarem haberemus.

Terrebar tit. nom. ipse mei] vix memet audebam nominare, ne lectorem peccati mei admonerem.

Memori poetae] memori tui, & officiorum in se tuorum.

Ponat vt in chart. n. chara avis] vt in scriptis suis sibi charos nominet.

Tvrpe erit ambobvs] Ego pro ingrato habebor: tu pro inciuili, & rustico.

Longo mihi proxim. vsv] longa consuetudine mihi deuinctissimus.

Si nvlla liber. p. lao. mei] si in libris meis nusquam appareret nomen tuum.

SOMNOS TIBI RVMP. POSSIT] Cura, sollicitudo, metus, &c. placitam membris quietem non conceduut. Cic. ad Att. lib. 2. ep. 16. Primùm epistola illa ita me pupugit, vt somnum mihi ademerit. Et lib. 9. ep. 12. cum me ægritudo somno priuaret. Virgil. 3. Georg *nec somnos abrumpit cura salubres.*

NON VLTRA Q. VIS OFFICIOS. ERO] ad tuam sententiam accommodabo voluntatem meam. Faciam quod voles. Jch will dir dein Liedlin singen.

TEQVE TEOAM QVI SIS] non edam nomen tuum; vocabo te sodalem & amicum duntaxat.

A

COOET. NEMO. M. HAB. MEVM] in neminem inuitum, ac repugnátem conferam munus.

APERTE TVTVS AMARE] Quid ipse facturus sit, edixit: nunc integrum ei relinquit, apertè, an occûltè amet. *Apertè*, sine vlla dissimulatione, Cæsare non aduersante.

SI RES EST ANCEPS ILLA] Illa res de vocabulo, si est apud te dubia.

LATENTER AMA] ita vt nec ego, nec tu prodamus nomen tuum, & careas omni metu. Eleg. 4. lib. 3. Trist.

Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahet: occultè si quis amauit, amet.

ELEGIA SEPTIMA.

Ad amicos.

MITIORIS EXILII DESPERATIO.

ARGVMENTVM.

IN CASSVM hactenus eorum patrocinium, & cum tædio, ac molestia se expetiuisse. Quamuis clausa adhuc epistola, ipsos quid vellet sciuisse. Contra flumen amplius haud nixurum. Spei in illis locatæ veniam poscit. Timidæ, & inexpertæ vxori de cætero molestum non fore, & hoc quoq; malum æquo animo laturum, siquidem malis ferendis iam obduruerit. Apud Getas moriturum. Sperandum quamdiu rem fieri posse credas. Proximum huic esse, bene desperare, & scire, se periisse: nec curando vulnera maiora efficere, & diu frustra natare, cum possis statim te emergere. Spes suas de commodiore exilio damnat, cum ipsa locorum tolerabiliorum cogitatio cruciatum sibi adauxerit. Impetraturos tamen aliquid amicos, si rogare auderent. Hoc si Cæsar patiatur, se in exilio fortiter occubiturum. Elegia hæc μεταμελητικὴ, καὶ ἀπογνωστικὴ, pœnitudinis, & desperationis plena est.

Verba mihi desunt eadem tam sæpe roganti,
Iamq; pudet vanas fine carere preces.
Tædia consimili fieri de carmine vobis,
Quidq; petam, cunctos edidicisse reor.

Nostráque quid portet iam nostis epistola, quamuis
Charta sit à vinclis non labefacta suis.
Ergo mutetur scripti sententia nostri,
Ne toties contrà, quàm rapit amnis, eam.
Quòd bene de vobis speraui, ignoscite amici:
Talia peccandi iam mihi finis erit.
Nec grauis vxori dicar, quæ scilicet in me
Quàm proba, tam timida est, experiensq́ parum.
Hoc quoque Naso feres: etenim peiora tulisti:
Iam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & duro colla nouella iugo.
Nos, quibus assueuit fatum crudeliter vti,
Ad mala iam pridem non sumus vlla rudes.
Venimus in Geticos fines: moriamur in illis:
Parcáque ad extremum, quò mea cœpit, eat.
Spem iuuet amplecti, quæ non iuuat irrita semper:
Et fieri cupias, si qua futura putes.
Proximus huic gradus est, bene desperare salutem,
Séque semel vera sciſſe periſſe fide.
CVRANDO FIERI QVAEDAM MAIORA VIDEMVS
VVLNERA, QVAE MELIVS NON TETIGISSE FVIT.
Mitius ille perit, subita qui mergitur vnda,
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.
Cur ego concepi Scythicis me poſſe carere
Finibus, & terra prosperiore frui?
Cur aliquid de me speraui lenius vnquam?
An fortuna mihi sic mea nota fuit?
Torqueor en grauius, repetitáque forma locorum
Exilium renouat triste, recensq́ facit.
Est tamen vtilius studium ceſſare meorum,
Quàm, quas admorint, non valuiſſe preces.
Magna quidem res est, quam non audetis amici:
Sed, si quis peteret, qui dare vellet, erat.
Dummodò non nobis hoc Cæsaris ira negarit,
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.



COMMENTARIVS.



A Verba mihi desvnt. s. t. s. rog.] Eadem sententia, sed aliis atque aliis verbis plures rogat. Nam iisdem rogare putidum foret, & Ouidiana copia indignum. Quia igitur toties hoc fecit, non iniuria queritur, se tandem verbis defici.

Pvdet van. f. carere preces] Pudet me frustra rogasse, seu rogando nihil consecutum esse. Finem appellat effectum, quo hactenus caruerunt preces eius, quia homines meticulosos permonere non potuit, vt pro se Cæsarem supplices adirent.

Tædia consim. f. de carm. vob.] Eadem res sępius iterata, & toties inculcata tędium habet: & similitudo mater est satietatis in rebus omnibus.

Qvidqve pet. c. edidicisse reor] Puto cuique vestrum iam perspectissimum esse

B quid velim. Tibull. eleg. 2. lib. 2. *Iam reor hos ipsos edidicisse deos.*

Qvamvis charta. s. a vinclis, &c.] Eleg. 7. lib. 4. Trist. *Cur quoties alicui charta sua vincula dempsi.* Lege ibi notata. De his vinculis, & signo impresso simul, Cic. Catilin. 3. Tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm ostendimus Cethego. Signum cognouit. Nos linum incidimus: legimus: erat scriptum ipsius manu, &c.

Ergo mvtet. script. s. nostri] Omittamus eandem semper cantilenam occinere, & deinceps dicamus aliud, quandoquidem nihil proficimus. Veruntamen ab hac sententia non penitus abstinet, & idem adhuc rogabit, vt videbis.

Contra qvam rapit amnis] Prouerbium, contra torrentem niti, ad inanem operam

C significandam. Meminit eius & Nazianzenus ad Eudoxium Rhetorem, *τὸ ῥ μὴ βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ, ἢ παροιμία παιδεύει.* Non esse cogendum, seu arcendum fluminia impetum etiam parœmia docet. Ouid. 1. Remed.

Stultus, ab obliquo qui cum discedere possit,
Pugnat in aduersas ire natator aquas.

Qvod bene. d. vob. speravi ion.] Latet aculeolus in his verbis. In eo enim petit veniam, in quo illis honorem habuit, & cuius caussa gratias agere deberent, si satis essent ingenui.

Talia paccand. i. mihi. f. erit] Perfugium commune omnium qui peccarunt, & sibi ignosci petunt: non faciam, non committam de cætero. Et quia se desipnisse confitentur, veniam merentur. Cic. 5. Philipp. cuiusuis hominis est errare; nullius nisi insipientis in errore perseuerare.

A Nec gravis vxori dicar] quam ad preces pro se tum apud Cæsarem, tum apud Liuiam sollicitauit eleg. 2. lib. 5. Trist. & eleg. 1. lib. huius pluribus, ac vehementius.

Qvam proba, tam timid. exper. p.] Laudatur egregiè eleg. 5. lib. 1. & 3. lib. 3. & 3. lib. 4. Excusatur autem, & quòd timida (vt fæmina scilicet) & quòd rerum agendarum parum gnara.

Hoc qvoqve Naso feras] Nihil effecisse meas preces apud amicos, atque adeo apud ipsam vxorem, hoc malum, vt cætera quoque, feram æquo animo. Non absimile illud Catullianum ad seipsum.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides periisse, perditum ducas.

Etenim psiora tvlisti] qualia præsertim in Tristibus descripta sunt: & turpe est, cum grauiora tuleris, de leuioribus conqueri. Virgil.

B 1. Aeneid. *O passi grauiora.* Et Horat. Ode 7. lib. 1. *O fortes, peioraq; passi Mecum sæpe viri.*

Iam tibi sent. sarcina. n. potest] consuetudo dolendi sensum doloris minuit, & interdum penitus tollit, indolentiamque parit.

Dvctvs ab arm. tavr. det. arat.] A dissimilibus probat indolentiam suam. Non sum vt taurus, recens ab armento abductus, & ad aratrum applicitus, qui laborem refugit, & iugum detrectat.

Colla novella] at non colla iam attrita, & asueta. Eleg. 6. lib. 4. Trist.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.

Properr. lib. 2. eleg. 3.

Ac veluti primò taurus detrectat aratra,
Post venit asueto mollis ad arua iugo.

Qvibvs asvevit. f. crvd. vti] Fatum

C nos pridem subegit, & in nos crudeliter grassatum est. Multis incommodis, & malis me exercuit.

Ad mala non. s. vlla rvdes] Cic. de Pompeio pro lege Manilia. Quod genus belli est, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Ita dicat de se Ouid. Quod genus miseriæ inueniri potest, in quo me fata non exercuerint?

Moriamvr in illis] Moriamur inter Getas, qui sunt in finibus imperij Romani. Verba desperantis. Sic Aeneas lib. 2. ad suos commilitones in illa vltima nocte. *moriamur, & in media arma ruamus, Vna salus victis nullam sperare salutem.*

Parcaqve ad extremvm, &c.] Ab initio tendebat ad hunc exitum fatum meum. Eat igitur quo pede cœpit, & perueniat ad finem suum. Es ist verloren.

Spem iuvet ampl. q. n. iuvat, &c.] Ea spes amplectenda est, quæ non semper irrita & inanis, aliquando iuuat: & ea cupienda sunt, quæ putamus posse contingere. Cupere enim quæ futura non putes, stultitia est: vt volare, non studendo eruditum fieri, &c.

Proxim. h. orad. esse desp. sal.] Malæ, & inutili spei locus nunquam esse debet: nec cupienda, quæ futura non creduntur. Proxima his, est rationi consentanea, & bene meditata desperatio.

Sequr semel. v. scisse. p. fide] & semel credere te periisse, cum perieris, nec tibimet verba dare.

Curano. f. q. maiora vid. vulnera] Tacitè significat, se tot flagitationibus, sollicitudinibus, & sollicitationibus de mutando exilio & nihil profecisse, & molestias sibi cumulasse.

Quae melius non tetioisse fuit] Ita præstitisset me tacuisse, quam dolores meos auxisse.

Subita. q. mero. unda, quam, &c.] Si pereundum est, subitò perire melius est, quam diu nitendo, & laborando factius nihilò facere, & nihilominus perire.

Cur ego concepi Scythicis, &c.] Vides quam immoretur huic loco de frustrata spe exilij melioris.

An fortuna mihi. s. m. nota fuit?] Cum nossem me infausto sidere natum, cognoscerem que fata mihi tam inimica, non debui quidquam sperare prospetum.

A

Torquror en gravius respetit. &c.] Dum animo, & cogitatione iam hunc, iam illum locũ concipio, & quanto illic minus essem miser considero, fit, vt hoc vbi nunc dego exilium, mihi ex comparatione acerbius, & intolerabilius reddatur: & huius acerbissimi sensus ego ipse mihi caussa sum.

Est tamen util. stud. caesars mso rum, &c.] Si nihil impetraturi fuerant amici pro me orantes, malo non rogasse, quam frustra rogasse.

Magna. q. res. s. q. non aud.] Ideo non audebant, quia magna res: nam in parua fuissent ausi fortasse. Quomodo autem magna, nisi quia

B

poëta grauiter apud Cæsarem offenderat? Excusat aliquantum amicos.

Qui dare vellet erat] Victus precibus vestis annuisset, quia natura mitissimus.

Dummodo non nobis hoc, &c.] Si Augustus nos in mitius exilium non transfert, sinat saltem in hoc mori; nec aut interficiat, quod tamen factum optat alibi; aut etiam in horribilius mittat.

Euxinis immoriemur aquis] Non dicit se in mari, quasi in id sponte sua prosilierit, moriturum: sed in Pontica regione prope mare Euxinum vsq; ad mortem fortiter exulaturum. Immori alicui rei, est in aliqua re mori, in ea vsque ad mortem perdurare. Horat. epist. 7. lib. 1. *Immoritur studiis, & amore senescit habendi.*

ELEGIA OCTAVA.

Ad Maximum.

PHARETRA CVM SAGITT. SCYTHICIS PRO MVNERE.

ARGVMENTVM.

CVPIVISSE donum aliquod ex agro Tomitano illi transmittere, testimonium suæ erga eum voluntatis, qui sit auro, argentoq; dignus, quibus ipse non accipiendis, sed dandis delectetur. Verùm illis in locis non reperiri metallum pretiosum, quod crebræ hostium incursiones illa effodi non patiantur. Purpuram ibidem non tingi, lanam esse duram, mulieres pro lani-

ficio versare molam, ac supposito vertice aquam gestare. Nullas cerni vites, pomiferas arbores nullas, extare per campos tantum absinthia. Quapropter tota regione quod muneri mitteret, reperire non potuisse. Mittere nihilominus pharetram, sagittarum Scythicarum refertam. Nam hos esse gentis calamos, hos libellos, hanc denique Musam. Precatur vt vile donum sibi gratum habeat.

Quæ tibi, quærebam, memorem testantia curam
Dona Tomitanus mittere posset ager.
Dignus es argento, fuluo quoque dignior auro:
Sed te, cùm donas, ista iuuare solent.
Nec tamen hæc loca sunt vllo pretiosa metallo:
Hostis ab agricola vix sinit illa fodi.
Purpura sæpe tuos fulgens protexit amictus,
Sed non Sarmatico tingitur illa mari.
Vellera dura ferunt pecudes: & Palladis vti
Arte Tomitanæ non didicêre nurus.
Fœmina pro lana Cerealia munera frangit,
Suppositóque grauem vertice portat aquam.
Non hîc pampineis amicitur vitibus vlmus:
Nulla premunt ramos pondere poma suo.
Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terráque de fructu, quàm sit amara, docet.
Nil igitur tota Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra:
Hoste, precor, fiant illa cruenta tuo.
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos:
Hæc viget in nostris, Maxime, Musa locis.
Quæ quanquam misisse pudet, quia parua videntur,
Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni.

COMMENTARIVS.



MEMOREM TESTANTIA CVRAM] quæ testaretur me tui memorem esse, te mihi hærere in pectore. Hac enim potissimùm de caussa absentes inter se munera vltro citróque mittunt, vt mutua memoria cum beneuolentia conseruetur.

TOMITANVS AGER] Libenter noua, non ante visa, & peregrina, quantumuis aliquando non magni pretij, è peregrinis locis mittimus, quia miram generant voluptatem, & inter κειμήλια asseruantur. Incredibiliter delectantur Chinenses imaginibus, scriptoriis scalpellis, &c. Horologia verò propemodum adorant. Quare nostri Patres huiusmodi donis à Mandarinis etiam (magistratum nomen est) summam gratiam ineunt.

A

DIGNVS ES ARGENTO, &c.] Ob merita in me tua, & excellentiam tuam colendus mihi esses argenteis, & aureis muneribus.

SED TE CVM DONAS ISTA IVVARE SOLENT] Delectatur qui dat beneficium, & qui accipit:

accipit: sed ille ex virtute, cuius munere fungitur: iste ex commodo quo augetur. A

VLLO PRETIOSA METALLO] non quod venæ ibi nullæ sint; sed quia hostis, vt sequitur.

HOSTIS AB AGRICOLA, N. E. ILLA. F.] Adscrutanda, inuenienda, eruenda, purganda metalla opus est labore vario ac multo, vt patet ex libris de re metallica Georgij Agricolæ. Verum hostis hos labores impedit. 1. Metamorph.

——itum est in viscera terræ,
Quasq; recondiderat, Stygiisq; admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

De fossionibus istis Plin. lib. 2. cap. 63. Penetramus in viscera terræ, auri, argentique venas, & æris, ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam; & quosdam paruulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera eius extrahimus, vt digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, vt vnus niteat articulus? Bene hucusque Plinius. Quod sequitur, non bene. Si vlli essent inferi, inquit, iam profectò illos auaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodissent. In centro terræ inferi ponuntur à nobis. Eo vsque fodiendo non peruenitur. De voce metallum, atque adeo de metallis, & fossilibus disserui in 1. Volum. Tertij, dialog. 15. B

PVRPVRA SAEPE TVOS FVLGENS PRAETEXIT AMICTVS] Incedis prætextatus. Est autem prętexta vestis magistratuum, cuius ora limbo purpureo prætexitur.

SED NON SARMATICO TINGITVR ILLA MARI] Mittere purpuram nequeo, quia hîc nō tingitur. Tyrios primùm tinxisse lanam purpura narrat Iulius Pollux. C

VELLERA DVRA FERVNT PECVDES] atqui ideo in fila deduci facile non possunt.

ET PALLADIS ARTE VTI TOMITANAE NON DIDICERE NVRVS] Mulierculæ Tomitanæ fila supinis formare digitis, vt Catullus ait de Parcis, nesciunt. Pensa carpere, texere, nere, labores muliebres.

FAEMINA PRO LANA CEREALIA MVNERA FRANGIT] Non sunt tamen otiosæ; sed labore quodam duriore fatigantur: molas enim trusatiles versant, & pinsunt. Virgil. 1. Aeneid.

Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiaq; arma
Expediunt fessi rerum, frugesq; receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

NON HIC PAMPINEA AMICIT. V. VLMVS] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Non hîc pampinea dulcis latet vua sub vmbra,
Nec cumulant altos feruida musta lacus.
Poma negat regio.

Vide Commentarium.

TRISTIA DEFORMES PARIVNT ABSINTHIA CAMPI] Deformes, squalidi, cultore passim carentes, nil nisi absinthium ferunt. Elegia 1.

Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conueniensq; suo messis amara loco est.

Eleg. 14. lib. 5. Trist. *Cana prius gelido desint absinthia Ponto.*

QVAM SIT AMARA] moribus, & sæuitia.

PONTI REGIONE SINISTRI] Ad læuam Euxini maris sita, quod communem appellationem cuiusuis maris fecit suam, vt Pontus diceretur. Ad dexteram huius sitæ sunt Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, Colchis, quæ pars Asiatica dicitur. Ad læuam, quam Europæam vocant, magna pars Scythiæ, & Thraciæ.

QVOD MEA SEDVLITAS. M. POS. ERAT] quod etiam sedulò quęsitum inuenirem, ac mitterem, quo te honorarem, meque tui memorem probarem.

CLAVSA TAMEN SCYTHICA, &c.] Diximus suprà, non semper in muneribus pretium, sed peregrinitatem, nouitatem, & alia spectari, quibus admiratio, & delectatio commouentur.

HOSTE TVO] non ciuis Romani; quanquam & illius, si caput tuum petat.

HOS HABET HAEC CALAMOS, &c.] Iam tu coniice quales litterati, si hæc studiorum instrumenta habent.

MISISSE PVDET] Quoniam vilia, modica, cum tu amplissimis dignissimus sis.

CONSVLE MISSA BONI] placidè, ac pro bono accipias. Eleg. 4. lib. 1.

Vt tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me peruenit, consuluique boni.



ELEGIA NONA.
Ad Brutum.

APOLOGIA DE ERRATIS, ET REPETITIS.

ARGVMENTVM.

CERTIOREM fecerat Ouid. Brutus, esse Romæ, qui improbarent, quod eadem semper scriberet, nihilque aliud ferè, quam propinquius exilium rogaret, & quantis viueret in periculis, ac miseriis inculcaret. Ait hoc minimum esse de librorum suorum vitiis. Non ipsum fallere, quam multa alia peccarit: nec enim omnia sua statim amare. Cur autem non emendet, caussas probabiles affert. Nihil magis excusare se posse in scriptis suis, quam iterationem eiusdem fermè sententiæ, & argumenti. Lætum scripsisse læta, nunc mœstum iure mœsta scribere. Et cum toties eadem petat, nondum tamen exauditum. Non eidem eadem sæpius, sed pluribus scribi. Nec fuisse propterea sibi vnum tantummodo amicum rogandum, ne delicatus, & fastidiosus lector bis ter, &c. eundem sensum reperiret: salutem fama sibi chariorem. Poëtas in fictis ab se argumentis esse liberos, cur ipse in vero non sit? Noluisse libros fieri: sed suam cuiq; epistolā reddi. Nunc nullo seruato ordine, eos in vnum corpus contulisse. Tandem veniam poscit, quando non ad aucupandam gloriam, sed ad vtilitatem suam, & officium amicis debitum persoluendum scripserit. Elegia Misonasonibus, & φιλαυτίοις eius lectoribus diligenter legenda. Quod si venia poëtæ neganda non est, eadem sæpius iteranti: ne nos quidem vituperandi, qui ad easdem, similesúe sententias easdem, aut pæne easdem explanationes adhibemus, & versus aliis versibus, de eadem arcula, hoc est, ex his ipsis rerum tristium libris studiosè conquisitis exponimus, & illustramus.

Quod sit in his eadem sententia Brute libellis,
Carmina, nescio quem, carpere nostra refers.
Nil, nisi me terra fruar vt propiore, rogare:
Et quàm sim denso cinctus ab hoste loqui.
O quàm de multis vitium reprehenditur vnum:
Hoc peccat solum si mea Musa, bene est.

Ipse ego librorum video delicta meorum.
 CVM SVA PLVS IVSTO CARMINA QVISQVE PROBET.
Auctor opus laudat: sic forsitan Accius olim
 Thersiten facie dixerit esse bona.
Iudicium tamen hoc nostrum non decipit error:
 Nec, quicquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, si me videam delinquere, peccem?
 Et patiar scripto crimen inesse, rogas?
NON EADEM RATIO EST SENTIRE, ET DEMERE MORBOS:
 SENSVS INEST CVNCTIS: TOLLITVR ARTE MALVM.
Saepe aliquod verbum cupiens mutare, relinquo:
 Iudicium vires destituuntque meum.
Saepe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
 Corrigere, & longi ferre laboris onus.
SCRIBENTEM IVVAT IPSE FAVOR, MINVITQVE LABOREM:
 Cumque suo crescens pectore feruet opus.
Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
 Magnus Aristarcho maior Homerus erat.
Sic animum lento curarum frigore laedit,
 Ut cupidi si quis fraena retentat equi.
Atque ita dij mites minuant mihi Caesaris iram,
 Ossáque pacata nostra tegantur humo:
Ut mihi conanti nonnunquam intendere curas,
 Fortuna species obstat acerba mea.
Vixque mihi videor, faciam quòd carmina, sanus,
 Inque feris curem corrigere illa Getis.
Nil tamen est scriptis magis excusabile nostris,
 Quàm sensus cunctis paene quòd vnus inest.
Laeta ferè laetus cecini: cano tristia tristis:
 Conueniens operi tempus vtrumque suo est.
Quid nisi de vitio scribam regionis amara?
 Utque loco moriar commodiore, precer?
Cùm toties eadem dicam, vix audior vlli,
 Verbáque profectu dissimulata carent.
Et tamen haec eadem cùm sint, non scribimus iisdem:
 Unáque per plures ars mea tentat opem.
An ne bis vt sensum lector reperiret eundem,
 Unus amicorum, Brute, rogandus erat?
Non fuit hoc tanti: confesso ignoscite docti:
 Vilior est operis fama salute mea.

Denique materia, quam quis sibi finxerit, ipse
Arbitrio variat multa poëta suo.
Musa mea est index nimium quoque vera malorum,
Atque incorrupti pondera testis habet.
Non liber vt fieret, sed vti sua cuique daretur
Littera, propositum curáque nostra fuit.
Post modo collectas vtcunque sine ordine iunxi,
Hoc opus electum ne mihi fortè putes.
Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Caussa, sed vtilitas, officiumque fuit.

COMMENTARIVS.


QVOD SIT IN HIS EADEM SENT. LIB.] Quod idem toties dicam, lectoremque rerum *ταυτῶν* fatigem, cum dicatur prouerbio, *δὶς κράμβη θάνατος*, crambe repetita mors.

CARP. NESCIO QVEM] Credibile est, Brutum nominasse hunc Aristarchum, cuius nomini parcendum duxit Ouidius, & contemnẽdum potius. Sic enim loquimur, cum alicuius testimonium, auctoritatemúe parui pendimus. Carpere aptè ponitur in arrodendis alienis scriptis. Martial. *Carpere causidicus fertur mea carmina; qui sit, Nescio.* lib. 5. Cic. pro Balbo. non illo mimico, sed hoc maledico dente carpunt.

NIL NISI ME TERRA. E. VT PROPIORE] Ostendit quæ sit eadem illa sententia, & bipartitam facit. Vna, perpetuæ propemodum preces super viciniore Italiæ exilio, cum se in extimos mundi fines, in loca incultissima, & intoleranda prorsus deportatum lamentatur.

ET QVAM SIM. D. CINCT. AB HOSTE] Eleg. 10. lib. 3. Trist. *Sauromatæ cingunt fera gens Bessique, Getæque.* Eleg. 2. lib. 5.

Barbara me tellus, orbisque nouissima magni
Sustinet, & sæuo cinctum ab hoste locus.

Altera sententia toties repetita, perpetua pæne conquestio de finitimorum barbarorum sæuitia. Potest hæc cum priore coniungi, vt dicamus, eum vnam ferme tractare sententiam, quod non nisi exilij sui atrocitatem canter.

O QVAM DE MVLT. VIT. REPREH. VNVM] Notantur, & corriguntur à quibusdam huius poëtæ versiculi, quasi eum *πλάνοι* illæ fugerint; aut vitia sua ipse quoque non viderit. Et vidit, & sua melius, quam fecerunt illi, emendasset, si magis famæ, quam vtilitati, ac saluti suæ scripsisset. Fatetur itaque candidè, vt cernis, se multa peccasse. Quasi verò nihil peccarint alij, & inprimis latinorum poëtarum rex Virgilius. Admoneor hîc vtilis cuiusdam præcepti, ad mores, & animi ma-

A gnitudinem pertinentis apud Stoicum illum Epictetum. Si quis, inquit, tibi nuntiarit, quendam tibi maledicere, ne refuta quę dicta sunt: sed responde, eum nescire tua cætera vitia: nam alioqui non illa sola fuisse dicturum.

HOC PECCAT. S. SI MEA MVS. E. EST] non est enim capitale hoc peccatum, nec idcirco aguntur fortunæ Romani imperij, & potest excusari.

IPSE EGO LIBROR. VID. D. MEORVM] De libris Tristium & de Ponto loquitur: etsi in Fastis quoque, & in Metamorph. quędam sunt, quę fieri meliora potuissent. Eleg. 6. lib. 1.

Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno,
Me quoque qui feci iudice digna lini.

CVM SVA PLVS IVSTO. C. Q. PROBAT] Nescio quomodo poëta quisque suos versus amat, & illis tanquã teneris, & pulchellis fœtibus suis, aut vt simia catulis suis blanditur. Affirmat & Cic. 5. Tuscul. neminem poëtam adhuc se cognouisse, qui sibi non optimus videretur. Et rursum
B ad Attic. lib. 14. Nemo vnquam neque poëta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem se arbitraretur. Hoc etiam malia contingit. Hoc se facere negat. Quocirca falsum est, quod quidam scripserunt, Ouidium vitia sua non ignorasse, sed amasse. Aut ipse profectò, aut ipsi mentiuntur. Illud de tribus versibus, de quibus in prodidagmatis, ad totum genus trahere non oportet, si modo verum, quod de illis referunt.

AVCTOR OPVS LAVDAT] Vide eleg. 1. lib. sequentis, ibi, *quod finxit quisque tuetur opus.* Veruntamen decipimur sæpius specie recti.

SIC FORSIT. ACCIVS. O. THERSIT. P. D. ESSE. E.] Thersitæ pater non Accius, sed Agrius audiuit. Hoc ex Q. Smyrnęo, & ex encomio Thersitæ, à sophista quodam composito probat Gulielm. Canter. lib. 2. cap. 30. Omnium Græcorum, qui ad Troiam obsidendam venerunt, deformissimum ait fuisse hunc, eumque graphicè

descri-

describit. 2. Iliad. Homerus. Therſitæ facies, prouerbium. Et tamen hic patri ſuo pulcher videbatur forſitan, & infantem mater ſæpe oſculata eſt.

IVD. TAMEN. H. NON DECIP. ERROR] ſecus apud me res habet. Errata mea ego non approbo. Non ſum ſimilis Agrio, vt ſi quid *ſeπί χαον* in meo carmine ſit, illud pulchrũ iudicem.

NEC QVIDQVID GEN. P. ILLVD AMO] Quod non nemo ex doctis, ſed falsò putauit.

CVR IGIT. SI ME VID. DELINQ. &c.] Hoc exſpectabatur, vt diceret, cur, cum videret errata, & vitia ſua, illa de carmine ſuo non tolleret. Audiamus reſponſum.

NON EAD. EST RAT. SENT. ET DEM. MORB.] Hæc eſt prima ratio prætermiſſæ emendationis; quia difficilis eſt per ſe cuique emendatio. Si ipſo ſenſu morbus poſſet tolli, nec opus foret aliquo molimine, cura, labore, ludus eſſet ægrotare. Ita poëtis nihil eſſet errare, ſi mox vt ſenſiſſent errorem, hoc ipſo poſſent tollere.

SENSVS INEST. C. TOLLIT. ARTE MAL.] Aliud eſt ſenſus mali; aliud eſt correctio mali. Illud eſt cunctorum ægrotantium: hoc artis, quam habent medici. Neſcio tamen an huius mali, id eſt, vitiorum, quæ ſcribendo incurruntur, ſenſus adſit cunctis ſcriptoribus, & poëtis maximè, in quibus multi ſunt Suffeni.

SÆPE ALIQVOD. V. CVP. M. RELINQ. &c.] ſecunda ratio, debilitatæ vires animi. Eleg. 13. lib. 5. Triſt. *Et pars antiqui magna vigoris abeſt.* Ibid.

Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo quam fuit ante minus.

SÆPE PIGET CORRIGERE, &c.] Tertia ratio, tædium in longo labore. Ponderare ſingula verba in totis libris moleſtum eſt, homini potiſsimùm ærumnoſo. Vnde infra. *Atque ita dij mites, &c.*

Vt mihi conanti nonnunquam intendere curas,
Fortunæ ſpecies obſtat acerba meæ.

Eleg. 6. lib. 1. aut ſimiles, aut eaſdem habes rationes.

Nec tamen emendo: labor hic quam ſcribere maior,
Menſq́; pati durum ſuſtinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius vti,
Vt ſub iudicium ſingula verba vocem:
Torquet enim fortuna parum, niſi Lycus in Hebrum
Confluat, & frondes Alpibus addat Athos.
Parcendum eſt animo miſerabile vulnus habenti:
Subducunt oneri colla peruſta boues.

SCRIBENT. IVVAT IPSE FAVOR] Reuertitur ad exaggerandam emendationis difficultatem. Quis autem fauor? an Muſarum, an ipſius ſcribentis? Blanditur enim poëta ipſemet ſibi dum ſcribit. Aſt vbi ardor ille refrixit, aliter ſentit. Quidam exponunt, plauſus aliorum. Sed tamen negligenter ſcriptis, & non emendatis non ita applauditur.

CVMQVE SVO CRESCENS. P. F. OP.] De furore poëtico accipio, quo caleſcit pectus, & A inde feruet, & creſcit opus. Ex hoc verſu apparet, de quo fauore locutus ſit in antegreſſo.

CORRIGERE AT. RES. E. T. MAG. ARD.] comparatio vtriuſque laboris, tum qui in ſcriptione, tum qui in correctione ponitur. Nec tamen primus eſt Ouid. qui ſua caſtigare, & expolire partim noluit, partim horruit. Nam & Horat queritur ad Piſon. Latium æquè lingua vt armis clarum fore, ſi non *offenderet vnum Quemq́; poëtarum limæ labor, & mora.* Ipſe quidem carmen non probat, quod non multa dies, & multa litura coercuerit, & ad vnguem caſtigauerit.

QVANTO MAG. ARIST. MAIOR HOM.] Ariſtarchus Grammaticus Homeri poëma ſparſum, in vnum corpus redegit, & in libros diſtri- B buit. Tam acri, caſtigatoq́ue fuit iudicio, vt Homeri verſus non putaretur, quem ipſe pro Homerico non recepiſſet. Scriptorum alienorum cenſores, & iudices prouerbio Ariſtarchi appellantur. Vide Chiliad. Quam autem magnus fuerit Homerus, vel ex eo diſcas, quod ſeptem clariſsimæ vrbes eius ſibi ortum vendicarunt: & quod etiam templis erectis pro deo cultus, nũmiq́ue cum eius imagine percuſsi ſunt. Vnũ Homerum poëtarum ſceptra potitum affirmat Lucretius lib. 3. Debuit porrò Ouid. dicere potius inuerſo ordine, quanto magnus Ariſtarchus maior Homero erat: ſiquidem Ariſtarchi correctio, Homeri ſcriptio, & correctio ſcriptione laborioſior; tanto laborioſior, quanto Ariſtarchus C correctur Homero ſcriptore maior, quod falſum eſt penitus. Sed ſit hoc *ὑπέρβολον*, & exemplum quoddam errorum de quibus loquitur.

SIC ANIM. LENTO CVRAR. FRIG. LÆD.] Correctio quoddam frigus habet, & illo frigore, ac lentitudine offendit animum.

ET CVPIDI CVRSVS FRÆN. RET. EQVI.] Alia lectio. *Vt cupidi ſi quis fræna retentet equi.* Melior noſtra. Emendatio retardat impetum mentis, vt ſi quis currenti equo manum iniiciat, ac fræno retentet.

ITA DII MITES MIN. M. CÆS. IRAM] ſancta affirmatio.

OSSAQVE PACATA NOST. TEG. HVMO] lib. 1. eleg. 3.

D *Denique ſi moriar, ſubeam pacatius aruum,*
Oſſa nec à Scythica noſtra premantur humo.

Vide eleg. 3. lib. 3. Triſt.

VT MIHI CON. NONNVNQ. INTEND. VIRES] applicanti animum ad corrigendum.

FORTVNÆ SPECIES OB. ACERB.] animi dolor, quem in fortuna tam acerba indipiſcor. Sit hæc quarta ratio.

VIXQVE MIHI. VID. F. QVOD CARM. SANVS] Eleg. 6. lib. 1.

An populus vere ſanos negat eſſe poëtas,
Summaq́; fides huius maxima vocis ego?

Lætum quippe ſunt opus carmina, & pacem, ac tranquillitatem mentis poſtulant, quæ animo meo nulla eſt. Alicubi tamen in Triſt lib. & in his

Ponticis quoque fatetur, se, dum scribit, obliuisci miseriarum suarum, ac propterea scribere, vt tantisper vacet ægritudine.

INQVE FERIS CVR. CORRIG. ILLA GET] Quinta ratio, quia ibi terrarum viuat, vbi sua à nemine legantur. Alibi. *An timeam ne non approbet illa Getes?* vbi nemo est, qui verbum latinũ, etiam de rebus sub sensum quotidie venientibus intelligat. Eleg. 13. lib. 5. Trist.

Non liber hîc vllus, non qui mihi commodet aurem,
Verbaq; significent quid mea norit adest.

NIL TAMEN EST SCRIPT. M. EXCVS. NOST. &c.] Hactenus aduersus reprehensores non correctæ, & limatæ, ac perpolitæ scriptionis. Nunc contra accusatores ταυτολογίας, & sententiæ in omnibus libris, ac pæne elegiis inculcatæ, quod ex peccatis suis leuissimum esse autumauit initio. *Hoc solum peccat si mea Musa, bene est.*

LÆTA FERE LÆTVS CECINI] Eadem se scribere sæpius. & mœsta concedit, & se defendit ab æquitate rei. Sicut æquum, & congruens fuit lætum canere læta, & se accommodare tempori, quod fecit ante exilium: ita decuit tristem canere tristia, tempore ita poscente. Alibi. *Tempore carminibus conueniens suis.* Eleg. 1. lib. 5. Trist.

Flebilis vt noster status est, ita flebile carmen,
Materia scripto conueniente suæ.
Ibid.
Interea quid agant nostri nisi triste libelli?
Tibia funeribus conuenit ista meis.

QVID NISI DE VITIO S. REG. AMARÆ] Cum me tristem par sit tristia scribere, nihil est quod me tristiorem faciat regione ipsa tristissima.

VTQVE LOCO MORIAR COMMODIORE] Hoc ex altero sequitur. Cum enim regio sit tam barbara, & inhospita, meritò precatur exilium paulo quietius, & tolerabilius, vbi si moriatur, beatum se fore arbitratur. Etenim ne mortuus quidem cum immanibus illis, non hominibus, sed monstris hominum esse velit. Eleg. autem 14. lib. 4. de loco tantum conquerens, incolas laudat.

CVM TOTIES EAD. D VIX AVD. VLLI] Non dicerem toties eadẽ, si vllus caussam meam aliquando susciperet. Ergo inhumanitas vestra me cogit eadem iterare. Sed vnde sciebat se non audiri? quia cum vicissim ad eum scriberent, de suis pro eo apud Cæsarem precibus, & deprecationibus verbum nullum faciebant.

VERBAQVE PROF. DISSIMVL. CARENT] Vos dissimulatis, & ego frustra scribo, ac rogito.

ET TAMEN HÆC EAD. CVM SINT, &c.] Bonum sanè telum, ad nauseabundos istos redarguendos. Scilicet vnum rogare debui, non plures, ne isti boni lectores eodem sensu in pluribus elegiis reperto, vertiginem sentirent, ac vomerent.

NON FVIT HOC TANTI] Istorum fastidium, dum mihi consulerem, non curaui.

VILIOR EST OPERIS F. SAL. MEA] Salutis, quam laudis ex opere maior mihi ducenda est ratio. Sic Q. F. Cunctator vt est apud Ennium, non ponebat rumores ante salutem.

MATERIA] deest *in*, in materia.

QVAM QVIS SIBI FINXERIT IPSE] quam quis sibi excogitauerit, vt eam carmine persequeretur.

ARBITRIO VARIAT. M. P. SVO] Horat. ad Pison. *pictoribus atque poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

MVSA MEA. C. IND. NIM. Q. VERA MAL.] Cur ego non possim in re vera esse varius, si alij in falsa? An veritas obstat varietati? significat se eodem quidem sensu, sed non iisdem versibus scripsisse, & in re seria, ac vera parcius, quam poëtæ in falsa varium fuisse.

INCORRVPTI POND. TEST. HABET] est pro teste incorrupto, fideli, ac veraci.

NON LIBER VT FIERET, &c.] Alia refutatio. Mentem suam non fuisse, vt quas sigillatim Romam misit epistolas, & elegias, eæ in librum colligerentur. quomodo necesse est in vno libro sæpius eadem dici, si in singulis idem pæne dictum fuerit: sed vt suam quisque haberet sibi.

POST MODO COLLECT. VTCVNQVE, &c.] se demum, nulla dignitatis, aut temporis habita ratione in vnum corpus redegisse. Et hoc ideo fatetur, ne, quod temere, & tumultuarie factum est, de industria, & cum iudicio factum putetur. Similiter cum epistolis suis egit Plin. & fatetur lib. 1. ep. 1. Frequenter hortatus es, inquit, vt epistolas, si quas paulo accuratius scripsissem colligerem, publicaremq́ue. Collegi, non seruato temporis ordine (neq; enim historiam componebam) sed vt quæque in manus venerat. Vide quid adscripserim argumento eleg 5. lib. 4.

QVORVM NON GLORIA NOBIS, &c.] Nam si ad famam, & laudem aucupandam scripsissem, nullo modo elimare, & omni accuratione recognoscere mea pepercissem: nec tãti apud me vlla difficultas, ingeniique languor, & rubigo, tædium, animi cruciatus, & vita in medio barbarorum (quas caussas ad se tuendum supra recensuit) non inquam hæc tanti apud me fuissent.

* * *

Finis Libri Tertii.



IN LIBRVM DE PONTO IV.

EPISTOLA, SEV ELEGIA PRIMA.

Ad Sex. Pompeium.

NOMINANDI BENEMERITVM MIRA CVPIDO.

ARGVMENTVM.

DVbitat, ecquid ab se nominari velit, atque vt velit, & se gratum esse, officioque fungi patiatur, orat. Non semel imprudentem eius vocabulum posuisse, cum alij scriberet, & inuitum deleuisse, & nunc voluntatis eius periculum fecisse, cuius memoriam nequeat vllo modo deponere. Rogat rursum, vti nomen suum exprimi, seque officium persoluere, & meritis magnis paruam referre gratiam ne prohibeat. Vel nolentem sese nominaturum. Merita offert, & per eum bene de se sperat, cum quisque opus suum tueatur. Se porro ipsius tutelæ opus esse, quod παραδειγματικῇ εἰσαγωγῇ confirmat.

Accipe Pompei deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi Sexte suæ:
Qui, seu non prohibes à me tua nomina poni,
Accedet meritis hæc quoq; summa tuis:
Siue trahis vultus, equidem peccasse fatebor,
Delicti tamen est caussa probanda mei:
Non potuit mea mens, esset quin grata, teneri;
Sit, precor, officio non grauis ira pio.
O quoties ego sum libris mihi visus in istis
Impius, in nullo quòd legerère loco!
O quoties, aliis vellem cum scribere, nomen
Rettulit in ceras inscia dextra tuum!
Ipse quidem placuit mendis in talibus error:
Et vix inuita est facta litura manu.
Viderit ad summum, dixi, licet ipse queratur,
Ah pudet offensam non meruisse prius.

Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen:
Oblitus potero non tamen esse tui.
Idq́; sinas, oro, nec fastidita repellas
Verba, nec officio crimen inesse putes.
Et leuis hæc meritis referatur gratia tantis:
Sin minus, inuito te quoque gratus ero.
Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus:
Nec mihi munificas arca negauit opes.
Nunc quoq; nil subitis clementia territa fatis
Auxilium vitæ fertq́; refertq́; meæ.
Vnde, roges forsan, fiducia tanta futuri
Sit mihi? QVOD FINXIT QVISQVE TVETVR OPVS.
Vt Venus artificis labor est & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas:
Arcis vt Actææ vel eburna, vel ærea custos,
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu:
Vendicat vt Calais laudem, quos fecit, equorum,
Vt similis veræ vacca Myronis opus:
Sic ego sum rerum non vltima Sexte tuarum:
Tutelaq́; feror munus opusq́; tua.

COMMENTARIVS.

A DEDVCTVM CARMEN] Deducere carmina, seu versus à lana tractum quæ in fila deducitur, & tenuatur. κατάγειν ἔπη Græcis. Virgil. eclog. 8. *pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.* Vide ibid. Symb. nostras.

DEBITOR EST VITÆ. Q. T. SVÆ] Eleg. 4. lib. 1. Trist. *Perpetuusq; animæ debitor huius ero.* Qui vitam suam tibi in accepris refert. Qui per te viuit. Qui es deus, & portus salutis nostræ, vt Cic. de Lentulo dixit. Quibus autem de caussis illi vitam suam debeat, distinctè, & luculenter explicat eleg. 5.

Viuit adhuc vitamq; tibi debere fatetur,
Quod prius à miti Cæsare munus habet.
Te sibi cum fugeret memori solet ore referre
Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui.
Addita præterea vitæ quoq; multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.

SEV NON PROHIB. A ME. T. NOM. P.] Disiunctio est. Aut pateris poni nomen tuum, aut non pateris. Si illud.

ACCED. MERIT. H. Q. S. TVIS] vt in re pecuniaria summa summæ accedit, dum nummi nummis adiiciuntur: ita merita meritis quasi quædam summæ accedent. Ipsum verbale *accessio*, eleganter posuit in amicitia, & honore Cicero. Ad Att. ep. 16. lib. 16. ad veteres necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me. Et ep. lib. 2. ad famil. Quæcunque tibi accessiones fient & fortunæ, & dignitatis.

SIVE TRAHIS VVLTVS] si hoc, id est, si ægre fers, & frontem caperas, *Qui ducis vultus*, dixit Martialis.

EQVID. PECCASSE FATEB] quia voluntatem tuam neglexerim.

DELICTI TAM. E. C. PROB. MEI] Consilium, animus, & vt vulgus vocat, intentio, excusat, & minuit, immò sæpe tollit peccatum. Quædam quippe mala per eam bona, & vicissim bona quædam per eam mala euadunt. Ego igitur te honoris, & officij caussa nomino: non quò tibi apud Cæsarem odium conflem.

ESSET QVIN GRATA] Ex locis pluribus horum, ac superiorum librorum patet clarissime, Ouidium fuisse hominem gratissimum, at-

que ideirco omni gratia in calamitate ſua dignisſimum.

SIT PRECOR OFFICIO. N.G. I. PIO] ne iraſeare mihi, quæſo, dum pium exſequor officium, & benemeriti memorem me exhibeo.

IN NVLLO QVOD LEGERERE LOCO] quod nuſquam edidiſſem nomen tuum, id impietatis loco duxi. Nam vt pietas eſt quædam in amicos quoque (Ego omni officio ac potius pietate ergs te cæteris ſatisſacio omnibus, ait Cic. ad Lentulum ep.1. lib.1.) ſic in eoſdem impietas: vt erga ipſos recte pij & impij dicamur.

IPSE MIHI.P.M.IN TAL.ERROR] Errores placere non debent. Sunt tamen errores quidam, qui errantes, & alios quoque interdum delectant. Mutius Scæuola patricius adoleſcens, ingreſſus caſtra Porſenæ, vt regem obtruncaret, deceptus ſimilitudine ſcribam eius trucidauit. Inde manum quaſi ream puniens, foeulo, qui prope ſacrificij cauſſa ſuccenſus aderat, iniecit. Factum hoc extollens Martialis, concludit epigramma.

Maior decepta fama eſt & gloria dextra,
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Diogenes, cum puer quidam lapillo ſcopum petens, & aberrans, prætereuntem forte nouercam tetigiſſet, ridens exclamauit, ne ſic quidem male. Laert.

VIDERIT, AD SVMMVM DIXI] *dixi* cohæret cum voce *ſummum*. Ad ſummum dixi, tandem dixi. Ad extremum dixi.

PVDET OFFENS. NON MERVISSE. P.] pudet tam ſerò poſuiſſe nomen, quamuis cum eius offenſa: quæ mihi tanti non eſt, quanti ſignificatio grati animi.

SI QVID EA] ſi quid eſt lethe in rerum natura, & non potius merum figmẽtum poëticum, vt alia ſexcenta.

HEBETANTEM PECT. LETHEN] imminuentem memoriam, obliuionemque vnde nata eſt, inducentem. Si totum flumen lethæum biberem, non poſſem tamen non meminiſſe tui. Eleg.4. lib.2.

Non ego ſi biberem ſecura pocula lethes,
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.

NEC FASTIDITA REPELL. VERBA] Enallage numeri: non enim niſi de vno verbo, de nomine ſcilicet Sex. Pomp. agitur. Cætera non faſtidit, nec repellit Pompeius.

NEC OFFICIO CRIM. INESSE PVTES] Si non putas ineſſe laudem, ſi non laudes, ne tamen vituperes quod facio: ſaltem in medio relinque.

ET LEVIS HÆC MERITIS, &c.] Leue eſt quod refero tuis in me tam ingentibus meritis.

INVITO TE QVOQVE GRAT. ERO] En, quas faces illi admouet. Sin minus, ſubaudi, permittis. Rarum hoc, vt quis amicum propter amicitiam, & merita quibus gratiam debet, gratiis referendis offendere non pertimeſcat. Contra

A eleg. 10. lib. 5. Triſt. ad amicum non ſinentem ſe ab eo nominari.

Ne tamen officio memoris ladarìs amici,
Parebo iuſſis, parce timere, tuis.
At non parerem, ſi non meminiſſe putares:
Hoc quod non prohibet vox tua, gratus ero.

NVNQ. PIGRA. F. N. T. GRAT. REBVS] Hæc iam eſt commemoratio meritorum, quò lector melius cauſſam tam ardentis voluntatis in Ouidio intelligat, & approbet. Nunquam, inquit, in me adiuuando cunctatus es. Promptisſime rebus meis ſuccurriſti ſemper. Et hoc in patria cum eſſem.

NEC MIHI MVNIF. A. NEG. OPES] pecuniariis quoque ſubſidiis eum ſibi non defuiſſe

B prædicat. In Append. Virgiliana. *Ludite ſecuri quibus eſt ae ſemper in arca.*

SVBITIS FATIS NIL TERRITA CLEM.] Exilio quod ei non præuiſum fata decreuerunt, & irrogarunt. Eleg.6. lib.3. Triſt. *ſed mea me in pœnam nimirum fata trahebant.* Plures autem territi, miſerum, deſtituerunt. Clementiam interpretor fauorem, beneuolentiam.

AVXIL. VITÆ. F. REF. MEÆ] ſubmittenda, credo, pecunia, & rebus aliis, quibus vitam toleret. Non enim Auguſtus abeunti multa auri, argentique talenta donauit.

VNDE FID. TANTA FVTVRI] Extollendis eius in ſe meritis, viſus eſt in poſterum quoque de eo, quod ad exilij cauſſam attinet, ſperare. Ra-

C tionem expreſsius ſubiicit, & tacitè quærenti reſpondet.

QVOD FINXIT QVISQVE TVET. OPVS] Hæc eſt maior propoſitio, quam nõ probat, quia per ſe clara. Aſſumptio continetur verſu vltimo, cuius probatio per inductionẽ antecedit. Concluſio quamuis non expreſſa, intelligitur. Omnis artifex tuetur opus ſuum. Sed ego ſum opus tuum (quod ad tutelam pertinet): ſubaudimus, ergo me tueberis. Non ſolum tuetur opus ſuum auctor, ſed laudat etiam, eoque delectatur, quaſi quodam partu ſuo. Eleg.9. lib.3. *Auctor opus laudat.*

VT VEN. ARTIF. LAB. E. ET GLOR. COI] Artifex Cous eſt Apelles. Primum igitur exemplum eſt à pictore nobiliſsimo, à quo ſolo pingi

D M. Alexander voluit, etiam edicto propoſito, vt habet Horat. ep.1. lib.2. Cicero paulo ſecius ep. 12. lib.5. Neque enim Alexander ille gratiæ cauſſa ab Apelle potiſsimùm pingi, & à Lyſippo fingi volebat: ſed quod illorum artem tum ipſis, tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. Non pauca de eo Plin. lib.35. cap.10. Cum autem Venus è mari extitiſſe dicatur, pinxit eam ventre tenus emergentem (ex quo ἀναδυομένη emergens cognomen adepta eſt) & manu è coma ſoluta aquam exprimentem, tanta artificij elegantia, vt eam imitari nemo poſſet. Plin. ibid. Venerem exeuntem è mari diuus Auguſtus dicauit, in delubro patris Cæſaris, quæ anadyomene vocatur, verſibus græcis tali opere, dum laudatur victo, ſed illuſtrato. Huius

A interiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Verùm ipsa iniuria cessit in gloriam artificis. Et cap.11. Illud verò perquam rarum, ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum, imperfectásque tabulas, sicut Irim Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, & quam diximus Venerem Apellis, in maiori admiratione esse, quam perfecta. Propert. lib.3. eleg.9. *In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.* Quidam ad exemplum Phrynes pictam putant. Rhodigin. lib.14. cap.15. Addamus verba M. Tullij ex ep.9. lib.1. Nunc vt Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit, &c. Celebratur item ab eodem ep.21. lib.2. ad Att. & alibi, vt notauit Paul. Manut. In 3. Off. ait, neminem pictorem inuentum, qui eam partem quam Apelles inchoatam reliquit, absolueret. Sed illa videtur alia ab anadyomene fuisse, quam cœpit pingere Cois, quæ etiam priorem superasset, sed peracta parte mors maiorem ei gloriam inuidit. Ac de eadem forte etiam in illa epist.9. lib.1. locutus est Cicero.

ÆQVOREO IMBRE] Imber pro aqua. Marina ergo aqua madentes. Imbris nomine omnem humorem aqueum significari, & consuetudinem tantū induxisse, vt eo verbo agmen aquarum cælestium, & pluuiarum appelletur, ait Nonius. Virgil.1. AEneid. de nauibus in tempestate. *Accipiunt inimicum imbrem, rimisq; fatiscunt.* Lucret. *Ex igni, terra, atq; anima nascuntur, & imbri.*

ARCIS VT ACTÆÆ VEL EBVR. VEL ÆR. CVST.] Alterum exemplum est statuarij decantatissimi Phidiæ. Hic statuam Mineruæ præstantissimam fecit seu ex ebore, seu ex ære (dubitat enim de materia Ouid.) quæ in acropoli, id est, in arce Atheniensi pro æterno monumento locata est. Phidiæ Minerua prouerb. de præstanti opere. Vide Rhodigin. lib.29. cap.22. Nec modo Actææ arcis, sed omnium arcium custos: omnes quippe arces. & ἀκροπόλεις in eius tutela sunt. Catull. de nupt. *Diua quibus retinens in summis vrbibus arces, &c.* Virgil. eclog.2. *Pallas quas condidit arces ipsa colat.* Ob hoc & Homero ἐρυσίπτολις custos vrbis, in hymno.

BELLICA DEA] Eadem Pallas dicitur, à πάλλειν vibrare, quod hastam vibret. Ideo autem bellica, quoniam armata è capite Iouis prosiluit, cui mox arma. & currum tribuerunt. Horat. Ode 15. lib.1. *iam galeam Pallas, & ægida, currusq; & rabiem parat.* Belli inuentricem quidam dixerunt. Cic.3. de nat. deorum. Liberam alteram patre cælo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem, & inuentricem belli ferunt. Virgil. lib.11. *Armipotens belli præses Tritonia virgo.*


VENDICAT VT CALAM. LAVD. &c.] Tertium exemplum cælatoris, & fusoris. Plin. lib.34. cap.7. statuam Aruernorum cum faceret (Zenodorus) prouinciæ Vibio Anito præsidente, duo pocula Calamidis manu cælata, quæ Cassio Syl- B lano auunculo eius, præceptori suo Germanicus Cæsar adamata donauerat, æmulatus est, vt vix vlla differentia esset artis. Et cap.8. Calamis & alias bigas, quadrigasque fecit, equos sine æmulo expressit. De quibus Propert. lib.3. eleg.7. *Exactis Calamis se mihi iactat equis.* Pausan. in Corinth.

VT SIMILIS VERÆ. V. MYRON.] Hic fecit buculam, seu vaccam æream, viuæ quam simillimam, in quam extant lib.4. Anthol. variorum poëtarum epigrammata. Plin. lib.34 cap.8. Myronem Eleutheris natum, & ipsum Ageladis discipulum, bucula maximè nobilitauit, celebratis versibus laudata, quando alieno plerique ingenio magis quam suo commendantur. Laudat & quatuor boues circum aram Apollinis eius- C dem opus Propert. lib.2. eleg.31.

Atq; etiam circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artificis viuida signa boues.

RERVM NON VLT. TVARVM] inter tua non vltimum. λιτότης.

TVTELÆQVE FEROR MVN. OP. TVÆ] & sum opus tuum me tuentis, quatenus me tueris. Sicut illa quæ dixi sui vnumquodque artificis: Venus Apellis, Minerua Phidiæ, equi Calamidis, bucula Myronis.





ELE-

ELEGIA SECUNDA.
Ad Seuerum.
EXARVISSE VENAM SVAM.

ARGVMENTVM.

SCriptitarant inter se soluta oratione epistolas Seuerus, & Ouidius. Ægre sibi esse, quod libri sui hactenus eius nomine caruerint. Non misisse illi carmina sua, ne aquam in mare, quod aiunt, cum sit ipsemet poëta, & fœcunda admodum vena. Eò tandiu moratum. Præterea ingenium suum quasi limo obductum non fluere. Homerum quoque in tali regione degeneraturum fuisse in barbariem. Raro item scribere, quia desit furor poëticus: nec magna cum delectatione scribere: siue quod id hactenus sine fructu fecerit: siue quod neminem habeat, cui recitet. Auditorem quippe scribenti animos facere, & speraram gloriam esse pro calcari. Nihilominus scribere ad fallendum tempus, quando nec poculis, nec alea capiatur: nec (quod inprimis amplecteretur, si per bella, & populationes liceret) agriculturæ se dedere possit. Restare igitur occupationem hanc vnicam. Malos de se male meritos. Commendat ei poësin, quandoquidem non ludat operam, & monumentum aliquod ab eo sibi legendum mitti rogat.

Quod legis, ô vates magnorum maxime vatum,
Venit ab intonsis vsque, Seuere, Getis.
Cuius adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
(Si modò permittis dicere vera) pudet.
Orba tamen numeris cessauit epistola nunquam
Ire per alternas officiosa vices.
Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt: quid enim, quæ facis ipse darem?
QVIS MEL ARISTAEO, QVIS BACCHO VINA FALERNA,
TRIPTOLEMO FRVGES, POMA DET ALCINOO?
Fertile pectus habes: interq; Helicona colentes,
Vberius nulli prouenit ista seges.

Mittere ad hunc carmen, frondes erat addere syluis:
 Haec mihi cunctandi causa, Seuere, fuit.
Nec tamen ingenium nobis respondet, vt antè:
 Sed siccum sterili vomere littus aro.
Scilicet vt limus venas excaecat in vndis:
 Laesaque suppresso fonte resistit aqua:
Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
 Et carmen vena pauperiore fluit.
Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum,
 Esset, crede mihi, factus & ille Getes.
Da veniam fasso, studiis quoque frena remisi:
 Ducitur & digitis littera rara meis.
IMPETVS ILLE SACER, QVI VATVM PECTORA NVTRIT,
 Qui prius in nobis esse solebat, abest.
Vix venit in partes, vix sumptae Musa tabellae
 Imponit pigras paene coacta manus.
Paruaque, ne dicam scribendi nulla voluptas
 Est mihi: nec numeris nectere verba iuuat.
Siue quòd hinc fructus adeò non cepimus vllos,
 Principium nostri res fuit ista mali:
Siue quòd in tenebris numerosos ponere gestus,
 Quodque legas nulli, scribere carmen obest.
EXCITAT AVDITOR STVDIVM LAVDATAQVE VIRTVS
 CRESCIT, ET IMMENSVM GLORIA CALCAR HABET.
Hic mea cui recitem nisi flauis scripta Corallis,
 Quasque alias gentes barbarus Ister habet?
Sed quid solus agam? quaque infelicia perdam
 Ocia materia, surripiamque diem?
Nam neque me vinum, nec me tenet alea fallax,
 Per quae clam tacitum tempus abire solet.
Nec me, quod cuperem, si per fera bella liceret,
 Oblectat cultu terra nouata suo.
Quid nisi Pierides, solatia frigida restant,
 Non bene de nobis quae meruère deae?
At tu cui bibitur felicius Aonius fons,
 Vtiliter studium, quod tibi cedit, ama.
Sacraque Musarum meritò cole: quodque legamus,
 Huc aliquod curae mitte recentis opus.



COM-

COMMENTARIVS.



VATES MAGNOR. MAX. VATVM] Si magnorum maximus, ergo ſummus, & flos, & imperator poëtarum illius ætatis, maiorque Propertio, & aliis, qui eleg. 10. lib. 4. Triſt. nominantur: quos ait conuictus ſui dulcia membra fuiſſe; & eos adhuc vixiſſe omnes credi poteſt.

AB INTONSIS GETIS] Et capillum, & barbam promittebant, erantque aſpectu horridi, & formidabiles. Triſt. 5. eleg. 8.

Vox fera, trux vultus, veriſsima mortis imago,
Non coma, non vlla barba reſecta manu.

SI MODO PERMITT. D. VERA] Alibi, *liceat modo vera fateri.* Si vera dicenda ſunt. Præfationis quædam forma eſt. Ideo autem præfamur, quoniam veritas odium parit, quod deprecamur.

ORBA TAMEN NVM. CESS. EP. NVNQ.] Pulchre, *orba numeris,* pro ſoluta. Dicta ſoluta oratio, non quod nullos habeat, aut habere debeat numeros: ſed quod nō ſit alligata. & aſtricta certis, perpetuiſque numeris. Cic. Orat. perf. Oratio multum intereſt, vtrum numeroſa ſit, id eſt, ſimilis numerorum, an tota numeris conſtet. Alterum ſi ſit, intolerabile vitium eſt: alterum niſi ſit, diſsipata, & inculte fluens eſt oratio.

IRE PER ALTERNAS VICES] commeare inter nos, dum ſcribimus, & reſcribimus. *ἀμοιβαίως.*

MEMOREM TESTANTIA CVRAM] argumentum memoris animi, quem teſtantur inter abſentes dona, & litteræ. Eleg. 8. lib. 3.

Quæ tibi, quærebam, memorem teſtantia curam
Dona Tomitanus mittere poſſet ager.

QVID ENIM. Q. FACIS IPSE DAR?] Cum ſis poëta ipſe, multa tibi carmina ſuppeditant.

QVIS MEL ARISTÆO] Hoc, & tria quæ ſequuntur exempla, *παροιμιακῶς* ad inanem operam declarandam vſurpare licet, cum nempe iis rebus conamur augere alios, quorū ipſi copiam habent domi. Ariſtæus Apollinis, & Cyrenes filius, à Nymphis educatus eſt, quem & olei, & mellis conficiendi rationem docuerunt. Quare vtriuſque horum inuentor eſt habitus. Iuſtin. lib. 13. Multa de eo Virgil. 4. Georg. qui eſt de natura apum. Adhibuit Naſo hanc comparationem de mellis copia non temere, ſed cogitatò, vt exiſtimo, & nos admonere volens, poëtas apum, & illorum ſtudium mellificio eſſe ſimile, propter ſuauitatem. Qua de re polite, vt ſemper Muretus lib. 8. cap. 1.

QVIS BACCHO VINA FALERNA?] ſpecies pro genere, præeſt enim Bacchus vino cuiuſque generis. Lætitiæ dator, & inuentor nominatur, quoniam vinum, vt eſt verbum Varronis, eſt lætitiæ dulce ſeminarium. Seuerum falernum Horat. Ode 27. lib. 1. & forte ſat. 4. lib. 2. id eſt, auſterum. Quod dulce fieri tradit Athenæus lib. 1. ſi ſub vindemiæ tempus Noti flauerint.

TRIPTOLEMO FRVGES] Vide in eleg. 8. lib. 3. Triſt.

Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currus,
Miſit in ignotam qui rude ſemen humum.

POMA DET ALCINOO] Inſula Corcyra, quæ Homero eſt Phæacia, à Phæaco patre Alcinoi, & Echeria. Nobiliſsimos hortos habuit eiuſdem inſulæ rex Alcinous, de quibus 7. Odyſſ. nō longe à principio. Martial. lib. 10.

Non mea Maſſylus ſeruat pomaria ſerpens,
Regius Alcinoi nec mihi ſeruit ager.

Ex Homerica deſcriptione maxime eos admirata eſt antiquitas. Viſebantur illic proceræ arbores, ſemper pomis onuſtæ, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis ſubnaſcentibus. Stat. *voſq; Qui nunquam vacui prodiſtis ad æthera rami.* Propert. lib. 3. eleg. 2. *Nec mea Phæacas æquant pomaria ſyluas.* Sic, ſyluas, inquam, nominauit & Maro 2. Georg. Tertullian. de Pallio pometum. Plin. lib. 19. cap. 4. Antiquitas nihil prius mirata eſt, quam Heſperidum hortos, ac Regum Adonis, & Alcinoi.

FERTILE PECTVS HABES] ingenium diues, & fæcundum.

INTER HELICONA COLENTES] inter poëtas. Chorus Muſarum frequentat montem Heliconem, quem colunt poëtæ, quia Heliconiadas colunt.

VBERIVS. N. PROVEN. ISTA SEGES] ſeges carminū. Nullus eſt te ad poëtandum promptior, copioſior, locupletior. Segetis vocabulum ad copiam, & multitudinem exprimendam adhibetur à Latinis. 3. Metam. *creſcitq; ſeges clypeata virorum.* Plaut. Aulular. *Tibi ego rationem reddam ſtimulorum ſeges?* Id eſt, in cuius tergo ſerere oporteat ſtimulos, ſeu, quam ſtimulis operire oporteat, ſicut alibi dicit, fuſtibus operire. Virgil. 3. Æneid. telorum ſeges.

FRONDES ERAT ADDERE SYLVIS] *In ſyluam ne ligna feras,* apud Horat. ſat. 10. lib. 1. Erat, vt ſupra dixit, dare mella Ariſtæo, Falerna Baccho, fruges Triptolemo. Eiuſdem claſsis ſunt, in mare aquam ferre, & noctuas, ſeu vlulas Athenas.

HÆC MIHI CVNCTAND. CAVSSA] ob hanc cauſſam ſerius ad te carmen mitto.

NEC TAM. ING. NOB. RESP. VT ANTE] Hæc poteſt eſſe altera, ſeu adiuuans cauſſa, ob quam cunctatus ſit ad eum carmen mittere. Eleg. 13. lib. 5. Triſt.

Adde

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.

Et paulo post.

Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.

Respondet, quod pro voto succedit, & tale est, quale optamus.

SICCVM STERILI VOM. LITT. ARO] prouerb. littus arare, pro frustra laborem consumere. Sunt siquidem oræ littorales fermè steriles propter terræ salsuginem, quæ humorem illius omnem exedit.

VENAS EXCÆCAT IN VNDIS] meatus occludit, & obturat.

LÆSAQVE SVPRESSO RESIST. AQVA] scaturigine impedita, & per limũ cohibita consistit aqua.

PECT. SIC. M. SVNT LIM. VIT. MALOR.] *ἀπὸ κοινοῦ*. Mala, & incommoda quibus in hisce locis iactor, & conficior, mihi limus sunt.

CARMEN VENA PAVPER. FLVIT] Verbum *vena* poëtæ præsertim, ad sua ingenia indicanda transferunt, de quo dixi alibi. Horat. Ode 18. lib. 2.

At fides, & ingenî benigna vena est.

Vena diues, pectus fertile. Contraria, vena pauper, pectus sterile.

IPSVM HOMERVM] Homeri ingenium laudant omnes, iudicium, & diligentiam non item, cui præcipue infestus est poëtarum Rhadamanthus Iulius Scaliger. Ergo etiam Homerus multum deperderet de præstãtia ingenij sui, si assiduo in his molestijs, & in medio barbarorum versaretur. Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Da mihi Mæoniden, & tot circumspice casus,
Ingenium tantis excidet omne malis.

Lege ibidem plura. Summus Homeri laudator est Max. Tyrius philosophus Platonicus, potissimum dissertat. 15. In quarta vero sic ait. Pulchra sunt Homeri poëmata, longeque omnium pulcherrima, maximeque augusta, & reuera digna, quæ à Musis canantur.

FACTVS ET ILLE GETES] qualis & Ouidius est factus: auget enim rem. Getes, stupidus, hebes, obtusus, vt sunt Getę. Ad ingenium enim, non ad morum feritatem referre oportet.

DA VENIAM FASSO] quia fassus: hæc enim æqua caussa est dandæ, & impetrandę veniæ, confessio delicti, aut quasi delicti. Nec quisquam adeo immitis est, qui confitentem abs se repellat.

STVDIIS QVOQVE FRÆNA REMISI] Ab equis, quibus fræna remittimus, & adducimus. Oscitantior, & languidior factus sum in studiis.

DVCIT. ET DIGIT. LITT. RARA. M] Explanat allegoriam. Remissio itaque frænorum, est rara scriptio.

IMPET. ILLE SACER. Q. VAT. P. NVTRIT] Deum, & spiritum sedibus æthereis venientem, & commercia cæli in Tristib. & Fast. appellat. Et hic impetus poëtarum ingeniis pro cibo, & alimento est, citra quem viuere, ac durare non possent.

QVI PRIVS IN NOB. ESSE SOLEB.] antequam tot, & tam diuturnis malis iactaremur. De illo autem præsente, vide quid cantet eleg. 1. lib. 4. Trist *Hic vbi meta calent sacro, &c.*

VIX VENIT AD PARTES] Vix venit in partẽ laboris, tergiuersatur. Eleg. 15. lib. 15. Trist. *Quato nostrorum cum sis in parte laborum.*

VIX SVMPTÆ MVSA TABELLÆ IMP. &c.] Eleg. 3. lib. 5. Trist. *sæpe tamen nobis, vt nunc quoque, sumpta tabella est.* Ostẽdit difficultatem, quam nunc experiatur in scribendo, ob ingenij situm, ac torporem. Tamen Musæ gratias agit eleg. 10. lib. 4. Trist. & de ea multò aliter prædicat. *Gratia Musa tibi &c.*

PARVAQVE, &c. SCRIBVOLVPT.] nec mirum, quandoquidem abest impetus ille sacer, qui est omni nectare dulcior.

NEC NVM. NECTERE VERBA IVVAT] Eleg. 13. lib. 5. Trist. *Inq; suos volui cogere verba pedes.*

SIVE QVOD HINC FRVCTVS, &c.] Duas caussas fastidij sui profert. Prior est, quia nullum adhuc ex labore suo fructum perceperit. Nihil enim eorum quæ voluit obtinuit. Fructum autem? Immo hoc malorum suorũ fuisse caussam, & principium, scribere inquam.

SIVE QVOD IN TENEBRIS, &c.] Posterior, quia cui legat mortalium Istic neminem habeat, & sibi tantum cantet. Quod perinde est, ac si in tenebris faceret histrioniam, quam nemo videret. An non talis ineptus est, & frustra laborat? Martialis irridens quendam malum poëtam, quem ob id nemo dignabatur legere, *Non scribit, cuius carmina nemo legit.*

EXCITAT AVDIT. STVDIVM] placere enim quisque audientibus, quam displicere mauult, & vt placeat conatur. Eleg. 4. lib. 3.

Plausibus ex ipsis populi, lætoq; fauore
Ingenium quoduis incaluisse potest.

LAVDATAQVE VIRTVS CRESCIT] Laudes quidam stimuli, & incitamenta virtutis sũt. Eleg. 13. lib. 5. Trist.

Deniq; non paruas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora laudis amor.

Apud Clementem Alexand. Pædagog. lib. 1. ἀρετὴ γὰρ ἐπαινουμένη δένδρον ὡς ὕδατι αὔξεται. Virtus enim laudata, vt arbor aquis irrigata crescit, & augetur. Quod à Pindaro videtur petiuisse, cuius est Nem. 8. αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις. Quod ab erudito viro sic translatum repetio, carmine sapphico.

Planta vti verno satiata rore
Crescit, assurgens tenues in auras;
Sic vtcunque virtus decorata cælo
Tollitur ingens.

Conuenienter his & Gregorius Theologus. ὧν γὰρ τοὺς ἐπαίνους οἶδα, τούτων σπουδὰς καὶ τὰς ἐπιδόσεις. Quarum rerum laudes, earum vtique & incrementa

noui.

noui. Contra Cic.t. Tuscul.iacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.

ET IMMENS. GLOR. CALCAR HAB.] Eleg. 6.

Gloria vos acuat, vos vt recitata probentur
Carmina, Pieriis inuigilate choris.
Eleg.1.lib.5.Trist.
Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
Ingenio stimulos subdere fama solet.

Cic.2.Tuscul.Natura nihil præstantius habet, nihil quod magis expetat, quam laudem, quam decus. Et pro Archia. Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur. At in 5.Trist.eleg.8.spectare se gloriam negat, contentum tempus, & curas fallere.

Nec tamen vt lauder vigilo, curamque futuri
Nominis, vtilius quod latuisset, ago.
Detineo studiis animum, falloque labores,
Experior curis & dare verba meis.

HIC MEA CVI RECIT.]Eleg.1.lib.4.

Sed neque cui recitem quisquam est mea carmina,
nec qui
Auribus accipiat verba latina suis.

QVASQVE ALIAS GENT.BARB.ISTER] & quæ aliæ gentes barbaræ præter Corallos Istrū accolunt.

SED QVID SOLVS AGAM?] non habens vel vnum mortalem, qui latinè mecum loquatur.Eleg.6.lib.1.

Cum dedimus somno corpus quas postulat horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?

QVAQVE INFÆLICIA PERD. OTIA MAT.] Quid aliud posim agere ad perdendum hoc infælix otium? Scribendo enim perdo otium, quia sine fructu scribo, & nullis auditoribus.

SVRRIPIAMQVE DIEM?] fallam diem. Ita transigam diem, vt illum me consumpsisse non sentiam.Eleg.10.lib.4. *Sic tamen absumo, decipioque diem.*

NAM NEQVE ME VINVM, &c.] Eleg.6. lib.1.

Nec iuuat in lucem nimio marcescere vino,
Nec tenet incertas alea blanda manus.

Enumerat tria genera occupationum, quibus A vacare posset, si à scribendo desineret. Sed priora duo vt indigna homine liberali repudiat, porationem, & lusum aleæ. Tertium dolet sibi per assiduas impresiones vicinorum hostium non licere, agriculturam scilicet. Inde concludit, nihil superesse sibi præter Musas, & hoc tamen esse frigidum, & exiguum, & inefficax solatium, ob ea nimirum, quæ hactenus dixit. Commoda & incommoda vini possem hoc loco recensere: sed id quia feci alibi, ni fallor, omittā. Lege Athenæum.

PIERID.SOLATIA FRIGID.] appositio.

NON BENE DE NOB. QVÆ MERVERE] quia propter carmen eiectus sum in exilium. Eleg.5. lib.3. nisi me mea Musa fugasset. Et tamen earum in se meritum prædicat eleg.1.lib.4. Trist. B *Me quoque Musa leuat, &c.* Et infrà: *Iure deas igitur veneror.* Nihil ista pugnant, si tempora distinguas, & rei diuersam conditionem perpendas.

CVI BIBITVR FÆLICIVS AONIVS FONS] Inter alia nomina Musæ habent & Aonidum, ab Aonia regione. Fontes earum res vulgatissima. Aquas Castalidas, & Aganippæas, & Aonias bibere oportet, qui poëta cupit euadere. Persius in præfat. etiam dormire, & somniare in Parnasso iubet. Seuerus fælicius bibit hos latices, quia loco tutissimo, & beatissimo cum admiratione audientium scribit carmina.

VTILIT. STVD. Q. TIBI CED. AMA] ego enim nullum laudis, aut vtilitatis alicuius fructū inde consequor.

C *SACRAQVE MVSAR. MERITO COLE*] quandoquidem non gratis ea colis, & debes Musis tuis.

HVC ALIQVOD CVRÆ.M.RECENT.OP.] Carmen aliquod abs te recens compositum, quo legendo nos oblectemus, & quod relegendo longius faciamus, vt eleg.5.lib.3. de oratione Cottæ sibi missa dixit. In qua elegia est hic versus. *Sæpe, precor, studij pignora mitte tui.*





ELEGIA TERTIA.

Ad amicum instabilem.

EXPROBRATIO INCONSTANTIAE, ET FORTVNAE MVTABILITAS.

ARGVMENTVM.

Exprobraturus cuidam defectionem, & perfidiam, ambigit, vtrum id expresso eius nomine, an tacito faciat. Decernit tacito, ne hoc ipso si nominet, aliquod ei nomen pariat. Vituperat igitur disertè mobilitatem hominis, qui etiam nosse Nasonem dissimulet, vt hoc modo miserum pudefaciat, & aut simulationis præteritæ, aut leuitatis præsentis conuincat. Quærit, in quo ipsum læserit, & indignè fert, se quoque absentem ab eo verbis lacerari. Monet de timenda fortunæ vicissitudine, quam pluribus exemplis, suo non prætermisso, amplificat.

Conquerar? an taceam? ponam sine nomine crimen?
An notum qui sis omnibus esse velim?
Nomine non vtar, ne commendère querela,
Quæraturq́; tibi carmine fama meo.
Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras:
Nunc, quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri,
Quisq́; sit audito nomine, Naso, rogas.
Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetusta
Pæne puer puero iunctus amicitia.
Ille ego qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi iucundis primus adesse iocis.
Ille ego conuictor, densoq́; domesticus vsu,
Ille ego iudiciis vnica Musa tuis.
Ille ego sum, qui nunc an viuam, perfide, nescis,
Cura tibi de quo quærere nulla fuit.

Siue

Siue fui nunquam carus, simulasse fateris:
Seu non fingebas, inueniere leuis.
Aut age dic aliquam, quæ te mutauerit, iram:
Nam nisi iusta tua est, iusta querela mea est.
Quod te nunc crimen similem vetat esse priori?
An crimen, cœpi quod miser esse, vocas?
Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas,
Venisset verbis charta notata tribus.
Vix equidem credo: sed & insultare iacenti
Te mihi, nec verbis parcere fama refert.
Quid facis ah demens? cur, si fortuna recedat,
Naufragio lacrymas eripis ipse tuo?
HAEC DEA NON STABILI, QVAM SIT LEVIS, ORBE FATETVR,
QVAE SVMMVM DVBIO SVB PEDE SEMPER HABET.
Quolibet est folio, & quauis incertior aura,
Par illi leuitas improbe facta tua est.
OMNIA SVNT HOMINVM TENVI PENDENTIA FILO,
ET SVBITO CASV, QVAE VALVERE, RVVNT.
Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracosia modò formidatus in vrbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipse rogauit
Summissa fugiens voce clientis opem:
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Iugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties consule Roma fuit,
In cœno Marius iacuit, cannaque palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
LVDIT IN HVMANIS DIVINA POTENTIA REBVS,
ET CERTAM PRAESENS VIX HABET HORA FIDEM.
Littus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ:
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quicquid & in tota nascitur Anticyra.
Sum tamen hæc passus: nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cauere Dei.
TV QVOQVE FAC TIMEAS, ET, QVAE TIBI LAETA VIDENTVR,
DVM LOQVERIS, FIERI TRISTIA POSSE PVTA.

COMMENTARIVS.



CONQVERAR, AN TACEAM?] Interrogationes principio orationis, seruiunt affectui. Hoc loco indignationem, & itam geminata intertogatione expresit.

PONAM SINE NOMINE CRIMEN?] Quod solemus, cum alicuius famæ consultum cupimus. *Parcere personis, dicere de vitiis*, secundùm Martialem.

AN NOTVM QVI SIS OMNIBVS. E. VELIM?] an ponam nomen tuum, & te velut stigmate inustum, reddam notum omnibus? Fingit nomina Martialis in vitiosis insectandis, quod & alibi obseruauimus.

NOMINA NON VTAR] Ex ptima dubitatione eligit partem aientem, conqueritur enim. Ex secunda negantem; non enim hominem nec vero, nec falso, ac ficto nomine appellat. Caussam annectit.

NE COMMENDERE QVERELA] Etiam reprehendi, & quauis de caussa à claris sctiptoribus nominari, quippiam famæ, quanquam non honestæ, famæ tamen conciliat: sicut occidi à forti, ac bellicoso viro honorificum, & gloriosum ad famam putant qui occiduntur. Perstringit quendam Rauidum Catullus, qui cum aliter in hominum notitiam peruenire non potuerit, vel famosis versibus, & cum summo dedecore peruenire optauerit.

Quænam te mala mens, misselle Rauide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An vt peruenias in ora vulgi?
Quid vis? quà lubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

C QVAERATVRQ. T. CARM. F. MEO] vt quæras ex meo carmine apud posteros famam, sicut Herostratus ex incenso templo Dianæ Ephesinę.

DVM MEA PVPP. E. VALIDA, &c.] Puppis, nauis, carinæ, cymbæ, ratium, secundæ, & aduersæ tempestatis, procellæ, ventorumq́ue nominibus conditionem, ac statum suum libenter significat, quod item in Tristibus notauimus.

QVI MECVM VELLES CVRRERE] Dictum antea, currere, & cursus ad nauigationem sæpenumero transferri. Eleg. 1. lib. 1. Trist. *Sine eqm est velis, minimam bene currit ad auram.* Virgil. 3. Aeneid. *que cursum ventasq́ue, gubernatorq́, vocabant.* Cic. pro Muræna. *Cum contento cursu hostium classis Italiam peteret.* Plura afferre nihil est necesse.

QVIA CONTRAXIT VVLT. FORTVNA] Eleg. 1. *fine trabis vultu.* Non manet in metaphora. A cursu enim, qui est proprius animalium pedestrium, transit ad vultum, quem fortunæ tribuit,

A & id licet. Exempla notauit in Catulli phaselum Muret. Commẽtariis. Vultus ergo fortunæ contractus, est rerum in deterius mutatio, lætarum in tristes, contracti enim vultus tristium, ac mœrentium.

AVXILIO POSTQ. SCIS OP. ESSE TVO] nec enim me, sed commoda amabas tua, id quod discessio tua probat. Si germanè amasses, ope tua mihi succurrisses aliquando.

NEC ME VIS NOSSE VIDERI] Exaggerat scelus. Defecisti cum fortuna. Non est tibi hoc satis, etiam videri vis me nunquam nouisse, nec tibi quidquam mecum fuisse.

QVIQVE SIT AVD. NOM. NASO ROG.] O calliditatem, vel nequitiam potius. Etiam hoc addis.

QVANQVAM NON VIS AVDIRE] etsi te hîc surdum, & me mutum optares, quia improbita-
B tem tuam omnibus testatam relinquam.

VETVSTA PAENE. P. P. IVNCT. AMICITIA] Rectè vetusta, si pæne à pueris. Laus amicitiæ ab antiquitate. Bonum, & vtile consilium Ecclesiastici, cap. 9. *Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum amicus nouus: veterascet, & cum suauitate bibes illud.*

PRIM. TVA SERIA NOSSE SOLES.] Cum nemine priua, quam mecum tua seria communicabas. Eleg. 10. lib. 1. de familiaritate, quæ sibi fuerat cum Celso.

Sæpe refert animus lusus grauitate carentes,
Seria cum liquida sæpe peracta fide.

Et 1. Trist. eleg. 7.

Quid nisi tot lusus, & tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus seriaq́, ipse tua?

QVI TIBI IVCVND. PRIM. AD. IOCIS] Nec in leuibus, & ludicris potiorem me sodalem habebas.

C ILLE EGO CONVICTOR] græcè ὁμοτράπεζος, συμβιώτης. Qui cum aliquo vnà cibum capit. Posterius magis sonat latinè contubernalis. Cic. F. ep. 21. lib. 16. Vtor familiaribus, & quotidianis conuictoribus, quos secum Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. Membra conuictus sui vocat poëtas quosdam elegia 10. lib. 4. Trist.

DENSOQVE DOMESTICVS VSV] ita sæpe domi tuę visebar, tam frequens mihi vsus tecum, vt numerari possem domesticus tuus, καὶ σύνοικος.

EGO IVDICIIS VNICA MVSA TVIS] sic delectabatur desertor iste Ouidij carminibus, vt eum poëtis omnibus anteponeret, ipsam Musam appellaret, quomodo ob suauitatem orationis Isocrates Attica Siren, Xenophon, & Sophocles Attica Musa dicti. Atque hæc omnia ad amplificandam illius perfidiam prolata sunt. *Ille ego sum, &c.*

Ille ego qvi nvnc an vivam, &c.] Cum sim ille, quem me tibi fuisse dixi, & cum tanti me, ego te quoque tanti fecerim, & tam familiariter, coniunctéque tecum vixerim, tu nihilominus eo progressus es perfidiæ, vt simules te nescire vtrum superstim, & quid me fiat quærere negligas. Plaut. Capt. *viuum cum inde abimus liquimus. Nunc viuat nec ne, id orcum scire oportet scilicet.*

Sive fvi nvnq. char. sim. fat.] Dilemma est, Ciceroni complexio, in qua vtrum concesseris, reprehenditur. Aut nunquam me dilexisti: aut reuera dilexisti aliquando. Si illud, ergo simulator fuisti: simulamus enim id quod non est esse: & aliud clausum in animo, aliud promptum in lingua habuisti. Si hoc, ergo reus es leuitatis, quia turpiter defecisti. Aut fallax, aut leuis es, nihil est tertium. Sicut autem fallacia candori, ita leuitas grauitati, & constantiæ aduersatur, & est turpissima. Cicer. 1. Philipp. quid est enim inconstantia, mobilitate, leuitate turpius?

Dic aliq. qvae ta mvt. iram] Si leuitatem neget, & videri postulet iusta de caussa ab eo discessisse, quærit quæ sit illa, & ostendi cupit sibi, in quo eum offenderit.

Nam nisi ivsta. t. e. ivst. qverel. m. est] Festiuè, & argutè. Vterque iustè conqueri non possumus. Ergo alterum necesse est iniustè conqueri. Tu verò ne conqueri quidem de me quidquam potes. Igitur ego iustè de te, cum hæc mihi quæ dixi feceris.

Qvod te nvnc crim. simil. &c.] si non videor tibi iustè queri, profer crimen, quod te abalienarit. Premit aduersarium.

An crimen, coepi qvod miser esse] ostendit perfidum illum sceleris sui præter exilium Ouidij caussam nullam habuisse.

Si mihi rebvs opem nvllam, &c.] Redit ad exaggerandam eius defectionem ab adiunctis. Si mea caussa facere nihil vel poteras, vel audebas.

Venisset vsra. c. not. tribvs] Briseis Achilli,

Quam legis, à rapta Briseide littera venit,
Vix bene barbarica græca notata manu.

Tribus verbis aliquid dicere, est paucis dicere. Cic. pro Cluent. accusabat Scamandrum verbis tribus, venenum esse deprehensum, &c. Similiter dicimus quippiam vno verbo transigere, expedire. Libelli breuitatem indicans Catullus, dixit, *omne æuum* (id est, omnis æui historiam) *tribus explicare chartis.*

Vix eqvidem credo] tanta est rei indignitas, tantumq; videris mutatus ab illo, vt credere vix queam, si ita est, vt audio.

Sed at insvltare iacenti, &c.] Hoc est illud vix credibile. Primus peccati gradus fuit, desciscere ab amicitia sine vlla caussa. Alter, simulare ne nosse quidem. Tertius, etiam insultare misero, & detrahere de eo in circulis, affirma-

A reque, nescio qualem esse, & pœnam commeruisse: & hoc tam non occultè, vt fama nuntiante vsque in Scythiam sit cognitum.

Qvid facis ah demens?] Virg. eclog. 2. *Quem fugis ah demens?* stultè illum facere, & inconstantis fortunæ admoniturus, hoc velut præludium prætexit.

Cvr si fort. recad. navf. lacrym. &c.] Exemplo tuo doces alios abs te deficere, nec miserari, & lacrymis prosequi conditionem tuam, cum fortuna tua mutata, te velut naufragum reliquerit. Seneca in epistol. Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum promiserat. Momento mare reuertitur: eodem die vbi luserunt nauigia, sorbentur.

B Non stat. qvam. s. levis. o. fat.] Locus illustris de instabilitate fortunę. De orbe, seu globo fortunæ habes annotata in elegia 9. lib. 5. Trist. ibi, *Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe Numen.*

Qvas svmm. dvr. svb. p. s. hab.] Ibid.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Summum subaudi orbem, quem dixerat. Huius igitur orbis cui insistit Fortuna, pars summa mox ima euadit. Nam vt alibi dictum, *versatur celeri sors leuis orbe rota.* Dubius est pes eius, quoniam statio eius, & permansio planè incerta, ac fallax. Ac proinde iuxta consilium Senecæ in Consolat. ad Martiam, sæpe admonendus est animus

C metuere vt recessura, immo tanquam recedentia, & quidquid à fortuna datum est, tanquam exemplum ab auctore possideat.

Qvolibet est fol. q. incert. avra] Optimè his duabus rebus fortunę mobilitas expressa est. De foliis Horat. Ode 23. lib. 1. *Nam seu mobilibus veris inhorruit Aduentus foliis.* De aura noster 3. de Arte. *Accipienda sinu mobilis aura veni.* Et 8. Metam. *modò quas vaga mouerat aura.* Lucret. lib. 5. *Aurarumq; leues animæ.*

Par illi lavit. sola tva] Tam tu leuis, & mutabilis, quam fortuna: nec quisquam tibi in hoc similis: omnibus palmam præripis. Macte virtute.

Omnia. s. h. hom. ten. p. filo] senten-

D tia grauis de rerum humanarum fragilitate, infirmitate, & incertis euentibus. Vide principium Troadum Senecæ. Menander.

Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἄνδρα, τοῦτ᾽ οὐ πείσομαι
Istuc mihi non eueniet, haud dixeris.

Lege historiam de Dionysio Syracusanorum tyranno, & Damocle assentatore 5. Tusculan. cuius me filum istuc Ouidianum admonuit. Ex ea disces, nihil esse beatum, cui semper aliquis terror impendeat. Cui autem non impendet, si omnia nostra tenui filo pendent? Ennius 3. Annali. *Hac noctu filo pendebit Etruria tota.* Quo versu imminens regioni periculum denũtiauit, tam facilè nimirum illam posse ruere, quam onus è tenui filo suspensum. Allusit huc Cic. pro Flacco. Salus nostra

ſpe exigua, extremaque pendet. Suidas, *ἀπὸ λεπτοῦ μίτου τὸ ζῆν ἠρτημένον.*

Et sva. casv. q. val. rvvnt] non tantum ruunt, ſed & ſubito, & improuiſo caſu ruunt. *Irus & eſt ſubitò qui modo Crœſus erat,* vt ſcripſit eleg. 7 lib. 3 Triſt. Et in extremo huius elegiæ, *& quæ tibi læta videntur, Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.*

Opvlentia Croesi, &c.] Crœſus regum ditiſsimus à Solone ſapiente monitus eſt, ne quenquam putaret beatum vocandum quamdiu viueret, & quod in longinquitate temporis *πολλὰ μὲν ἔστιν ἰδεῖν τὰ μή τις ἐθέλει, πολλὰ δὲ καὶ παθεῖν,* multa videre, multa etiam perpeti oporteat, quę nolimus. Huius præcepti immemor Crœſus, è ſumma potentia cò deuolutus eſt miſeriarum, vt iam in rogum à Cyro Perſarum rege victore imponendus, commemoratione huius viri ſapientis, & conſilij ſibi dati vitam impetrarit. Herodot. lib. 1.

Ills Syracosia. m. formid. in vrb] Dionyſius iunior, ſenioris ſucceſſor, ob tyrannidem pulſus à Syracuſanis, Corinthi ludum aperuit, & pueros Grammaticam docuit, vt ex mineruali, ſiue didactro victum toleraret; vſque eo carere imperio non poterat, inquit Cic. 5. Tuſcul. in quem locum vide Comment. Beroaldi. Meminit & Lucia. in ſomnio, ſiue Gallo. *παιδία συλλαβίζειν ἀναγκάζων* puerulos cogens ſyllabas connectere. Syracoſio dixit pro Syracuſio, metri cauſſa. Sic Virgil. eclog. 4. *Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu, &c.*

Hvmili arts] Grammaticam nominat artem humilem, quia diſcitur à pueris, quorum ceſſationem, & lapſus magiſtri ſerulis puniunt. Et præ aliis diſciplinis pæne nihili fit, ridenturque Grammatici. De eius regno tamen præclarè hunc in modum Quintil. lib. 1. cap. 1. Et Grammatice (quam in latinum transferentes literaturam vocauerunt) fines ſuos norit, præſertim tantum ab hac appellationis ſuæ paupertate, intra quam primi illi conſtitere, prouecta. Nam tenuis à fonte, aſſumptis poëtarum, hiſtoricorumque viribus, pleno iam ſatis alueo fluit: cum præter rationem rectè loquendi, non parum alioqui copioſam, prope omnium maximarum artium ſcientiam amplexa ſit.

Qvid fverat Magno maivs?] De laudibus Pompeij legendi Plin. lib. 7. cap. 26. Cicero pro lege Manilia, quam orationem quidam, vt Gellius, pro Pompeio inſcribunt. Magni cognomen à multis ſibi oblatum, ideo non recuſauit, quod ſe Magno Alexandro ſimilem fore confideret. Quam eius ſpem ridentes, & contemnentes æmuli, Alexandrum iocosè vocabant. Sylla Dictator ob eximiam, ſingularemque virtutem, & quod eius partes ſtrenuè iuuiſſet, obuio de equo deſcendere, ſurgere de ſella, caput aperire ſolitus eſt. Lege Victor. lib. 5. cap. 2. Cic. pro Milone Magnum abſolutè nominat. Te, Magne, tamē atteſtaretur, quod nūc etiam facit. Ita hîc Ouid.

Rogavit svo. client. opem] confundit hiſtoriam. Nam Ptolemæum Auleten ab Alexandrinis exactum, & Romam profectum Pompeius excepit, ſenatuiq; commendauit: & is Ptolemæi pueri (quo regnante occiſus eſt Pompeius, cum victus in pugna Pharſalica ad eum præſidij cauſſa confugeret) pater fuit. Non itaque filius, ſed pater Pompeij cliens. Videndi Plutarch. & Appian. 2. Ciuil.

Totvs terrarvm parvit orbis] propter innumeras victorias, de quibus apud Plinium lib. 7. cap. 26. Velleius libro 2. Tum victor omnium quas adierat gentium Pompeius, ſuoque, & ciuium voto maior, & per omnia fortunam hominis egreſſus, in Italiam reuertit, &c.

Indio. effect. omnibvs ipsa magis] Penthemimeris, præciſio, ſiue cæſura longa in elegiaco, quod in noſtro haud ſcio an ſæpius obſeruaueris. Habet tamen exempla Tibulli, Catulli, Propertij. Vide Scalig. cap. 40. lib. 2. Huic verſiculo dabunt lucem, quæ de funeratione illius à Plutarcho narrantur. Caput Pompeij deſecuerunt Aegyptij: truncum è nauicula nudum proiecerunt, reliqueruntque ſpectare cupientibus. Philippus dum ſatiarent oculos remanſit apud eum. Inde aqua marina abluit corpus, ac tunicula quadam ſua inuoluit. Cum nihil aliud ad manum eſſet, circumſpiciens littus, reperit paruulæ nauiculæ piſcatoriæ marcidas quidem reliquias: ſed quæ ſufficerent ad rogum cadaueri nudo, nec ei integro, &c. Velleius li. 2 poſtquam trucidationem eius narrauit (in qua narratione variant auctores) hæc addit. Hic poſt tres conſulatus, & tres triumphos, domitumque terrarum orbem, ſanctiſsimi, ac præſtantiſsimi viri, in id euecti, ſuper quod aſcendi non poteſt, duodeſexageſimum annum agētis, pridie natalem ipſius fuit exitus: in tantum in illo viro à ſe diſcordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam.

Ivgvrth. clar. cimbroq. trivmph] C. Marius, de quo Plutarchus. Iugurtha ab eo in triumpho ductus, Romæ in carcere cum fame colluctans, intra ſextum diem expirauit.

Qvo victrix tot. cons. Roma] an toties victrix, an toties conſule? ſeptimum quippe conſulatum geſsit.

In coeno iacvit] Syllæ crudelitatem, & equites eius ſe inſectantes atque ad necem conquirentes timens, nudus, ac limo obrutus, oculis tantum, ac naſo eminentibus, in arundineto, ſeu in palude Marica ignotus iacuit. Valer. lib. 2. quam fugam innuit Virg. 2. Aeneid. ſub perſona Sinonis. *Limoſoque lacu per noctem obſcurus in vlua Delitui.*

Pertvlit et. t. m. pvd. viro] His conflictatus in animo cogitationibus, inquit, longosq; languores, & fugas, & diſcrimina, quibus fuerat terra marique iactatus ob oculos ponens, in miras perplexitates, nocturnos terrores, in-

quieta

quieta somnia incidit, semperque visus est aliquẽ audire qui diceret, *Sunt etenim vel sana abeuntis lustra leonis.* Quia vero exhorrescebat præsertim vigilias, velut refugium à sollicitudinibus somnum machinans, ad pocula, & intempestiuam, ac minimè conuenientem ætati suæ remulentiam se conuertit.

Lvdit in hvman. d. p. res.]Plaut. Capt. *Enimuero dij nos quasi pilas homines habẽt.* Sumus diis tanquam pilæ quibus ludunt, & ex nobis oblectationem petunt, & modò nos diuites ex inopibus, modò inopes ex diuitibus: modò liberos ex seruis, modò seruos ex liberis efficiunt. Sumus eorum παίγνια, & ἀθύρματα, seu ludicra, & oblectamina. Æsopus interrogatus quid ageret Iupiter, respondit, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ, alia ædificat, alia destruit. Adde his quæ à Ionio afferuntur, adagio, Homo Dei ludibrium. Ita quidem insipientibus videtur, Deum in rebus humanis ludere. Ille autem agit seriò, quod agit, cuius consilia inscrutabilia.

Et cert. p. vix. h. hora fid.]cuiusdam Varronis Satyræ Menippeæ epigraphe fuit, Nescis quid vesper serus vehat. Quo dicto, & tanquam prouerbio monemur, ne vnquam de vlla re securi simus. Eo respexit Virgil. Georg. 1. *Denique quid vesper serus vehat.* Et Philippus rex apud Liuiũ Decad. 4. li. 9. Thessalis minans adiecit, nondum omnium dierum solem occidisse. Non possumus itaq; in horam nobis certum aliquid promittere, nedum in diem, hebdomadem, mensem, annum.

Littvs ad Evxin. si qvis mihi, &c.] Exemplis fortunæ instabilis addit postremo suum. Nunquam credidisset se fore exulem in regione Pontica ad Euxinum mare, & tamen factus est.

A Pvrgantes pectora svccos] Mentis valetudine affectos, seu insanos, iubemus purgare cerebrum, sumptis quibusdam succis, aut elleboro, vt sequitur.

Qvidqvid et in. t. nascit. Anticyra]Elleborum vora, quod nascitur in insula Anticyra. Horat. ad Pisones insanabilem insaniam vt significaret, dixit, *si tribus Anticyris caput insanabile nunquam Tonsori Licino commiserit.* Vide Chiliasten in, Bibe elleborum, &, Nauiget Anticyras.

Et metvs abev. n. fer. Getae] Eleg. 1. lib. 1.

Hostibus in mediis, interq; pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.

Eleg. 3. lib. 5. Trist.

Quam quod finitimo cinctus premor vndiq; Marte,
Vixq; breuis tutos murus ab hoste facit.

Svm tamen haec passvs]tam insperata, & incredibilia.

B Nec si mortal. possim, et svmmi, &c.] Virgil. 1. Aeneid.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi, atque nefandi.

Præclara vox Eleazari Machabæi, senis fortissimi, & in patria religione seruanda constantissimi, lib. 2. cap. 6. *Nam etsi in præsenti tempore supplicia hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.*

Tv qvoqve fac timeas] Intuens in tot exempla, puta fortunam tuam quoque non esse adamātinam. Non enim vel nobilior, vel ditior, vel clarior, vel diis charior es quam illi fuerunt, vt te ista securum præstare possint.

Dvm loqvseris] vno momento, puncto temporis. Horat. Ode 11. lib. 1. *Dum loquimur fugerit inuida ætas.* Imitatus est Persius, vt alia ex eodem vate quam plurima, sat. 5. *Viue memor leti: fugit hora, hoc, quod loquor, inde est.*

ELEGIA QVARTA.
Ad Sex. Pompeium.

GAVDIVM DE FVTVRO EIVS CONSVLATV.

ARGVMENTVM.


Ec in dies singulos cadere pluuiam: nec vllum campum, agrumúe esse tam sterilem, qui cum inutilibus herbis non aliquam vtilem effundat. Sic fortunam contrariam nihil vsque adeo fecisse miserandum, vt nulla ex parte gaudio

locus sit. Et se igitur, quanquam carentem omnibus bonis, inuenisse tamen vnde lætetur. Visum enim sibi audire vocem, ipsum Pompeium Consulem designatum in annum sequentem. Ea voce sic exultasse, vt malorum suorum non meminerit. Post hæc futuram senatus, populique Romani, ipso Kalend. Ianuariis magistratum occipiente, lætitiam, & gratulationem cumulatissimè describit, & se tantis voluptatibus interesse non posse dolet. Optat eum meminisse sui. Quod si facere intelligat, sensum exilij sui illico minus acerbum sibi fore. Confer hanc elegiam cum 9. qua & Græcinum Consulem designatum alloquens, quanta ipso ineunte lætitia bacchaturus sit, disertissimè exponit.

Nulla dies adeò est australibus humida nimbis,
Non intermissis vt fluat imber aquis.
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illo
Mista ferè duris vtilis herba rubis.
Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum.
Ecce domo patriáque carens, oculísque meorum,
Naufragus in Getici littoris actus aquas:
Qua tamen, inueni, vultum diffundere caussa
Possim, fortunæ nec meminisse meæ.
Nam mihi, cùm fulua tristis spaciarer arena,
Visa est à tergo penna dedisse sonum.
Respicio: nec corpus erat quod cernere possem:
Verba tamen sunt hæc aure recepta mea.
En ego lætarum venio tibi nuncia rerum
Fama, per immensas aëre lapsa vias.
Consule Pompeio, quo non tibi carior alter,
Candidus & fælix proximus annus erit.
Dixit: &, vt læto Pontum rumore repleuit,
Ad gentes alias hinc Dea vertit iter.
At mihi delapsis inter noua gaudia curis,
Excidit asperitas huius iniqua loci.
Ergò vbi, Iane biceps, longum reseraueris annum,
Pulsus & à sacro mense December erit:
Purpura Pompeium summi velabit honoris,
Ne titulis quicquam debeat ille suis.
Cernere iam videor rumpi pene atria turba,
Et populum lædi deficiente loco.
Templáque Tarpeiæ primùm tibi sedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota deos.

Colla boues niueos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Cumq́ deos omnes, tum quos impensius æquos
Esse tibi cupias, cum Ioue Cæsar erit.
Curia te excipiet, patresq́ ex more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
Hos vbi facundo tua vox hilarauerit ore,
Vtq́ solet, tulerit prospera verba dies:
Egeris & meritas superis cum Cæsare grates,
Qui caussam, facias cur ita sæpe, dabit:
Inde domum repetes, toto comitante senatu,
Officium populi vix capiente domo.
Me miserum, turba quòd non ego cernor in illa,
Nec possunt istis lumina nostra frui.
Qua licet absentem, qua possum mente videbo:
Aspiciet vultus consulis illa sui.
Dij faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
Nomen: & heu, dicas, quid miser ille facit?
Hæc tua protulerit si quis mihi verba, fatebor
Protinus exilium mitius esse meum.

COMMENTARIVS.

NVLLA DIES. A. EST AVSTRAL. H. NIMBIS] Ad hunc versum illustrandum faciunt illa Horatiana Ode 9. lib. 2. *Non semper imbres nubibus hispidos, &c.* Tibullus lib. 3. elegia 6. tametsi allegoricè. *Venit post multos vna serena dies.* Nimbis australibus, quoniam Auster, alio vocabulo Notus, creat pluuias, & vel ab hauriendis aquis, quasi hauster: vel ab humore, qui græcè *νότις*, Noti nomen accepit. A Virgil. 1. Georg. humidus, ab Ouidio 1. Metamorph. pluuius dictus.

——Scythiam, septemq́ triones
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuioq́ madescit ab Austro.

Et libro 3. *nec soluit aquaticus Auster.* Satis se prodit hoc primo disticho Theocritæa Nasonis imitatio. *Sic enim ille Idyll. 14.*

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Ne despunde animum: melior sors crastina forsan.
Spes comes est viuis, non est comes illa sepultis.
Iupiter ipse etiam pluuius fit, mox́q serenus.

NEC STERILIS LOCVS VLLVS] sterilem vocat locum, non qui nihil producit, vt mulie- A rem, & mulam steriles dicimus, quod nunquam pariant: sed qui non vtiles herbas effert. Perinde enim hoc est, ac si nihil gigneret. Sic Virgil. 1. Georg. *Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.* Si incenditur, oportet eum habere quod ardeat.

DVRIS RVBIS] Rubus, genus fruticis, vnde rubetum. Hac voce intellige totum genus, vrticas, spinas, vepres, zizania, &c.

NIL ADEO MISERAE. FECIT] adeo misetum, perditum, ac desperatum.

VT MINVANT. N. GAVD. P. MAL.] vt non B respiretur aliquando. Vt non eueniat quiddam vel serò, quod aliquo solatiolo perfundat mœstum animum.

ECCE DOMO, PATRIAQVE CARENS, &c.] A thesi transit ad hypothesin, & se statuit pro exemplo. Miserabilis est, quia carere cogitur rebus charissimis. Rursum, quia inter inhumanos Getas, ceu naufragus in mari versatur, duplex malum habet.

VVLTVM DIFFVNDERA] Gaudium diffundit spiritus, & hinc etiam vultum. Atque hoc est, quod ait Catullus de nupt. *declarant gaudia vultu.* Tristitia contrà spiritus contrahit cum vultu.

Fortunæ nec meminisse meæ.] Non tam in lætis tristium, quam in tristibus lætorum obliuiscimur. Neutrum porrò laudabile, si sapientem audiamus. *In die bonorum, inquit, ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Eccles. 11. Alterum enim in secundis modestos: alterum in turbulentis tolerantes reddit. A

Cum fulua trist. spatiar. arena] Auditionem sibi oblatam narrat.

Visa est a tergo. p. ded. sonum] Ingeniosè, & αἰνιγματικῶς, quod fama vulgabat, ait se ex voce à tergo sonante cognouisse. Et tamen quia pennæ sonitum audiuerit, nec corpus aliquod respiciens videre potuerit, hoc ipso nil nisi famam fuisse declarat, quã & mox apertè nominat. Ea enim quia celeriter percrebrescit, volare dicitur, & ei alæ affinguntur. Corpus tamen non est, licet Virg. 4. Aeneid. σωματοποιῶν vt monstrum describat, accommodatè ad eius naturam videlicet.

Lætar. ven. tibi nunt. rerum] Et læta, & tristia, & vera & falsa nuntiat. Et parua metu primo, crescit eundo, & caput inter nubila condit.

Per immens. aere lapsa vias] per immensos tractus aëris. Per cæli spatia longissima, Roma vsque in Pontum. Audiamus quid nuntiet.

Consule Pompeio cand. et fasc. &c.] Anno venturo consulatum geret Sex. Pompeius. Qui annus ob id faustè, fæliciterque procedet. Temporum enim fælicitas à Rectoribus probis, & sapientibus pendet magnam partem. Pulsis regib' ex perpetuo imperio annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine, vel mora corrumperetur, Consulesque appellati pro regibus, vt consulere se ciuibus suis debere meminissent. Florus lib. 1. cap. 9.

Quo non tibi charior alter] Horat. sat. 5. lib. 1. *neque quis me sit deuinctior alter.* Virg. 6. Aeneid. *quo non præstantior alter.* Fuisse sibi charissimum, testatur satis eleg. 1. lib. huius.

Vt læto Pont. rum. repl.] rumore latè disseminato omnium aures impleuit, omnium inquam Ponticas regiones habitantium.

Ad gentes alias vertit iter] Quasi propter Ouidium exhilarandum, à quo Pompeius maximè diligebatur, prius volare in Pontum debuerit. Res enim nostræ amicis primùm vel præsentibus indicandæ, vel absentibus nuntiandæ sunt. Blanditur autem Pompeio, dum consulatus eius nuntium per gentes circumlatum fingit.

Dilapsis inter noua gaudia curis] Inter gaudia de re noua euanuit angor meus.

Excid. asperit. h. iniq. loci] quemadmodum curæ anxiæ dilapsæ sunt: ita cogitationes de huius regionis asperitate, quæ tamen ipsa pars curarum erat.

Vni Iane biceps long. reser. annum] 1. Fast.

Iane biceps anni tacitè labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

Ianum se nominari autumat ibidem, quia præsideat foribus, seu ianuæ cæli cum mitibus Horis. Cur autem biceps, duplicem caussam tradit, quam tu legas licet, de Chao, & custodia mundi. Bicipitem, seu bifrontem Ianum ideo dictum putant nonnulli, quia is post acceptum hospitio Saturnum, mitiore viuendi ratione inuenta, hominibusque ad mores mansuetiores à ferina vita deductis, duplicis vitę auctor est habitus, cum vtraque sub illo fuisset, quod Plutarchi verba in Numa confirmant, quæ adscribam. Ianus apud antiquos siue dæmon, siue rex, vrbanus fuit, & perbenignus. A ferina, & agresti vita dicitur homines ad aliam meliorē reuocasse. Quare etiam bifrontem effingunt, tanquam qui alteram ex altera viuendi rationem instituerit. Aliam caussam adducit Macrob. 1. Saturnal. cap. 7. post, inquit, ad Ianum solum regnum redactum est, qui creditur geminam faciem prætulisse, vt quæ ante, quæque post tergum essent intueretur. Quod procul dubio ad sollertiam regis, prudentiamq; referendum est, qui & præterita nosset, & futura prospiceret. Seruius ad 7. Aeneid. hoc modo. Qui Ianum bifrōtem faciunt, ij eum dominum diei, qui habet ortum, & occasum, id est, 24. horas, volunt. Atque hinc diespiter quoque diei pater, & matutinus dicitur. Vnde Horat. sat. 6. lib. 2. *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Hoc Seruianum cum dominio illius ductum portarum, ortus & occasus connenit. B C

Longum annum] Virgil. 3. Aeneid. vocauit magnum annum. *Interea magnum sol circumuoluitur annum.* Comparatione scilicet lunaris breuissimi. Vide ibi Symb. nostras.

Purp. Pompeium. s. velabit hon.] Induet purpuram Pompeius, quæ datur, & permittitur summo honori, summo magistratui, consulatui puta, quo tum Romæ honor superior nullus. Et Græci ab excellentia potestatis ὕπατον nuncupāt. 1. Fast. *Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget.*

Ne titulis quidq. d. illę suis] Nihil amplius debebit reliquis titulis suis, & honoribus, si hunc principem, & primarium adeptus fuerit, tantoperè ab hoc ornabitur. D

Rumpe frenis atria turba] atria domus Pompeij gratulantium, ac plaudentium multitudine refertissima, vt pæne rumpi videantur.

Et populum lædi def. loco] comprimi, & ex compressu pæne exanimari multos.

Templaque Tarpeiæ primum, &c.] Eleg. 9. *At tum Tarpeias esses deductus in arces.* In Capitolium, templum Iouis, in monte Tarpeio. De ritibus istis, noni coss. ineuntibus agemus commodius ad 1. Fastor. Deo annuente.

Fieri faciles in tva vota deos] A benignas anres præbere, & annuere votis tuis.

Colla boves nivsos. c. praeb. secvri] mactari boues albos, seu candidos in sacrificium. ἱκατόμβην diceret Homerus 1. Fast. *Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci.* Certę securi, non aberranti. Contra Virgil. 2. Aeneid. de tauro. *& incertam excussit ceruice securim.* Niueum bouem describit noster illum, qui Europam auexit. 3. Metamorph.

Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.
Quippe color niuis est, quam nec vestigia duri
Calcauere pedis, nec soluit aquaticus Auster.

In Marcum Cæsarem, prodigum in albis bobus sacrificandis, lusum à nescio quo, cum ita inducti sunt eum appellantes. οἱ λευκοὶ βόες μάρκῳ τῷ καίσαρι. ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. B Si tu viceris, nos periimus.

Qvos alvit. c. herb. falisca] Idem versiculus ponitur. 1. Fast. cum hexametro iam iam adducto. Eleg. 8. *Aquáque tam lactens, quam gramine pasta Falisco.* Falisci populi Etruriæ, vbi pascua vberrima, & hinc nitidi boues, atque etiam niuei, vt suprà appellabat, quod ex Clitumno flumine Faliscorum biberent, cuius aqua boues reddebat candidos. Vnde Virgil. Georg. *Hinc albi, Clitumne, greges.* Iidem mactabantur in triumpho, de quibus & Claudian. in 6. consulat. Honorij, & Iuuenal. sat. 12.

Cvmqve deos omnes, tvm qvos, &c.] repetendum ἀπὸ κοινοῦ, *esse tibi* cupias. Et cum deos C omnes tibi æquos, tum quos impensius tibi tales esse cupias, Iupiter & Cæsar tibi tales erunt, æqui nempe, & propitij.

Cvria te excipiet] Ingredieris seu deduceris in curiam. Curia Varroni lib. 5. de ling. lat. vbi senatus rempublicam curat. Illa etiam curia dicitur, vbi cura sacrorum publica: ab his Curiones.

Patresqve ex more vocati intendent, &c.] Secundùm sacra in Capitolio facta nouus Consul Patres in curia alloquebatur. Salust. in bello Catilin. differens de primordiis vrbis Romanæ. Delecti quibus corpus infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipub. consultabant. Hi vel ætate, vel curæ similitudine Pa- D tres appellabantur. Sic illi sub Tarquinio Prisco multo post allecti ad priorem numerum dicti sont Conscripti. Vsus tandem obtinuit, vt hoc ipsum nomen P. C. toti senatui commune esset.

Hos vbi facvnd. t. vox hilar. ore] facies quod solent Coss. sed tu eloquentius facies, ita vt Patres facundia tua recrees.

Tvlerit prospera verba dies] & pro more faustis acclamationibus, lætisque salutationibus acceptus fueris.

Egeris et meritas svper. cvm Caesare grates] Atqui paulo antè cum Ioue Cęsarem coniunxit, qui placidè eius vota sit auditurus. Sed intellige, superis, & in iis etiam Cæsari, quoniam & ille de cœlestibus vnus est: non quod Cæsar cum Pompeio superis gratias acturus sit: sed quod ei, vti superis, à Pompeio agendæ sint.

Qvi cavssam facias cvr ita saepe dabit] Qui tibi sæpius consulatum mandabit, & ita quoque sæpius faciendi caussam dabit.

Toto comitante senatv] Honoris caussa deducebatur è curia domum nouus consul. Est hodie quoque in parte honoris, domum vel à templo, vel à conuiuio deduci.

Officivm popvli vix capiente domo] officia translatè sunt, quę Aristot. 4. Ethicor. τὰ ὑπουργήματα, & de quibus Tertullian. lib. de Idololatria. Circa officia priuatorum, & communium sollemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nominalium nullum putem periculum. Hæ erant celeberrimæ officiorum caussæ. Erant & aliæ multæ, vt deductio magistratuum, candidatorum, & funeris, salutationes, recitationes, & alię, quarum eodem lib. cap. 10. Tertull. meminit, &c. Vide Causabon. in Sueton. August. cap. 53. Item Brissou. de significat. verb. iuris. Officium, inquit Budæus in Forensibus, est ordo hominum, vel ministerium, hoc est, ministrorum multitudo, τάξις.

Me miservm qvod non, &c.] Omnia læta plus visa, quam cogitata, seu audita tantùm delectant. Tristia vero audita, quam visa minus cruciant.

Absent. qva poss. mente vid.] Eleg. 2. lib. 4. Trist. de triumpho Tiberij, quem maluisset coram spectare.

Hæc ego summotus qua possum mente videbo,
Erepti nobis ius habet illa loci.

Mens enim nullo loco excludi potest. Elegia 10. lib. 2. *Te tamen intueor quæ solo pectore possum.*

Aliqvo tempore] In istis honoribus tuis vtinam aliquando recorderis mei. Nam in prosperis plerumque non solum alienorum, sed & nostrorum malorum præteritorum obliuiscimur: nec libet contaminare gaudium.

Et, hev dicas qvid miser. i. f.] & exclames, & doleas calamitate mea.

Pertvlerit si qvis mihi verba] si quis huiuscemodi voces tuas de me auditas mihi nuntiauerit.

Fateor protinvs exilivm mitivs esse mevm] sentiam, & præ me feram leuationem magnam: sicut diffudi vultum, & asperitatem loci huius oblitus sum, quando te consulem designatum accepi.



ELEGIA QVINTA.

Ad eundem iam Consulem.

BELLA PROSOPOPOEIA CVM GRATIARVM ACTIONE.

ARGVMENTVM.

VT eleg.7. lib.3. Trist. ipsam epistolam, ita hîc elegos προσωποποιεῖται, & suauiter eos alloquens dat mandata. Longam viam emensuros, Romam vsq;, in quo illis συμπάσχει. Thracia transita, & enauigato mari Ionio, intra dies denos non magnis itineribus in vrbem peruenturos. Ædes Pompeij, foro Augusti proximas petant. Nomen suum ne eloquantur. Percensentur occupationes, in quibus illum reperturi sint. A perfuncto rebus grauioribus humaniter acceptum iri spondet; & quid interrogati de auctore ac parente suo respondeant, præscribit: nempe viuere, & vitam suam illi debere, & in mancipio illius semper fore, & vt sua in ipsum merita nouorum accessione conseruet, rogare. Quartum hunc librum de Ponto extremo principatu Augusti scriptum esse contendit Eusebianus Corrector, quod istæc elegia dirigatur ad Sex. Pompeium Cos. in cuius magistratu obierit Augustus. Præterea in elegiis sequentibus ad Albinouanum, & Carum ait, eam fuisse sextam hyemem exilij sui. Vnde dici fortasse possit, in colligendis, & ordinandis elegiis istis temporis ordinem quo scriptæ neglectum. Quod fatetur ipse extrema elegia nona lib.3.

Non liber vt fieret, sed vti sua cuique daretur
Littera, propositum, curaq; nostra fuit.
Postmodo collectas vtcunque sine ordine iunxi.
Hoc opus electum ne mihi forte putes.

Ite leues elegi doctas ad consulis aures,
Verbáque honorato ferte legenda viro.
Longa via est, nec vos pedibus proceditis aquis:
Tectáque brumali sub niue terra latet.
Cùm gelidam Thracen, & opertum nubibus Æmon,
Et maris Ionij transieritis aquas:

Luce minus decima dominam venietis in vrbem,
Vt festinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeia petatur:
Non est Augusto iunctior vlla foro.
Si quis, vt in populo, qui sitis, & vnde requirat:
Nomina decepta qualibet aure ferat.
Vt sit enim tutum, sicut reor esse, fateri,
Verba minus certè ficta timoris habent.
Copia nec vobis vllo prohibente videndi
Consulis, vt limen contigeritis, erit.
Aut reget ille suos dicendo iura Quirites,
Conspicuum signis cùm premet altus ebur:
Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magna non sinet vrbis opes.
Aut, vt erunt patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam, natóque salutem,
Déque parum noto consulet officio.
Tempus ab his vacuum Cæsar Germanicus omne
Auferet: à magnis hunc colit ille deis.
Cùm tamen à turba rerum requieuerit harum,
Ad vos mansuetas porriget ille manus:
Quidqúe parens ego vester agam, fortasse requiret:
Talia vos illi reddere verba velim.
Viuit adhuc, vitamqúe tibi debere fatetur,
Quod prius à miti Cæsare munus habet.
Te sibi, cùm fugeret, memori solet ore referre,
Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine Bistonium quòd non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui.
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus vt meritis referatur gratia, iurat,
Se fore mancipium tempus in omne tuum.
Nam prius vmbrosa carituros arbore montes,
Et freta veliuolas non habitura rates:
Fluminàque in fontes cursu reditura supino,
Gratia quàm meriti possit abire tui.
Hæc vbi dixeritis, seruet sua dona, rogate,
Sic fuerit vestra caussa peracta via.

COMMENTARIVS.



IТе LEVES ELEGI] leuioribus rebus apti. Molles nominat eleg. 4. lib. 3.

Ferre etiam molles elegi tā vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

DOCTAS AD CONSVLIS AVRES] Sicut Horat. Ode 1. lib. 1. *Me doctarum edera præmia frontium Diis miscent superis.* Doctæ frontes, doctæ aures, id est, doctorum frontes, doctorum aures, figura poëtarum loquendi tritissima. Consules solitos consulere Imperatorem, planum fit ex hac eleg. infra. *Aut feret Augusto, &c. Deq. parum noto consulet officio.*

HONORATO VIRO] Viri honorati, honore digni, aut honorandi, ἄξιος λόγου, ad verbum, reputatione digni. Sed hîc, honore affecto, summo videlicet magistratu, magistratus enim sunt, & appellantur honores. Vinum honorarium quod dabatur magistratui. Sic frumentum honorarium. Et pœna honoraria, quæ ex edicto Prætoris infligitur. Item actio, & ludi.

LONGA VIA. E. NEC VOS. P. PROCED. AEQVIS] Duo incommoda bonis istis elegis obiiciuntur (mira inest in hac fictione iucunditas, & quod aliâs monui, in festiuitatibus hisce valet magnopere ingenium Ouidij, quas non sæpe obseruabis apud alios, qui ipsi præferuntur) duo inquam incommoda, eos proficiscentes retardatura, viæ longitudo (de qua eleg. 7. lib. 4. Trist. dum excusat amicum, à quo litteras petraras acceperat,

Innumeri montes inter me, teq., viaq.,
Fluminaq., & campi, nec freta pauca iacent.)

& claudicatio. Claudo enim vel breuis via videri longa potest. Et hexameter pentametro longior cum sit, non sunt æqui pedes. Eleg. 1. lib. 3. Trist.

Clauda quod alterno subsidant carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

TECTAQ. BRVMALI. S. NIVE. T. LATET] Tertium hoc, & maximum itineris incommodum, niues altæ, quas alibi queritur in locis illis cumulati semper, & alicubi bimas iacere.

CVM OBLID. THRACEN, &c.] Niue candidam Thracen nominat Horat. Ode 2. lib. 3. horridam Catull. propter frigus sæuissimum. Hebrum regionis fluuium hyemis sodalem eadem Ode Horat.

MARIS IONII] Iungitur Adriatico, dictum vel ab Ione puella: vel ab Ionio Dyrrhachi filio, quem Hercules interfectum in id præcipitauit. Ionium rorem κατὰ μοῖραν Propert. lib. 2. eleg. 26.

LVCE MINVS DECIMA] ergo nona.

DOMINAM IN VRBEM] caput mundi vocat alibi. Martialis lib. 1. *domina fastidia Roma.* Domina, vel quod terrarum princeps ac domina: vel quod ibi dominorum orbis sedes, & imperij domicilium. Vnde Græci βασιλεύουσαν ῥώμην: sicut

A Constantinopolim post sedem eo translatam *νέαν ῥώμην, & βασιλίδα τῶν πόλεων.*

INDE DOM. VOB. POMPEIA PETAT.] Rectà tendite ad ædes Pompeij, ne alibi hæreatis.

NON EST AVG. IVNCT. VLLA FORO] Tria fora celebriora fuêre, Romanum, siue Latium, Iulium, & Augusti, de quo dictum ex Suetonio in eleg. 1. lib. 3. ibi. *Paruit, & ducens, hac sunt fora Cæsaris, inquit.* De singulis Lipsius in Admirandis.

SI QVIS VT IN POP. QVI SITIS, &c.] Populus est rerum nouarum visendarum, & audiendarum cupidus. Sic eleg. 1. lib. 1. Trist.

Si quis, vt in populo, nostri non immemor ille,
Si quis, qui quid agam forte requiret erit.

NOMINA DECEPT. Q. AVRE FER] Iubet elegos quiduis potius, quam suum nomen sciscitanti dicere. Curue id Sex. Pompeio, quod verebatur, B noceat. Perinde enim est nominari ab Ouidio Pompeium, & petentes domum eius elegos dicere, se mitti ab Ouidio. Vide eleg. 1. huius libri.

VT SIT ENIM TVTVM] Probat esse tutum eleg. 6. lib. 3 ad sodalem, qui nominari nolebat.

Cur tamen hoc aliis tutum credentibus, vnus
Appellent ne te carmina nostra rogas? &c.

VERBA FICTA MIN. TIM. HAB.] Ad ficta possunt etiam referri ambigua. Qui enim ambiguè loquitur, non vult ambiguum, qua parte verum est, intelligi.

COPIA NEC VOB. V. PROHIB. VIO. &c.] Ad conspectum Consulis ab ipso limine domus non statim, nullo prohibête, admittemini. Quia negotia illius non sinent. Ea ipsa quæ & qualia sint, confestim docet.

AVT REGET ILLE. S. O. IVRA QVIRIT.] C Enumerat nunc negotia, quorum alicui vacantem inuenturi sint, qualia etiam Græcini Consulis futuri, eleg. 9. Primum est, sedentem in sella eburnea, seu curuli ius dicere populo, qui nuncupatur Quirites à Quirino, id est, Romulo. Elegia nominata. *Hæc modo te populo reddentem iura videbis.*

CONSPICVVM SIGNIS EBVR] Patet hinc, sellas illas signis cælatas fuisse. Eleg. 9.

Signa quoq. in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

De sella curuli dicemus ibidem, ad hunc ipsum versum.

AVT POP. REDITVS POSIT. COMP. AD HAST.] publicorum vectigalium rationes subducit. Eleg. 9.

Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Credet, & exacta cuncta locare fide.

De hasta in venditionibus multa eruditè Rhodigin. lib. 21. cap. 17. Et subiicit. Cæterùm obseruamus & illud, hastam in clàssicis auctoribus,

non

nō de auctionibus, venditionibusq; modò dici, sed & de locationibus, quæ publicè fiant. Vndè assueti hastæ appellati eleganter, qui eam conducere consueuerant. Liuius lib. 24. Cum censores ob inopiam ærarij se iam locationibus ærarij abstinerent, ædium sacrarum tuendarū, curuliumque equorum præbendorum, ac similium rerū, conuenere ad eos frequentes, qui hastæ huius generis assueuerant, hortatique censores, vt omnia perinde agerent, locarentque, ac si pecunia in ærario esset. Cornel. Nep. in vita Attic. Ad hastam publicam nunquam accessit, nullius rei neque præs, neque manceps factus. Ex his locum poëtæ satis explicatum, & illustratum opinor.

MAGNÆ VRBIS] non tantum ipso ambitu, qui aliquot milliarium Germanicorum fuit: sed rebus omnibus. Plus dixit Virgil. 5. AEneid. *hunc maxima perrò Accepit Roma.* & lib. 7. *rerum maxima Roma.* Non finit ergo auerti, aut interuerti magnæ vrbis vectigalia Pompeius.

IN IVLIA TEMPLA VOCATI] coacto senatu in curiam Iuliam, quam nominat Suetou. in Caligula cap. 60.

DE TANTO DIGNIS CON. REB. AGIT] Tanto Consule, multos enim consules sapientia, doctrina, nobilitate, &c. superat. Eleg. 5.

Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat vtilitas.

De rebus igitur grauissimis Patres cōsulit Pompeius. Consul nominatus est, inquit Varro 2. de vita pop. Rom. quod consulere populum, & senatum debet: nisi illinc potius, vnde Accius in Bruto, qui rectè consulat Consul fiat. De hoc magistratu, si placet, &, si otium est, lege dialog. meum 16. secundæ Tertij.

AVT FERET AVG. SOLIT. NAT. SAL.] Aut ibit salutatum Augustum, & filium eius Tiberium. Sueton. cap. 53. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: sed diebus festis, quod addit Dio.

DEQVE PARVM NOTO CONSVL. OFF.] Consilium Augusti, vt moderatoris, & rectoris optimi. & Ex consulis exquiret, quo pacto rempub. ipse adhuc nouus rector, & inexpertus administret cum laude. Qui bene regere, aut imperare vult, quemadmodum id præstare possit, vel ex libris discat oportet: vel ex iis qui se in munere antecesserunt, cognoscat. Qui neutrum facit, nimium sibi placere videtur.

TEMPVS AB HIS VACVVM] quidquid reliquum est temporis. Cic. ad Q. F. ep. 14. lib. 2. nullum mihi vacuum tempus ostenditur. 2. Veriu. habere dies vacuos. Tum autem sunt vacui, cum nos ipsi vacamus.

CÆSAR GERMAN. OMNE AVFERET] cum Cæsare Germanico in feriis, & ludicris consumit.

A MAGNIS HVNC COLIT IPSE DEIS] secundùm magnos deos, Iouem, & Cæsarem, quasi minorem deum hunc colit. & obseruat.

CVM TAMA TVRB. RER. REQ. HAR.] cum satisfecerit his tam variis, occupationibus, & animum distrahētibus negotiis. Cum se in otium retulerit.

AD VOS MANSVET. PORRIG. ILLE M.] ipse homo mansuetus accipiet vos porrecta dextera, seu obuiis, quod aiunt, vlnis vos amplectetur. φιλοφρόνως.

PARENS EGO VESTER] suorum versuum parentem se in Trist. lib. crebrius, aliquoties dominum vocat, libros natos, & inter se fratres. Ne sit graue recurrere ad Comment. in eleg. 1. lib. 1. Trist. *Heu mihi quò domino non licet ire tuo.*

TALIA VOS ILLI REDD. V. VOLO] Quid respondere debeant percunctanti.

B *VIVIT ADHVC*] Bene, *adhuc*: nam si locum, & incommoda spectes, pridem extingui potuit.

VITAMQVE TIBI DEB. FATETVR] Eleg. 1. lib. huius.

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.

Beneficia debentur, quoniam quibus bene fit, obligantur. Seneca lib. 4. de Benef. cap. 12. ait beneficium esse creditum insolubile. Nempe quia obligatio non definit. & postquam soluimus, adhuc debemus.

QVOD PRIVS A MITI CÆS. M. HAB.] Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Viuere me dices, saluum tamen esse negabis.
Hoc quoq; quod viuam munus habere dei.

C Et alibi sæpe.

BARBARIÆ TVT. EXHIB. VIAS] sequitur commemoratio meritorū erga se Pompeij, propter quæ illi vitam debeat. Primùm ergo adiunctis, vt verisimile fit, satellitibus, fecit ei tutum à prædonibus iter.

SANG. BISTON. Q. NON TEPEF. ENSEM] *Alibi. Sanguine Tlepolemum Lyciam tepefecerat hastam.* Quod latronum Threiciorum gladios suo sanguine non imbuerit, quomodo ipse poëta locutus est eleg. 1. lib. 2. *Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas.*

EFFECT. CVRA PECT. ESSE SVI] prouidentia, & sollicitudine animi sui.

ADDITA PRÆTEREA VITÆ, &c.] sumptibus Pompeij vitæ tuendæ necessaria illi suppeditarunt.

NE PROPRIAS ATTENVARET OPES] Eleg. 7. lib. 3. Trist. non se admodum copiosum, & opulentum significat his versibus ad filiam.

Sunt & opes modica, cum sis dignissima magnis:
Finge sed immensis censibus esse pares:
Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna rapitque.

VT MERITIS REFERATVR GRATIA] vt ne in vas pertusum beneficia tua effuderis: sed vt homini gratissimo te ea dedisse intelligas.

IVRAT SE FORE MANCIP. T. IN OMNE. T.] non tantùm clientem, sed planè seruum: idque non ad definitum tempus, sed quandiu viuit. Proinde vtere eo vt vis. Mancipium est pro-

prictas, & legirimum dominium, vel dominij traditio. quæ fiebar teſtibus quinque præſentibus, & libri pende, certiſq; prolatis verbis, hunc videlicet in modum. Is qui rem mancipio accipiebat, æs tenens ita dicebat. Hunc ego hominem iure Quiritium meum eſſe aio, iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutiebat libram, idque æs quaſi pretium dabat ei, à quo rem accipiebar mancipio.

PRIVS VMBROS. CARIT. ARB. MONT.] More ſuo promiſſum ſuum ab ἀδυνάτοις confirmat, ſeque meritorum in omni vita memorem fore pollicetur.

VELIVOLAS RATES] quæ vento impellente velis tanquam alis volant. Aliter mare veliuolum Virgilio, & noſtro quoque eleg. 16.

FLVMINAQVE IN FONT. C. RED. SVPINO] Flumina plerunque in locis editioribus, & in montibus erumpunt, quorum origines dicuntur fontes, & capita. Quæ ſi in fontes ſuos curſu retrogrado redeant, curſu etiam ſupino, & A ſurſum redeant neceſſe eſt. Eiuſdem plane generis ἀδύνατον eſt apud Horat. lib. 1. Ode 29.

——quis neget arduis
Pronos relabi poſſe riuos,
Montibus, & Tiberim reuerti.

Euripid. Medea. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. καὶ δίκα, καὶ πάντα πάλιν στρέφεται. Surſum fluuiorum ſacrorum eunt fontes. Et iuſtitia, & omnia retro vertuntur. Cic. ad Att. 15. vt prouerbio vſus eſt ἄνω ποταμῶν. &c. Locutus eſt ſimili figura & Demoſthenes orat. de falſa legatione.

GRATIA. Q. MERITI. P. ABIRE. T.] quàm poſſit ut excidere animo meo tua merita.

SERVET SVA DONA] vt quam ei acceptam fero vitam meam, conſeruare, ac tueri pergat, ac ſuis me officiis complecti ne deſiſtat.

SIC FVERIT VEST. C. PERACTA VIÆ] Sic partes veſtras egeritis, & effectum dederitis cuius gratia vos Romam mitto.

ELEGIA SEXTA.

Ad Brutum.

PRIVATVS PATRONO VETERI, IN NOVO SPEM FIGIT.

ARGVMENTVM.

Scribere ſe inde, vnde ipſe litteras accipere minimè vellet. Sed hoc fataliter fieri. Quinquennium exegiſſe in Scythia, & perſtare fortunam ſuam. Maximum Fabium pro ſe Auguſto ſupplicaturum fuiſſe, ni mors eum abſtuliſſet, cuius ipſe cauſſa extiterit. Timere nunc cuiquam mandare auxilium ſuum. Auguſtum cœpiſſe flecti: ſed & ſpem ſuam, & terras ſimul deſeruiſſe: quem carmine funebri honorarit, quam pietatem bene ſibi euenire cupit. Certum habere, & Brutum ſuam cauſſam agere, cui cum ſemper, tum aduerſis temporibus ſuis dilectus ſit. A lenitate naturæ, & acrimonia in dicendo virum laudat: & illa vti erga miſeros, hac erga ſon-

tes.

tes. Se memorem, & gratum fore semper, cum affirmatione ab impossibilibus. Quæ si quis omnia per Tristium, & hosce libros sparsa colligat, sibique sub vnum aspectum subiiciat, fœcunditatem Ouidiani ingenij in his, vt in aliis quam plurimis excogitandis mirabitur.

Quam legis, ex illis tibi venit epistola, Brute,
Nasonem nolles in quibus esse locis:
Sed quod tu nolles, voluit miserabile fatum:
Hei mihi plus illud, quàm tua vota, valet.
In Scythia nobis quinquennis olympias acta est:
Iam tempus lustri transit in alterius.
Perstat enim fortuna tenax, votisq; malignum
Opponit nostris inuidiosa pedem.
Certus eras pro me Fabiæ laus maxima gentis
Numen ad Augustum supplice voce loqui:
Occidis ante preces: causamq; ego, Maxime, mortis
(Non fueram tanti) me reor esse tuæ.
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ.
Spem nostram, terras, deseruitq; simul.
Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti,
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quæ prosit pietas vtinam mihi, sitq; malorum
Iam modus, & sacræ mitior ira domus.
Te quoq; idem, liquidò possum iurare, precari,
O mihi non dubia cognite Brute fide.
Nam cùm præstiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen aduerso tempore creuit amor.
Quiq; tuas pariter lachrymas nostrasq; videret,
Passuros pœnam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit natura, nec vlli
Mitius ingenium, quàm tibi, Brute, dedit.
Vt qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi,
Posse tuo peragi vix putet ore reos.
Scilicet eiusdem est, quamuis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cùm tibi suscepta est legis vindicta seuera,
Verba velut tinctum singula virus habent.
Hostibus eueniat, quàm sis violentus in armis,
Sentire, & linguæ tela subire tuæ.

Quæ tibi tam tenui cura limantur, vt omnes
Istius ingenium corporis esse negent.
At si quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo fœmina nulla tuo.
Hoc ego præcipuè sensi, cùm magna meorum
Notitiam pars est infitiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor vnquam,
Qui mala sollicitè nostra leuatis, ero.
Et prius hinc nobis nimium conterminus Ister,
In caput Euxino de mare vertet iter:
Utque Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas:
Quam quisquam vestrûm, qui me doluistis ademptum,
Arguat ingratum non meminisse sui.

COMMENTARIVS.

*ASONEM NOLLES IN QVIB. ESSE LOCIS*] Quis enim amicum malit esse in exilio, quam in patria?

VOLVIT MISERAB. FATVM] Miserabile ab effectu, facit enim miserabiles. Est quippe malum fatum, & qui sunt mali fati. dicuntur Græcis δύσμοιροι. μοῖρα enim fatum, & δυσμοιρία malum fatum. Rursum est & bonum fatum, dicunturque qui eius sunt ὀλβιόμοιροι, Callimacho εὔμοιροι. & fatum bonum εὐμοιρία.

PLVS ILLVD QVAM T. VOTA VAL.] Virgil. 4. AEneid. *Fata obstant, placidasq; viri deus obstruit aures.* Eidem fatum est inexorabile, & ineluctabile. Philosophi id definierunt connexionem, seriemque caussarum omnium, qua fit, quidquid fit. Fatum, ait Seneca, si deum dixeris, non mentieris. Cum enim nihil aliud sit, quam series implexa caussarum, illa est prima omnium caussa, B ex qua cæteræ pendent. De verbo non esse laborandum. inquit D. Augustinus, quandoquidem ordo ipse causarum dei summi tribuitur voluntati, quam ethnici philosophi fatum vocant.

QVINQVENNIS OLYMPIAS ACTA EST] Notissima est litteraris omnibus illa quinquennalis in Græcia ludorum celebritas, Olympiæ ab Hercule Ioui instituta, vnde spatium temporis quinquennale dici cœptum Olympias, quemadmodum apud Romanos à lustrando lustrum, annorum totidem. Lustrum autem nō quatuor, vt quibusdam placuit, sed quinque integros annos continere, multis auctorū locis in medium prolatis demonstrat Iosephus Castalio, Obseruat. in Criticos decad. 1. cap. 10. De Olympiade quoq; certatur, num quinque, an quatuor, cum A quinto inchoante contineat. Quam litem componere non est nostrum. Certè pro iusto quinquennio mille locis positum reperimus. Seneca Hercul. Fur.

Quantus Eleum coit ad Tonantem
Quinta cum sacrum reuocauit æstas.

Corrector, & Illustrator Eusebij producto hoc Nasonis versu, negat Olympiadem esse lustrum Romanum, & complecti quinquennium absolutum, deceptumque poëtam nomine πεντετηρίδος, cum πεντετηρὶς dicta sit, non quod quinque annis absolutis constaret: sed quia quinto quoque anno rediret in orbem, & ideo quinquennem Olympiada vocasse, quæ tamen fuerit quadriennis.

IAM TEMP. LVSTRI TRANS. IN ALT. Olympias transit in tempus, in annos alterius B lustri, siue Olympiadis: primæ succedit secunda.

PERSTAT ENIM FORTVNA TENAX] Fortunæ malignitas de pertinacia sua nihil remittit. Quomodo ergo de eadem 5. Trist. 9. *Et manet in nullo certa, tenaxq; loco?* Illud de prospera, non de aduersa dictum, quam videmus constantiorem, minusq; mutabilem. Diutius enim plerumq; in miseriis, quàm in fælicitatibus viuitur.

VOTIS MALIGN. OPPON. N. PED.] A cursoribus, qui pedis obiectu antagonistā supplantant.

FABIÆ LAVS MAXIMA GENTIS] Apostrophe ad mortuum. Vide principium eleg. 2. lib. 1. Implorare eius patrocinium eleg. 3.

Suscipe Romanæ facundia, Maxime, linguæ
Difficilis caussæ mite patrocinium.
Est mala, confiteor: sed te bona fiet agente,
Lenia pro misera fac modo verba fuga.

SVPPLICE VOCE] argumentis enim, cum reus culpam non inficiatur, agi non poteſt. Ad miſericordiam Auguſti confugiendum erat.

OCCIDIS ANTE DIEM] ſtat ſua cuique dies, ante quam nemo moritur. Quia tamē eum diem ignoramus, quem ſolus Deus nouit, & videmur diutius viuere potuiſſe, aut etiam debuiſſe, dicimus nos ante diem mori, hoc eſt, ante diem, noſtra opinione, & iudicio definiendum. Virgil. 4. AEneid. de Didone.

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoq́ accenſa furore.

In quem locum conſule ſymb. noſtras.

CAVSSAMQVE EGO MORTIS ME, &c.] quoniam mœror de calamitate mea te confecit.

NEC FVERAM TANTI] Haud eram dignus, vt tantus vir mea cauſſa dolorem tantum ſuſciperet, atque inde etiam vitam amitteret. Penelope Vlyſsi. *Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.* Cic. pro Cælio. Is non putat tua dona eſſe tanti.

IAM TIMEO NOST. C. MAND. SALVT.] ne illi ſimiliter vt Maximo eueniat.

IPSVM MORTE TVA CONCID. AVXIL.] quam ſperare opem aliundè potui, tecum mortua eſt.

DECEPTÆ CVLPÆ] culpæ per errorem contractæ Auguſtus meditabatur ignoſcere.

SPEM NOSTRAM, TERRAS DESERVITQVE SIMVL] Sed eius obitus eluſit ſpē meam. Terras aūt deſeruiſſe dicit, quia frequenter eum vnum de cæleſtibus diis prædicauit. Liuius lib. 1. de Romulo. Subitò coorta tempeſtas, cum magno fragore, tonitribuſque tam denſo regem operuit nimbo, vt conſpectum eius concioni abſtulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Horat. Ode 3. lib. 1. *Serus in cælum redeas.* Obiit Nolæ in Campania, ab V.C. DCCLXVII. ætatis anno LXXVI. diebus quinque & triginta minus. Et obiit eodem die, nempe 14. Kalend. Septemb. quo olim primum conſulatum inierat Sed conſulatum primum iniuiſſe menſe ſextili, non 14. Kalend. Septemb. aut ipſo menſe Septembri, aduerſus Dionem, & Velleium probat Ioſeph. Caſtalio Obſeruat. decad. 8. cap. 1. Tacitus Annal. 1. ait eundem diem accepti quondā imperij principem, eidem & ſupremum fuiſſe. De eo die conſule Comment. Lipſij, pag. 7. Sortitus eſt exitum facilem, & qualem ſemper optauerat. Nam ferè quoties audiſſet citò, ac nullo cruciatu defunctum quempiam, ſibi & ſuis εὐθανασίαν ſimilem (hoc enim verbo vti ſolebat) precabatur. Sueton. cap. 100. Ex Dione tradit Xiphilinus, moribundum iuſsiſſe plaudi vt in comœdia, & riſiſſe humanæ vitæ conditionem. Vixiſſe annis LXXV. menſes X. dies 26. Regnaſſe à victoria Actiaca annos XLIV. minus diebus 13. Prodigia mortis eius. Sol totus deficere, & cæli magna pars ardere viſa eſt: ignitæ trabes de cælo cadere, & ſanguinolenti cometæ viſi, &c. Suſpicio eſt, Liuiam ei ficubus veneno illitis mortem attuliſſe, cum vereretur, ne imperium à Tiberio filio ſuo in Agrippinum ex Iulia filia nepotem transferret. Apud prudentes vita eius variè extollebatur, arguebaturque. Lege Tacitum, non longe ab initio.

QVALE TAMEN POTVI CARMEN] ingenio torpente, & in tantis miſeriis marcente, & vena pauperiore, vt eſt eleg. 2. Indicat ſe eius ἀποθέωσιν ceciniſſe.

DE CÆLITE RECENTI] Refert Xiphilinus, Liuiam dediſſe decem millia aureorum cuidam Numerio ſenatori Athenienſi, & prætorio viro, quòd is iuraſſet, quemadmodum de Proculo, Romuloque traditum eſt (à Liuio lib. 1.) ſe Auguſtum in cælum aſcendentem vidiſſe.

QVÆ PROSIT PIETAS VTINAM MIHI] Iſtuc propter domeſticos Auguſti, qui hoc pium officium poëtæ in defunctum eo vel reuocando, vel in locum mitiorem transferendo remunerari debuerunt.

LIQVIDO POSSVM IVRARE] poſſum vt rem liquidam, & certam iuramento affirmare.

NON DVBIA COGNITE FIDE] cuius fidem argumentis euidentibus perſpexi.

VERVM AMOREM] non fucatum, non ſimulatum: ſed ſincerum, ac fidelem.

ADVERSO TEMP. CREVIT AMOR] In aliis decreuit, immò in nihilum rediit. Haud temere tales amicos inuenias, qui in triſtibus etiam addāt ad amorem: tantum abeſt vt aliquid de eo diminuant.

PASSVROS POEN. CRED. ESSE DVOS] Crederet eadem pœna vtrumque multandum. Plorant autem ſæpe grauiore ſupplicio afficiendi.

LENEM TE MISERIS GEN: NATVRA] Lenitatem definit in Partition. Cicero iuſtitiam in moderatione animaduertendi. Eidem 1. Philipp. ſeueritatem opponit. Hic autem eam miti ingenio coniungit, vt ſit idem, aliquem natura lenem, aut mitem eſſe.

QVID VALEAS MARTE FORENSI] quātum præſtes in cauſsis forenſibus agendis. Arma vocauit 1. Faſt. loquens de cauſsis, quas egerat in foro Germanicus. *Ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.* Item Cic. 1. de Orat. Torquere. & iactare haſtas de concludendis, & quaſi vibrandis argumentationibus oratoriis dixit ibid. & 2.

VIX PVTET] vix poſsit perſuadere ſibi, te diſertum, ac vehementem eſſe in accuſando. Quid ſit autem reum peragere, explicaui ex Budæo in 1. Triſt. eleg. 1. ἐπεξιέναι Græcis. Demoſth. ad Leptin. καί τοι καὶ τοῦτο ἀκούω σε λέγειν, ὡς ἄρα τρεῖς σε πρότερον γραψάμενοι οὐκ ἐπεξῆλθον, id eſt, quanquam & hoc audio te dicere, te à tribus vocatum in iudicium, peragi tamen reum non potuiſſe. Hoc eſt, non ita accuſatum, vt condemnareris.

QVAMVIS PVGNARE VIDENTVR] quāuis contraria videantur, nec poſſe in eodem reperiri facilitas, & truculentia. Poſſunt tamen, etiam eodem tempore: ſed non ſecundùm idem,

.cu ratione eiusdem. Nam simul supplicibus A possis esse mitis, sontibus durus, & infestus.

LEGIS VINDICTA SEVERÆ] cum dicis pro legibus, easque à contemptu vindicas. Seu, cum legum sanctimoniam, & æquitatem contra violatores tueris, & asseris.

VERBA VELVT. T. SING. VIR. HAB.] instar telorum venenatorum lædunt lædendos.

VIOLENTVS IN ARMIS] quam potens sis Marte forensi.

LINGVÆ TELA SVBIRE TVÆ] vulnerari eloquencia tua tanquam telis venenatis, quæ faciunt vulnera. Sunt & alia linguæ tela, quæ mordaces, contumeliosi, & maledici iaciunt. Sed aliter illa oratorùm, aliter istorum tela vulnerant.

QVÆ TIBI TAM TENVI CVRA LIMANT.] B Quæ tela, quæ verba, quæ orationes tuæ forenses tam subtiliter abs te elaborantur. Cic. 1. Academ. Institui quædam ad eum, quæ sunt magna sanè, & limantur à me politius. 1. de Orat. vir oratione maximè limatus, ac subtilis. Et epist. 33. lib. 17. opus est hîc limatulo, & politulo iudicio tuo.

VT OMNES ISTIVS INGEN. CORP. E. NEG.] vt omnes sibi persuadeant, non humanum, sed diuinum quoddam ingenium tuum esse.

AT SI QVEM LÆDI. F. CERN. INIQ] Si cuius casum, & infortunium animaduertis.

MOLLIOR EST ANIMO. F. NVLLA TVO] Mulier, quasi mollior, ab ipsa mollitie. Est tamen viro indecora mollities muliebris: & C contrà magnum fœminæ ornamẽtum adhibita certis locis, ac temporibus virilis audacia.

NOTITIAM EST INFICIATA MEI] cum me pæne omnes mei desererent (quod alibi conquestus est non semel) sensi quam mollis esset animus tuus me læso.

IMMEMOR ILLORVM ERO] illis desertoribus, & mei obiitis par referam. Delebo eos ex memoria mea.

VESTRI NON IMMEMOR VNQVAM] cui, & paucorum præterea, qui in fide perstitistis.

QVI MALA SOLLICITA, &c.] qui acri studio ad minuendam mihi calamitatem incumbitis.

ET PRIVS HIC NOBIS, &c.] Sequuntur quæ fieri nequeunt: quæ tamen citius futura autumat, quam ipse ingratus sit, amicorumque, & benemeritorum obliuiscatur.

IN CAPVT VERTET ITER] Superiore elegia. *Fluminaq; in fontes cursu reditura supino.* Fontium, & fluminum origines dicuntur capita, vnde scilicet primùm erumpunt, & profluere incipiunt. Pro ostio videtur vsus Cæsar. 4. Gallicor. loquens de Rheno. multisque capitibus in Oceanum influit. Quod autem Lamb. ad illud Ode 1. lib. 1. *nunc ad aquæ lene caput sacræ*, negat pertinaciter, caput dici principium & originem fluuij, docet Ouidium, & alios latinè loqui; sicut nonnunquam ipsum M. Tullium. Dicuntur etiam fontes, vt eleg. superiore. *Fluminaq; in fontes cursu reditura supino.*

EVXINO DE MARE] in quod illabitur, vt alia flumina. Mare pro mari sexto casu, notauimus & alibi, & Lucretij auctoritate confirmauimus. Excusat enim necessitas metrica mutationem vocalis longæ in breuem.

THYESTÆ RED. SI TEMP. MENSÆ, &c.] Et sol prius ad Eoas aquas, vnde surrexit, reuocabit currum: vt si redeant tempora Thyestææ cœnæ: vt si Atreus iterum Thyestæ fratri filium eius coctum pro epulis apponat. Quod scelus sic exhorruit sol, vt currum supra Mycenas actum vel auerterit: vel, vt hic dicitur, ad orientem retro reuocauerit. Vide tragœd. Thyesten apud Senecam. Horat. ad Pisones.

Indignatur enim priuatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.


Martial. lib. 3.

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamq; Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos Ligurine tuam.

Allusit ad eam Propert. lib. 3. eleg. 22. *Nec tremis Ausoniæ Phœbe fugata dapes.*

QVI ME DOLVISTIS ADEMPTVM] mortuum, quod alibi docuimus. Non enim vitam vitalem viuit in exilio.





ELEGIA SEPTIMA.

Ad Vestalem.


MILITIS FORTISSIMI LAVS.

ARGVMENTVM.

EVm in loca illa Septentrioni subdita administrāda venisse. Oculis suis aspicere, quam ipse (Ouidius) aspera in regione iaceat. Videre glaciatum Pontū, vina, Istrum; item tela venenis illita, & ea quoque in conflictu expertum. Merito suo primipilum factum, etsi virtus eius maiora mereatur. Strenuissimè ad Istrum pugnasse. Historia de Ægypso vrbe, Vitellio duce recepta, & eximia Vestalis huius murum subeuntis, stragemq́ue non modicum edentis fortitudo, cuius exemplum alios excitarit. Comparat eum cum Aiace Telamonio. Vrbem esse occupatam, virtutiq́ue ipsius suo carmine immortalitatem contigisse.

Missus es Euxinas quoniam Vestalis adoras,
Vt positis reddas iura sub axe locis:
Aspicis en præsens quali iaceamus in aruo,
Nec me testis eris falsa solere queri.
Accedet voci per te non irrita nostræ,
Alpinis iuuenis regibus orte, fides.
Ipse vides certè glacie concrescere Pontum:
Ipse vides rigido stantia vina gelu.
Ipse vides onerata ferox vt ducat Iapyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Et telum causas mortis habere duas.
Atq; vtinam pars hec tantum spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi.
Tendit is ad primum per densa pericula pilum,
Contigit ex merito qui tibi nuper honor.
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen virtus ordine maior erit.

Non negat hoc Ister, cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.
Non negat Ægypsos, quæ te subeunte recepta,
Sensit in ingenio nil opis esse loci.
Nam dubium est positu melius defensa, manúue,
Vrbs erat in summo nubibus æqua iugo.
Sithonio regi ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas victor habebat opes:
Donec fluminea deuecta Vitellius vnda,
Intulit exposito milite signa Getis.
At tibi progenies alti fortissima Domni,
Venit in aduersos impetus ire viros.
Nec mora, conspicuum longè fulgentibus armis,
Fortia ne possint facta latere, caues.
Ingentiq; gradu contra ferrumq; locumque,
Saxaq; brumali grandine plura subis.
Nec te missa super iaculorum turba moratur:
Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in casside pennis,
Parsque ferè scuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos fœliciter effugit ictus,
Sed minor est acri laudis amore dolor.
Talis apud Troiam Danais pro nauibus Aiax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.
Vt propius ventum est, admotaq; dextera dextra,
Resq; fero potuit comminus ense geri:
Dicere difficile est, quid Mars tuus egerit illic:
Quotq; neci dederis, quosque, quibusq; modis.
Ense tuo factos calcabas victor aceruos,
Impositoque Getes sub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
Vincitur Ægypsos, testataque tempus in omne
Sunt tua Vestalis carmine facta meo.



COM-

COMMENTARIVS.

A EVXINAS AD ORAS] in oras, & regiones Ponto Euxino adiacentes, quæ Romanis parent.

POSITIS SVB AXE LOCIS] Axem vocat polum Arcticum, vt alij poëtæ non rarò. Cic. 1. Tuscul. quarum altera (ora) quam nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem. Axis definitur ab astrologis linea per centrum transiens, & vtrinque ad extremum circuitum pertingens, circum quam orbis aliquis conuertitur. Extremæ partes axis poli dicuntur. Sed Tomitanam regionem septem illæ stellæ recta linea respiciebant. Eleg. 2. lib 3. Trist.

Ergo erat in fatis Scythiam quoq; visere nostris,
Quęq; Lycaonio terra sub axe iacet?

QVALI IACEAMVS IN ARVO] Iacere nô tam corporis situm hîc quam conditionis miseriam significat. Et aruum dictum pro aruis, seu terra, seu regione, qua nil squalidius, incultius, sterilius, frigidius, &c. Talia sunt apud Ciceronem,
B iacere in mœrore, in sordibus & luctu. Et Lucretij lib. 1.

Humana ante oculos fœdo tum vita iaceret
In terris, oppressa graui sub relligione.

NEC ME TEST. E. F. SOLERE QVERI] Oculatum testem fore dicit, se vera locutum in tot querimoniis suis de asperitate exilij sui, de quibus eleg. 9. lib. 3.

Quid nisi de vitio scribam regionis amaræ?
Vtq; loco moriar commodiore precer?

ACCEDAT VOCI PER TE. &c.] Testimonium sibi ab eo dici rogat, & id ratum futurum affirmat.

ALPINIS REGIBVS ORTE] regio sanguine oriunde.

VIDES CERTE GLACIE CON. PONT.] Eleg. 10. lib. 3. Trist.

Vidimus ingentem glacie concrescere pontum,
C *Lubricaq; immotas testa premebat aquas.*

RIGIDO STANTIA VINA GELV] Ibid.

Nudaq; consistunt formam seruantia testæ
Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.

Vinum congelascere pluribus locis affirmauit Aristoteles. Experimenta quædam huius rei sanè admirabilia narrat Lud. Cerdius in illud Maron. Georg. 3. *Caeduntq; securibus humida vina.*

VT. DVCAT IAZYX PER MED. &c.] Iazyges acres nominat eleg. 3. lib. 1. & 2. Trist.

Iazyges, & Colchi, Metereaq; turba, Getæq;
Danubij mediis vix prohibentur aquis.
Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas
Frigore concretas vngula pulsat equi.
Perq; nouos pontes subterlabentibus vndis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.

A Cum Africa Scythiam conferês Virgil. 3. Georg. hæc habet de frigoribus, & glacie illius.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris:
Æraq; dissiliunt vulgò, vestesq; rigescunt
Indutæ, caeduntq; securibus humida vina.

SVB ADVNCO TOXICA FERRO, &c.] Lib. 1. eleg. 2.

Qui mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Et eleg. 10. lib. 3. Trist. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* ad quem locum plura diximus.

TANTVM SPECTATA FVISSET] Terrent quidem huiusmodi res spectatæ, sed non nocêt.

NON ETIAM PROP. COG. MARTE TIBI] tuis militibus. Non enim vinceret, si telum huiuscemodi corpore suo excepisset.

TENDITIS AD. P. PER. D. PERICVL. PI-
B *LVM*] ad dignitatem primipili Centurionis, qui præerat aquilæ, præcipuo signo totius legionis. Et is imperabat cæteris omnib' Centurionibus, non modo triariorum, verùm & hastatorum, & principum, & primum à Tribuno locum obtinebat. Neq; satis erat his primipilis ad aquilam peruenisse. Qui enim in cæteris legionibus ad eum militiæ gradum peruenerant, eorum magnam quidem fuisse dignitatem constat: at maximam tamen huius, qui legionis primæ primũ centurionatum, seu primum pilum assecutus erat. Liquet exemplo Sp. Ligustini, ad eum ordinem prouecti apud Liuium lib. 52. Hactenus ex Steuechio ad lib. 2. cap. 8. Vegetij.

CONTIGIT EX MER. Q. TIBI NVP. HONOR] In militia sunt gradus honorum, & ab vno ad alterum per virtutem ascenditur.

SIT LICET HIC TITVLVS, &c.] quanquam magnus, & illustris est hic titulus, Centu-
C rio primipili.

IPSA TAM. VIRT. O. MAIOR ERIT] nondum par est virtuti tuæ, quæ digna est honore ampliore.

NON NEGAT HOC ISTER] Sic dictum, vt illud Horatij Ode 4. lib. 4. de Neronum victoria, relata ab Hasdrubale, fratre Annibalis. *Testis Metaurum flumen.* De Istro vide dicta nonnulla in eleg. 9. lib. 1. vbi binominis appellatur.

PVNICEAM GET. SANG. F. AQVAM] Tot Getas in prælio per te, & tuos occidisti, vt proiectis in Istrum cadaueribus totus purpurasceret. Eleg. 9. de Flacco. *Infecitq; fero sanguine Danubium.* Eleg. 4. lib. 3.

Squalidus immittat fracta sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine potet aquas.

Horat. Ode 12. lib. 2. *nec Siculum mare Pœno purpureum sanguine.*

NON NEGAT AEGYPSOS, &c.] Alterum exemplum bellatoris magnanimi, & inuicti in occupanda vrbe natura loci, & armis munitissima.

IN INGENIO NIL OPIS ESSE LOCI] Eleg.1.lib.2.

Atque ea te contra nec muri mole. nec armis,
Nec fatis ingenio tuta fuisse loci.

De hac vrbe recepta eleg. 9. lib. 1. breuiter, hic longe fusius. Ceruis vocem ingenium ad inanima transferri. Exquisita ingenia cœnarum dixit Plin.in panegyr. Et Plin.auunculus lib.14. cap.1. ad cæli mores, solique ingenia. Gell.lib.12.cap.1. Quamobrem non frustra creditum est, sicuti valeat ad fingendas animi, atque corporis similitudines vis, & natura seminis: non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere.

POSITV MELIVS DEFENSA MANVVE] situ ipso tutior fuerit, an virtute propugnatorũ de mœnibus.

Stat vetus vrbs ripæ vicina binominis Istri,
Mœnibus & positu vix adeunda loci.

IN SVMMO NVBIB. ÆQVA IVGO] ὑψηλ. ἐπὶ ... ad exprimendam situs altitudinem.

SITHONIO REGI FER. INTERCEP. I. HOSTIS]

Hunc trux Odrysiis inopino Marte peremptis
Cepit, & in regem sustulit arma Getes.

DONEC FLVMIN.D.VITELL.VNDA, &c.] Donec Vitellius Romanus exercitum per flumẽ Istrum adductum ibidem exposuit, & ad oppidum admouit.

TIBI PROGEN. ALTI FORTISS. DONNI] Hæc apostrophe non ad Vitellium, sed ad Vestalem dirigitur, qui patrem nobilissimum, vocabulo Donnum habuit. Quale enim esset, relicto Vestali, quem vt fortissimũ militem laudare cœperat, & cui scribit, tam multos versus in Vitellij laudibus consumere? Et repugnant duo versus vltimi huius elegiæ. Vestalem igitur, vt in certamine generosissimum, multorumque Getarum cæde insignem commendat.

TIBI VENIT IMPETVS] ὁρμή. Accensus est tibi animus desiderio gloriæ ad audendum in hostem.

CONSPICVVS LONGE FVLG. ARMIS] tu centurio primipilaris. De Pallante Virgil.lib. 8. *ipso agmine Pallas in medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.* Armorum splendor in militia non frustra quæritur, terret enim hostes. Onosand.in Strategico, cap.28. Horat. Ode 1.lib.2.

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus

Veget. lib. 2. plurimum terroris hostibus armorum splendor importat. Adde Quintilian.lib.10. Neque ego arma sordere situ, ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul, visusque perstringatur.

FORTIA NE POSS.F.LAT.CAVES] palàm, spectante vtroque exercitu facinora gloriosa edis.

INGENTIQVE GRADV] passu militari. Seruius Martem gradiuum censet dictum, quod impigre gradiuntur milites. Gradu militari 20. millia passuum horis quinque duntaxat æstiuis conficienda sunt. Veget.lib.1.cap.9.

CONTRA FERRVMQVE, LOCVMQVE] contra vrbem, vnde tela ferro præfixa emittebantur.

BRVMALI GRANDINE PLVRA] hyperbole. Obsessi non tantum telis, sed & saxis de muro iaciendis se defendere consueuerunt. Virgil.2.AEneid.de Troianis, regiam Priami contra Græcos oppugnantes tuentibus. *Ast alij subeunt, nec saxa, nec vllum Telorum interea cessat genus.*

IACVLORVM TVRBA] iacula desuper magno numero incidentia. Ferrea telorum seges, tempestas Virgil. Hasta, quod astans solet ferri, Iaculum, quod vt iaciatur fit. Tragula à traijciendo.

QVÆ VIPEREO.T.CRVORE MAD.] suprà eos huiusmodi telis vti dixit.

Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Ac telum caussas mortis habere duas.

SPICVLA CVM. P. HÆR. IN CASSID. PENN.] Tot tela in ipso defixa & hærentia certissimum strenuitatis eius indicium. Hærebant ergo in galea, hærebant in scuto, & creberrima.

NEC CORP.C.FELICIT.EFFVG.ICTVS] Non tamen omnia spicula in armis dũtaxat hæserunt: quædam etiam in corpus ipsum delata sunt.

MINOR EST ACRI. L. AM. DOL.] Amor consequendæ laudis non cessit dolori.

TALIS APVD TROIAM DAN.P.NAVIB. &c.] Hector Græcorum nauibus incendium infert Iliad.15. Id arcet Aiax, & hac de re gloriatur 13.Metamorph. aduersus Vlyssem.

At non Hectoreis dubitauit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac à classe fugaui.

ADMOTAQVE DEXTERA DEXTRÆ] Aliter, sed eodem sensu cominus pugnantes expressit Virgil.lib.10.

Haud aliter Troianæ acies, aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.

RESQVE FERO. P. COM. ENSE GERI] Lapidibus enim, & sagittis eminus geritur. Cum autem in murum iam eus ferit hostis, ensibus, & cominus gerenda est. Plaut. Amphit.

Sed in fugam tamen nemo conuortitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.

Vbi *statim* est ἐμμόνως, & valet constanter, non cedendo.

DICERE DIFFICILE EST] satis explicari non potest.

QVID MARS TVVS EGERIT ILLIC] quam fortiter ibi dimicaueris.

QVOTQVE NECI DED.QVOSQVE QVIBVSQVE MOD.] Quid Mars tuus egerit, genus,

nus, seu propositio fuit, cuius nunc tres quasi species, & partes ponuntur, quarum prima ad numerum occisorum: altera ad gradum, & discrimen; tertia ad modos illatæ necis pertinet. Certè apud duos poëtarum principes Homerũ, & Virgilium videre licet ab heroibus multos, nec infimos, & variis modis in prælio interfici.

ENSE TVO. F. CALCAB. V. ACERVOS] Hoc non in muris, sed in oppido iam occupato factũ credamus oportet. Accruos autem Getarum, vt sequitur. Virgil. 10.

Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.

Et lib. 11. *quando tot stragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit.*


PVGNAT AD EXEMP. P. MIN. O. PILI] secutus est exemplum tuum, quies primipilus primæ legionis, minor ordine primipilus cum suis.

A *MVLTAQVE FERT MIL. V. MVLT. F.*] Dare, & accipere vulnera militis officia sunt, & hoc est *ἀριστεῖον*. Propert. eleg. 1. lib. 2. *Enumerat miles vulnera, pastor oues.* Et illi demum laudantur, & pugnasse fortiter creduntur, qui aduersi corporis cicatrices ostentare possunt.

ANTE CITOS. Q. PEGAS. IB. EQ.] E capite Medusæ à Perseo desecto, repente equum alatum exiluisse fabulantur. Apollod. lib. 2. Quare hunc equum dij miserati Bellerophonti dederint, & quo pacto inter sidera relatus sit, Natal. lib. 9. cap. 4. in Bellerophonte.

VINCITVR ÆGYPSOS] recuperatur, recipitur.

TESTATAQVE TEMP. IN OMNE, &c.] Ad vxorem eleg. 5. lib. 1. Trist. *Carminibus viues tempus in omne meis.*



ELEGIA OCTAVA.

Ad Suillium.

PROMISSIO, ET LAVS CARMINVM.

ARGVMENTVM.

SErò accepisse litteras eius, ex quibus prõptam ad sibi commodandum voluntatem perspexerit, quam amet, & diuturnam esse cupiat. Affinitatis eum pudere non debere, cũ præter exilium pudendum nihil habeat. Natum se equestri loco, moribus vixisse à reprehensione alienis, præter errorem, de quo millies. Si quid se impetraturum confidat, Cæsarem roget, quem instar numinis veneretur, & à quo obtineat omnia. Gratum fore se promittit, non quidem templis exædificandis, sed carmine, quo maius nihil possit. Locus communis de donis exiguis, pia mente oblatis. Aptum Principibus munus esse carmen, & præconium carminum. Germanico ingenio suo seruiturum, poëtam poëtæ, & summo quidem, nisi ad maiora vocatus foret. Effert illum à studio poëtico, & cum Apolline sagittario, ac Musico comparat. Per communionem studiorum saltem propinquiorem Italiæ locum petit, quò laudes eius recentius, & citius celebrare possit. Orat postremò Suillium, vti hoc votum suum diis commendet.

ELEGIA QVINTA.

Ad eundem iam Consulem.

BELLA PROSOPOPOEIA CVM GRATIARVM ACTIONE.

ARGVMENTVM.



VT eleg.7.lib.3. Trist. ipsam epistolam, ita hîc elegos προσωποποιεῖται, & suauiter eos alloquens dat mandata. Longam viam emensuros, Romam vsq; in quo illis συμπάσχει. Thracia transita, & enauigato mari Ionio, intra dies denos non magnis itineribus in vrbem peruenturos. Ædes Pompeij, foro Augusti proximas petant. Nomen suum ne eloquantur. Percensentur occupationes, in quibus illum reperturi sint. A perfuncto rebus grauioribus humaniter acceptum iri spondet; & quid interrogati de auctore ac parente suo respondeant, præscribit: nempe viuere, & vitam suam illi debere, & in mancipio illius semper fore, & vt sua in ipsum merita nouorum accessione conseruet, rogare. Quartum hunc librum de Ponto extremo principatu Augusti scriptum esse contendit Eusebianus Corrector, quod istæc elegia dirigatur ad Sex. Pompeium Cos. in cuius magistratu obierit Augustus. Præterea in elegiis sequentibus ad Albinouanum, & Carum ait, eam fuisse sextam hyemem exilij sui. Vnde dici fortasse possit, in colligendis, & ordinandis elegiis istis temporis ordinem quo scriptæ neglectum. Quod fatetur ipse extrema elegia nona lib.3.

Non liber vt fieret, sed vti sua cuique daretur
Littera, propositum, curaq; nostra fuit.
Postmodo collectas vtcunque sine ordine iunxi.
Hoc opus electum ne mihi forte putes.

Ite leues elegi doctas ad consulis aures,
Verbáque honorato ferte legenda viro.
Longa via est, nec vos pedibus proceditis aquis:
Tectáque brumali sub niue terra latet.
Cùm gelidam Thracen, & opertum nubibus Æmon,
Et maris Ionij transieritis aquas:

Luce minus decima dominam venietis in vrbem,
Vt festinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeia petatur:
Non est Augusto iunctior vlla foro.
Si quis, vt in populo, qui sitis, & vnde requirat:
Nomina decepta quelibet aure ferat.
Vt sit enim tutum, sicut reor esse, fateri,
Verba minus certè ficta timoris habent.
Copia nec vobis vllo prohibente videndi
Consulis, vt limen contigerìtis, erit.
Aut reget ille suos dicendo iura Quirites,
Conspicuum signis cùm premet altus ebur:
Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magna non sinet vrbis opes.
Aut, vt erunt patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam, natóque salutem,
Déque parum noto consulet officio.
Tempus ab his vacuum Cæsar Germanicus omne
Auferet: à magnis hunc colit ille deis.
Cùm tamen à turba rerum requieuerit harum,
Ad vos mansuetas porriget ille manus:
Quidqúe parens ego vester agam, fortasse requiret:
Talia vos illi reddere verba velim.
Viuit adhuc, vitamqúe tibi debere fatetur,
Quod prius à miti Cæsare munus habet.
Te sibi, cùm fugeret, memori solet ore referre,
Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine Bistonium quòd non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui.
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus vt meritis referatur gratia, iurat,
Se fore mancipium tempus in omne tuum.
Nam prius vmbrosa carituros arbore montes,
Et freta veliuolas non habitura rates:
Fluminàque in fontes cursu reditura supino,
Gratia quàm meriti possit abire tui.
Hæc vbi dixeritis, seruet sua dona, rogate:
Sic fuerit vestræ caussa peracta viæ.

COMMENTARIVS.



IN TE LEVES ELEGI] leuioribus rebus apti. Molles nominat eleg.4.lib.3.

Ferre etiam molles elegi tā vasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.

DOCTAS AD CONSVLIS AVRES] Sicut Horat. Ode 1. lib.1. *Me doctarum ederæ præmia frontium Diis miscent superis.* Doctæ frontes, doctæ aures, id est, doctorum frontes, doctorum aures, figura poëtarum loquendi tritissima. Consules solitos consulere Imperatorem, planum fit ex hac eleg. infra. *Aut fero Augusto, &c. Deq́ parum noto consulet officio.*

HONORATO VIRO] Viri honorati, honore digni, aut honorandi, ἄξιοι λόγου, ad verbum, reputatione digni. Sed hîc, honore affecto, summo videlicet magistratu, magistratus enim sunt, & appellantur honores. Vinum honorarium quod dabatur magistratui. Sic frumentum honorarium. Et pœna honoraria, quæ ex edicto Prætoris infligitur. Item actio, & ludi.

LONGA VIA. E. NEC VOS. P. PROCED. AEQVIS] Duo incommoda bonis istis elegis obiiciuntur (mira inest in hac fictione iucunditas, & quod aliâs monui, in festiuitatibus hisce valet magnopere ingenium Ouidij, quas non sæpe obseruabis apud alios, qui ipsi præferuntur) duo inquam incommoda, eos proficiscentes retardatura, viæ longitudo (de qua eleg.7.lib.4.Trist. dum excusat amicum, à quo litteras perraras acceperat,

Innumeri montes inter me, teq́. viaq́,
Fluminaq́, & campi, nec freta pauca iacent.)

& claudicatio. Claudo enim vel breuis via videri longa potest. Et hexameter pentametro longior cum sit, non sunt æqui pedes. Eleg.1.lib.3.Trist.

Clauda quod alterno subsidant carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

TECTAQ. BRVMALI. S. NIVE. T. LATET] Tertium hoc, & maximum itineris incommodum, niues altæ, quas alibi queritur in locis illis cumulari semper, & alicubi bimas iacere.

CVM OSLID. THRACEN, &c.] Niue candidam Thracen nominat Horat. Ode 2.lib.3. horridam Catull. propter frigus sæuissimum. Hebrum regionis fluuium hyemis sodalem eadem Ode Horat.

MARIS IONII] Iungitur Adriatico, dictum vel ab Ioue puella: vel ab Ionio Dyrrhachi filio, quem Hercules interfectum in id præcipitauit. Ionium rorem κατὰ μείωσιν Propert.lib.2. eleg.26.

LVCE MINVS DECIMA] ergo nona.

DOMINAM IN VRBEM] caput mundi vocat alibi. Martialis lib.1. *domina fastidia Roma.* Domina, vel quod terrarum princeps ac domina: vel quod ibi dominorum orbis sedes, & imperij domicilium. Vnde Græci βασιλεύουσα ῥώμη: sicut

A Constantinopolim post sedem eò translatam νέαν ῥώμην, & βασιλίδα τῶν πόλεων.

INDE DOM. VOB. POMPEIA PETAT.] Rectà tendite ad ædes Pompeij, ne alibi hæreatis.

NON EST AVO. IVNCT. VLLA FORO] Tria fora celebriora fuêre, Romanum, siue Latium, Iulium, & Augusti, de quo dictum ex Suetonio in eleg.1.lib.3. ibi. *Paruit, & ducens, hæc sunt fora Cæsaris, inquit.* De singulis Lipsius in Admirandis.

SI QVIS VT IN POP. QVI SITIS, &c.] Populus est rerum nouarum visendarum, & audiendarum cupidus. Sic eleg.1. lib.1.Trist.

Si quis, vt in populo, nostri non immemor ille,
Si quis, qui quid agam forte requirat erit.

NOMINA DECEPT. Q. AVRE FER] Iubet elegos quiduis potius, quam suum nomen sciscitanti dicere. Cur? ne id Sex. Pompeio, quod verebatur, noceat. Perinde enim est nominari ab
B Ouidio Pompeium, & petentes domum eius elegos dicere, se mitti ab Ouidio. Vide eleg.1. huius libri.

VT SIT ENIM TVTVM] Probat esse tutum eleg.6.lib.3 ad sodalem, qui nominari nolebat.

Cur tamen hoc aliis tutum credentibus, vnum
Appellent ne te carmina nostra rogas? &c.

VSREA FICTA MIN. TIM. HAB.] Ad ficta possunt etiam referri ambigua. Qui enim ambiguè loquitur, non vult ambiguum, qua parte verum est, intelligi.

COPIA NEC VOB. V. PROHIB. VID. &c.] Ad conspectum Consulis ab ipso limine domus non statim, nullo prohibēte, admittemini. Quia negotia illius non sinent. Ea ipsa quæ & qualia sint, confestim docet.

AVT REGET ILLE. S. D. IVRA QVIRIT.]
C Enumerat nunc negotia, quorum alicui vacantem inuenturi sint, qualia etiam Græcini Consulis futuri, eleg.9. Primum est, sedentem in sella eburnea, seu curuli ius dicere populo, qui nuncupatur Quirites à Quirino, id est, Romulo. Elegia nominata. *Hac modo te populo reddentem iura videbit.*

CONSPICVVM SIGNIS EBVR] Patet hinc, sellas illas signis cælatas fuisse. Eleg.9.

Signa quoq́, in sella nossem formata curuli,
Et totum Numida sculptile dentis opus.

De sella curuli dicemus ibidem, ad hunc ipsum versum.

AVT POP. REDITVS POSIT. COMP. AD HAST.] publicorum vectigalium rationes subducit. Eleg.9.

Nunc longi reditus hasta supponere lustri
Credet, & exacta cuncta locare fide.

De hasta in venditionibus multa eruditè Rhodigin.lib.21.cap.17. Et subiicit. Cæterùm obseruamus & illud, hastam in clāssicis auctoribus,

non

nō de auctionibus, venditionibusq; modò dici, sed & de locationibus, quæ publicè fiant. Vndè assueti hastæ appellati eleganter, qui eam conducere consueuerant. Liuius lib.24. Cum censores ob inopiam ærarij se iam locationibus ærarij abstinerent, ædium sacrarum tuendarū, curulium-que equorum præbendorum, ac similium rerū, conuenere ad eos frequentes, qui hastæ huius generis assueuerant, hortatique censores, vt omnia perinde agerent, locarentque, ac si pecunia in ærario esset. Cornel. Nep. in vita Attic. Ad hastam publicam nunquam accessit, nullius rei neque præs, neque manceps factus. Ex his locum poëtæ satis explicatum, & illustratum opinor.

MAGNÆ VRBIS] non tantum ipso ambitu, qui aliquot milliarium Germanicorum fuit: sed rebus omnibus. Plus dixit Virgil. 5. Aeneid. *hunc maxima porrò Accepit Roma.* & lib. 7. *rerum maxima Roma.* Non fuit ergo auerti, aut interuerti magnæ vrbis vectigalia Pompeius.

IN IVLIA TEMPLA VOCATI] coacto senatu in curiam Iuliam, quam nominat Suetonius in Caligula cap. 60.

DE TANTO DIGNIS CON. REB. AGIT] Tanto Consule, multos enim consules sapientia, doctrina, nobilitate, &c. superat. Eleg. 5.

Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat vtilitas.

De rebus igitur grauissimis Patres cōsulit Pompeius. Consul nominatus est, inquit Varro 2. de vita pop. Rom. quod consulere populum, & senatum debet: nisi illinc potius, vnde Accius in Bruto, qui rectè consulat Consul fiat. De hoc magistratu, si placet, &, si otium est, lege dialog. meum 16. secundæ Tertij.

AVT FERET AVG. SOLIT. NAT. SAL.] Aut ibit salutatum Augustum, & filium eius Tiberium. Sueton. cap. 33. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: sed diebus festis, quod addit Dio.

DEQVE PARVM NOTO CONSVL. OFF. Consilium Augusti, vt moderatoris, & rectoris optimi, & Exconsulis exquiret, quo pacto rempub. Ipse adhuc nouus rector, & inexpertus administret cum laude. Qui bene regere, aut imperare vult, quemadmodum id præstare possit, vel ex libris discat oportet: vel ex iis qui se in munere antecesserunt, cognoscat. Qui neutrum facit, nimium sibi placere videtur.

TEMPVS AB HIS VACVVM] quidquid reliquum est temporis. Cic. ad Q. F. ep. 14. lib. 2. nullum mihi vacuum tempus ostenditur. 2. Vertrin. habere dies vacuos. Tum autem sunt vacui, cum nos ipsi vacamus.

CÆSAR GERMAN. OMNE AVFERET] cum Cæsare Germanico in feriis, & ludicris consumit.

A MAGNIS HVNC COLIT IPSE DEIS] secundùm magnos deos, Iouem, & Cæsarem, quasi minorem deum hunc colit, & obseruat.

A *CVM TAM A TVRB. RER. REQ. HAR.*] cum satisfecerit his tam variis, occupationibus, & animum distrahēctibus negotiis. Cum se in otium retulerit.

AD VOS MANSVET. PORRIG. ILLE M.] ipse homo mansuetus accipiet vos porrecta dextera, seu obuiis, quod aiunt, vlnis vos amplectetur. φιλοφρόνως.

PARENS EGO VESTER] suorum versuum parentem se in Trist. lib. crebrius, aliquoties dominum vocat: libros natos, & inter se fratres. Ne sit graue recurrere ad Comment. in eleg. 1. lib. 1. Trist. *Heu mihi quò domino non licet ire tuo.*

TALIA VOS ILLI REDD. V. VOLO] Quid respondere debeant percunctanti.

B *VIVIT ADHVC*] Bene, *adhuc*: nam si locum, & incommoda spectes, pridem extingui potuit.

VITAMQVE TIBI DEB. FATETVR] Eleg. 1. lib. huius.

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.

Beneficia debentur, quoniam quibus bene fit, obligantur. Seneca lib. 4. de Benef. cap. 12. ait beneficium esse creditum insolubile. Nempe quia obligatio non desinit, & postquam soluimus, adhuc debemus.

QVOD PRIVS A MITI CÆS. M. HAB.] Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Vincere me dices, saluum tamen esse negabis.
Hos quoq; quod viuam munus habere dei.

C Et alibi sæpe.

BARBARIÆ TVT. EXHIB. VIAS] sequitur commemoratio meritorū erga se Pompeij, propter quæ illi vitam debeat. Primùm ergo adiuuctis, vt verisimile fit, satellitibus, fecit ei tutum à prædonibus iter.

SANG. BISTON. Q. NON. TEPEF. ENSEM] Alibi. *Sanguine Tlepolemum Lyciam tepefecerat hastam.* Quod latronum Threiciorum gladios suo sanguine non imbuerit, quomodo ipse poëta locutus est eleg. 1. lib. 2. *Imbuero Scythicas si non prim ipse sagittas.*

EFFECT. CVRA PECT. ESSE SVI] prouidentia, & sollicitudine animi sui.

ADDITA PRÆTEREA VITÆ, &c.] sumptibus Pompeij vitæ tuendæ necessaria illi suppeditarunt.

D *NE PROPRIAS ATTENVARET OPES*] Eleg. 7. lib. 3. Trist. non se admodum copiosum, & opulentum significat his versibus ad filiam.

Sunt & opes modica, cum sis dignissima magnis:
Finge sed immensis censibus esse pares:
Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna rapitque.

VT MERITIS REFERATVR GRATIA] ne ut in vas pertusum beneficia tua effuderis: sed vt homini gratissimo te ea dedisse intelligas.

IVRAT SE FORE MANCIP. T. IN OMNE. T.] non tantùm clientem, sed planè seruum: idque non ad definitum tempus, sed quandiu viuit. Proinde vtere eo vt vis. Mancipium est pro-

prietas, & legitimum dominium, vel dominij traditio, quæ fiebat testibus quinque præsentibus, & libri pende, certisq; prolatis verbis, hunc videlicet in modum. Is qui rem mancipio accipiebat, æs tenens ita dicebat. Hunc ego hominem iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære, æneasque libra. Deinde ære percutiebat libram, idque æs quasi pretium dabat ei, à quo rem accipiebat mancipio.

PRIVS VMBROS. CARIT. ARB. MONT.] More suo promissum suum ab ἀδυνάτοις confirmat, seque meritorum in omni vita memorem fore pollicetur.

VELIVOLAS RATES] quæ vento impellente velis tanquam alis volant. Aliter mare velivolum Virgilio, & nostro quoque eleg. 16.

FLVMINAQVE IN FONT. C. RED. SVPINO] Flumina plerunque in locis editioribus, & in montibus erumpunt, quorum origines dicuntur fontes, & capita. Quæ si in fontes suos cursu retrogrado redeant, cursu etiam supino, & A sursum redeant necesse est. Eiusdem plane generis ἀδύνατον est apud Horat. lib. 1. Ode 29.

——quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos,
Montibus, & Tiberim reuerti.

Euripid. Medea. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, καὶ δίκα, καὶ πάντα πάλιν στρέφεται. Sursum fluuiorum sacrorum eunt fontes. Et iustitia, & omnia retro vertuntur. Cic. ad Att. 15. vt prouerbio vsus est ἄνω ποταμῶν. &c. Locutus est simili figura & Demosthenes orat. de falsa legatione.

GRATIA. Q. MERITI. P. ABIRE. T.] quàm possint excidere animo meo tua merita.

SERVET SVA DONA] vt quam ei acceptam fero vitam meam, conseruare, ac tueri pergat, ac suis me officiis complecti ne desistat.

SIC FVERIT VEST. C. PERACTA VIÆ] Sic partes vestras egeritis, & effectum dederitis cuius gratia vos Romam mitto.

ELEGIA SEXTA.

Ad Brutum.

PRIVATVS PATRONO VETERI, IN NOVO SPEM FIGIT.

ARGVMENTVM.

Scribere se inde, vnde ipse litteras accipere minimè vellet. Sed hoc fataliter fieri. Quinquennium exegisse in Scythia, & perstare fortunam suam. Maximum Fabium pro se Augusto supplicaturum fuisse, ni mors eum abstulisset, cuius ipse caussa extiterit. Timere nunc cuiquam mandare auxilium suum. Augustum cœpisse flecti: sed & spem suam, & terras simul deseruisse: quem carmine funebri honorarit, quam pietatem bene sibi euenire cupit. Certum habere, & Brutum suam caussam agere, cui cum semper, tum aduersis temporibus suis dilectus sit. A lenitate naturæ, & acrimonia in dicendo virum laudat: & illa vti erga miseros, hac erga sontes.

tes. Se memorem, & gratum fore semper, cum affirmatione ab impossibilibus. Quæ si quis omnia per Tristium, & hosce libros sparsa colligat, sibique sub vnum aspectum subiiciat, fœcunditatem Ouidiani ingenij in his, vt in aliis quam plurimis excogitandis mirabitur.

Quam legis, ex illis tibi venit epistola, Brute,
Nasonem nolles in quibus esse locis:
Sed quod tu nolles, voluit miserabile fatum:
Hei mihi plus illud, quàm tua vota, valet.
In Scythia nobis quinquennis olympias acta est:
Iam tempus lustri transit in alterius.
Perstat enim fortuna tenax, votisq; malignum
Opponit nostris inuidiosa pedem.
Certus eras pro me Fabia laus maxima gentis
Numen ad Augustum supplice voce loqui:
Occidis ante preces: causamq; ego, Maxime, mortis
(Non fueram tanti) me reor esse tua.
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ.
Spem nostram, terras, deseruitq; simul.
Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti,
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quæ prosit pietas vtinam mihi, sitq; malorum
Iam modus, & sacræ mitior ira domus.
Te quoq; idem, liquidò possum iurare, precari,
O mihi non dubia cognite Brute fide.
Nam cùm præstiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen aduerso tempore creuit amor.
Quiq; tuas pariter lachrymas nostrasq; videret,
Passuros pœnam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit natura, nec vlli
Mitius ingenium, quàm tibi, Brute, dedit.
Vt qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi,
Posse tuo peragi vix putet ore reos.
Scilicet eiusdem est, quamuis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cùm tibi suscepta est legis vindicta seuera,
Verba velut tinctum singula virus habent.
Hostibus eueniat, quàm sis violentus in armis,
Sentire, & linguæ tela subire tuæ.

Quæ tibi tam tenui cura limantur, vt omnes
Istius ingenium corporis esse negent.
At si quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo fœmina nulla tuo.
Hoc ego præcipuè sensi, cùm magna meorum
Notitiam pars est infitiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor vnquam,
Qui mala sollicitè nostra leuatis, ero.
Et prius hinc nobis nimium conterminus Ister,
In caput Euxino de mare vertet iter:
Vtque Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas:
Quam quisquam vestrûm, qui me doluistis ademptum,
Arguat ingratum non meminisse sui.

COMMENTARIVS.

NASONEM NOLLES IN QVIB. ESSE LOCIS] Quis enim amicum malit esse in exilio, quam in patria?

VOLVIT MISERAB. FATVM] Miserabile ab effectu, facit enim miserabiles. Est quippe malum fatum, & qui sunt mali fati, dicuntur Græcis *δύσμοιροι, μοῖρα* enim fatum, & *δυσμοιρία* malum fatum. Rursum est & bonum fatum, dicunturque qui eius sunt *ὀλβιόμοιροι*, Callimacho *εὔμοιροι*, & fatum bonum *εὐμοιρία*.

PLVS ILLVD QVAM T. VOTA VAL.] Virgil. 4. AEneid. *Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.* Eidem fatum est inexorabile, & ineluctabile. Philosophi id definierunt connexionem, seriemque caussarum omnium, qua fit, quidquid fit. Fatum, ait Seneca, si deum dixeris, non mentieris. Cum enim nihil aliud sit, quam series implexa caussarum, illa est prima omnium caussa, ex qua cæteræ pendent. De verbo non esse laborandum, inquit D. Augustinus, quandoquidem ordo ipse causarum dei summi tribuitur voluntati, quam ethnici philosophi fatum vocant.

QVINQVENNIS OLYMPIAS ACTA EST] Notissima est litteratis omnibus illa quinquennalis in Græcia ludorum celebritas, Olympiæ ab Hercule Ioui instituta, vnde spatium temporis quinquennale dici cœptum Olympias, quemadmodum apud Romanos à lustrando lustrum, annorum totidem. Lustrum autem nō quatuor, vt quibusdam placuit, sed quinque integros annos continere, multis auctorū locis in medium prolatis demonstrat Iosephus Castalio, Obseruat. in Criticos decad. 1. cap. 10. De Olympiade quoq; certatur, num quinque, an quatuor, cum quinto inchoante contineat. Quam litem componere non est nostrum. Certè pro iusto quinquennio mille locis positum reperimus. Seneca Hercul. Fur.

Quantus Eleum coit ad Tonantem
Quinta cum sacrum reuocauit æstas.

Corrector, & Illustrator Eusebij producto hoc Nasonis versu, negat Olympiadem esse lustrum Romanum, & complecti quinquennium absolutum, deceptumque poëtam nomine *πενταετηρίδος*, cum *πενταετηρὶς* dicta sit, non quod quinque annis absolutis constaret: sed quia quinto quoque anno rediret in orbem, & ideo quinquennem Olympiada vocasse, quæ tamen fuerit quadriennis.

IAM TEMP. LVSTRI TRANS. IN ALT. Olympias transit in tempus, in annos alterius lustri, siue Olympiadis: primæ succedit secunda.

PERSTAT ENIM FORTVNA TENAX] Fortunæ malignitas de pertinacia sua nihil remittit. Quomodo ergo de eadem 5. Trist. 9. *Et manet in nullo certa, tenaxque loco?* Illud de prospera, non de aduersa dictum, quam videmus constantiorem, minusq; mutabilem. Diutius enim plerumq; in miseriis, quàm in fœlicitatibus viuitur.

VOTIS MALIGN. OPPON. N. PED.] A cursoribus, qui pedis obiectu antagonistā supplantant.

FABIÆ LAVS MAXIMA GENTIS] Apostrophe ad mortuum. Vide principium eleg. 2. lib. 1. Implorat eius patrocinium eleg. 3.

Suscipe Romanæ facundia, Maxime, linguæ
Difficilis caussæ mite patrocinium.
Est mala, confiteor: sed te bona fiet agente,
Lenia pro misera fac modo verba fuga.

SVPPLI-

SVPPLICE VOCE] argumentis enim, cum reus culpam non inficistur, agi non poteſt. Ad miſericordism Auguſti confugiendum erat.

OCCIDIS ANTE DIEM] ſtst ſua cuique dies, snte qusm nemo moritur. Quis tamē eum diem ignoramus, quem ſolus Deus nouit, & videmur diutius viuere potuiſſe, aut etiam debuiſſe, dicimus nos ante diem mori, hoc eſt, ante diem, noſtra opinione, & iudicio definiendum. Virgil. 4. AEneid. de Didone.

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoq́ accenſa furore.

In quem locum conſule ſymb. noſtras.

CAVSSAMQVE EGO MORTIS ME, &c.] quouiam mœror de calamitate mea te conſecit.

NEC FVERAM TANTI] Hsud eram dignus, vt tantus vir mea cauſſa dolorem tantum ſuſciperet, atque inde etiam vitam amitteret. Penelope Vlyſsi. *Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.* Cic. pro Cælio. Is non putat tus dona eſſe tanti.

IAM TIMEO NOST. C. MAND. SALVT.] ne illi ſimiliter vt Maximo eueniat.

IPSVM MORTE TVA CONCID. AVXIL.] quam ſperare opem aliundè potui, tecum mortua eſt.

DECEPTÆ CVLPÆ] culpæ per errorem contractæ Auguſtus meditabatur iguoſcere.

SPEM NOSTRAM, TERRAS DESERVITQVE SIMVL] Sed eius obitus eluſit ſpē meam. Terras aūt deſeruiſſe dicit, quia frequenter antea vnum de cæleſtibus diis prædicauit. Liuius lib. 1. de Romulo. Subitò coorta tempeſtas, cum magno fragore, tonitribuſque tam denſo regem operuit nimbo, vt conſpectum eius concioni abſtulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Horat. Ode 3. lib. 1. *Serus in cælum redeas.* Obiit Nolæ in Campania, sb V.C. DCCLXVII. ætatis anno LXXVI. diebus quinque & triginta minus. Et obiit eodem die, nempe 14. Kalend. Septemb. quo olim primum conſulatum inierat Sed conſulstum primum iniuiſſe menſe ſextili, non 14. Kalend. Septemb. aut ipſo menſe Septembri, aduerſus Dionem, & Velleium probat Ioſeph. Csſtslio Obſeruat. decad. 8. cap. 1. Tacitus Annal. 1. ait eundem diem accepti quondā imperij principem, eidem & ſupremum fuiſſe. De eo die conſule Comment. Lipſij, pag. 7. Sortitus eſt exitum fscilem, & qualem ſemper optauerst. Nam ferè quoties sudiſſet citò, sc nullo cruciatu defunctum quempiam, ſibi & ſuis εὐθανασίαν ſimilem (hoc enim verbo vti ſolebat) precabatur. Sueton. cap. 100. Ex Dione tradit Xiphilinus, moribundum iuſsiſſe plaudi vt in comœdia, & riſiſſe humanæ vitæ conditionem. Vixiſſe annis LXXV. menſes X. dies 26. Regnaſſe à victoria Actiaca annos XLIV. minus diebus 13. Prodigia mortis eius. Sol totus deficere, & cæli magns pars ardere viſa eſt: ignitæ trabes de cælo csdere, & ſsnguinolenti cometæ viſi, &c. Suſpicio eſt, Liuiam ei ficubus veneno illitis mortem sttuliſſe, cum ve-

A rerétur, ne imperium à Tiberio filio ſuo in Agrippinum ex Iulia filia nepotem transferret. Apud prudentes vita eius variè extollebatur, arguebaturque. Lege Tacitum, non longe ab initio.

QVALE TAMEN POTVI CARMEN] ingenio torpente, & in tantis miſeriis marcente, & vena pauperiore, vt eſt eleg. 2. Indicat ſecius ἀπαθῶς ceciniſſe.

DE CÆLITE RECENTI] Refert Xiphilinus, Liuiam dediſſe decem millia aureorum cuidsm Numerio ſenatori Athenienſi, & prætorio viro, quòd is iuraſſet, quemadmodum de Proculo, Romuloque traditum eſt (à Liuio lib. 1.) ſe Auguſtum in cælum aſcendentem vidiſſe.

QVÆ PROSIT PIETAS VTINAM MIHI]
B Iſtuc propter domeſticos Auguſti, qui hoc pium officium poëtæ in defunctum eo vel reuocando, vel in locum mitiorem transferendo remunerari debuerunt.

LIQVIDO POSSVM IVRARE] poſſum vt rem liquidam, & certam iuramento affirmare.

NON DVBIA COGNITE FIDE] cuius fidem argumentis euidentibus perſpexi.

VERVM AMOREM] non fucatum, non ſimulatum: ſed ſincerum, ac fidelem.

ADVERSO TEMP. CREVIT AMOR] In aliis decreuit, immò in nihilum rediit. Haud temere tales amicos inuenias, qui in triſtibus etiam addāt ad amorem: tantum abeſt vt aliquid de eo diminuant.

C *PASSVROS POEN. CRED. ESSE DVOS*] Crederet eadem pœna vtrumque multandum. Plorant autem ſæpe grauiore ſupplicio afficiendi.

LENEM TE MISERIS GEN: NATVRA] Lenitatem definit in Partition. Cicero iuſtitiam in moderatione animaduertendi. Eidem 1. Philipp. ſeueritatem opponit. Hic sutem eam miti ingenio coniungit, vt ſit idem, aliquem natura lenem, aut mitem eſſe.

QVID VALEAS MARTE FORENSI] quātum præſtes in cauſsis forenſibus agendis. Arma vocsuit 1. Faſt. loquens de cauſsis, quas egerat in ſoro Germanicus. *Ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.* Item Cic. 1. de Orat. Torquere, & iactare hsſtss de concludendis, & quaſi vibrandis argu-
D mentationibus oratoriis dixit ibid. & 2.

VIX PVTET] vix poſsit perſusdere ſibi, te diſertum, ac vehementem eſſe in accuſando. Quid ſit autem reum peragere, explicaui ex Budæo in 1. Triſt. eleg. 1. ἐπεξιέναι Græcis. Demoſth. ad Leptin. καί τοι καὶ τοῦτο ἀκούω σε λέγειν, ὡς ἄρα τρεῖς σοί τινες γραψάμενοι οὐκ ἐπεξῆλθον, id eſt, quanqusm & hoc audio te dicere, te à tribus vocatum in iudicium, peragi tsmen reum non potuiſſe. Hoc eſt, non ita accuſatum, vt condemnareris.

QVAMVIS PVGNARE VIDENTVR] quāuis contraria videsntur, nec poſſe in eodem reperiri facilitas, & truculentia. Poſſunt tamen, etiam eodem tempore: ſed non ſecundùm idem,

.cu ratione eiusdem. Nam simul supplicibus A poßis esse mitis, fontibus durus, & infestus.

LEGIS VINDICTA SEVERÆ] cum dicia pro legibus, easque à contemptu vindicas. Seu, cum legum sanctimoniam, & æquitatem contra violatores tueris, & asseris.

VERBA VELVT. T. SING. VIR. HAB.] instar telorum venenatorum lædunt lædendos.

VIOLENTVS IN ARMIS] quam potens sis Marte forensi.

LINGVÆ TELA SVBIRE TVÆ] vulnerari eloquentia tua tanquam telis venenatis, quæ faciunt vulnera. Sunt & alia linguæ tela, quæ mordaces, contumeliosi, & maledici iaciunt. Sed aliter illa oratorum, aliter istorum tela vulnerant.

QVÆ TIBI TAM TENVI CVRA LIMANT.] B Quæ tela, quæ verba, quæ orationes tuæ forenses tam subtiliter abs te elaborantur. Cic. 1. Academ. Institui quædam ad eum, quæ sunt magna sanè, & limantur à me politius. 1. de Orat. vir oratione maximè limatus, ac subtilis. Et epist. 33. lib. 17. opus est hîc limatulo, & polítulo iudicio tuo.

VT OMNES ISTIVS INGEN. CORP. E. NEG.] vt omnes sibi persuadeant, non humanum, sed diuinum quoddam ingenium tuum esse.

AT SI QVEM LÆDI. F. CERN. INIQ.] Si cuiuis casum, & infortunium animaduertis.

MOLLIOR EST ANIMO. F. NVLLA TVO] Mulier, quasi mollior, ab ipsa mollitie. Est tamen viro indecora mollities muliebris: & contrà magnum fœminæ ornamentum adhibita certis locis, ac temporibus virilis audacia.

NOTITIAM EST INFICIATA MEI] cum me pæne omnes mei desererent (quod alibi conquestus est non semel) sensi quam mollia esset a nimus tuus me læso.

IMMEMOR ILLORVM ERO] illis desertoribus, & mei obitis par referam. Delebo eos ex memoria mea.

VESTRI NON IMMEMOR VNQVAM] tui, & paucorum præterea, qui in fide perstitistis.

QVI MALA SOLLICITA, &c.] qui acri studio ad minuendam mihi calamitatem incumbitis.

ET PRIVS HIC NOBIS, &c.] Sequuntur quæ fieri nequeunt: quæ tamen citius futura autumat, quam ipse ingratus sit, amicorumque, & benemeritorum obliuiscatur.

IN CAPVT VERTET ITER] Superiore elegia. *Fluminaq; in fontes cursu reditura supino.* Fontium, & fluminum origines dicuntur capita, vnde scilicet primùm erumpunt, & profluere incipiunt. Pro ostio videtur vsus Cæsar. 4. Gallicoe. loquens de Rheno. multisque capitibus in Oceanum influit. Quod autem Lamb. ad illud Ode 1. lib. 1. *nunc ad aqua lene caput sacra.* negat pertinaciter, caput dici principium & originem fluuij, docet Ouidium, & alios latinè loqui; sicut nonnunquam ipsum M. Tullium. Dicuntur etiam fontes, vt eleg. superiore. *Fluminaq; in fontes cursu reditura supino.*

EVXINO DE MARE] in quod illabitur, vt alia flumina. Mare pro mari sexto casu, notauimus & alibi, & Lucretij auctoritate confirmauimus. Excusat enim necessitas metrica mutationem vocalis longæ in breuem.

THYESTÆÆ RED. SI TEMP. MENSÆ, &c.] Et sol prius ad Eoas aquas, vnde surrexit, reuocabit cursum: vt si redeant tempora Thyesteæ cœnæ: vt si Atreus iterum Thyestæ fratri filium eius coctum pro epulis apponat. Quod scelus sic exhorruit sol, vt cursum supra Mycenas actum vel auerterit: vel, vt hîc dicitur, ad orientem retro reuocauerit. Vide tragœd. Thyesten C apud Senecam. Horat. ad Pisones.

Indignatur enim priuatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Martial. lib. 3.

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamq; Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos Ligurine tuam.

Allusit ad eam Propert. lib. 3. eleg. 22. *Nec tremuit Ausoniæ Phœbe fugata dapes.*

QVI ME DOLVISTIS ADEMPTVM] mortuum, quod alibi docuimus. Non enim vitam vitalem viuit in exilio.





ELEGIA SEPTIMA.

Ad Vestalem.


MILITIS FORTISSIMI LAVS.

ARGVMENTVM.

EVm in loca illa Septentrioni subdita administrāda venisse. Oculis suis aspicere, quam ipse (Ouidius) aspera in regione iaceat. Videre glaciatum Pontū, vina, Istrum; item tela venenis illita, & ea quoque in conflictu expertum. Merito suo primipilum factum, etsi virtus eius maiora mereatur. Strenuissimè ad Istrum pugnasse. Historia de Ægypso vrbe, Vitellio duce recepta, & eximia Vestalis huius murum subeuntis, stragemque non modicum edentis fortitudo, cuius exemplum alios excitarit. Comparat eum cum Aiace Telamonio. Vrbem esse occupatam, virtutique ipsius suo carmine immortalitatem contigisse.

Missus es Euxinas quoniam Vestalis ad oras,
Vt positis reddas iura sub axe locis:
Aspicis en præsens quali iaceamus in aruo,
Nec me testis eris falsa solere queri.
Accedet voci per te non irrita nostræ,
Alpinis iuuenis regibus orte, fides.
Ipse vides certè glacie concrescere Pontum:
Ipse vides rigido stantia vina gelu.
Ipse vides onerata ferox vt ducat Iapyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Et telum causas mortis habere duas.
Atq; vtinam pars hæc tantum spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi.
Tendit is ad primum per densa pericula pilum,
Contigit ex merito qui tibi nuper honor.
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen virtus ordine maior erit.

Non negat hoc Ister, cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.
Non negat Ægypsos, quæ te subeunte recepta,
Sensit in ingenio nil opis esse loci.
Nam dubium est positu melius defensa, manúue,
Vrbs erat in summo nubibus æqua iugo.
Sithonio regi ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas victor habebat opes:
Donec fluminea deuecta Vitellius vnda,
Intulit exposito milite signa Getis.
At tibi progenies alti fortissima Domni,
Venit in aduersos impetus ire viros.
Nec mora, conspicuum longè fulgentibus armis,
Fortia ne possint facta latere, caues.
Ingentiq; gradu contra ferrumq; locumque,
Saxaq; brumali grandine plura subis.
Nec te missa super iaculorum turba moratur:
Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in casside pennis,
Parsque ferè scuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos fœliciter effugit ictus,
Sed minor est acri laudis amore dolor.
Talis apud Troiam Danais pro nauibus Aiax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.
Vt propius ventum est, admotaq; dextera dextra,
Resq; fero potuit comminus ense geri:
Dicere difficile est, quid Mars tuus egerit illic:
Quotq; neci dederis, quosque, quibusq; modis.
Ense tuo factos calcabas victor aceruos,
Impositoque Getes sub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
Vincitur Ægypsos, testataque tempus in omne
Sunt tua Vestalis carmine facta meo.



COMMENTARIVS.

EVXINAS AD ORAS] in oras, & regiones Ponto Euxino adiacentes, quæ Romanis parent.

POSITIS SVB AXE LOCIS] Axem vocat polum Arcticum, vt alij poëtæ non rarò. Cic. 1. Tuscul. quarum altera (ora) quam nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem. Axis definitur ab astrologis linea per centrum transiens, & vtrinque ad extremum circuitum pertingens, circum quam orbis aliquis conuertitur. Extremæ partes axis poli dicuntur. Sed Tomitanam regionem septem illæ stellæ rectâ lineâ respiciebant. Eleg.2.lib 3.Trist.

Ergo erat in fatis Scythiam quoq; visere nostris,
Quæq; Lycaoniæ terra sub axe iacet?

QVALI IACEAMVS IN ARVO] Iacere nõ tam corporis situm hîc, quam conditionis miseriam significat. Et aruum dictum pro aruis, seu terra, seu regione, qua nil squalidius, incultius, sterilius, frigidius, &c. Talia sunt apud Ciceronem, iacere in mœrore, in sordibus & luctu. Et Lucretij lib.1.

Humana ante oculos fœde cum vita iaceret
In terris, oppressa graui sub religione.

NEC ME TEST. E. F. SOLERE QVERI] Oculatum testem fore dicit, se vera locutum in tot querimoniis suis de asperitate exilij sui, de quibus eleg.9.lib.3.

Quid nisi de vitio scribam regionis amaræ?
Vtq; loco moriar commodiore precer?

ACCEDAT VOCI PER TE, &c.] Testimonium sibi ab eo dici rogat, & id ratum futurum affirmat.

ALPINIS REGIBVS ORTE] regio sanguine oriunde.

VIDES CERTE GLACIE CON. PONT.] Eleg.10. lib.3.Trist.

Vidimus ingentem glacie concrescere pontum,
Lubricaq; immotas testa premebat aquas.

RIGIDO STANTIA VINA GELV] Ibid.

Nudaq; consistunt, formam seruantia testæ
Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.

Vinum congelascere pluribus locis affirmauit Aristoteles. Experimenta quædam huius rei sanè admirabilia narrat Lud. Cerdius in illud Maron. Georg.3. *Caeduntq; securibus humida vina.*

VT. DVCAT IAZYX PER MED. &c.] Iazyges acres nominat eleg.3.lib.1.& 2.Trist.

Iazyges, & Colchi, Metereaq; turba, Getaq;
Danubij mediis vix prohibentur aquis.
Caeruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas
Frigore concretas vngula pulsat equi.
Perq; nouos pontes subterlabentibus vndis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.

A Cum Africa Scythiam conferẽs Virgil.3. Georg. hæc habet de frigoribus, & glacie illius.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris:
Æraq; dissiliunt vulgò, vestesq; rigescunt
Indutæ, caeduntq; securibus humida vina.

SVB ADVNCO TOXICA FERRO, &c.] Lib.1.eleg.2.

Qui mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Et eleg.10.lib.3. Trist. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* ad quem locum plura diximus.

TANTVM SPECTATA FVISSET] Terrent quidem huiusmodi res spectatæ, sed non nocẽt.

NON ETIAM PROP.COG.MARTE TIBI] tuis militibus. Non enim viueret, si telum huiuscemodi corpore suo excepisset.

TENDITIS AD.P.PER. D.PERICVL.PI-
B LVM] ad dignitatem primipili Centurionis, qui præerat aquilæ, præcipuo signo totius legionis. Et is imperabat cæteris omnib' Centurionibus, non modo triariorum, verùm & hastatorum, & principum, & primum à Tribuno locum obtinebat. Neq; satis erat his primipilis ad aquilam peruenisse. Qui enim in cæteris legionibus ad eum militiæ gradum peruenerant, eorum magnam quidem fuisse dignitatem constat: at maximam tamen huius, qui legionis primæ primũ centurionatum, seu primum pilum assecutus erat. Liquet exemplo Sp. Ligustini, ad eum ordinem prouecti apud Liuium lib. 52. Hactenus ex Steuechio ad lib.2.cap.8.Vegetij.

CONTIGIT EX MER.Q.TIBI NVP.HONOR] In militia sunt gradus honorum, & ab vno ad alterum per virtutem ascenditur.

SIT LICET HIC TITVLVS, &c.] quanquam magnus, & illustris est hic titulus, Centu-
C rio primipili.

IPSA TAM.VIRT.O.MAIOR ERIT] nondum par est virtuti tuæ, quæ digna est honore ampliore.

NON NEGAT HOC ISTER] Sic dictum, vt illud Horatij Ode 4.lib.4. de Neronum victoria, relata ab Hasdrubale, fratre Annibalis. *Testis Metaurum flumen.* De Istro vide dicta nonnulla in eleg.9.lib.1. vbi binominis appellatur.

PVNICEAM GET. SANG. F. AQVAM] Tot Getas in prælio per te, & tuos occidisti, vt proiectis in Istrum cadaueribus totus purpurasceret. Eleg. 9. de Flacco. *Infecitq; fero sanguine Danubium.* Eleg.4.lib.3.

Squalidus immittat fracta sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine portet aquas.

Horat. Ode 12. lib. 2. *nec Siculum mare Pœno purpureum sanguine.*

NON

nus, seu propositio fuit, cuius nunc tres quasi species, & partes pouuntur, quarum prima ad numerum occisorum: altera ad gradum, & discrimen; tertia ad modos illatæ necis pertinet. Certè apud duos poëtarum principes Homerũ, & Virgilium videre licet ab heroibus multos, nec infimos, & variis modis in prælio interfici.

ENSE TVO. F. CALCAB. V. ACERVOS] Hoc non in muris, sed in oppido iam occupato factũ credamus oportet. Aceruos autem Getarum, vt sequitur. Virgil. 10.

Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.

Et lib. 11. *quando tot stragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit.*

PVGNAT AD EXEMP. P. MIN. O. PILI] secutus est exemplum tuum, qui es primipilus primæ legionis, minor ordine primipilus cum suis.


A

MVLTAQVE FERT MIL. V. MVLT. F.] Dare, & accipere vulnera militis officia sunt, & hoc est *ἀριστεύειν*. Propert. eleg. 1. lib. 2. *Enumerat miles vulnera, pastor oues.* Et illi demum laudantur, & pugnasse fortiter creduntur, qui aduersi corporis cicatrices ostentare possunt.

ANTE CITOS. Q. PEGAS. LIB. EQ.] E capite Medusæ à Perseo desecto, repente equum alatum exiluisse fabulantur. Apollod. lib. 2. Quare hunc equum dij miserati Bellerophonti dederint, & quo pacto inter sidera relatus sit, Natal. lib. 9. cap. 4. in Bellerophonte.

VINCITVR ÆGYPSOS] recuperatur, recipitur.

TESTATAQVE TEMP. IN OMNE, &c.] Ad vxorem eleg. 5. lib. 1. Trist. *Carminibus viues tempus in omne meis.*





ELEGIA OCTAVA.

Ad Suillium.

PROMISSIO, ET LAVS CARMINVM.

ARGVMENTVM.

SErò accepisse litteras eius, ex quibus prōptam ad sibi commodandum voluntatem perspexerit, quam amet, & diuturnam esse cupiat. Affinitatis eum pudere non debere, cũ præter exilium pudendum nihil habeat. Natum se equestri loco, moribus vixisse à reprehensione alienis, præter errorem, de quo millies. Si quid se impetraturum confidat, Cæsarem roget, quem instar numinis vereretur, & à quo obtineat omnia. Gratum fore se promittit, non quidem templis exædificandis, sed carmine, quo maius nihil possit. Locus communis de donis exiguis, pia mente oblatis. Aptum Principibus munus esse carmen, & præconium carminum. Germanico ingenio suo seruiturum, poëtam poëtæ, & summo quidem, nisi ad maiora vocatus foret. Effert illum à studio poëtico, & cum Apolline sagittario, ac Musico comparat. Per communionem studiorum saltem propinquiorem Italiæ locum petit, quò laudes eius recentius, & citius celebrare possit. Orat postremò Suillium, vti hoc votum suum diis commendet.

Littera

Littera sera quidem, studiis exculte Suilli,
Huc tua peruenit, sed mihi grata tamen.
Qua, pia si posset superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Vt iam nil praestes, animi sum factus amici
Debitor, & meritum, velle iuuare, voco.
Impetus iste tuus longum modò duret in aeuum,
Néue malis pietas sit tua lassa meis.
Ius aliquod faciunt affinia vincula nobis,
Quae semper maneant illabefacta, precor.
Nam tibi quae coniux, eadem mihi filia penè est:
Et, quae te generum, me vocat illa virum.
Hei mihi, si lectis vultum tu versibus istis
Ducis, & affinem te pudet esse meum.
At nihil hìc dignum poteris reperire pudore,
Praeter fortunam, quae mihi caeca fuit.
Seu genus excutias, equites ab origine prima
Vsq; per innumeros inueniemur auos.
Siue velis mores qui sint inquirere nostri,
Errorem misero detrahe, labe carent.
Tu modò, si quid agi sperabis posse precando,
Quos colis, exora supplice voce deos.
Dij tibi sunt, Caesar iuuenis: tua numina placa.
Hac certè, non est notior ara tibi.
Non sinit illa sui vanas antistitis vnquam
Esse preces: nostris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exigua si nos ea iuuerit aura,
Obruta de mediis cymba resurget aquis.
Tunc ego thura feram rapidis solennia flammis,
Et, quantum valeant numina, testis ero.
Nec tibi de Pario statuam Germanice templum
Marmore: carpsit opes illa ruina meas.
Templa domus facient vobis, vrbesq; beatae:
Naso suis opibus carmine gratus erit.
Parua quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro concessa verba salute damus.
SED QVI QVAM POTVIT, DAT MAXIMA, GRATVS ABVNDE EST:
Et finem pietas contigit illa suum.
NEC, QVAE DE PARVA PAVPER DIIS LIBAT ACERRA,
THVRA MINVS, GRANDI QVAM DATA LANCE VALENT.

Agnáque tam lactens, quàm gramine pasta Falisco,
Victima Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen officio vatum per carmina facto
Principibus res est aptior vlla viris.
Carmina vestrarum peragunt praeconia laudum:
Néue sit actorum fama caduca, cauent.
CARMINE FIT VIVAX VIRTVS, EXPERSQVE SEPVLCHRI
NOTITIAM SERAE POSTERITATIS HABET.
TABIDA CONSVMIT FERRVM LAPIDEMQVE VETVSTAS:
NVLLAQVE RES MAIVS TEMPORE ROBVR HABET.
SCRIPTA FERVNT ANNOS: scriptis Agamemnona nosti,
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
Quis Thebas, septemq́ duces sine carmine nosset?
Et quicquid post hac, quicquid & antè fuit?
Dij quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt:
Tantáque maiestas ore canentis eget.
Sic Chaos ex illa naturae mole prioris
Digestum, partes scimus habere suas:
Sic affectantes caelestia regna Gigantes
Ad Styga nubifero vindicis igne datos.
Sic victor laudem superatis Liber ab Indis,
Alcides capta traxit ab Oechalia.
Et modò Caesar auum, quem virtus addidit astris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur viui Germanice nostro
Restat in ingenio, seruiet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere vates:
Iudicio precium res habet ista tuo.
Quod nisi te nomen tantum ad maiora vocasset,
Gloria Pieridum summa futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quàm carmina, mauis:
Nec tamen ex toto deserere illa potes.
Nam modò bella geris, numeris modò verba coërces:
Quodq́; aliis opus est, hoc tibi lusus erit.
Utq́; nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo,
Sed venit ad sacras neruus vterque manus:
Sic tibi nec docti desunt, nec principis artes:
Mista sed est animo cum Ioue Musa tuo.
Quae quoniam nec nos vnda submouit ab illa,
Ungula Gorgonei quam caua fecit equi:

Profit, opemq́; ferat communia sacra tueri,
Atque iisdem studiis imposuisse manum:
Littora pellitis nimium subiecta Corallis,
Vt tandem sæuos effugiamq́; Getas.
Clausáque si misero patria est, vt ponar in illo,
Qui minus Ausonia distat ab vrbe, loco.
Vnde tuas possim laudes celebrare recentes,
Magnáque quàm minima facta referre mora.
Tangat vt hoc votum cœlestia, care Suilli,
Numina, pro socero pæne precare tuo.

COMMENTARIVS.

LITTERA SERA QVIDEM HVC. T. PERVEN.] Caussa est, locorum immensum interuallum.

SED MIHI ORATA TAMEN] Tum ingrata esset, si eius culpa accidisset, vt tam serò redderetur.

STVDIIS EXCVLTE] an poëticis, an oratoriis? alteris vtique. Ab agricultura ducta metaphora. Cic. in Hortens. Litteris, talibusque doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, ac præparari decet. Pro Archia. nisi animos nostros doctrina excolamus. Et 2. Tusculan. Vt ager, quamuis natura fertilis, sine cultura esse non potest: sic neq; sine doctrina animus. Animi cultum accipere Gellius, ni fallor.

QVAE SI POSSET SVPER, &c.] Summam litterarum indicat, quas patet officiosas fuisse.

VT IAM NIL PRAESTES] vt nihil commodes mihi, aliunde videlicet impeditus.

ANIMI SVM. P. AMICI DEBITOR] Sicut ei qui inuitus profuit, nullæ: ita qui prodesse voluit, nec potuit, gratię, & amor debentur. Omnia quippe rectè facta ex animo spectanda sunt. Facit huc quod est apud Senecam de Beneficiis libro 6. cap. 11. Quemadmodum ei, qui voluit mihi pecuniam credere, sed non credidit, nihil debeo: ita ei, qui voluit mihi beneficium dare, sed non potuit, amicus quidem ero, sed non obligatus; & volam illi aliquid præstare, nam & ille voluit mihi.

MERITVM VELLE IVVARE VOCO] Nunquid non dignissimus est meritis, qui nudam bene de se merendi voluntatem numerat in meritis?

IMPET. ISTE TVVS. L. M. DVR. IN AEVVM] Affectus iste dulcis, & studium mei. Ita mos est rogare amicos, & nobis bene cupientes, vt eundem animum conseruent: quod idem illis polliceri consueuimus de nobis. Cic. ep. 3. lib. 5. Si poteris, velim tuam erga me pristinam voluntatem

A conserues. Et ep. 7. lib. 3. Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officij mei, beneuolentiæque, quam à me certo iudicio susceptam, quoad tu voles, conseruabo.

NEVE MALIS. P. SIT. T. LASSA MEIS] Bonam eius voluntatem vocauit impetum, est enim τὸν μένος. Nunc pietatem appellat, quæ grauius quiddam, quam amor significat: quæ non modo erga Deum, patriam, parentes, propinquos, sed etiam erga bene meritos, & amicos habetur, & dicitur. Cic. ep. 1. lib. 1. ad Lentulum. Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus. Multa ibidem super hac voce Paulus Manutius interpres vnus omnium Ciceroni suo, in quo vitam consumpsit, minimè erubescendus.

AFFINIA VINCVLA] Affinitas nos quibusdam vinculis beneuolentiæ, & amoris colligat. Cic. in Bruto. P. Crassus cum summo illo oratore Ser. Galba, cuius C. filio filiam suam collocauerat, affinitate sese deuinxit. Et pro P. Quintio.
B Affinitas liberis istius viuis diuelli nullo modo poterat.

ILLAE EFACTA] ne rumpantur vnquam alienatione vlla. Irrupta maneat ista copula.

TIBI QVAE CONIVX. E. MIHI. F. PAENE] Hoc magis percipitur ex sequētibus: priuignam enim Ouidij Suillius habebat in matrimonio. Priuignæ autem, & priuigni sunt vitricorum propemodum filij.

HEV MIHI. S. L. VVLT. TV. V. ISTIS DVCIS] Tales sententias, quibus aut suum, aut aliorum propter se timorem aperit, & alibi inuenias. Vt eleg. 2. lib. 1.

Heu mihi, quid faciam? vereor ne nomine lecto
Durus, & auersa cætera mente legas.
Eleg. 8.
Me miserum, si tu verbis offenderis istis,
Nosq́; negas vlla parte fuisse tuos.
Eleg. 2. lib. 2.

Heu mihi, si lecto vultus tibi nomine non est
Qui fuit, & dubitas cætera perlegere.

Ducunt vultum qui contrahunt, vt solent seueri, tristes & irati. Contrarium, exporrigere frontem. Sueton. Tiberio cap. 68. Incedebat ceruice rigida, & obstipa adducto ferè vultu. Seneca de benef. lib. 6. cap. 4. si cum daret, suspirauit, & vultum obduxit. Lege cum Grutero, & Lipsio adduxit: sic enim idem, & plenius ep. 58. itaque vultum adducet ad tristitiam.

ET AFFINEM TE PVDET ESSE MEVM] Infælicium amici, & cognati affines esse non gaudemus: vel quia nihil ab iis speramus boni (commodis enim nostris pleriq; amicitiam metimur) vel quia propter eos aliquid timemus mali. Auctore Modestino lib. 12. Pand. Affines sunt viri, & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes inter se diuersæ, per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem cognationis accedit. Coniungendæ enim affinitatis caussa fit ex nuptiis. Sic ille. Ad duo à igitur fines nuptiarum fœdere coitur, qui sunt vir & vxor. Ad finem priorem accedunt cognati vxoris: ad posteriorem cognati ipsius viri. Atque non ipsi cognati inter se, sed alteri vxori, alteri marito affines euadunt.

NIHIL DIGNVM PVDORE] ob quod te mei pudere debeat.

PRÆTER FORT. Q. MIHI CÆCA] Cæcam fingebant fortunam antiqui, quoniam improbis, & flagitiosis bona & diuitias, viris probis inopiam, & alia mala obuenire videbant. Insinuat igitur Naso, se immerentem trusum in exilium. Similis pæne sententia illi Plautinæ in Capt. vbi pro insano habitus ex calumnia Tyndari Aristophontes, inter cætera sic ait Hegioni herò.

Sed hoc primùm expurgare me tibi volo. me insaniam
Neq; tenere. neq; mihi esse morbum, nisi quòd seruio

SIT OSNVS SECVTAS] Probare incipit distinctè, nihil habere se, pudendum quod sit.

EQVITES AB ORIG. ‡ INVENIEM.] ecquid pudenda nobilitas? certè viro nobili amicum esse non dedecet. Et qui primus dictus est Naso, caput, & princeps familiæ nostræ, eques fuit.

PER INNVMEROS AVOS] per maiorum seriem longissimam, non à patre, & matre tantum, vt pleriq; hodie, nouorum hominum filij. Eleg. 10. lib. 4. Trist.

Si quid id est. vsq; à proauis vetus ordinis heres,
Non modo fortunæ munere factus eques.

ERROREM MISERO DETRAHE] Errorem illum in visa re parum honesta. Præter hanc labem, mores suos nulla labe contaminatos fuisse affirmat. Eleg. 4. lib. 4. Trist.

Nec data sunt. mihi crede. tamē sed in omnibus actis
Vltima si demas vita tuenda mea est.

Eleg 8. *Iamq; decem lustra omni sine labe peracta.*

SI QVID ADI. SPERAB. P. PRECANDO] si putabis aliquid proficì posse precibus pro me factis.

A QVOS COLIT EXORA, & VOCE DEOS] Suillius iste videtur Tiberio familiaris fuisse.

DII TIBI SVNT CÆSAR IVVENIS] cum voce *deos* per enallagen intelligeret Tiberium; quod hinc liquet, cur non dixit; *Quem colit exorā supplice voce Deum?* Tiberium, inquam, Augusti successorem.

NVLLA EST NOTIOR ARA TIBI] propter familiaritatem, vt iam dixi.

SVI ANTISTITIS] Quoniam ipsum Tiberium nominauerat aram, & aram Suillij, eundem Suillium huius aræ, & Dei antistitem conuenienter appellat. Sacrificium autem sunt preces. Antistites olim erant primarij singulorum templorum sacerdotes, qui sacris præerant, & consultoribus respondebant. Cic. pro domo sua. Vos qui

B estis antistites cæremoniarum, & sacrorum, auctorem habetis, & magistratum publicæ religionis. Ibidem. Antistites deorum immortalium. Verrin. 6. postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistites, maiores natu, ac probatæ, ac nobiles mulieres, rem ad magistratus deferunt. Vbi Gellius contendit legendum antistitas lib. 13. cap. 19. contra legem Grammaticam. Ciceronem enim sonitu verbi delectatum, eam neglexisse. Sed videtur quibusdam doctis somniasse Gellius, cum nemo, cui teretes aures, antistitas, quam antistites plenius esse, ac melius sonare iudicet. Est ergo generis communis, vt diues, hæres, superstes, locuples, &c. Apud Ouidium tamen 13. Metamor. est fæmininum. De Cassandra,

C *tractaq; comis antistita Phœbi.* Verbum antistes ad eos transfertur, qui in re, arte, scientia aliqua principatum tenent, & supra alios excellunt. Antistites iuris Seruius Sulpitius, sapientiæ Plato, philosophiæ Aristoteles, eloquentiæ Cicero, poëseos Virgilius. Diximus & alibi, nisi fallit memoria. Sed instauranda est nonnunquam etiam lectori memoria.

QVAMLIBET EXIG. SI NOS, &c.] Allegoria. Si nos Cæsar vel exiguo fauore dignabitur, te orante; hoc est, si saltem mitius exilium indulserit.

OBRVTA DE MEDIIS CYMB. EST VROS AQVIS] mersus sum enim huius fortunæ meæ fluctibus.

D TVNC EGO THVRA FERAM, &c.] Non alia thura, credo, quam carmina, quæ etiam loco templi Germanico se donaturum profitetur.

STATVAM TEMPLVM] σήκωμα, ab ἵσημα. Virg. 4. Aeneid. *Templa aras posuit.* Et 3. Georg. *Et viridi in campo templum de marmore ponam.*

PARIO DE MARMORE] quod in insula Paro candidissimum reperitur, & commendatur à Virgil. 1. Aeneid.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariusue lapis circumdatur auro.

Horat. Ode 19 lib. 1. *splendentis Pario marmore purius.* Strabo lib. 10 ἐν δὲ τῇ Πάρῳ ἡ παρία λίθος λεγομένη, ἀρίστη πρὸς τὴν μαρμαρογλυφίαν. De Paro est Parius lapis, qui dicitur, optimus ad marmoris cælaturam.

CARPSIT OPES ILLA RVINA MEAS]Coniicimuaex his verbia, summitti solitam illi pecuniam de facultatibua suis, qua se aleret in exilio: quamuis & Maximus eum sua liberalitate iuuaret. Cæsat quippe Augustus nihil ei de bonis carpsit, siue ademit.

DOMVS, VRASSQVA BEATAS] Locuples, inquit Corn. Fronto à copia locorũ: diues, quia diuidendi facultatem habet: opulentus ab opibus; potens, qui quod vult potest: fortunatus, cui forte aliquid contigit: beatus qui apud Græcos *μακάριος* est: pecuniosus qui habet pecuniam, vel pecora. Valla lib. 4. cap. 114. beatum definit, qui rebus omnibus ad vitæ vsus, ornatumq́ue spectantibua abuudat, vt sit pæne idem quod fælix, omnium bonorum compos. Catull. *Otium reges prius. & beatas perdidit vrbes.*

NASO SVIS OPIB. CARM. ORAT. ERIT] Rectè, *suis opibus*. Nam vt ait eleg. 7. lib. 3. Trist. *ad non mortale tenemus Pectoris exceptu ingeniiq́; bonis.* Illa vere nostra sunt, quę nulla vis contraria, non ipsa mora auferre nobis potest. Plin. epist. 21. lib. 3. de carminibus Martialis, quibus ab eo laudatus fuerat. Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius si potuisset. Cicer. Paradox. 4. Nihil neque meum est, neq; cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest.

PARVA QVIDEM. F. PRO MAG. &c.]magna magnis pensari deberent: immo cumulatiore mensura, secundùm Hesiodum, vt est in 1. Off.

CVM PRO CONCESS. V. SAL. DAMVS]cum verbis agimus gratias, quod paruum & facile est, pro salute, qua nihil maius.

SED QVI. Q. POTVIT DAT. MAX. &c.]Principio elegiæ pronuntiauit, *& meritam velle iuuare voce.* Ita hoc loco propter magnam referēdæ gratiæ voluntatem gratum abundè dicit, qui licet parua pro magnis reddat, reddit tamen quantum potuit. Rem amplificat a similibus in sacris. Simillima sunt de pia voluntate, & paupere sacrificio eleg. 4. lib. 3.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.
Hæc facit vt veniat pauper quoq; gratus ad aras,
Et placeat caeso non minus agna boue.

Lege Commentar.

ET FINEM PIET. CONTIG. ILLA SVVM] Peregit munus suum. Finis pietatis, ac religionis est Deum pie, sanctèq; colere, ac venerari. Quam magnis id hostiis, ac sumptuosè fiat, pietati parum interest. Philo de Plant. Noe. Nemo pæne malus reuera sacrificat, etiam si perēni sacrificio decem millia boum immolet quotidie. Nam præcipua victima mens ipsa non est integra. Læsis verò non est fas aras attingere.

DE PARVA ACERRA]Acerra, inquit Festus, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alij dicunt esse arculam thuraciam, scilicet vbi thus reponebant. Plena acerra dici potest de sacrificiis diuitum. Horat.

A Ode 8. lib. 3. *Quid velint flores, & acerra thuris plena miraris.* Virgil. 5. Aeneid.

Pergameumq; larem. & cana penetralia Vestæ
Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.

Martial. lib. 4.

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra
Phœbe, Palatinus munera Parthenius:

GRANDI QVAM DATA LANCE] Elegia 9. *Thuraq; mensæ magis plena quam lance dedissem.* Qui se diis venerādis religiosius gerere cupiebant, thus aris prodigè iniiciebant, & altaria cumulabant: quomodo & in hostiis mactandis, vinoq; infundendo liberaliores erant. Vnde & mactare, & adolere augmen significant. Et Plaut. Mercat. dixit aram augere. Thus itaq; non acerra, sed plena
B lance in aram, & focum coniiciebant, quod docet Arnob. lib. 2. Acerras thuris, quas plenas coniiciatis altaribus. Docet item Persius postremis quinque versibus Satyræ 2. in muneribus, & sacrificiis Deum magis curare offerentis animum, quam oblata ipsa. Si ille pius, si integer, & scelere purus sit, habere acceptū quantumuis exiguum, ac paruum sit quod offertur.

Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum ius, fasq; animo, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo admoueam templis, & farre litabo.

Sapienter quoque, & verè Porphyr. lib. 2. *περὶ ἀποχῆς* de non edendis carnibus. *τὸ δαιμόνιον μᾶλλον*
C *πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος, ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει.* Deus potius sacrificantium mores & animū, quam eorum quę sacrificātur numerum, seu copiam spectare solet. De vero germanoq; Christianorum sacrificio aurea verba Lactantij ex lib. 6. cap. 24. subtexamus. Quisquis igitur his omnibus præceptis cælestibus obtemperauerit, hic cultor est veri Dei, cuius sacrificia sunt mansuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit, &c.

AONAQVE TAM LACTENS] subruma. Pecudis enim vber ruma.

GRAMINE PASTA FALISCO] De bobus, ineunte consulatu Sex. Pompeio mactandis ele-
D gia quarta. *Quos aluit campis herba Falisca suis.* Pingues intelligo ex bonitate, & vbertate pascuorum.

VICTIMA TARP. INF. ICTA FOCOS]in capitolio cæsa, inficit focos sanguine. Virgil. Eclog. 1. *illius aram Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.* Hortorū Deus in carmine quodam, quod Catullo adscribitur.

Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesq; capella.

NEC TAMEN OFF. VAT. PER CARM. &c] Locus profectò insignis de laude carminis, quo immortalitas conciliatur. Hoc igitur officio, quo funguntur poëtæ, dum Principum facta celebrant, aut illis gratias agunt, nihil est illis ipsis

dignius:

dignius: non dona vlla, non opes, &c. sic eos or naut.

CARMINA VEST. PERAG. P. LAVD.] Quam multos Principes à poëtis laudatos recordamur? Verùm eæ laudes non multùm valerent, nisi famam rerum gestarum alerent. Ideo subiicit, *Neue sit actorum fama caduca cauent.*

CARMINE FIT VIVAX VIRT.] Vita virtutis est carmen, quoniam sine carmine ignoratur, & est quasi mortua virtus. Claudian. in laudibus Stiliconis.

Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas.
Carmen amat quisquis carmine digna gerit.

NOTITIAM SERAE POSTERIT. HAB.] habet notitiam posteritatis, id est, agnoscitur à posteritate, vt putes ὑπαλλακτικῶς dictum, quasi ipsa agnoscat posteritatem. Ita dicimus, Ioannes habet opinionem magnam. Est in admiratione, habetur de ea magna opinio. Videtur hypallage, virtus habet notitiam posteritatis, pro, posteritas habet notitiam virtutis, carminis beneficio.

TABIDA CONSVMIT. F. LAPID. VETVST.] Nihil esse, quod non ad interitum redigatura confectrice omnium rerum vetustate, scriptum est in fragment. Ciceron. Et pro M. Marcello. Nihil est enim opere, aut manu factum, quod non aliquando conficiat, & consumat vetustas. Auson. *monumenta fatiscunt. Mors etiam saxis nominibus- que venit.* Sophocles. πάντ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει, καὶ φλέγει.

NVLLAQVE RES MAIVS TEMP. ROBVR HABET] Etiam ferrum, & marmora domat, quibus nihil durius.

SCRIPTA FERVNT ANNOS] perdurant in annos. Vinum dicitur ferre ætatem, quod diu saporem retinet, quod non fugit, non vapescit.

SCRIPTIS AGAMEM. NOSTI] Homericis, qui primus de illo prodidit memoriam.

ET QVISQVIS CONTRA V. SIMVL. A. TVLIT] & alios heroas Græcos, & Troianos. Vtrorumque epitaphia feruntur, scripta ab Aristotele, cui libello Pepli nomen inditum. Nam cum Panathenaicis quinto quoq; anno Athenis Mineruæ peplum offerretur, in quo vel acu depictę, vel intextæ visebantur eiusdem deę victoria contra Titanas, & bene de repub. meritorum, strenuorum quoque ducum res gestæ, vnde prouerbium apud eos, ἄξιος τοῦ πέπλου, putauit Aristoteles hosce tumulos heroum Troianorum commodè sic inscribi posse. Cantauit eosdem tetrastichis Ausonius.

QVIS THEBAS, SEPTEMQVE DVCES, &c.] De his tragœdia Aeschyli extat. De bello Thebano multa Euripid. in Phœniss. Seneca in Thebaide, Statius 12. libris. Vide lib. 2. Trist. *Cur tacui Thebas, &c.*

ET QVICQVID POSTHAEC, &c.] quæcunque ante, & post hæc tempora ad memoriam insignia contigerunt, ex poëtarum libris nota sunt.

A DII QVOQVE CARMINIBVS FIVNT] Ita est. Nam ipse met Augustum in Tristib. & in hisce libris crebrò Deum fecit, si nominare est facere. Sed si Principes poëtarum versibus dij creari volunt, creentur sanè. Nos istiusmodi deos non pluris facimus quam simios. Videndum quæ in Deo laudemus, & admiremur, conandumq; vt iis pro modulo nostro imitandis non dij, sed similes Deo, & diuini euadamus. *Estote perfecti* inquit, *&c.*

SI FAS EST DICERE] quia arrogantius & contra eorum maiestatem apparebat dictum iri, προθεραπείαν adhibuit.

TANTAQVE MAIEST. ORE CAN. EGET] Multo iam plus, & audacius dicit. Non tantum

B fiunt dij carminibus: sed etiam sine carminibus quidam non euasissent dij. En quantum possunt poëtę, quorum opera vel dij futuri egent. Audiamus cætera.

SIC CHAOS EX ILLA NAT. M. &c.] Hoc notum est primò ex Hesiodo, quem quidam Homero vetustiorem volunt. De chao, & eius distributione in partes τοῦ παντὸς seu vniuersi 1. Metamorph.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles,
Non bene iunctarum discordia semina rerum, &c.

Vide quam antiqua canunt poëtæ.

SIC AFFECTANT. COELEST. R. GIGANT.]

C Ibidem.

Neue foret terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes. &c.

Virgil. 1. Georg. *Et coniuratos cœlum rescindere fratres.*

AD STYGA NVBIF. VINO. I. GAT.] Ignem nubiferum νεφεληγερέτης nominat fulmen, qui non fert ipse nubes, sed fertur è nubibus, ναδιννᾶς.

SIC VICTOR. T. SVPER. LIB. AB IND.] De expeditione Bacchi ad Indos, & victoriis eius, paucis noster 4 Metamorph. *orientis tibi victa ad vsque Decolor extremo quâ cingitur India Gange.* Vide Dionysium in περιηγήσει. Reliquit & Nonnus Panopolitanus libros Διονυσιακῶν XL.

ALCID. CAPT. TRAX. AB OECHAL.] Hercules Alcæi nepos, Amphitryonis; & Alcmenæ

D filius, ob Iolen Euryti filiam sibi pactam, nec datam, vniuersam Oechaliam, ipso rege in Eubœam fugiente debellauit, & euertit. Est autem Oechalia vrbs Bœotiæ. Virg. 8. Aeneid. in cantu Saliorum de laudibus Herculis. *Vt bello egregias idem disiecerit vrbes, Troiamq; Oechaliamq;.* Deianira vxor in epistola.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris:
Victorem victæ succubuisse queror.

ET MODO CAESAR AVVM TVVM] Augustum, qui fuit auus Germanici per adoptionem; siquidem Tiberius illum coactus est adoptare. Incipit commẽdare Germanicum, vt eius opem consequatur.

Qvem virtvs addidit astris] quos in cælum merita vocauerunt, est in 1. Tuscul. Aeneid. 9. *Macte noua virtute puer, sic itur ad astra.*

Sacrarvnt aliqva carmina pa-tri] Suprà. *Tantáque maiestas ore canentis eget.* Debet igitur aliquid Ouidio Augusti diuinitas. Intelligit carmen in eius obitum à se conditum, de quo eleg. 6.

Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.

Si qvid adhvc vivi rest. in ing.] *Et pars antiqui magna vigoris abest*, dixit alibi. Item. *Ingenium fregere meum mala.*

Servist omne tibi] tuis laudibus, & gloriose factis canendis dicabitur.

Non potes off. v. contemn. vatas] 1. Fast. *Si licet, & fas est vates rege vatis habenas.* Argumentum à coniugatis. Omnis artifex amarsibi ὁμότεχνον, propter ἀμιλλίαν scilicet. Alioqui propter excellentiam, & quæstum maiorem cantor cantorem, & figulus odit figulum.

Ivdicio prat. res. h. ista. t.] Esse vatem, magnum est apud te: alioqui tuo te iudicio damnares.

Qvod nisi te nomen. t. ad maiora vocass.] ui Cæsarum genti insertus, successionem in imperio expectares. Iam sicut *quod vtinam* pro *vtinam*, ita *quod nisi* pro *nisi* haud inuenustè frequentatum est à bonis auctoribus. Liuius lib. 34. Quod nisi me verecundia singulorum magis maiestatis, & pudoris, quam vniuersorum tenuisset. Probus in Annibale. Quod nisi domi ciuium suorum inuidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Virgil. Eclog. 9.

Quod nisi me quecunque nouas incidere lites
Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix.

Lucret. *Quod nisi respirent venti, non vlla refrænet Res.* Terent. *Quod ni fuissem incogitans.*

Gloria Pierid. s. fvt. eras] Duxisses familiam poëtarum. Fuisses ocellus, & decus Musarum. Apollini confert eundem 1. Fast.

Pagina iudicium docti subitura mouetur
Principis, vt Clario missa legenda Deo.

Dare mater. nobis. q. carm. mavis] Mauis argumentum de te scribendi factis tuis dare nobis, quam tu ipse de te scribere, seu materiam carminis, de te videlicet, quam carmina etiam non de te. Sallustius in Catilin. Optimus quisque facere, quam dicere: sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.

Nec tamen ex toto desserere illa p.] Non potes te penitus à carminum scriptione disiungere. Etiam te interdum à magnis rebus, & negociis in suum opus Musa furtim trahit, vt de se scripsit eleg. 10. lib. 1. Trist.

Nam modo bella geris] nunc arma tractas, & in castris agis.

Nvmeris modo bella coercas] bella siue à te, siue ab aliis gesta carmine persequeris.

Qvodqve aliis opvs est] opus pro re difficili. Virgil. 6. Aeneid. *sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras Hoc opus, hic labor est.*

Hoc tibi lvsvs erit] tam facile, vt in quo alij sudarent, in eo tu ludere videaris. Hoc verissimè de Ouidiana ingenij facultate asseuerari queat. Malim legere ludus. Cic. 1. de finibus illa perdiscere, ludus est.

Vtqve nec ad citharam nec ad arcvm. s. Ap.] De arcu suo 1. Metamorph. ad Cupid.

Quid, tibi, lasciue puer, cum fortibus armis?
Dixerat, ista decent humeros gestamina nostros,
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti.

Et infrà, *per me concordant carmina neruis.* Horat. Ode 21. lib. 1. *insignemque pharetra, Fraternáque humerum lyra.*

Ad sacras manvs] Adulatio fecit, vt omnia Imperatorum vocarentur sacra, & ipsi sacratissimi. Non tulit Tiberius adulatores huiuscemodi. Nec enim dubitabat interpellare, ac reprehendere, & commutare continuò. Dominus appellatus à quodam, denuntiauit, ne se amplius contumeliæ caussa nominaret. Alium dicentem sacras eius occupationes: & rursus alium, auctore eo senatum se adiisse, verba mutare, & pro auctore suasorem: pro sacris laboriosas dicere coëgit. Sueton. cap. 27.

Nervvs vterqve] & arcus, & citharæ.

Sic tibi nec docti des. nec. P. artes] Vales doctrina, & arte bellica, quæ est Principum propria.

Mista sed est anim. c. Iove. M. tvo] Animo tuo & doctrinam poëticam, & scientiam optimi Principis (qui velut Iupiter quidam suorum est) contines. Haud ita dissimile illud Socratis in Phedro Platonis, vbi Isocratem laudans hunc in modum concludit φύσει γὰρ ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Quod Cic. in Orat. ad Brut. sic reddidit. Inest enim natura philosophia in huius viri mente quædam.

Vnde ab illa vno. Gorgoneï, &c.] Musæ appellatæ sunt Pegasides à fonte, quem Pegasus equus ictu vngulæ fingitur aperuisse. Quâ ob caussam fons Hippocrene, & Musæ ipsæ Hippocreuides. Medusa porro, è cuius ceruicibus capite amputato Pegasus exiluit, soror fuit Gorgonum, super quibus adi Natal. lib. 7. cap. 12. De iisdem Gorgonibus vide Iun. adagio, tanquam Gorgone conspecta.

Prosit, opemqve, f. commvn. s. tveri] Quod tutueris sacra communia (*sunt tamen inter se communia sacra poëtis*, dixit alibi) quod tu quoque de numero es poëtarum, hoc mihi prosit ad auxilium. Supplicat Germanico pet artem communem.

Iisdem stvdiis impoivisse manvm] Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt
Pieridum studiis imposuisse manum.

Pelli-

Pellitis Corallis] Pelliti sunt, Getarum vicini, Coralli, quomodo & illi propter frigora, pellibus inquam induti. Propertius lib. 4. eleg. 1.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Ibidem. *Verbera pellitus setosa mouebat arator.* Et de vestibus priscorum noster Amor. 3. *Hinulei pellis totos operibat amantes.* Cic. pro M. Scauro apud Ascon. pellitos testes vocans Sardos, agrestes, & inhumanos intelligit.

Vt tandem saevos, &c.] Tandem post quintum annum, quem se iam exegisse inter barbatos dixit eleg. 6. Ad auxesin iungitur nonnunquam *aliquando.* Cic. 2. Catilin. Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, &c. ex vrbe eiecimus.

Clausaque si misero pat. est] Si Romam redire non datur. In te maiore Virgil. 1. Aeneid. *quibus tot funera passis Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.*

Qui minus Auson. distet ab vrbe] Ausoniam vrbem vocat Romam κατ' ἐξοχὴν, vt aliâs.

Laudes recentes] Antequam enim perferantur res tuæ in Scythiam, & à me celebratæ in Italiam, & Romam referantur, non sunt amplius recentes, sed iam inueterarunt.

Quam minima mora] Magna egent tempore. Ast ingenia magna etiam in magnis, minore egent tempore. Sed Ouid. hic non ad moram scriptoris, sed ad dilationem operis Romam perferendi respicit.

Tangat vt hoc votum coelestia] vt hoc votum meum moueat cœlites, seu quidquid est in cælis Deûm. Lucretius lib. 1. de natura diuina. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.* Nisi per cælestia Cæsarem ipsum Augustum & Tiberium mauis intelligere; quos inter cælites numerare solet.

Pro socero paene tuo] Nam vxor tua pæne filia mea est, vt dixit post initium elegiæ.

ELEGIA NONA.

Ad Græcinum.

FVTVRVM SIBI DE EIVS, ET FRATRIS CONSVLATV GAVDIVM, ET BARBARORVM IN SE BENEVOLENTIA.

ARGVMENTVM.

Græcino Consuli iam designato optat reddi hanc epistolam ipsis Kalend. Ianuariis, cum inibit, vt illa auctoris sui officio fungatur: qui, si posset, præsens ei honorem gratularetur. Quantis incederet lætitiis, per commorationem explanat. Confer elegiam 4. de futuro Sex. Pompeij consulatu. Interea mente sola gauisurum, variis de caussis. Principem pro se rogari cupit: Festum diem Consuli nouo se acturum recipit. Gauisurum quoque de successione fratris, & ambos alterius honore lætos fore. Consulatum, summum Romæ magistratum ornari grauitate Cæsaris, eundem commodantis. Rogat vtrumque fratrem, vt se apud illum in gratia ponant. Flaccum (hic Græcini germanus erat) à rebus in præfectura Scythica feliciter, fortiterque gestis extollit. Ex eo ipso Græcinum loci quem in-

colat faciem, cælum Scythicum, sæuitiam indigenarum, & quid ipse agat cogniturum. Quam charus sit barbaris propter mores. Publicis decretis laudatum se, & immunitate donatum. Delectari illos etiam pietate sua. Quorum statuas colat quotidie. Ad Augustum cælitem apostrophe. Carmina in eius apotheosin à se scripta, Romam peruentura, quibus cum patriæ pater dictus sit, emollitum iri confidit. Hanc elegiam scriptam à poëta octauo anno exilij sui, quo eodem obierit, ratiocinatur Eusebianus Corrector, pag. 168.

Vnde licet, non vnde iuuat, Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.
Missáque dij faciant auroram occurrat ad illam,
Bis senos fasces quæ tibi prima dabit.
Et quoniam sine me tanges Capitolia consul,
Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ:
In domini subeat partes, & præstet amici
Officium iusso littera nostra die.
Atqui ego si fatis essem melioribus ortus,
Et mea sincero curreret axe rota,
Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur, esset
Lingua salutandi munere functa tui:
Gratatusq; darem cum dulcibus oscula verbis:
Nec minus ille meus, quàm tuus esset honor.
Illa (confiteor) sic essem luce superbus,
Vt caperet fastus vix domus vlla meos.
Dumq; latus cinget sancti tibi turba senatus,
Consulis ante pedes ire iuberer eques.
Et quanquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateris non habuisse locum.
Nec querulus, turba quamuis eliderer, essem:
Sed foret à populo tum mihi dulce premi.
Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Densáque quàm longum turba teneret iter.
Quoque magis noscas, quàm me vulgaria tangant,
Spectarem qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At cùm Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo:
Me quoque secreto grates sibi magnus agentem
Audisset, media qui sedet æde Deus.

Thura-

Thuráque mente magis, plena quàm lance dedißem,
Ter quater imperij lætus honore tui.
Hic ego præsentes inter numerarer amicos,
Mitia ius vrbis si modò fata darent.
Quæque mihi sola capitur nunc mente voluptas,
Tunc oculis etiam percipienda foret.
Non ita cælitibus visum est, & forsitan æquis:
Nam quid me pœnæ caussa negata iuuet?
Mente tamen, quæ sola loco non exulat, vtar:
Prætextam, fasces aspiciamq; tuos.
Hæc modò te populo reddentem iura videbit:
Et se secretis finget adesse tuis.
Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Credet, & exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat vtilitas.
Nunc pro Cæsaribus superis decernere grates,
Albáue opimorum colla ferire boum.
Atque vtinam, cùm iam fueris potiora precatus,
Vt mihi placetur principis ira, roges.
Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara:
Detq; bonum voto lucidus omen apex.
Interea quà parte licet, ne cuncta queramur,
Hic quoque te festum consule tempus agam.
Altera lætitia est, nec cedens caussa priori:
Successor tanti frater honoris erit.
Nam tibi finitum summo, Græcine, Decembri
Imperium Iani suscipit ille die.
Quæq; est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia: tu fratris fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris consul, bis consul & ille:
Inq; domo binus conspicietur honor.
Qui quanquam est ingens, & nullum Martia summo
Altius imperium consule Roma videt:
Multiplicat tamen hunc grauitas auctoris honorem,
Et maiestatem res data dantis habet.
Iudiciis igitur liceat Flaccóque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui.
Cùm tamen à rerum cura propiore vacabit,
Vota, precor, votis addite vestra meis.

Et si quà dabit aura sinum, iactate rudentes,
Exeat à stygiis vt mea nauis aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modò Flaccus, & illo
Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli:
Hic arcu fisos terruit ense Getas.
Hic raptam Trœzen celeri virtute recepit,
Infecitque fero sanguine Danubium.
Quære loci faciem, Scythicique incommoda cæli,
Et quàm vicino terrear hoste, roga:
Sintne litæ tenues serpentis felle sagittæ,
Fiat an humanum victima dira caput:
Mentiar, an coëat duratus frigore Pontus,
Et teneat glacies iugera multa freti.
Hæc vbi narrarit, quæ sit mea fama, require:
Quoque modo peragam tempora dura, roga.
Nec sumus hìc odio, nec scilicet esse meremur:
Nec cum fortuna mens quoque versa mea est.
Illa quies animi est, quam tu laudare solebas,
Ille vetus solito perstat in ore pudor.
Sic ego sum longè, sic hic, vbi barbarus hostis,
Vt fera plus valeant legibus arma, facit.
Rem queat vt nullam tot iam Græcine per annos
Fœmina de nobis, virue puérue queri.
Hæc facit, vt misero faueant adsintq; Tomitæ.
Hæc quoniam tellus testificanda mihi est.
Illi, qui me velle vident, discedere malunt:
Respectu cupiunt hìc tamen esse sui.
Nec mihi credideris: extant decreta quibus nos
Laudat, & immunes publica cera facit.
Conueniens miseris & quanquam gloria non est,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec pietas ignota mea est: videt hospita terra
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter, natusq; pius, coniuxq; sacerdos,
Numina iam facto non leuiora Deo.
Neu desit pars vlla domus, stat vterque nepotum,
Hic auiæ lateri proximus, ille patris.
His ego do toties cum thure precantia verba,
Eoo quoties surgit ab orbe dies.

Tota, licet quæras, hoc me non fingere dicet
Officij testis Pontica terra mei.
Pontica me tellus quantis hac possumus ora
Natalem ludis scit celebrare Dei.
Nec minus hospitibus pietas est cognita talis,
Misit in has si quos longa Propontis aquas.
Is quoque, quo læuus fuerat sub præside Pontus,
Audierat frater forsitan ista tuus.
Fortuna est impar animo, talique libenter
Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec vestris damus hæc oculis, procul vrbe remoti,
Contenti tacita sed pietate sumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæsaris aures:
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè scis hæc superis adscite, videsque
Cæsar, vt est oculis subdita terra tuis.
Tu nostras audis, inter conuexa locatus
Sidera, sollicito quas damus ore, preces.
Peruenient illuc & carmina forsitan illa,
Quæ de te misi cælite facta nouo.
Auguror his igitur flecti tua numina, nec tu
Immerito nomen mite parentis habes.

COMMENTARIVS.



VNDE LICET, NON VNDE IVVAT] *Quoniam quod vis fieri nō potest, velis quod potest*, ait in And. Terentius. Et vulgò, vt possumus, si non vt volumus. A

MITTIT AB EVXINIS VADIS] Eleg. 6. lib. 3. *Mittit ab Euxinis hoc breue carmen aquis.* Vadis πολύτροπε. Vt 1. Aeneid. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* Vbi tamen, vt notat Seruius, prudenter humilitatem sermonis epitheto subleuauit.

AVRORAM OCCVRRAT AD ILLAM] pars pro toto, ad illum diem.

BIS SENOS FASCES QVÆ TIBI. P. DAB.] ad Kalend. Ianuarias. Vide principium 1. Fastor. Præferebantur consuli à 12. lictoribus fasces. Erant bacilli teretes ex vlmo, aut betullæ arbore, loro colligati in modum fascis, illigatis securibus. B

TANGIS CAPITOLIA] ascendis, vt mos, in Capitolium.

ET FIAM TVRBAE. P. EGO. N. TVAE] & ego non ero in turba te comitantium, & deducentium, & tibi gratulantium, & applaudentium. Lib. 2. Trist. *Parsque fui turbæ paruæ precantis idē.* Eleg. 2. lib. 4. *Paruaque cuius eram pars ego nuper eques.*

IN DOMINI SVBEAT PARTES, &c.] expleat partes domini sui hæc epistola, & pro me vt amico, eo die præstet officium, quo iussi.

SI FATIS GENIT. MELIOR. ESSEM] Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Hic quoque cognosco natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.

Eleg. 4. lib. 5. *Nubila nascenti seu mihi Parca fuit.*

ET MEA SINCERO. C. AXE ROTA] si vita mea inoffenso cursu ferretur. Si essem integer, vt loquitur eleg. 3. lib. 3. Trist.

QVO NVNC. M. M. P. SCRIPT. FVNO.] cui rei dat operam nunc manus mea in exarandis litteris.

ESSET LING. SALVTANDI, &c.] eam perfecisset præsentis lingua, & te salutassem ore meo.

GRATATVSQVE DAREM. C. D. OSCVLA VERB.] & salutarem, & gratularer, & oscula ferrem. De osculis disputatur à Lipsio Elect. lib. 2. cap. 6.

Nec minus ille. M. &c.] vtramque amici fortunam ducit suam, qui ex animo diligit. Seneca in epist. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quidquam singulis est, nec aduersi. In communi viuitur.

Sic essem superbus] sic tollerem spiritus. Sic quadam arrogantia subnixus ambularé.

Vt caperet fast. vix. o. vlla meos] vt vix essem tolerabilis. Cic. pro Milone. Capere eius amentiam ciuitas non poterat. Et in Maniliana. Quæ ciuitas est in Asia, quæ vnius Tribuni militum animos, ac spiritus capere posset?

Dumq. latus. s. cing. t. turba sen.] Sanctum Iureconsultis, quod ab hominum iniuria munitum, atq; defensum est, vt omnes magistratus. Cic. pro Deioraro. Quiq; illum ordinem ab adolescentia grauissimum, sanctissimumque duxisset. Virgil. I. Aeneid. *Iura, magistratusq; legunt, sanctumq; senatum.* Turbam vocat propter multitudinem senatorum. Sueton. Aug. cap. 35. Senatorum affluentem numerum deformi, & inconditia turba (erant enim supra mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit, duabus lectionibus, &c. Voluisse autem trecentos legere, vt olim fuerant: sed id omnibus ægrè patientibus, legisse sexcentos, narrat Dio.

Consulis. a. ped. ire iub. eques] Nota morem. Senatores stipabant latera, equites antecedebant nouum Consulem.

Semper tibi proximus esse] à latere tuo nunquam discedere.

Lateris non hab. locum] propter Patres, quibus potior locus deberetur.

Quamuis eliderer] quamuis comprimerer, quod tamen sine querela nemo fert.

Foret a pop. t. mihi dulce premi] Sic enim gauderem multitudine ad gratulandum, & spectandum effusa, vt hoc quidquid est molestiæ, non ægre sustinerem: ægre autem? immo & libenter.

Prospicerem gavo. q. f. agmin. ordo] Recéset speciatim, quæ sibi tantam lætitiam facerent. Non solùm prospicerem agmen quantum esset, & mirarer ac lætarer; sed etiam ordinem agminis, aliis præcedentibus, aliis sequentibus, aliis latera cingentibus.

Densaque q. lono. t. ten. iter] quanto spatio vulgus confertim incederet.

Quam me vulgaria tanoant] sæpe visa, omnibus nota, seu vulgaris curiositas.

Qualis purp. te tegeret] Eleg. 5. *Purpura Pompeium summi velabit honoris.* Nota trisyllabum in fine pentametri, quod ratum in hoc, crebrum in Propertio, qui id pro ornamento sibi duxit, Ouidius magis pro vitio. Diximus in Prodidagmat. in calce.

Signa quoque in sell. n. form. curul.] Eleg. 5. *Conspicuum signis cum premet altus ebur.* Liuor. lib. 20. cap. 11. sellæ curules erant, in quibus magistratus (maiores) sedentes iura reddebant. Dictæ autem curules, quod apud veteres Prætores, & Consules propter itineris longinquitatem curru in forum proueheb antur. Sellæ autem quæ post eos vehebantur, quibus sedentes iura dicere solebant, à curru curules sellæ sunt nominatæ. Hæc ille. Ab Hetruscis finitimis sellam curulem, sicut togam prætextam sumptam esse scribit Liuius lib. I. Idem Dionys. & vocat δίφρον ἐλεφάντινον. Fecit hoc Tullus Hostilius. Multa de hac sella Pasferat. in Propert. eleg. 12. lib. 4. pag. 706. Fuerunt autem ex ebore id est dentibus elephanti. Vnde Horat. ep. 6. lib. 1. *Cui libet hic fasces dabit, eripietque curule importunus ebur.*

Numidae dentes] Elephanti multi in Africa, quam Νομαδίαν Numidiam appellat. Abundat item elephantis India, & quidem maioribus, & nobilioribus. Catull. de nupt.

Puluinar verò diuæ geniale locatur
Ædibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.

Sculptile opus] Quò esset sella illa elegantior, ipsum ebur sculpturis ornabatur. Quò puto allusisse Maronem I. Aeneid. *Quale manum addunt ebori decus.* Ouid. I. Fast. *Et noua conspicuum ponderá sentit ebur.*

At cum Tarpeias. e. ded. in arces] Eleg. 4. *Templaq; Tarpeia primum tibi sedis adiri.* I. Fast. *Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces.*

Dum cad. iussu vict. s. tuo] Ibidem. *Colla boues niueos certa prabere securi.*

Secreto grates agentem] clara enim voce gratias agere in illa panegyri non conueniret.

Media qui sed. alde Deus] Iupiter Capitolinus.

Mente mao. splen. q. lance oeo.] Eleg. superiore.

Nec qua de parua pauper diis libat acerra
Thura minus grandi quam data lance valent.

Lege ibidem annotata.

Ter quater laetus] certus, & finitus numerus pro incerto, & infinito. Sollemne hoc poëtis. Virgil. I. Aeneid. *O terq; quaterq; beati.* Vide Symb. nostras.

Inter praesentes amicos] nunc numerat inter absentes.

Ius vrbis] Ius vrbis, id est, ciuitatem non amisit, quod testatur sæpius, *nec ius mihi ciuis ademit,* Augustus subaudi. Quomodo ergo optat hic à fatis ius vrbis? Intellige ius manendi, & degendi in vrbe. Nō enim omnes ciues Romani sunt Romæ, cum multis etiam exteris data sit ciuitas. Ergo ciuis Romanus Ouidius, cui tamen per Augusti edictum Romæ non licebat esse.

Tunc ocul. atiam percip. forst] vt esset perfecta voluptas.

Non ita coelitibus visum est] Modestè in rebus afflictis ita loquebantur, ne deos irritarent. Eleg. II. *Non ita diis placuit.* Eleg. 8. lib. 4. Trist.

Trist. *Non ita diis visum est.* Virgil. 2. AEneid. *diis aliter visum.* Ibid. *Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui.*

ET FORSITAN ÆQVIS] non diceret *forsitan*, nisi culpam errorem vocaret. Quia tamen in isto errore culpa fuit, & culpa meretur pœnam, idcirco addit, *Nam quod me pœna. &c.*

QVÆ SOLA LOCO NON EXVLAT] Eleg. 5. lib. 3. Trist. *mente quolibet ire licet.* Et alibi: *Iuris in hanc potuit Cæsar habere nihil.*

PRÆTEXTAM ASPICIAM] omnes magistratus vtebantur prætexta.

REDDENTEM IVRA VIDEB.] similia de actionibus consularibus eleg. 5. *Aut reget ille suos dicendo iura Quirites.*

SECRETIS TVIS] deliberationibus, & consiliis tuis arcanis.

NVNC LONGI. REDIT. HAST. SVPP. &c.] Eleg. 5. *Aut populi reditus positam componet ad hastam.* In quem versum vide quid attulerim. Vectigalia quinquennalia locat in publica auctione, exacta à redemptoribus fide.

NVNC FACERE IN. M. F. V. SEN.]

Aut vt erunt Patres in Iulia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget.

PVBLICA QVID PETAT VTILITAS] Consul enim à consulendo reipub. dictus, circumspicere debet quid sit è repub.

PRO CÆSARIB. SVPER. DECERNERE GRATES] Pro Tiberio, & Germanico victoribus decernere supplicationes.

ALBAQVE OPIMOR. COLLA FER. BOVM] Boues niueos appellat eleg. 4. Quemadmodum porrò oues pinguiores, & candidiores lectæ, & porci maximè excepti ad sacrificia eximij: sic boues totius armenti pulcherrimi, & electissimi egregij, vel opimi, & hinc victima opima. Varro 2. de re rust. Boues altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi. Festus. Hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues, & spolia opima magnifica, & ampla.

CVM IAM FVERIS POTIORA PRECAT] quæ totius reipub. intersunt, id enim quæritur, cum pro Cæsaribus victimæ cæduntur.

PRINCIPIS IRA] Cum iam Augustus excesserit. Principis nomine Tiberium accipere oportet, qui ipse quidem per se Ouid. iratus non est: sed dum edictum decessoris non mutat, cum eo pariter iratus videtur.

SVRGAT AD. H. V. P. PIVS IGNIS AB ARA] Ad vocem pro me precum tuarum emicet ignis, votoque tuo det bonum omen, ita futurum vti rogas.

NE CVNCTA QVERAMVR] ne de cunctis queramur. Ne nihil aliud faciamus, quam conqueramur.

QVA PARTE LICET] quatenus licet, & copia est.

TE CONSVLE] vtrū te Consulatum ineunte, an toto tempore consulatus tui?

A *NEC CEDENS CAVSSA PRIORI*] quia ob fratrem. Par est autem de honore fratris æque lætari, vt alterius, cum ea lætitia ad fratrem quoque pertineat.

NAM TIBI FINIT. SVMMO DECEMB.] Quemadmodum primum diem Ianuarij Consules designati magistratus sui principium, ita antecessores vltimum Decemb. diem sui honoris finem habebant.

ALTERNA FERETIS GAVDIA] alter de alterius honore ob fraternam pietatem gaudebit.

SIC TV BIS FVERIS CONSVL, &c.] quia vterque pro suo habebit consulatum alterius, & in eadem domo erit continenter geminus con-
B sulatus.

ET NVLLVM MARTIA SVMMO, &c.] Successit enim regiæ potestati consulatus. Tribus nominibus dicti sunt. Prætores, Iudices, Consules. Cic. de leg. regio imperio duo sunto, iique præeundo, iudicando, consulendo Prætores, Iudices, Consules appellantor. Ei magistratus omnes, præter Tribunos, subiiciebantur. Durabat potestas annum tantum, vt modestius se gererēt, qui se anno euoluto futuros iterum priuatos scirent.

MVLTIPLICAT] auget, maiorem facit.

GRAVITAS AVCTORIS] Eius, qui est vnicuique auctor huius honoris. Hoc sentit. Honor iste per se magnus, maior fit ob auctoritatem tri-
C buentis, & confirmantis, qui est Tiberius Cæsar.

IVDICIIS IGITVR TALIB. AVG. &c.] Tiberij Augusti, qui dum te, & fratrem tuum Flaccum huic magistratui præficiet, splendidum de vobis iudicium faciet.

A CVRA RERVM PROPIORE] suo officio propiore, magisque necessaria.

VOTA MEIS ADDITE VOTIS] precamini mecum, adiuuate preces meas auctoritate vestra.

ET SI QVA DABIT AVRA SINVM] si lenior ventus vela inflabit. Virgil. 3. AEneid.

Quamuis increpitent socij, & vi cursus in altum
Vela vocent, possisque sinus implere secundos.

D Allegoria est. Si ostenderit se opportunitas, & spes aliquid impetrandi.

IACTATE RVDENTES] Expedite rudentes, velis immittite rudentes, funes nauticos. Rudentes, inquit Nonius, ea caussa sapientissimi dictos volunt, quod funes, cum vento verberantur, rudere existimantur, atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putant. Virgil. 1. AEneid. *Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum.* Experimini, num me ab exilio reducere possitis.

EXEAT E STYGIIS VT. M. N. AQVIS] Eleg. 5. lib. 4. Trist.

Et tutare caput nulli seruabile, si non
Qui mersit Stygia sublenet illud aqua.

A

Eleg.5.lib.3.de P.

Rursus vbi huc redij cælum superosq; relinquo,
A styge nec longe Pontica distat humus.

PRÆFVIT HIS LOCIS MODO FLACCVS] Prætor rexit nuper hæc loca Flaccus germanus tuus. Incipit hominem miris efferre laudibns, qnod,vt etiam reprehendere,& insectari, nouit optimè. De præfectura Flacci huius Tacit. annal.2. Nec tamen Cæsar placitas semel artes mntauit; sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescnpores argnebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis,& arcta cum rege amicitia,coq̃nc accommodatiorem ad fallendum, ob id maximè Mœsiæ præfecit.

RIPA ISTRI TVTA FVIT] Fines imperij Romani tutatus est egregie. Incursione barbaros prohibuit.

B

MYSAS GENTES] Mysos. Latini Mœsiam. & Mœsos, Græci Mysiam,& Mysos scribnnt. Vide Ortelium in Mœsia.Gentes dicit,qnia duplex Mœsia.

ARCV FISOS TERRVIT ENSE] Neminem ait esse illo in populo eleg.8.lib.3.Tristib. *qui non Corytou,& arcum, Telaq; vipereo lurida felle gerat.*

RAPTAM TROECEN] vrbem Geticam, cuius meminit rursum eleg 16. *Raptam subitò*, repentinò occnpatam: aut lege *captam*, quod cum verbo, & præterito *recepit* magis congruit.

CELERI VIRTVTE] breui tempore, propter industriam snam.

INFECITQVE FERO SANG. DANVB.] C
ferorum,hostium sanguine.Eleg.7.ad Vestalem.

Non negat hoc Ister,cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.

Horat. Ode 1.lib.2. *quod mare Daunia Non decolorauere cædes?* Virgil.lib.9. *tepidumq; recenti cæde locum, & plenos spumanti sanguine riuos.* Idem stragis magnitudinem cnm ex flumine cæsornm sanguine pnrpurato, tum ex ossium multitudine campis obiacentium eximiè amplificauit lib.12.

Bis magna victi pugna vix vrbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campiq; ingentes ossibus albent.

QVÆRE LOCI FACIEM] Hæc ad misericordiam ciendam dicuntur. Testis verissimus erit Flaccus.in his oris versatus,qnam sint asperæ, squalidæ,steriles.Facies de rebus inanimis etiam legitur.

D

SCYTHICIQVE INCOMMODA CÆLI] vt niuosum, ventosum, & perfrigidum describit eleg.10. lib.3.Trist.

ET QVAM VICINO TERREAR HOSTE] Eleg.2. lib.1.

Hostibus in mediis,interq; pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.

Eleg.2. & 14.lib.3.Trist.

Nec quo secedam locus est: custodia muri
Summouet infestos,clausaq; porta Getas.

Et alibi demum.

SINT NE LITÆ TEN.&c.] Eleg.2.lib.1.

A

Qui mortis sæuo geminent vt vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

FIAT AN HVM. VICT. D. CAPVT] etiam homines, ô rem detestandam, diis suis sacrificant.

AN COEAT DVRAT.FRIG.PONTVS] Eleg.11. lib.5.Trist.

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter vnda maris.

ET TENEAT GLACIES IVG. M. FRETI] Ex Tibullo imitatus versiculus. Ille enim eleg.1. lib.1. *Et teneat culti iugera magna soli.* Legit tamen ibi *multa* pro *magna* Achilles Statius. Iugera ab agro, pro latitudine, seu spatio maximo, conglaciato, κατακρυσταλλῶσε. Quamobrem gelascat pontus Euxinus, duplex caussa; & dulcis aqua tot amnium in illnd influentium; de quibus elegia sequenti: & cælum frigidissimum cum vento gelidissimo. *Crede tamen, nec te,&c.*

B

QVÆ SIT MEA FAMA REQVIRE] Post narratam loci conditionem, desiderat Græcinum etiam à Flacco doceri, qnid de ipso sentiant Getæ, & quanto honore prosequantur, propter virtutem,quam in eo conspiciunt.

QVOQVE MODO PERAG.TEMP.DVRA] Adhuc, sciri vult ab eodem Græcino per Flaccum quid agat: otiosum enim viuere, non est credibile.

C

NON SVMVS HIC ODIO] Redit ad primum, & respondet per ἀντίθεσιν, non se esse illis gentibus odio, pro, se illis eximie charum esse. Causas complures recensebit.

NEC SCILICET ESSE MEREMVR] Iterum per contrarium, quia meremur diligi. Sed modestè,ad vitandam inuidiam.

NEC CVM FORTVNA M.Q.VERSA MEA] Animus hnmanus liber est,& mutatis omnibns, solus manet immutabilis. Seneca lib.2. de Tranquillit. Nihil eripit fortnna mihi nisi quod dedit. Virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. Libera est,inuiolabilis est,& immota.

D

ILLA QVIES ANIMI EST] sum tam pacato, sedatoque animo, quam eram in patria. Nullis agitor perturbationum fluctibus. Quod sine controuersia laude dignum,quia perrarum. Retinnit igitur æqnabilitatem animi Ouidius.

ILLE VETVS.P.IN ORE PVD.] Alia virtus. Ingenuns pudor, qni ex vultn apparet, qui nihil est aliud quam ingenua timiditas peccandi, aut aliqua in re offendendi, & decorum violandi.

SIC EGO SVM LONGE] Tali statu absum à vobis longe.

SIC HIC] snbaudi dego.

VBI BARBAR. HOST. VT FERA,&c] vbi ſilent leges inter arma: vel potius nullæ ſunt leges,ſed ius in manu,& armis, idq́ue propter hominum iſtorum belluis ſimiliorum barbariem. Eleg 8.lib.5.Triſt.

Non metuunt leges,ſed cedit viribus æquum,
Victaq́, pugnaci iura ſub enſe iacent.

REM QVEAT VT NVLLAM TOT, &c.] Legitur etiam,*re queat vt nulla*, æque bene. Pet tot annos (ſextus iam agebatur) nec fœminam, nec puerum, qui ſunt iniuriæ opportuniores propter ſexum,& ætatem infirmam,ſe læſiſſe,hoc eſt, nemini moleſtum fuiſſe.

HOC FACIT VT MIS. FAVEANT AD TOM.] Hoc quantumcunque agreſtes, & immanes Tomitas mihi conciliat,morum facilitas, & humanitas.

HÆC QVON.TELL.TESTIF.MIHI] Hæc barbara,& inhoſpita tellus (prô me infelicem) pro teſte pietatis meæ citanda mihi eſt: alium enim non reperio.

QVI ME VELLE VID. D. MAL.] Lego, *illi me quia velle vident.* Cupiunt me tantis malis exſolui,quod ad me attinet,& voluntati meæ iuſtæ ſatis fieri.

RESPECTV CVP.H.TAM.ESSE SVI] Sed quod ad ipſos attinet.ſi ipſi reſpiciantur,nollent priuari tauro, quantum ex me capiunt, ſolatio. cum oneroſus ſim nemini, charus, & iucundus omnibus. Nam,quod alibi affirmauit,iam didicerat etiám Geticè, Sarmaticeq́ue loqui. Sermo autem mutuus, & linguæ ſocietas, quoddam amicitiæ vinculum affert. Scripſit etiam Getico ſermone libellum, vt ingenium quoque eius amare poſſent.

NEC MIHI CREDIDERIS] quod mihi vix credas.

EXTANT DECRETA] Vſus ergo aliquis litterarum apud illos.

ET IMMVNES PVB. CERA FACIT] Publicæ tabellæ ceratæ nos laudant, & à communi penſitatione excipiunt. Iure immunitatis nos donant.

CONVEN.MISER.ET.Q.GLOR.NON EST] Tametſi pulchrum miſeris non eſt gloriari, tamen gloriabor de eo quod ſequitur.

PROXIMA. D. NOB.OPPIDA. M.IDEM] Perinde vt Tomitani me reuerentur,& amant,& publico decrero commendant, & à vectigali immunem faciunt.

NEC PIETAS IGNOTA MEA EST] Hæc non minimum momētum ad eum diligendum afferebat. Quis enim diis charum non amet? Pietas autem diis charum efficit.

VIDET HOSPITA TERRA IN NOSTRO, &c.] Argumentum ſuæ pietatis certiſsimum, ſacrarium in ædibus ſuis. Quæris quorum deorũ? Cæſaris Auguſti inprimis, cui ſacellum dicatum eſt.

STANT PARITER NATVSQVE. P. CON.
A *SACERD.*] deinde Tiberij eius filij,& vxoris Liuiæ.

CONIVNXQVE SACERDOS] Imperatoribus iam deorum numero adſcriptis, & conſecratis templa quoque, ceu veris numinibus, cōdebantur. Addebantur ſacra,& Sacerdotes,Flamines,& Sodales. Nec viri ſolum,ſed etiam fœminæ. Sic Liuia, & quidem ſenatuſconſulto,inſtituta eſt viri ſui Auguſti ſacerdos. Teſtantur Dio lib.50.& Velleius lib.2.cuius hæc ſunt verba, emendante Lipſio. Liuia Romanorum eminentiſsima, quam poſtea coniugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſsi ad deos ſacerdotem, ac filiam. Quin hic Imp.viuus adhuc,in prouinciis, non tamen in Italia, aut Romæ, pro deo eſt habitus.
B Teſtis Sueton.& Dio lib.54. Tacitus annal. 1. addit, effigie numinum, cum ſignis videlicet eius ſtatuæ appoſitis, quæ ſolent diis, nempe haſta,radio, fulmine.

NVM. IAM. F. NON LEVIOR. DEO] non minus auguſta numina,quam Auguſtus,iam inter deos receptus.

STAT VTERQVE NEPOTVM] nepotum Liuiæ, Germanicus Druſi, & Druſus Tiberij filius.

HIC AVIÆ LATERI PROX.] iuxta Liuiam Germanicus.

ILLE PATRIS] Druſus iuxta Tiberium.

CVM THVRE PRECANTIA VERBA] thure, & precibus hos deos ſæpiſsime veneror, im-
C mo quotidie.

EOO QVOT. SVRG. AB ORBE DIES] Virgil.2. AEneid. *Iamq́ iugis ſumma ſurgebat Lucifer Idæ. Ducebatq́ diem.* Et 3.Georg. *Quod ſurgente die mulſere.* Et 4.AEneid. *Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.*

OFFICII TEST. PONT. TERRA MEI] Huius meæ pietatis in Cæſares teſtimonium mihi fert tota regio Pontica, per quam ea percrebuit.

QVANTIS HAC POSS.ORA LVD.] Romæ enim ludis magnificentioribus celebrarem. Natus eſt Auguſtus M.Tullio Cicerone, & Antonio Coſſ.9.Kalend.Octob.paulo ante ſolis exortum, regione palatij, ad capita bubula, vbi nunc ſa-
D crarium habet, aliquanto poſt quam exceſsit conſtitutum,anno V.C.DCXCI.Suetun.cap.5. Faciebat autem hoſce ludos in natalem Auguſti Ouidius vt eques. Nam Romani equites id ſponte ſua, & concorditer biduo quotannis ſolebant.

NEC MINVS HOSPITIB.] pietatē meam norunt indigenæ, & peregrini.

LONGA PROPONTIS] Propontis ſinus & aluus maris inter Helleſpontum, & Pontum Euxinum.Per Thracium Boſporum Pontus in Propontidem, & per hanc in mare AEgeum meat. Quidam veteres contra exiſtimarunt, AEgeum mare per Propontidem, & Boſporum in mare Ponticum influere. Propontis etiam nomen ve-

bis Straboni ad calcem lib. 17. Vide Ortelium, & A Melam. lib. 1. cap. 1.

QVO LEVIVS. F. SVB. PRÆSID. PONTO] quomodo leuius fuerit, id est, melius habuerit Pontus sub Flacco Prætore, Græcini fratre, supra narratum habes. *Præfuit hic. Græcino. locis, &c.* Alia lectio, *quo lænus fuerat sub præside Pontus.* id est, læua pars Ponti, præfectus enim fuit Mysiæ. Priorem libet amplecti.

FORTVNA EST IMPAR ANIMO] In exilio non possum, quantum vellem. Vellem autem natalem Augusti maiore impensa celebrare.

EXIGVAS CARPO OPES] De exiguis opibus meis libenter sumo tale munus, nempe thura, & precantia verba, de quibus paulo ante, & quæ in ludos parcè impendimus.

NEC VESTRIS. D. HÆC OCVLIS] Ista sacra non facimus in conspectu vestro: nec ludos B vobis intueuntibus committimus, coram quibus nos tenuitatis nostræ puderet.

PROCVL VRBE REMOTI] immensis terrarum, mariumque spatiis.

CONTENTI TACIT. S. PIETATE SVM] ea nobis solatio est, & vobis debet sufficere.

TANGENT ALIQ. CÆS. AVRES] Audiet aliquando Tiberius qua sim religione, ac pietate in illum. 1. Metam. *Contigerat nostras infamia tempo ris aures.*

NIL ILLVM TOTO. Q. S. IN ORBE LAT.] Signum diuinitatis, si modò verum est, illum scire omnia, quæ in terris geruntur. Plaut. Capt. *Est profectò deus qui quæ nos gerimus, auditque, & videt.*

TV CERTE SCIS HÆC SVP. ADSCITE] Augustus (si dubitamus de Tiberio, qui non dum in cælestium concilio est collocatus) profectò scit & videt.

ET EST OCVL. SVB D. T. T VIS] De cælo orbem terrarum aspicis, & quæ in eo fiunt omnia cognoscis. De Ioue 1. AEneid *cum Iupiter æthere summo Despiciens mare velivolum, terrasque iacentes.*

INTER CONVEXA LOCAT. SIDERA] Elegia superiore. *quem virtus addidit astris.* Virgil. 1. AEneid. *conuexa polus dum sidera pascet.* Vbi Turneb. lib. 5. cap 5. Astra conuexa non videntur, cùm globosa potius, & rotunda sint. Ego conuexa dici interpretor, non singula, sed vniuersa: conuexitatem enim eandem, quam cælum efficiunt, toto obsita, & dispersa cælo vndique in orbem. De loco autem Augusti inter sidera Virgil. 1. Georg.

Anne nouum tardis sidus te mensibus addas,
Quà locus Erigonen inter, chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iusta plus parte relinquit.

PERVENIENT ISTVC] Romam, non in cælum, seu ad astra.

QVÆ MISI] Romam misit, & eò peruentura sperat, quò misit.

DE TE CÆLITE NOVO] Eleg. 6. cælitem recentem vocat.

FLECTI TVA NVMINA] lib. 2. Trist.] *Hic precor atque alii possint tua numina flecti.*

NEC IMMERITO NOM. PAR. HAB.] non es frustra dictus patriæ pater. Alibi. *O pater, ô patriæ cura, salusque tuæ.*



ELEGIA DECIMA.
Ad Albinouanum.

QVERIMONIA CAVSSAE GLACIATI MARIS.

ARGVMENTVM.



EXilij sui annum iam sextum volui. Cum tempori cedant omnia, & diuturnitate dura mitescant, se tamen semper æquè afflictum, & miserum manere: quam rem à dissimilibus amplificat. Regionis duritiem accusat. Caussam duplicem

plicem statuit, cur mare glacie rigescat; & plurima in illud flumina se exonerantia percenset. Hæc à se narrata, quòd tempus fallere studuerit. Ipsum Albinouanum de Theseo scribētem materiæ parem esse, quem factis quoque imitetur. Hortatur, vt fidem eiusdem Thesei, & amorem in Pirithoum erga se ostendat, quando id nullo cùm periculo facere queat.

Hic mihi in Euxino bis tertia ducitur æstas
Littore pellitos inter agenda Getas.
Et quos tu silices, & quod carissime ferrum
Duritia confers Albinouane mea?
GVTTA CAVAT LAPIDEM: CONSVMITVR ANNVLVS VSV:
ET TERITVR PRESSA VOMER ADVNCVS HVMO.
Tempus edax igitur, præter nos, omnia perdit:
Cessat duritia mors quoq; victa mea.
Exemplum est animi nimium patientis Vlysses,
Iactatus dubio per duo lustra mari:
Tempora sollicit, sed non tamen omnia fati
Pertulit, & placidæ sæpe fuére moræ.
An graue sex annis pulchram fouisse Calypso?
Æquoreæq; fuit concubuisse deæ?
Excipit Hippotades, qui dat pro munere ventos,
Curuet vt impulsos vtilis aura sinus.
Non bene cantantes labor est audire puellas:
Nec degustanti lotos amara fuit.
Hos ego, qui patriæ faciant obliuia, succos
Parte meæ vitæ, si modò dentur, emam.
Nec tu contuleris vrbes Lestrygonis vnquam
Gentibus, obliqua quas obit Ister aqua.
Nec vincet Cyclops sæuum feritate Phylacem
Qui quota terroris pars solet esse mei?
Scylla ferox trunco cùm latret ab inguine monstris,
Heniochæ nobis plus nocuére rates.
Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis,
Ter licet epotet, ter vomat illa fretum.
Qui quanquam dextra regione licentius errent,
Securum latus hoc non tamen esse sinunt.
Hic agri infrondes, hîc spicula tincta venenis,
Hic freta vel pediti peruia reddit hyems.
Et quà remus iter pulsis modò fecerat vndis,
Siccus contempta naue viator eat.

Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt:
QVAM MISER EST, QVI FERT ASPERIORA FIDE?
Crede tamen, nec te causam nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cum mare duret hyems.
Proxima sunt nobis plaustri præbentia formam,
Et quæ præcipuum sidera frigus habent.
Hic oritur Boreas, oræq; domesticus huic est,
Et sumit vires à propiore loco.
At Notus, aduerso tepidus qui spirat ab axe,
Est procul, & rarus, languidiorq; venit.
Adde, quòd hic clauso miscentur flumina Ponto,
Vimq; fretum multo perdit ab amne suam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peneusque, Hypanisque, Cratesq;
Influit, & crebro vortice totus Halys.
Partheniusq; rapax, & voluens saxa Cynapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.
Et tu fœmineæ Thermôdon cognite turbæ,
Et quondam Graiis Phasi petite viris.
Cumq; Borysthenio liquidissimus amne Dyrapses,
Et tacitè peragens lene Melanthus iter.
Quiq; duas terras Asiam, Cadmiq; sororem
Separat, & cursus inter vtramq; facit:
Innumeriq; alij, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas,
Nec patitur vires æquor habere suas.
Quinetiam stagno similis, pigræq; paludi,
Cæruleus vix est, diluiturque color.
Innatat vnda freto dulcis, leuiorque marina est,
Quæ proprium misto de sale pondus habet.
Si roget hæc aliquis, cur sint narrata, Pedoni,
Quidue loqui certis iuuerit ista modis?
Detinui, dicam, curas, tempusque fefelli:
Hunc fructum præsens attulit hora mihi.
Abfuimus solito, dum scripsimus ista, dolore,
In mediis nec nos sensimus esse Getis.
At tu, non dubito, cùm Thesea carmine laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ.
Quemque refers imitere virum, vetat ille profectò
Tranquilli comitem temporis esse fidem.

Qui

Qui quanquam est factis ingens, & conditur à te,
Vix tanto, quanto debuit ore cavi:
Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam,
Inque fide Theseus quilibet esse potest.
Non tibi sunt hostes ferro, clauaque domandi,
Per quos vix vlli peruius Isthmos erat:
Sed præstandus amor, res non onerosa volenti:
QVIS LABOR EST PVRAM NON TEMERASSE FIDEM?
Hæc tibi qui perstas indeclinatus amico,
Non est quòd lingua dicta querente putes.

COMMENTARIVS.



IC MIHI IN EVXINO LITTORE] Legitur item *Cimmerio*, &, *Bistonio*: sed notiora, & sæpius vsurpata rarioribus, & obscurioribus anteponamus. Quoties iam oras, & Euxina littora nominauit? Sunt qui Cimmerio pro Euxino volunt dixisse: est enim huic oppositum; vt loco remotiore nominando, magis exilij sui miseriam exaggeraret.

BIS TERTIA DVCITVR ÆSTAS] hyems, æstas pro toto anno, & pueris nota figura. Eleg. 2. lib. 1.

Hic me pugnantem tum frigore, cumque sagittis,
Cumque meo fato quarta fatigat hyems.

PELLITOS INTER AGEND. GETAS] De voce *pellitus*, vide quid scripserim in eleg. 8. ibi. *Littora pellitis nimium subiecta Corallis.*

ET QVOS TV SILICES, &c.] Conditionem suam silicibus, & ferro duriorem esse: hoc est, infælicissimam, & in ipsa infælicitate rigidissimam, nec quidquam remittentem, planeque immutabilem. Catull. irridens Furij paupertatem, dicit inter cætera ei esse patrem, & nouercam, quorum *Dentes vel silicem comesse possint.*

GVTTA CAVAT LAPID.] Naturam rerum in se deficere à contrariis demonstrat, de lapide stilicidio cauato, ferreo annulo, & vomere ipso vsu attritis, & consumptis. In his tribus videtur animo agitasse illos versus Lucretij, de lib. 1.

Quin etiam multis solis redeuntibus annis
Annulus in digito subter tenuatur habendo.
Stillicidi casus lapidem cauat, vncus aratri
Ferreus occultè decrescit vomer in aruis.

In 1. de Arte.

Ferreus assiduo consumitur annulus vsu,
Interit assidua vomer aduncus humo.

Et lib. 4. Trist. eleg. 6. *Hoc tenuat dentem terram findentis aratri.* Et ibidem huiusmodi exempla com-

A plura de vi, & robore temporis. Sed de primo agamus. cuius sententiam & alibi ponit, vt eleg. 7. lib. 2. *vt que caducis Percussu crebro saxa cauantur aquis.* Et: *Æquoreos scopulos vt cauat vnda salis.* Et:

Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Omitto Tibullum, & Propertium, qui eodem simili vsi sunt. Malè autem pro Ouidiano citatur hic totus, *Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpe cadendo*, cum, vt cernis, non nisi hemistichium prius legitimum sit, posterius verò à nescio quo assutum. Quod tamen Ouidio Lambinus in commentariis Lucretianis cum contumelia affingere non veretur; negligens vtique lector poëtæ optimi, si modò lector, & non potius superbus contemptor. Est autem versus Chœrili *πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.* quem licet grauiter, magnificeque expresserit duobus hexametris Lucretius, lib. 4.

Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
B *Humoris spatio in longo pertundere saxa?*

non tamen præ illo noster tantopere abiiciendus fuit Victorio lib. 7. cap. 15. quia paucis, & omni ornatu carentibus verbis, humiliter, & abiecte dixerit *Gutta cauat lapidem.* Prætereo reliquum conuitij. Miratur & Muretus scholiis in Tibull. eleg. 4. lib. 1. cur eum adeò vilipendat. Nam ille idem, inquit, quem ex contentione tanto superiorem videri vult Lucretius, eandem sententiam lib. 1. non multo ornatius extulit. *Stillicidi casus lapidem cauat.* Neq; nunc disputo vter melior poëta sit: sed tamen indignum videtur quenquam de Ouidio ita contemptim loqui. Sed minus mirum Ouidij latinitatem Lambino displicuisse, qui etiam in Cicerone omnis latinitatis principe non errata librariorum tollebat; sed Ciceronem ipsum, si quando non satis commodè loqui videretur, corrigebat, & latinè loqui impudentissimè docebat, quod alio loco eidem Mu-

retus obiecit. Quantum porro valeat assiduitas laboris & industriæ, en quam appositis comparationibus demoustrat Plutarch. in de educand. lib. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteruntur: & totas curruum magno labore curuatas, nullo possis conatu in pristinam rectitudinem restituere: & incuruos histrionum lituos in rectum dirigere nulla vis queat. Adeo quod contra naturam labor effecit, ipsa naturali facultate fit validius. A

TEMPVS EDAX IGITVR] Metamorph. 15.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

PRÆTER NOS OMNIA PERDIT] Eleg. superiore. B

Tabida consumit ferrum, lapidemq; vetustas,
Nullaq; res maius tempore robur habet.

Eleg. 6. lib. 4. Trist.

Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas.

CRSSIT DVRITIA. M. Q. VICTA MEA] Quantopere mori cupiat, docet eleg. 2. lib. 3. Trist.

Heu mihi quod toties nostri pulsata sepulcri
Ianua, sed nullo tempore aperta fuit.

Eleg. 8.

Cumq; locos, moresq; hominũ, cantusque, sonosque,
Cernimus, & quid sim, quid fuerimq; subit,
Tantus amor necis est, querar vt de Cæsaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas. C

Ita ergo mala sua obduruisse ait, vt mortẽ quoque repellant, qua sola finirentur.

EXEMPL. EST ANIM. N. PAT. VLYSS] Calamitates suas cum Vlyssis comparat eleg. 4. lib. 1. Trist. & tum ibi, tum hîc præ se beatum fuisse ratiocinatur. Horat. ad Pison. *Paruula, nam exemplo est, magni formica laboris.* Est igitur aliquid, seu aliquis exemplum, aut exemplo.

IACTAT. DVB. PER D LVST. MARI] toto decennio: etsi diu etiam apud Calypso hæsit, vt mox dicet.

Ille breui spatio multis errauit in annis
Inter Dulichias, Ithacasq; domos.

Dubium mare est, cum tempestatibus concitatur, & feruet, facitque vectores dubitare de salute sua. D

PLACIDÆ SÆPE FVERE MORÆ] Hoc ex Odyssea liquet, & Ouid. ipse exemplis de illo fonte haustis declarat.

AN GRAVE SEX ANNIS. P. F. CALYPSO?] Ecce moram placidam, & longam satis. Fouit Calypso eum potius, quam ab eo foueretur. Coacta est tandem Iouis iussu eum in patriam dimittere, cui vestes, cibaria, & reliqua dat abituro, dolens. Lege Odyss. lib. 5. Propert. lib. 1. eleg. 15.

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleuerat æquoribus.

Multos illa dies incomptis mœsta capillis
Sederat, iniusto multa locuta salo.

EXCIPIT HIPPOTADES] Excipit illum hospitio AEolus Hippotæ filius, ventorum rex, 1. AEneid.

.... *Æole, namq; tibi diuûm pater, atq; hominum rex,*
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

QVI DAT PRO MVN. VENT.] Odyss. lib. 10. narrat. Homerus quo pacto Vlysses in AEoliam insulam veniens, ab AEolo benignè acceptus, ventisque omnibus in vtrem inclusis, præter Zephyrum, donatus fuerit. Cum iam Ithacæ appropinquaret, & dormiret, socios curiositate victos, & ratos quippiam magni pretij illic esse reconditum, vtrem aperuisse. Inde ventis certatim erumpẽtibus oborta tempestate repulsum, &c. Vide periocham Ausonij. Tibull. lib. 4. *Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos.*

CVRVET VT IMPVLS. VTILIS AVRA SIN.] Eleg. antegressa. *Et si qua dabit aura sinum.* AEneid. 7. *Neptunus ventis impleuit vela secundis.*

NEC BENE CANT. LAB. E. AVD. PVELL. Sirenas. Odyss. 12. De his 3. de Arte.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Vide Natal. lib. 7. cap. 13. Memorat Homerus, qui ad illa loca aduauigarent, & aures ipsarum cantibus dederent, ita eos demulcere, & detinere solitas, vt de reditu in patriam abiecta cogitatione, ibi consenescerent, ac mortem obirẽt. Quod ne sibi accideret, Vlyssem à Circe præmonitum, sociis aures obturauisse cera, sibi manus, & pedes vinciendos curasse, & vetuisse solui, si forte earum cantui intẽtus, ad eas nauigare vellet. Quod ergo Ouidius ait, Vlyssem audisse illas cantantem cum voluptate, Homero repugnat.

NEC DEGVST. LOTOS AMARA. F.] Videndus Odyss. 9. Arboris huius fructus, magnitudine fabæ, & colore croceo, gustatu dulcis, patriæ obliuionem aduenis incutiebat. Plin. lib. 13. Socij Vlyssis gustata loto reditus in patriam obliuiscebantur, quos ipse inuitos, & flentes naue conscensa abire compulit. Virgil. in Culice. *impia lotos, Impia quæ socios Ithaci mœrentis abegit.* Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Si noua Dulichio lotos gustata palato,
Illo quo nocuit grata sapore fuit.

PARTE MEÆ VITÆ EMAM] De annis meis perdam, modò vt talibus succis Romæ patriæ meę obliuisci queam. Eius enim desiderium summo mihi cruciatui est.

VRBES LÆSTRYGONIS] Læstrigonum, numerus pro numero. Odyss. 10.

GENTIB. OBLIQ. Q. OBIT. ISTER AQ.] Getis, Sarmatis, Bessis, &c. nihil enim his crudelius.

NEC VINCET CYCLOPS] Polyphemus, de quo Homer. Odyss. 9. Virgil. 3. AEneid. Ouid. Metamorph. 14. Euripid. Cyclope.

SÆVUM PHYACEM] codices quidam habent *Phylacem*. Corruptum videtur vocabulum, & significari è vicina aliqua gente Getas.

QVI, QVOTA TERROR. P. S. ESSE. M.] qui tamen est minima pars terroris mei. Martial. lib. Spectacul. *Est quota Carpophori gloria fusum aper?* Et lib. 5. *Ista tua, Cæsar, quota pars spectatur arena?*

SCYLLA FERIS. T. CVM. L. AB. ING. M.] De Scylla & Charybdi Odyss. 12. AEneid. 3. Natal. lib. 8. cap. 12. Noster lib. 3. eleg. 1. *Scyllaq; quæ Siculas inguine terret aquas.*

HENIOCHÆ NOB. P. NOCVER. RAT.] Variat scriptura huius vocabuli: nam & Eniochæ & Ennochiæ legitur. Nobis probatur quam posuimus. Heniochos populum Mela nominat. Super Amazonas, inquit, & Hyperboreos, & Cimmerios Scythæ, & Heniochi. Seneca Thyeste, *Caucasi rupem asperam Heniochus habitans.* Strabo Laconum colonos esse tradit, cum Achæis maritimis, latrociniis viuere solitos, cum illorum regio montosa, & importuosa (tanquam Caucasi pars) arationibus, & sationibus nó esset accommodata.

INFESTIS ACHÆIS] populi nomen piraticam facientis ad oram Ponticam.

TER LICET EPOT. T. VOM. ILLA. F.] Virgil. 3. AEneid.

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis

Obsidet, atq; imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

LICENTIVS ERRENT] populando vagentur. Scribamque licenter, Horat. ad Pison.

SECVR. LAT. HOC. NON. T. ESSE SIN.] sinistram, seu læuam Ponti regionem, vbi Ouidius degebat.

HIC AGER INFRONDIS] Eleg. 2. lib. 1. *Adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti.* Et 10. lib. 3. Trist. *Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.*

HIC SPICVLA TINCTA VEN.] Ibid. *Nam volucri ferro tinctile virus inest.* Spicula Isidoro lib. 17. sunt sagittæ, vel lanceæ breues, ab spicorum specie nuncupatæ.

HIC FRETA VEL PED. PERVIA. R. HIEMS] Elegia superiore. *Mentiar, an coeat duratus frigore Pontus.*

SICCVS VIATOR] pedibus siccis. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *durum calcauimus æquor, Vndaq; non vdo sub pede summa fuit.*

VIX VOS EA CRED. DICVNT] propter rei admirabilitatem, & insolentiam.

QVI FERT ASPERIORA FIDE] dura & acerba, fidem omnem excedentia, sicut ego fero, & ideo sum miserrimus.

NEC TE CAVSSAS NESCIRE SINEMVS] vt desinat incredulitas, & admiratio, exponam caussas, quamobrem conglaciet mare per hyemem.

PLAVSTRI PRÆBENT. FORMAM] prima caussa, vicinitas vrsæ maioris, seu poli arctici. Astrum porrò vrsa stellis suis plaustrum exprimit.

QVÆ PRÆCIP. SID. FRIG. HAB.] Latus mundi hoc propter solis distantiam est frigidissimum.

HIC ORITVR BOREAS] alio nomine Aquilo, ventus gelidissimus. 1. Metamorph. *Scythiam, septemq; triones Horrifer inuasit Boreas.* Virgil. 3. AEneid.

Interea magnum sol circum voluitur annum.
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat vndas.

B *ET SVMIT VIRES A PROP. LOCO*] non esset Boreas tam frigidus, nisi nasceretur in oris tam frigidis.

AT NOTVS AD. TEPID. Q. SPIR. AB AXE] à meridie. Aristoteles 2. Meteor. Austrum qui nostras perflat regiones à locis polo antarctico subiectis flare negat, quia venti ab illis regionibus orientes in loca nostra penetrare nequeant. Contrarium docet in problemat. sect. 26. Indidem Austrū oriri vetustissima fuit opinio, quam & hîc Ouid. sequitur. Plura Magius lib. 3. cap. 6.

EST PROCVL, &c.] Ideo, quod sequitur, languidior venit, & quod alibi dixit, penna deficiente: nec tepore suo illam frigoris septentrionalis asperitatem temperat. Hoc versiculo poë-C tam Hippocrati astipulari, obseruat idem Magius, qui ventos à calidis aspirantes regionibus, ad Riphæos montes valde penetrare negat, nisi parumper, & debiles.

LANGVID. VENIT] Eleg. 1. lib. 2. *Languida quò fessi vix venit aura Noti.*

ADDE QVOD HIC. C. MISCENT. FLVM. P.] Altera caussa, admistio fluminum.

CLAVSO PONTO] glacies eum quodammodo claudit. Ei clauso, & glacie durato se miscent illabentes fluuij complures, ipsimet sub glacie labentes.

VIMQVE FRET. M. PERD. AB AMNE. S.] à crebris amnibus in id delatis euadit hoc mare dulce, quale non est natura sua. Quamobrem in-D fra dicit, tot fluminum illapsu eius vndas adulterari.

HVC LYCVS, HVC SAGARIS, &c.] Qui sint isti fluuij, & vnde veniant, à lexicographis, & Geographis petāt studiosi. De iis multa Stukius Comment. in Periplum Euxini maris, Arriani.

FOEMINEÆ THERMODON COGNIT. TVRB] Amazonibus eum accolentibus. Est autem regiunculæ Themiscyræ fluuius.

ET QVONDAM GRAIIS PHASI. P. VIRIS] Argonautis. Per eum enim in Colchidem è mari ascenderunt. Vide initium poëmatis de nupt. Pelei, & Thetidis apud Catull. Dictus vel à claritate sua, quasi *φαεινός*: vel à coloris mutabilitate, quod variæ, & crebræ sint illius *φάσεις*,

quod iam hoc, iam illo colore appareat. Multa de eo Arrian. & in eum Stukius.

CADMIQVE SOROREM] Europam, quæ ſic dicta ab Europa Cadmi ſorore, Agenoris Phœnicum regis filia. Ita etiam Aſia ab vxore Promethei huius nominis, & Libya à muliere indigena. Cernis duabus mundi partibus, & parti tertiæ (Libya enim vna eſt de 4. partibus Africæ) inditas appellationes à mulieribus. Romam ſunt qui tradunt à Roma, nobili captiua Romana, quæ Rome diceretur, nuncupatam. Aut ab AEneæ nepte, Aſcanij filia. Lauinium à Lauinia AEneæ coniuge, Latini regis nata. Auctor Liuius lib. 1. Caieta à nutrice AEneæ. Teſtis Virgil. lib. 7.

Tu quoq; littoribus noſtris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Caieta dediſti.

Epheſum rex Lyſimachus in meliorem locum tranſlatam, ab Arſinoe vxore nominauit. Sed eo mortuo priſtinum vocabulum recepit. Itaque etiam nobiliſſimæ vrbes à fœminis nomina acceperunt.

QVIQVE DVAS. T. SEP. &c.] Tanais.

INNVMERIQVE ALII] Teſtatur idem Arriano, vt quod ſcriptum legimus Eccleſiaſt. cap. 1. omnia flumina intrare in mare, de hoc mari κατ' ἐξοχὴν dici poſſe videatur.

CEDERE DANVB. SE TIBI NILE NEG.] æquè enim ſeptem oſtiis, vt Nilus, in mare ingreditur, de quibus alibi. Quanquam alij ſex tantum, alij non niſi quinque numerant.

ADVLTERAT VNDAS] Supra. *Vimque fretum multo perdit ab amne ſuam.* Arrian. propter immenſam fere fluminum in illud ſe exonerantium magnitudinem, ac multitudinem. Dulcedinis huius argumentum, quod omnes maris accolæ pecora ad mare potatum ducunt: quo potu magis etiam quam aquæ dulcis illa iuuari, communis fama obtinet.

QVIN ETIAM STAGNO SIMILIS, &c.] Non modo vim eius auferunt mari tot flumina, ſe in ipſum euoluentia, ſed colorem quoque. Nam cæruleus illi proprius eſt. Vnde cæruleum ſæpe, & cærula, numero plurali.

PIGRÆQVE PALVDIS] aquæ & ſtanti ſemper, & ſterili. Horat. pigri campi Ode 22. lib. 1. inculti, ſteriles. Lacus perpetuam habet aquam, licet interdum creſcat, aut decreſcat. Palus, lacus maior. Stagnum continet aquam temporalem, ibidem ſtagnantem: quæ quidem aqua plerumque hyeme colligitur ex imbribus, æſtate exareſcit, auctore Vlpiano. Quanquam aliquando locus dicitur qui habet aquam ex flumine, aut compluuio ad aquandum, vel lauandum exceptam.

DILVITVRQVE COLOR] Tot flumina nõ ſaporem tantum, ſed etiam colorem eius immutant. Refert autem colorem lacus: lacus vero & mari, & fluuiis candidiores. Inde pictores flumina pallida, mare cæruleum, lacus candidos pingunt. Quod à quibuſdam mare Maurum, aut

A Nigrum dicitur, id vel ad eius profunditatem, vel ad cælum illius ſemper nebuloſum, vel ad crebras in eo tempeſtates, non ad colorem referri debet.

INNATAT VNDA FRETO DVLCIS] Cauſſa iam dicta.

LEVIORQVE MARINA EST] quæ ſalſa eſt, & grauior. Vnde 3. AEneid *& ſalis Auſonij luſtrandum nauibus æquor, & ſalſi fluctus, &c.*

QVÆ PROP. MISTO DE SALE. P. H.] grauitas illa à ſale eſt, ſeu à ſalſugine, propter quam ad corrumpendum, & exedendum aquæ marinæ magna vis. Ita autem ſordida eſt, vt ea madidus tabeſcere, ac putreſcere videatur. Virgil. 1. AEneid. *Et ſale tabentes artus in littore ponunt.*

B *CVR SINT NARRATA*] Ipſemet cauſſam poſuit, antequam narraret, nempe, vt crederet Albinouanus Pedonius (dictus eſt enim C. Pedonius Albinouanus) mare glacie aſtringi. Sed melius ad totam elegiam referemus.

CERTIS MODIS] carmine.

DETINVI CVRAS, TEMPVSQVE FEFELLI] Hanc cauſſam & aliâs habuit ſcribendi carminis in exilio. Eleg. 8. lib. 5. Triſt.

Carminibus quæro miſerarum obliuia rerum.
Præmia ſi ſtudio conſequor iſta, ſat eſt.

IN MEDIIS NEC NOS. S. ESSE GET.] Romæ potiſſimùm ſe ſentit eſſe, quoties ad ſuos Romam ſcribit.

CVM THESEA CARMINE LAVD.] Exor-
C ſus erat poëma Albinouanus de rebus Theſei.

MATERIÆ TITVLOS. Q. TVEARE. T.] quin tam præſtanti argumento parem afferas facundiam, & ingenium.

QVEMQVE REFERS] cuius res geſtas deſcribis, quem laudas. Tibull. eleg. 4. lib. 1. *Quem referent Muſæ, viuet dum robora tellus, &c.*

VETAT ILLE TRANQ. COMIT. T. ESSE FID.] Fides Theſei ſpectata erga Pirithoum eſt rebus aduerſis. Et Theſea fides pro conſtanti, & inuicta in Triſtib. eleg 3. lib. 1. *O mihi Theſea pectora iuncta fide.*

QVI QVANQ. EST. F. INGENS] vt patet ex Plutarcho, fabulis enim minus eſt fidei.

CONDITVR A TE VIX. T. QVANTO, &c.]
D & à te laudatur tanto ore, quãto vix cani debuit. Carmen enim tuum illius excellentem præſtantiam bonitate ſua ſuperauit.

EST TAMEN EX ILLO. N. IMITAB. QVID] id quod ſequitur imitari poſſumus, & eſſe Theſei, quamuis ex tuo carmine haud imitabilis ille videatur.

NON TIBI. S. HOST. F. CLAVAQVE DOM.] A facilitate per contrarium.

PER QVOS VIX VLLI. P. ISTHMOS] Scironem latronem, qui in monte, non procul Athenis, intra Megaram, & Iſthmum multos mortales è præcipiti loco deiecerat, idem mortis genus experiri compulit, quo viatores ipſe interemerat. De Iſthmo conſule Ortelium.

RES NON OPEROSA VOLENTI] Parnum discrimen siue sic, siue *onerosa* legamus. Amare non est difficile, qnia situm est totum in nostra potestate. Et vulgatum est illud in re qualibet: amanti nihil difficile.

QVIS LAB. EST. P. NON TEMER. FID?] At enim qui temerant, ainnt laborem esse nnn temerare: quia nimirum societas, & communin

A periculnrum non est facilis. Nec vero virtus esset, si facilis esset.

INDECLINATVS] constans, immobilis.

NON EST QVOD LING. D. QVER. P.] Nou hæc tibi, quasi de tua inconsiantia conquerens, sed aliis dicta velim. *Querente* legas, non *tremente*.

***

ELEGIA VNDECIMA.

Ad Gallionem.

CVR EVM DE OBITV VXORIS NON CONSOLETVR.

ARGVMENTVM.

NOn posse illum sine nota præterire, cum sibi damnato bene voluerit. Intellexisse ex litteris eius de obitu vxoris ipsius. Consolari virum prudentem, eruditorum sententiis proferendis non audere, putareque dolorem, quem eo casu ceperit, vel ratione, vel mora iam desiisse.

Gallio, crimen erit vix excusabile nobis,
Carmine te nomen non habuisse meo.
Tu quoque enim (memini) cælesti cuspide facta
Fouisti lacrymis vulnera nostra tuis.
Atq; vtinam rapti iactura læsus amici,
Sensisses vltra, quod quererére, nihil.
Non ita Diis placuit, te nam spoliare pudica
Coniuge crudeles non habuére nefas.
Nuncia nam luctus mihi nuper epistola venit,
Lectaq; cum lacrymis sunt tua damna meis.
Sed neq; solari prudentem stultior ausim,
Verbaq; doctorum nota referre tibi:
Finitumq; tuum, si non ratione, dolorem
Ipsa iam pridem suspicor esse mora.
Dum tua peruenit, dum littera nostra recurrens
Tot maria & terras permeat, annus abit.

TEMPO-

TEMPORIS OFFICIVM SOLATIA DICERE CERTI EST,
DVM DOLOR IN CVRSV EST, DVM PETIT AEGER OPEM.
AT CVM LONGA DIES SEDAVIT VVLNERA MENTIS,
INTEMPESTIVE QVI MOVET ILLA, NOVAT.
Adde, quòd (atque vtinam verum tibi venerit omen)
Coniugio felix iam potes esse nouo.

COMMENTARIVS.



RIMEN ERIT VIX EXCVSAB.] grauе, leuia enim sunt excusabilia, quia leuia sunt, nec multum incommodant. In amicum autem grauius peccatur, quam in alienum. *Illud amicitiæ sanctum, & venerabile nomen*, inquit alibi. Sancta igitur violare. aut indignius tractare, maius est piaculum. A

IN CARMINE MEO] in libro; seu libris meis, hanc enim notionem habet interdum, vt docuimus.

CÆLESTI CVSPIDE FACTA] quia vnum de cœlestibus facit Augustum, etiam adhuc in terris degentem. Cuspidem vocat eius aduersus se iram.

FOVISTI LACRYMIS TVIS] Lacrymis tuis me deliniisti velut vnguento quodam. Eleg. 4. lib. 3. Trist. *Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes.*

RAPTI AMICI] Raptus. & ademptus de mortuis sæpe dicuntur, in quibus se numerari postulat.

VLTRA NIHIL QVOD QVERERERE] Vtrum dolor hic tuus in meo casu constitisset, & aliud triste nihil vidisses.

NON ITA DIIS PLACVIT] diis aliter visum. Dixi supra de hoc genere sermonis.

QVI TE SPOLIARE PVD CONIVG. &c.] qui pro nihilo duxerunt pudicam vxorem tibi eripere, cum tamen id crudelitatis fuerit. Libere loquuntur de diis illis immortalibus poëtæ, eorumque facta nunc laudant, nunc vituperant, & sub suum iudicium, ac trutinam vocant. Illi vero tacent; tanta est eorum longanimitas, & tolerantia. Annon ἀγαθοὶ δαίμονες? Pudititia nuptas inprimis commendat: ideo frequens earum epitheton puditæ. Horat. Ode 5. lib. 3. de M. Regulo Carthaginem ad hostes redituro.

Fertur pudicæ coniugis osculum
Paruosque natos, vt capitis minor
A se remouisse.

Et Ode 2. Epod.

Quod si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos.

NVNTIA NAM. L. M. NVP. EPIST. V.] Epistola propriè illa est, quæ aliquid nuntiat, cuius rei caussa inuentam ait Cicero epist. 4. lib. 2. Epistolarum genera multa esse non ignoras: sed vnũ illud certissimum, cuius caussa inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset.

LECTAQVE CVM LACRYMIS TVA. D. M] Perhumaniter Ser. Sulpitius epistolam illã suam consolatoriam ad M. Tull. sic exorditur. Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sane quam, pro eo vt debui, grauiter, molesteque tuli. Qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque dolorem meum declarassem. Est autem 5. lib. 4. Cic. Terentiæ suæ, & Tulliæ, & Ciceroni, lib. 14. Accepi ab Aristocrito tres B epistolas, quas ego lacrymis prope deleui.

SED NEQVE SOLARI PRVD. STVLT. AVSIM] Cic. ep. 8. lib. 4. sed neque monere te audeo præstanti prudentia virum: nec confirmare maximi animi hominem; consolari vero nullo modo. Quid tam simile?

VERBAQVE DOCTOR. N. REF. TIBI] Ipsemet nosti, quæ ab eruditis, & philosophis de solatiis in rebus aduersis scripta sunt. Quid ego ligna in syluam? Vt antiquiores omittam. Seneca in hoc genere multus est, cuius extant integri libri ad Polybium, ad Martiam, ad Heluiam. Extat item Plutarchi consolatio ad Apollonium. Legantur etiam dialogi Francisci Petarchæ de remediis vtriusque fortunæ, & de amissione v- C xoris 18. lib. 1.

SI NON RAT. IPSA MORA] Sulpit. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Hoc te exspectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Medicinam rationis, medicinæ temporis, id est, diuturnitati, quæ stultis quoque mederi solet, opponit Cic. quoque, in doloribus, mœroribus, & molestiis inquam ep. 16. lib. 2. & 16. lib. 5. Ad Atticum, impetret ratio, quod dies impetratura est.

DVM TVA PERVEN. DVM LITT. N. RECVR. &c.] Eleg. 4. lib. 3.

Dum venit huc rumor, properataque carmina mitto,
Factaque eunt ad vos, annus abisse potest.

TEMP.

TEMP. OFF. E. SOLAT. D. CERTI] Noo quouis tempore accepta est consolatio. Quo igitur?

DVM DOLOR IN CVRSV EST] dum viget, dum recens est. Nota elegantem metaphoram.

DVM PETIT AEGER OPEM] non, cum iam conualuit.

AT CVM LONGA DIES, &c.] Longum tempus sanare ista vulnera mentis dixit Sulpit. Tibulli. *Longa dies molli saxa peredit aqua.*

A

INTEMPESTIVE QVI MONET MOVET] Consolator serus dum monet mouet. *παρέχων.* *Mouet.* id est, refricat. Alia lectio, *qui monet illa nouat.* Noo repudiarim.

ADDE QVOD CONIVG. F. IAM, P. E. NOVO] Nouæ nuptiæ, si quid restat mœroris de priore coniuge, totum eradent. Gaudium nouum tristitiæ veteri locum nullum relinquet.

VTIN. VERVM TIBI VEN. OMEN] vtinam verum sit quod ominor, & præsagitionem meam veritas iam confirmarit.

ELEGIA DVODECIMA.

Ad Tuticanum.

CAVSSA TACITI NOM. ET LONGAEVA AMICITIA.

ARGVMENTVM.

CONTVMACIAM secundæ syllabæ nominis eius (breuem puta inter duas longas) impedire, cur eum in carmine suo instar aliorum haud nominet, quod maximoperè vellet. Adducit modos quatuor, quibus id facere posset, quorum nullus arridet. Interim ipsissimum nomen quater ponit, & lepidè iocatur. Hanc vnam ob rem procrastinasse ad eum scribere, quod nunc cumulatius facturus sit. Memorat amicitiam, & consuetudinem cum illo ab adolescentulis vsq; ad canitiem. Memorem sui fore planè spèrat, seq; illi in caussa exilij commendatum cupit. Mox hanc ipsam petitionem suam excusat, quod ærumna sua pæne omnes partes mentis sibi ademerit, vt quid agat, quid velit, quid nolit, non satis dispiciat.

Quo minus in nostris ponaris amice libellis,
Nominis efficitur conditione tui.
Ast ego non alium prius hoc dignarer honore:
Est aliquis nostrum si modo carmen honos.
Lex pedis officio, fortunáque nominis obstat:
Quáque meos adeas, est via nulla, modos.
Nam pudet in geminos ita nomen scindere versus,
Desinat vt prior hoc, incipiat que minor.
Et pudeat, si te qua syllaba parte moretur,
Arctius appellem, Tuticanumq; vocem.

Et potes in versum Tuticani more venire,
Fiat vt è longa syllaba prima breuis:
Aut vt ducatur, quæ nunc correptius exit,
Et sit porrecta longa secunda mora.
His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
Ridear, & meritò pectus habere neger.
Hæc mihi caussa fuit dilati muneris huius,
Quod meus adiecto fenore reddet ager.
Téque canam quacunque nota: tibi carmina mittam,
Pæne mihi puero cognite pæne puer.
Perque tot annorum seriem, quot habemus vterque,
Non mihi quàm fratri frater amate minus.
Tu bonus hortator, tu duxque, comesque fuisti,
Cùm regerem tenera fræna nouella manu.
Sæpe ego correxi sub te censore libellos,
Sæpe tibi admonitu facta litura meo est.
Dignum Mæoniis Phæacida condere chartis
Cum te Pierides perdocuêre deæ.
Hic tenor, hæc viridi concordia cœpta iuuenta
Venit ad albentes illabefacta comas.
Quæ nisi te moueant, duro tibi pectora ferro
Esse, vel inuicto clausa adamante putem.
Sed prius huic desint & bellum, & frigora terræ,
Inuisus nobis quæ duo Pontus habet:
Et tepidus Boreas, & sit præfrigidus Auster,
Et possit fatum mollius esse meum:
Quàm tua sint lapso præcordia dura sodali.
Hic cumulus nostris absit, abestque malis.
Tu modò per superos, quorum certissimus ille est,
Quo tuus assiduè principe creuit honor:
Effice, constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat aura ratem.
Quid mandem quæris? peream, nisi dicere vix est,
Si modò, qui periit, ille perire potest.
Nec quid agam inuenio, nec quid nolímue, velímue;
Nec satis vtilitas est mea nota mihi.
Crede mihi, MISEROS PRVDENTIA PRIMA RELIQVIT,
ET SENSVS CVM RE CONSILIVMQVE FVGIT.
Ipse, precor, quæras, qua sim tibi parte iuuandus,
Quóue viam facias ad mea vota vado.

COM-

COMMENTARIVS.

IN NOSTRIS LIBELLIS] In noſtris epiſtolis, & elegiis: ſingulæ enim poſſunt libelli appellari. Si manu ſcripta, & libros intelligere, per me licebit.

NOM. EFFICIT. CONDIT. TVI] Facit hoc ratio nominis tui, quod ego concidere, aut indignius tractare, & abſonum facere nollem.

NON ALIVM PRIVS. H. DIGNAR. HON.] Facit enim immortales ad quos ſcribit, quod interdum pro certo affirmat: interdum eum conditione, ſi legatur. Verùm ea immortalitas ſuppreſſo nomine fructum non habet. Significat ergo, præ omnibus hactenus nominatis, ſe ipſum fuiſſe nominaturum, ſi per vocabulum eius, huic generi carminis haud idoneum, licuiſſet.

EST ALIQ. NOST. SI. M. CARM. HONOS] Summiſsè. ſi modo quiſquam honorari meo carmine poteſt.

LEX PEDIS OFF. FORT. NOM. OBSTAT] Officij eſſet illum nominare: ſed vetat lex pedis. Nam quod ad tres ſyllabas priores attinet, conficiunt amphimacrum, qui nec in hexametro, nec in pentametro locum habet. Aut voce *pedis* intellige metrum ipſum, vt alibi.

QVAQVE. M. AD. E. VIA. N. MODOS] Eſſet quidem, & quadruplex, vt ſtatim videbimus: ſed nullus ei probatur: qui & religioſus ſyllabarum obſeruator eſt: & quidquid inconcinnum eſt fugit. Tales delicias facit in nomine Earinus etiam Martialis lib. 9. cuius primæ duæ breues, ac proinde nec illi via, quia eius modos phaleucios adeat. Quod dum conqueritur, Ipſum Earinum ſatis apertè nominat. Extremos epigrammatis verſus attexamus.

Nomen nobile, molle, delicatum,
Verſu dicere non rudi volebam.
Sed tu ſyllaba contumax repugnas.
Dicunt Eiarinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et quos Ἆρες Ἄρες decet ſonare.
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeueriores.

NAM PVD. IN GEM. ITA. N. SCIND. V.] Scaliger lib. 2. cap. 33. laſciuiam Naſonis in nomine Tuticani ludentis perſtringit. Non enim vel talentum mereat, vt in eo quidquam vitioſum diſsimulet. Sed cur homini afflictiſsimo, & miſerrimo tantillus ludus non concedatur? Primus itaque modus, quo nomen hoc in carmen venire poteſt, eſt, vt in extremo hexametro ſit eius dimidium, nempe *Tuti*: & in principio pentametri *canus*.

SI TE QVA SYLLABA PARTE MORETVR, &c.] Alter modus, vt tertia à principio ſyllaba,

A ca ſcilicet, longa corripiatur, & pro Tutica-nus dicatur Tuticanus.

ET POTES IN VERS. TVTICANE MORE VAN.] Tertius, vt prima fiat è longa breuis.

AVT, VT DVCATVR QVAE NVNC, &c.] Quartus, vt ſecunda breuis producatur.

HIS SED SI VITIIS. A. CORRVMP. N.] Magiſtri tamen verſuum, ob metricam neceſsitatem concedunt, ex tribus continuis breuibus in propriis nominibus, primam longam: ſimiliter aliquando longam breuem. Hinc Priamides, Italia, Arabia prima extenſa: Priſcianus, Appianus, &c. apud recentiores tertia contracta. Nec apparet, quomodo in Priſcianus, & Appianus, B & ſimilibus duæ mediæ ſyllabæ in vnam poſsint coaleſcere, niſi duriſsimè: & eſt hoc ipſum licentiæ.

ET MERITO. P. HAB. NSORE] Indicat excors. Pectua pro corde. Cor autem viſum eſt quibuſdam veteribus animus ipſe. Ex quo concordes, excordes, væcordes dicuntur. Quidam in corde dixerunt animi eſſe ſedem, & locum Cic. 1. Tuſcul. Ex his opinionibus dictū à Plauto Epid. eſt ſapientiæ, cordis copia. Et Perſa. *Dij iſtam perdant, ita cata & callida eſt. Habet cor.* Et multa eiuſdem generis.

HAEC MIHI CAVSSA. F. D. MVN.] Non digna ſanè cauſſa, cum inter ipſos tam veterem coniunctionem fateatur.

C QVOD MAVS ADIECT. P. REDD. AGER] Allegoria, qua ſe hanc cunctationem crebrius poſthac ſcribendo compenſaturum promittit. Ergo aliquo horum qui dicti ſunt quatuor modorum nomen Tuticanus carmini inſeret, & pudorem valere iubebit, & nihilominus pectus habebit. Veruntamen non inſeret, vt videbis elegia 14.

QVACVNQVE NOTA] Nihil certi pronuntiare poſſumus, quid facturus ſit. Hoc vnum tantum, nomen non plane taciturum.

PAENE MIHI. P. COG. P. PVER] A prima adoleſcentia. Inter pueros vera amicitia conſtare non poteſt. Non enim illorum animi capaces ſunt earum rerum, quas illa deſiderat. Multum D eſt tamen dilexiſſe à pueris.

QVOT HABEMVS VTERQVE] Ouidius in exilium venit anno ætatis L. nunc in eo agit ſextum. Ergo annum ætatis LVI. ſequitur vt Tuticanus totidem vixerit.

NON MIHI. Q. F. FRATER AM. MINVS] chare mihi perinde vt frater, Terent. And. *Si te in fratris dilexi loco.*

TV BONVS HORT. TV. D. COM. FVISTI] Tripartita laus. Verbis, exemplo, auxilio me iuuiſti.

Cvm reger. ten. fraen. n. manv]Cum ad ſtudium Muſarum me admodum adoleſcens conferrem, & quaſi artem equitandi diſcerem. Eodem reſpicit, ad eandem inquam metaphorā 1.Faſt. *vates rege vatis habenas*. Oratio cum equo confertur. Inde prouerbiali figura equus ſeſſorem abripere dicitur, cum orationis impetu abducti in aliam materiam diuertimus. Et Græci ἱππικὸν vel ut equeſtrem vocant orationem numeris adſtrictam, quod quaſi equo inuecta ſublimè ſpiret. Iunius.

Saepe ego correxi s. te cens. lit.] Legebant poëtę ſua carmina inter ſe. Vide annotata in eleg. vlt. lib. 4. Triſt.

Saepe tibi admon. f. lit. meo]Eleg. 7. lib. 3. Triſt. ad Perillam.

Dum licuit, tua ſæpe mihi, tibi noſtra legebam:
Sæpe tui iudex, ſæpe magiſter eram.
Aut ego præbebam factis modo verſibus aures,
Aut vbi ceſſaras cauſſa ruboris eram.

Dignvm Maeoniis Phaeacid. cond. chartis, &c.] Merula legit *dignam*, & refert ad *Phæacida*. Si legas *dignum*, ſubaudimus opus, vel poëma. Vt ſit hęc diſtichi totius ſententia. Muſas Tuticanum docuiſſe præclarū opus componere de Phæacia inſula, quod ſit ipſo Homero dignū.

Hic tenor]Hæc amoris noſtri continuatio.

Haec viridi concord. c. ivventa] pæne à pueris. Viride æuum vocat eleg. 10. li. 4. T.

Ad albent. illabef. comas] perducta eſt vſq; ad canos. Quos tamen, licet quinquagenarius, ante exilium non habebat Ouid. Vnde eleg. 8. lib. 4. Triſt.

Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas.

Qvae nisi te moveant]Hæc quæ dixi de amicitia noſtra, niſi te moueant, vt memoriam mei nunquam deponas, nec me deſeras.

Dvro tibi pect. ferro clavsa]Ferreum dicimus hominem, qui nullum habet humanitatis ſenſum. In quo nulla pars lenitatis, ac manſuetudinis. Ad Att. ep. 29. li. 13. O te ferreum, qui illius periculo non moueris. Ad virtutem tranſtulit in Lælio. Neq; enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream quandam eſſe volunt. Tibull. lib. 1. eleg. 10.

Quis fuit, horrendos primum qui protulit enſes?
Quam ferus, & verè ferreus ille fuit?
Propert. lib. 2. eleg. 8.
Munera quanta dedi, vel carmina qualia feci?
Illa tamen nunquam ferrea dixit, amo.

Invicto adamante] Etiam vox adamas ad exprimendā animi duritiem adhibetur. Plin. li. 37. Incudibus adamantes deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrinq; diſſultet, incudesq; etiam ipſæ diſsiliant. Quippe duritia intractabilis eſt, ſimulq; ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. Vide Chil. Adamantinus.

Hvic desint et aqu. et frig. terrae] quod nunquam fiet.

Invis. nob. q. d. Pont. hab.]Toties hoc cantauit.

Et tepid. Boreas] Eleg. 10. cauſſam cur glaciaretur mare, aiebat eſſe Boream, ventum præfrigidum ob vicinitatem poli Arctici, & longè abſentem Notum tepidum.

Et possit fat. moll. esse mevm]Hoc æquè putat ἀδύνατον vt præcedentia. Alioqui fatum non erit fatū, cum eius proprietas ſit immutabilitas.

Qvam tva s. lapso p. dvra sodali] Quam alienetur mens tua à me ſodali, & amico tuo, qui è ſecundis lapſus ſum in aduerſa.

Hic cvmvl. nost. absit, ab. mal.]Magnus cumulus ad miſerias meas accederet, ſi te amicum perderem. Ciceroni vox cumulus in bonis tantum vſurpatur. Ad Att. ep. 17. lib. 4. Ad ſummam lætitiam, quam ex reditu tuo capio, magnus ex illius aduentu cumulus accedit. Pro M. Marcello. Ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam non poſſe arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus acceſsit. Plures locos afferre ſuperuacaneum reor.

Qvorvm certiss. ille est, &c.] Tiberius, per quem, ſeu cuius fauore ad honores Tuticanus aſcendit.

Ne sperata m. dei. avra rat.]Fauorem Principis frequenter auram vocat. Et, quod antea non ſemel monuimus, ſtatum ſuum in vtramq; partem ſæpe nauim, cymbam, ratem, &c.

Qvid mand. qvaeris?] Quæris cur mandem, quod etiam ſponte tua, nec rogatus facere es paratiſsimus? Sequitur purgatio. An ita exponendum? Quæris quid te facere in me tuendo cupiam? præſtat hic ſenſus, cui concordat vltimum diſtichon.

Peream, nisi dicere vix est] niſi vix poſſum dicere quid cupiam, & petam. ἀπολοίμην. Diſpeream, alij ſcriptores, vt Martial. lib. 1. *Diſperream ſi non hic Decianus erit*. Modus iurandi, aut ſe deuouendi.

Si modo qvi periit, ille. p. potest] Correctio. Hoc verſiculo vtitur lib. 1. Triſt. eleg. 3. vt aliis pæne ad verbum: quanquam non ita multis. Eſt enim (quod arbitror te ex parallelis verſib' à me millies hactenus prolatis ſatis didiciſſe) in vna eademq; re aliis, atq; aliis verbis varianda & fœcundiſsimus, & fælicißimus, & vel hoc ipſo latinitatis, poëticæque ſtudioſis vtiliſsimus.

Nec qvid agam invenio, &c.]Hæc omnia indicia ſunt eius animi afflictiſsimi, & perturbatiſsimi.

Missaqve prvd. p. relinqvit, &c.]Dolor quem homines ex ingentibus malis, & infortuniis capiunt, mentem quoq; ipſam è ſede ſua dimouet, & ad inſaniam adigit nonnunquam, nedum vt hebetes, ac ſtupidos reddat.

Ipse precor qvaeras qva sim, &c.] Tu tibi quoq; has partes ſume, & ſit penes te omnis poteſtas, conſiliumq; iuuandi me. Ego enim in tanta calamitate propemodum de poteſtate exiui.

ELEGIA DECIMATERTIA.
Ad Carum.

ΓΝΩΡΙΣΜΑΤΑ VTRIVSQVE ET LIBELLVS GETICVS DE AVGVSTO.

ARGVMENTVM.

Carvs hic fuit à ſtudiis, & moribus Caio Germanici filio (qui poſtmodum dictus eſt Caligula, ſucceſſitq; Tiberio) & Druſo Tiberij filio Cæſaribus, Liuiæ pronepoti, ac nepori. Salutat eum, ait què certò noſſe, ex filo ipſo, à quo accipiat hanc epiſtolam: ſicut contra ipſe, etiam ſublato titulo, ſcriptionem illius ſemper laudabilem, certis è veſtigiis cogniturus ſit: quemadmodum ſua è certis quibuſdam vitiis internoſci queat. Nec mirādum ſi viriosè ſcribat inter Geras, & pæne mutatus in Getam. Scripſiſſe pręterea libellum numeris latinis, & ſermone Getico de laudibus Augusti, & Cęſarum. Quem cum Tomitanis recitaſſet, vehementer indignatos Cæſari iam defuncto, qui talem virum patriæ non reddidiſſet. Interim ſe annum iam ſextum viuere in exilio duriſſimo, & carmina nihil ſibi prodeſſe. Obteſtatur illum, nauet ſibi operam ad locum commutandum.

O mihi non dubios inter memorande ſodales,
Qui quod es id verè Care vocaris, aue.
Vnde ſaluteris, color hic tibi protinus index,
Et ſtructura mei carminis eſſe poteſt:
Non quia mirifica eſt, ſed non quod publica certè:
Qualis enim cumque eſt, non latet eſſe meam.
Ipſe quoque, vt titulum charta de fronte reuellas,
Quod ſit opus videor dicere poſſe tuum.
Quamlibet in multis poſitus noſcère libellis,
Perq; obſeruatas inuenière notas.
Produnt auctorem vires, quas Hercule dignas
Nouimus, atque illi, quem canis, eſſe pares.
Et mea Muſa poteſt proprio deprenſa colore,
Inſignis vitiis forſitan eſſe ſuis.

Tam mala Thersiten prohibebat forma latère,
Quàm pulcra Nireus conspiciendus erat.
Nec te mirari, si sunt vitiosa, decebit
Carmina, quæ faciam pæne poëta Getes.
Ah pudet, & scripsi Getico sermone libellum:
Structáque sunt nostris barbara verba modis.
Et placui, gratare mihi: cœpíque poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi,
Adiuta est nouitas numine nostra Dei.
Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, ad ætherias numen abisse domos.
Esse parem virtute patri, qui fræna rogatus
Sæpe recusati ceperit imperij.
Esse pudicarum te Vestam Liuia matrum,
Ambiguum est nato dignior, an ne viro.
Esse duos iuuenes firma adiumenta parentis,
Cui dederint animi pignora certa sui.
Hæc vbi non patria perlegi scripta camœna,
Venit & ad digitos vltima charta meos:
Et caput, & plenas omnes mouère pharetras:
Et longum Getico murmur in ore fuit.
Atque aliquis, scribas hæc cùm de Cæsare, dixit,
Cæsaris imperio restituendus eras.
Ille quidem dixit: sed me iam, Care, niuali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.
Carmina nil prosunt: nocuerunt carmina quondam:
Primáque tam miseræ caussa fuère fugæ.
At tu per studij communia fœdera sacri,
Per non vile tibi nomen amicitiæ:
Sic capto Latiis Germanicus hoste catenis,
Materiam vestris præbeat ingeniis:
Sic valeant pueri votum commune duorum,
Queis laus formandis est tibi magna datis:
Quanta potes, præbe nostræ monumenta saluti,
Quæ nisi mutato nulla futura loco est.



COM-

COMMENTARIVS.

NON DVM. INTER MEMOR. SODALES] Elegia 4. lib.1. *O mihi post nullos vnquam memorande sodales.* Fusius hoc idem in Trinumo,& scitè positum

——adepol haud dicam dolo.
Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor:
Quorum ingenia, atq; animos non possum noscere
Ad amici partem, an ad inimici pertineant.
Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus.

QVI QVOD ES, ID VERE VOCAR.] φερώνυμος. Es charus mihi, & omnibus propter multas ingenij tui, morumque suauitates. Elegia 5. lib.3. Trist. cuidam amico hoc nomen fictè tribuit, quod tum neminem suo, ac vero nomine appellare audebat.

Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens.
Scis Carum veri nominis esse loco.

VNDE SALVTERIS] à quo, & ex quo loco: nam vtrumque complexus videtur.

COLOR HIC TIBI PROTIN. INDEX] Ex duabus rebus potes cognoscere. Ex colore tegumenti, non purpureo. *Non est conueniens luctibus ille color*, dixit eleg.1. lib.1. Trist. Vide Comment. Ibidem.

Vt titulo careas, ipso noscere colore,
Dissimulare velis, te liquet esse meum.

ET STRVCTVRA MEI CARMINIS] secundum indicium, forma, idea, & genus meum scribendi, facile nempe, copiosum, simplex, apertum, natiuo quodam, non ascititio ornatu contentum.

NON QVIA MIRIFICA EST] Cur enim non studeret mirificè componere, ac sua perpolire, rationem attulit eleg.6. lib.1. & vlt. lib.3.

SED QVOD NON PVBLICA] facta populo (publicum enim quasi populicum:) sed priuato, & ideo more meo.

QVALIS ENIM. C. NON LATAT. E. MEAM] Qualis qualis est, tu meam esse ignorare non potes, qui ingenium meum exploratè nosti, & scripta à scriptis probè discernis.

VT CHARTAE TITVL. D. F. REVELLAS] Adscribebant in tergo libri, seu voluminis, seu epistolæ nomen suum.

QVOD SIT OP. VID. D. POSSE TVVM] ἐν σοὶ τοῦτο τὸ πλεονέκτημα, quomodo & Cicero locutus est, ne quis vt barbarum explodat. Vt tu meam: sic ego vicissim tuam Musam facilè deprehendo. Aut expone *quod* per *quodnam*, non per coniunctionem copulantem.

QVAMLIBET IN MVLTIS POSITVS, &c.] Tuus libellus in magno aliorum numero noscetur, à me videlicet.

PER OBSERVAT. NOTAS] per certa signa, & γνῶμα, si obseruentur.

PRODENT AVCTORAM VIRES, &c.] Grandiloquentia tua, & spiritus te patefacient, cuius vena Herculi, quem celebrandum suscepisti, par, & talibus factis, quibus ille immortalitatem meruit, digna prorsus.

PROPRIO DEPRENSA COLORE] Vt tuum carmen, sic meum suo quodam charactere agnosci pro meo potest.

INSIGNIS VITIIS FORSITAN SVIS] sed character ille, & notæ forsitan sunt vitia. Sint sanè vitia. In quo poëta nulla sunt vitia? Possent etiam excusari, vt ipse cum alibi, tum eleg.1. lib.4. Trist. excusat. *Si qua meis fuerint, vt erunt, vitiosa libellis, &c.*

TAM MALA THERSITEN PROHIBEBAT. F. LAT.] Ego vt Thersites ex deformitate, tu, vt Nireus, ex formositate agnoscaris. Deformissimum omnium qui ad Troiam venerunt de Græcis Thersiten fuisse ait Homerus, quem à capite ad pedes vsq; graphice describit 2. Iliad. & simul loquacitatem eiusdem, & odium in duces præcipuos, vt animi habitum cum corporis habitu consensisse videamus. Versus sunt hi.

——αἴσχιστος δ' ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε,
Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτὼ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε. αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.
——Hoc turpior alter
Nemo sub Iliacam Graiorum venerat vrbem.
Lumine erat strabus, atq; vno pede claudus. in arcto
Pectore gibbi humeris extantes pane coibant,
De capitis raris volitabat acumine pilus.

In simiam mutatum fingit. Plato lib. extremo de repub. Vnde & à Lycophrone πιθηκόμορφος.

QVAM PVLCHRA NIREVS CONSPICIEND.] De Nireo hæc idem Homerus, eodem libro.

Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα.
Ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην, παῦρος δέ οἱ εἵπετο λαός.
Nireus ad Troiam quo non formosior alter
Venerat, excepto Pelida corpore Achillis:
Imbellem sed parua manus comitatur eundem.

Meminit huius Nirei Propert. lib.3. eleg.17. *Nirea non facies, non vis exemit Achillem*, à morte scilicet. Et Horat. Ode 20. lib.3. *Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Raptus ab Ida.* Et Ode 15. Epod. *Formaq; vincas Nirea.*

PAENE POETA GETES] Pæne in Getam carmine meo degeneraui. Aut ex latino poëta propemodum Geticus euasi. Quod vt credas, rem tibi auctorem dabo.

ET GETICO SCRIPSI SERMONE LIB.] Alibi enim se tandem Geticè, & Sarmaticè loqui didicisse testatur, cum antea gestibus loqui cogeretur, quia qui verbum latinum sciret, ibi neminem inueniret. De auctoribus litterarum per

linguas septem proferuntur à Crinito hiverucu-li, cap.1. lib.17.

Moses primus Hebraicas exarauit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas latinus scriptitamus, addidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfila prompsit Getarum quas videmus vltimas.

STRVCTAQVE SVNT NOST. E. V. MOD] nostris metris. Exactis syllabarum temporibus, & pedibus ad nostras leges, quantum fieri potuit intellige. In Germanica quidem lingua an fieri posit, multum ambigo. Certè Gallorum, Italorum, Hispanorum non sunt æquè inflexiles, & contumaces.

ET PLACVI] Respicit ad morem fabularum theatralium, vbi in extremo sic dicebatur. In Capt.

—————*nunc si vobis placet,*
Et si placuimus, neq; odio fuimus signũ hoc mittite,
Qui pudicitiæ præmium esse vultis. plausum date.

Terentius in omnibus suis spectatores valere, & plaudere iubet.

COEPIQVE POETAE INTER INNVM. N. H. GET.] *me quoq; dicunt Vatem pastores, sed non ego credulus illis.*

LAVDES DE CAES. DIXI] Fortasis easdem, quas latino carmine tractauerat in eius apotheosi, de qua in antecedentibus.

ADIVTA EST NOVITAS NVM. N. DEI] In hoc nouo labore meo fuit mihi numen Cæsaris pro Apolline, & Calliope.

NAM PATRIS AVGVSTI. D. MORTALE. F. CORP.] Tribus verbis summam, & argumentum libelli comprehendit: & ait, se cum Augusti laudibus Tiberij, Liuiæ, Germanici, & Drusi laudes coniunxisse.

IN AETHERIAS NVM. ABIISSE DOM] diuinam animam, seu ἀποθεωθεῖσαν deificatam, vt ita dicam. Non enim fuit ex corpore, & numine, seu Deo compositus. Velleius libro 2. septuagesimo sexto anno animam cælestem cælo reddidit.

QVI FRAENA ROG. SAEPE RECVS. CEP. IMP.] Alibi, eodem sensu.

Inde nepos, natusq; Dei, licet ipse recuset,
Pondera cælesti mente paterna feret.

Sueton. Tiberio cap. 24. Principatum quamuis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi, & specie dominationis assumpta, diu tamen recusauit impudentisimo animo: nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta bellua esset imperium: nunc precantem senatum, & procumbentem sibi ad genua ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens; vt quidam patientiam rumperent, &c. Eadem pæne de recusato ab eodem imperio Tacit. Annal. 1. & addit, plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat, &c. De eadem recusatione, sed adulatoriè satis, vt solet, Velleius lib. 2. Saturninus, auctore Vopisco, cum

A inuitus purpura à militibus indueretur, flens ita eos est allocutus. Nescitis, amici, quid mali sit imperare. Gladij, & tela nostris ceruicibus impendent; imminent hastæ vndique, vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio, &c. Docti, & sapientes vitam priuatam cum re mediocri regnorum, & imperiorum opibus semper prætulerunt. Narrat Hiero tyrannus apud Xenophontem, quot, & quantas voluptates ipse in principatu amiserit.

ESSE PVDICAE. TE VESTAM LIVIA MATRVM] omnium pudicarum matronarum pudicisimam. Inter eius ἀποφθέγματα & hoc à Dione

B refertur. Cum nudos homines, qui sibi facti erant obuiam, mori ob eam caussam oporteret, dixit eos matronis quidem honestis, & continentibus nihil à statuis differre. Vnde Iun. Vestalium toro purior.

AMBIG. NATO. D. ANNE VIRO] Dignior ne esset Tiberio filio, qui erat par virtute patri Augusto, an viro ipso Augusto.

ESSE DVOS IVVENES, &c.] Germanicum Drusi filium naturalem, & adoptatitium Tiberij, & Drusum eodem Tiberio procreatum.

FIRMA ADIVM. PARENT.] firma præsidia, quibus Tiberius pater niti posset.

QVI DEDERINT ANIMI. P. CERTA SVI] certa

C indicia. Cui se certis argumentis probauerint.

NON PATRIA CAMOENA] non patria lingua. id est, Latina, sed Getica.

VENIT ET AD DIGIT. VLT. CHART. M]& perueni ad extremam paginã Perueni ad finem.

ET CAPVT, ET PLEN. OMN. M. PHARET.] non ex indignatione, & stomacho, vt quispiam prima fronte existimauerit: sed contrà ex approbatione, & assensu. cuius plura fuerunt signa militaria, vt clamor, elata dextera, armorum vel sublatio, vel concusio, vel crepitus. Videndus Lips. de milit. Rom. lib 4 dialog 9. Hunc locum mihi suggesit, quem aliquoties nominaui honoris caussa Rudolphus noster, nunc in Academia Ingolstadiana politicæ philosophiæ Professor ordinarius.

D ET LONG. GET. MVRM. IN ORE. V.] Virgil. 1. Aeneid. *cuncti simul ore fremebant Dardanidæ*

ATQVE ALIQVIS, SCRIB. HAEC CVM, &c.] Cum legimus è turba aliquem exclamasse, dixisse, plures, aut omnes ita sensisse intelligendum est, quorum os vnus fuerit. Cum igitur adeo prædices, & extollas Cæsarem, qui te eiecit in exilium, cui merito irasci debebas, & longè alia in eum scribere.

CAESARIS IMP. RESTITVENDVS ERAS] debebat te Cæsar reuocare, si gratus esse voluisset. Gratus autem esse debuisset.

ILLA QVIDAM DIXIT] Dixit, sed dixit tantùm. Nam præter verba nihil potuit.

CARMINA NIL PROSVNT] ad id quod ipse

vult.

vult. Alioqui magnam esse eorum vtilitatem, & dignitatem docuit eleg.8.

NOCVERVNT CARMINA QVONDAM] Alibi.

Siue quod hinc fructus adeo non cepimus vllos.
Principium nostri res fuit ista mali.

PRIMAQVE TAM MIS. C. FVERE FVGAE] Ostendit quam nocuerint, & in eo Musas accusat eleg.2. lib.3. Trist. Error igitur secunda caussa exilij.

PER STVD. COMMVNIA FOEDERA] ambo enim poëtæ.

PER NON VILE T. NOM. AMICIT.] Eleg. 7. lib.1. Trist.

Illud amicitiæ sanctum, ac venerabile nomen
Nunc tibi pro vili, sub pedibusq; iacet.

SIC CAPTO LATIIS, &c.] Frequentissimum hoc Ouidio. Cum aliquid rogat, vicissim bona pro remuneratione optat. Horatius Ode 8. lib.3.

Seruit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber sera domitus catena.

A MATERIAM VESTRIS PRAEBEAT INGENIIS] victoriis, & triumphis suis, quod describatis.

SIC VALEANT PVERI] quos instituis, Drusus, & Caius, filij Germanici.

VOTVM COMMVNE DVORVM] quod duo communiter cupiunt & optant, Tiberius, & Germanicus eorum parentes.

QVOS LAVS FORMANDIS EST. T. M. DATOS] Verborum ordo hic est. Quos tibi formandos datos, laus magna est, tibi scilicet. Te illis B docendis, & morum elegantia, probitateque informandis præpositum esse, laudi, & honori tibi est.

NOSTRAE MONVMENTA SALVTI] Salutem nostram pro viribus curandam suscipe. Huius vnius rei caussa totam epistolam videtur scripsisse, & laudasse hominem, vt hoc impetraret.

NISI MVTATO NVLLA FVTVRA LOCO EST] Pereundum mihi, si diutius in hac regione manendum.

ELEGIA DECIMAQVARTA.

Ad Tuticanum.

PVRGAT SE TOMITIS, QVOS QVERELIS SVIS OFFENDERAT.

ARGVMENTVM.

MENTIONEM denuo inducit nominis eius ad carmen inepti, se vtcunq; valere: aliud boni sibi nihil esse. Quanquam tædeat valetudinis, & optare se ex illis locis abire, ac vel medias syrtes, & charybdim, & stygem, & si quod spatium infra stygem est, gratius sibi futurum. Istiusmodi querimoniis succensere Tomitas, & offendi publicè carminibus suis. Miratur, semper lædi se à versibus suis, & nihilominus non posse ab iis desistere. Negat questum se de Tomitis, quos diligat, cum locum oderit. De frigore, incursionibus, & castelli obsidionibus se conquestũ. Ipsosmet solum suum sæpe vituperare. Hesiodũ inuectum in Ascram patriam suam, Ascræos tamen non offensos. Vlyssem suam Ithacam vocasse asperam. Sextium Romanorum mores impune carpsisse. Inuidiam sibi creari à peruerso,

& maligno interprete. Se scriptis adhuc læsisse neminem. Laudat Tomitas, à quibus benigne habitus sit. Eorum beneficium, & honorem quo publicè ab illis affectus sit, memorat. Gratam sibi eam tellurem fore, modo tam immodico frigore, hostiumq; irruptionibus careret.

Hæc tibi mittuntur, quem sum modò carmine questus
Non aptum numeris nomen habere meis.
In quibus, excepto quòd adhuc vtcunque valemus,
Nil me præterea quod iuuet, inuenies.
Ipsa quoque est inuisa salus, suntq; vltima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire locis.
Nulla mihi cura est, terra quò muter ab ista,
Hac quoque, quam video, gratior omnis erit.
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
Mittite, præsenti dum careamus humo.
Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Istro,
Si quid & inferius, quàm styga, mundus habet.
Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,
Proxima Marticolis quàm loca Naso Getis.
Talia succensent propter mihi verba Tomitæ,
Iráque carminibus publica mota meis.
Ergo ego cessabo nunquam per carmina lædi?
Plectar & incauto semper ab ingenio?
Ergo ego ne scribam, digitos incidere cunctor?
Teláque adhuc demens, quæ nocuere, sequor?
Ad veteres scopulos iterum diuertor, & illas,
In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
Sed nihil admisi: nulla est mea culpa, Tomitæ:
Quos ego, cùm loca sim vestra perosus, amo.
Quilibet excutiat nostri monumenta laboris,
Littera de vobis est mea questa nihil.
Frigus, & incursus omni de parte timendos,
Et quòd pulsetur murus ab hoste, queror.
In loca, non homines, verissima crimina dixi:
Culpatis vestrum vos quoque sæpe solum.
Esset perpetuò sua quàm vitabilis Ascra,
Ausa est agricolæ Musa docere senis.
At fuerat terra genitus, qui scripsit, in illa:
Intumuit vati non tamen Ascra suo.
Quis patriam solerte magis dilexit Vlysse?
Hoc tamen asperitas indice dicta loci est.

Non loca, sed mores scriptis vexauit amaris
Sceptius Ausonios, actáque Roma rea est.
Falsa tamen passa est aqua conuicia mente:
Obfuit auctori nec fera lingua suo.
At malus interpres populi mihi concitat iram,
Inq; nouum crimen carmina nostra vocat.
Tam felix vtinam, quàm pectore candidus, essem,
Extat adhuc nemo saucius ore meo.
Adde, quòd Illyrica si iam pice nigrior essem,
Non moderata mihi turba fidelis erat.
Molliter à vobis mea sors excepta, Tomitæ,
Tam mites Graios indicat esse viros.
Gens mea Peligni, regióque domestica Sulmo,
Non potuit nostris lenior esse malis.
Quem vix incolumi cuiquam saluóque daretis,
Is datus à vobis est mihi nuper honos.
Solus adhuc ego sum vestris immunis in oris,
Exceptis, si qui munera legis habent.
Tempora sacrata mea sunt velata corona,
Publicus inuito quam fauor imposuit.
Quàm grata est igitur Latonæ Delia tellus,
Erranti tutum quæ dedit vna locum:
Tam mihi cara Tomus, patria quæ sede fugatis
Tempus ad hoc nobis hospita fida manet.
Dij modò fecissent, placidæ spem posset habere
Pacis, & à gelido longius axe foret.

COMMENTARIVS.



QVEM SVM MODO CARMINE QVESTVS, &c.] Elegia antegressa.

Quæ minus in nostris ponaris amice libellis,
Nominis efficitur conditione tui.

IN QVIBVS] In his, quæ tibi nunc mitto.

EXCEPTO QVOD ADHVC VTCVNQVE VALE] vtcunque, non optimè. Horat. ep. 10. lib. 1.
Excepto quod non simul esses, cætera lætus.

ME PRAETEREA QVOD IVVET] quod mihi commodet, me consoletur, quo gaudeam.

INVENIES] τρισύλλαβα & τετρασύλλαβα, ne dicam πεντασύλλαβα, apud Nasonem rarissimę. Non enim carmen concinnum reddunt.

IPSA QVOQ. EST INVISA SALVS] odiosa, ingrata. Mallem enim mori, quam diutius in his locis, etiam quantacunq; cum valetudine, viuere.

A

VLTIMA VOTA] maxima, quibus nihil maius.

QVOLIBET EX ISTIS IRE LOCIS] in quascunque terras, in quamcunque partem orbis.

GRATIOR OMNIS ERIT] etiamne si peior sit? Etiam. Quis enim dubitet, syrtes, charybdim, stygem peiora esse? Sed hoc affectui poëtæ condonandum, putantis nihil reperiri peius.

IN MED. SYRTES, MED. M. VELA CHARYB.] Sic eleg. 3. lib. 5. Trist.

Hinc ego dum muter, vel me Zanclæa charybdis
Deuoret, atque suis ad Styga mittat aquis:
Vel rapidæ flammis vrat patientius Ætnæ:
Vel freta Leucadij mittar in alta Dei.

STYX QVOQVE, SI QVID EA EST] Cocytus,

tus, Cerberus, &c. poëtarum, & pictorum portenta vocantur 1. Tuscul.

Si qvid at infer. qvam stvga] Ac si diceret, si quid etiam infimo magis est infimum. Infra mortuos amandari malim.

Gramina cvltvs ager] Per comparationem odium suum in regionem explicat. Nomine graminis intellige lolium, vrticas, & alias herbas segeti noxias.

Frigvs nim. odit hirvndo] Cornif. ad Hereo. lib. 4. Hirundines æstiuo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt. Plin. lib. 10. cap. 24. Abeunt & hirundines hybernis mensibus, sola carne vescens auis ex iis, quæ aduncos vngues non habent: sed in vicina abeunt, apricos secutæ montium secessus, &c. Verno autem tempore, cælo mitescente redeunt. Hinc prouerb. Vna hirundo non facit ver.

Proxima loca Marticolis Getis] agrum Tomitanum, cuius vicini Getæ, eum perpetuis incursionibus depopulantes.

Talia svccens. mihi. p. vers. Tomitae] Cum intelligunt me talia scribere de ipsis, & identidem eorum feritatem accusare, quod illis interpres patefacit, & ipse mox se fecisse inficiabitur, irascuntur mihi Tomitani.

Iraqve carminis. pvb. mota. m.] omnes in me exulceraui.

Ergo ego cessab. n. p. carm. laedi] Indignatur suis versibus, à quibus toties lædatur. Quod hoc est scelus? ideóne poëta factus sum, vt mihimet afferrem exitium? Læsus sum iis de Arte nimium grauiter: nunc, quod mirum, etiam lugubribus istis mihi noceo.

Plectar et incavto. s. ab ingenio?] Incautè ingeniosum se fuisse vult etiam tunc, cum illa amatoria scriberet: quia nihil nisi concessa furta se canere putauerit. Nunc rursum incautum, quia cum propositum non habuerit nisi sua mala deplorare, læserit tamen, & irritauerit Tomitanos, quod prouisum oportuit.

Digitos incidere cvnctor?] Cur mihi non præcido digitos, vt, etiam si velim, deinceps scribere nequeam; siquidem mihi scribendo obsum?

Telaqve adhvc demens, &c.] Tela mea quodammodo in me retorquentur, & mittentem lædunt, cum scripta mea auctori suo officiunt. Alibi, quanquam in re dispari. *Quodq; mihi telum vulnera fecit, amo.*

Ad veteres scopvl. itervm devertor, &c.] naufragus mare repeto.

Sed nihil admisi. m. est mea cvlpa Tom.] Purgat se Tomitanis, & non iis, sed loco iratum asserit, ob duas caussas.

Excvtiat nostri monim. laboris] Vt credatur quod dicit, iubet euolui libros in exilio per hoc sexennium à se scriptos (nam vltimo, hoc est septimo, si quid scripsit, ad nos non peruenit) & affirmat, nusquam aduersus eos quidquam locutum. Vereor tamen ne res aliter habeat. Vide eleg. 8. lib. 5. Trist. vt alias taceam. Sed illi excutere eius monumenta non potuerunt, vtpotè latinè nescientes: & ipsum queri, aliunde audiuerunt, ex interprete, vt infra leges.

Frigvs, et incvrsvs omni de parte tim. &c.] Hæ sunt illæ duæ caussæ, cælum gelidissimum, ac perpetua hyems: irruptiones hostium creberrimæ vsq; ad portas vrbis, vt de vita nunquam securus sit.

In loca, non homines. v. crim. dixi] Quinetiam in homines ipsos, idq; sæpius.

Cvlpat. vest. v. q. sæpe sol.] Ab ipsorum exemplo se tueri conatur. Insipiens est, qui in alio reprehendit, quod ipse committit. Cicero Curioni ep. 1. lib. 2. Quare si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine. Sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis.

Esset perpet. s. q. vitab. Ascra] Ab exemplo auctorum, qui patrias suas impune reprehenderunt. Vnde argumẽtum ducitur à minore ad maius. Fuit Ascra aspero, & sterili loco sita, & ad habitandum hyeme iuxta & æstate, incommoda. Parentes Hesiodi cum dissoluere nomina non possent, in vicum illum Bœotiæ demigrarunt, vbi puer Hesiodus, Cumis alioqui natus, est eductus, & Ascræus cognominatus. Is dum paterna armenta pascit, à Musis amatus perhibetur, quæ illi laurum gustandam dederint. Cætera Gyrald. de poët. hist. dial. 2.

Agricolae ienis] Duos reliquit libros, præter alios, inscriptos ἔργα καὶ ἡμέραι opera & dies. In priore mera sunt præcepta iustitiæ, & vitæ morumque leges, estq; totus ἠθικός, & catechismi in star, quem in Græcia pueri ediscebant. Posteriore continentur dies, quibus rustica opera perpetrare conuenit. Quem rectè postposuit. Prius enim hortandus fuit frater, otio luxuique deditus ad laborem, quam ei certa tempora, & dies præscriberentur. Græci tanti hoc monumentum æstimarunt, vt in plumbeis tabulis exaratum, in Helicone asseruarint.

Et pvsrat terra. orn. in illa] sic putabatur, quod ibi à paruo puero vixerat.

Intvmvit vati non tam. Ascra svo] non est illi irata. Irascentes intumescunt. 2. Metamorph. *Intumuit Iuno, postquam inter sidera pellex fulsit.* Si ciuem suum Ascræi, male de patria loquentem æquo animo tulerunt, mihi alienigenæ, & externo irascimini, quia secus de vestra patria scripsi? Sed pergamus in hoc genere argumentationis.

Qvis patriam. s. mag. oil. Vlysse?] solertem, id est, catum, & prudentem vocat. Elegia 4. lib. 1.

> *Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat*
> *Fumum de patriis posse videre locis.*

Lege ibid. notata.

Hoc tam. asperit. ind. d. loci] Non repre-

reprehenditur Vlysses, quod patriam suam asperam nominarit, [illegible]. Cur ego, qui patriam non meam vocaui asperam, in crimen vocer?

NON LOCA, SED. M. SCRIPT. &c.] Plus fecit Sextius. Lege *Sceptius*. De eo Plin. lib. 34. cap. 7. Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quæ in Hetruria factitata non est dubium. Deorum tantum putarem ea fuisse, nisi Metrodorus Sceptius, cui cognomen à Romani nominis odio inditum est (dictus enim est μισορωμαῖος) propter duo millia statuarum Volsinios expugnatos obiiceret.

FALSA TAM. PASS. EST ÆQ. CONVIT. M.] Et sibi facta, & falsa conuitia tulit patienter ipsa orbis domina. Quid vos igitur in veris, nec vestris, sed locorum reprehensionibus turbas facitis? A minus verisimili ad magis.

FERA LINGVA] lingua maledica, propter quam nullus dedit pœnas.

AT MALVS INTERP. POP. MIHI. C. IRAM] qui rem aliter interpretatur, dum vobis mea dicta vestra lingua interpretatur, & vos in me extimulat. Ille me facit odiosum. En, inuentus est qui sciret latinè inter Getas. Sed Getam fuisse non puto.

INQVE NOVVM CRIM. C. NOST. VOCAT] nam illud de Arte est vetus crimen nostrorum carminum.

TAM FELIX VTIN. Q. PECT. CAND] Non sum simulator, nec dissimulator: & vt aliena suspecta non habeo, vbi me rei euidentia non cogit: ita nec mea mihi suspecta sunt. & bona fide scribo quæ scribo, nihil cuiquam mali meditans. Pro candore igitur meo essem fælicissimus, nec laborarem ista inuidia.

EXTAT ADHVC NEMO S. ORE MEO] Vide principium in Ibin. lib. 2. Trist. sub finem.

Non ego mordaci distrinxi carmine quenquam,
Nec meus vllius crimina versus habet, &c.

ILLYRICA SI IAM PICE NIG. ESSEM] Si nihil candoris haberem prorsus, essemque nequissimus. Credo alludere ad symbolum Pythagoricum, μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων ne gusta ex iis, quibus nigra est cauda. Quo, vt interpretatur Plutarchus libello de liberis educandis, significare volebat, non versandum cum hominibus improbitate morum quodammodo atratis, & denigratis. Idem opinor voluisse Horatium sat. 4. lib. 1. *hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.* Atque vt clarius perspicias, nigrorem hunc ad mores pertinere, lege versus antecedentes quatuor. *Dixi cum quibus? &c.*

NON MORD. MIHI L. T. FID. ERAT] Eleg. 1. lib. 1. Trist. *Tu caue defendas, quamuis mordebere dictis.* In quem locum vide comment. A canibus translatum ad obtrectatores, & conuitiatores, qui etiam latrare, & allatrare, simili metaphora dicuntur. Mordere item dicimus quod pungit, vellicat, & quasi cruentat animum, siue auditum, siue

A lectum, siue cogitatū. Cic. ep. 9. lib. 1. ex Terentij Eunucho. *Par pari refer, quod eum mordeat.* Ad Att. ep. 2. lib. 6. Quod scribis, mordere te interdum, quod non simul sis. Et ep. 13. lib. 13. Valde me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra. Sensus carminis est, si vel improbissimus essem, & in mordendo canum similis, gaudens obtrectationibus, & dictis contumeliosis, non tamen debuissem benemeritos inuadere. quando nec canes hoc faciunt: sed contrà bene sibi facientibus adblandiuntur.

MOLLITER A VOB. M. S. EXCEPTA] Palpatur barbaris illis laudatione egregia, & inprimis prædicat, se exulem, & ignotum ab ipsis benignè, & humaniter exceptum, & tractatum.

B *TAM MITES, GRAIOS IND. ESSE VIR.*] origine Græcos, Græcorum colonos. Græci autem humanissimi. Eleg. 9. lib. 3. Trist.

Hic quoq; sunt igitur Graia (quis crederet?) vrbes,
Inter inhumanæ nomina barbariæ?
Huc quoq; Mileto missi venere coloni?
Inq; Getis Graias constituere domos?

Tomi, Milesiorum colonia.

GENS MEA PELIGNI] Vide Prodidagmata. Vnde, *Peligna gentis gloria dicar ego.* 3. Amor. 15. Auget laudem Tomitarum à comparatione.

REGIOQVE DOMESTICA SVLMO] Ager Sulmonensis est mihi domesticus, Sulmone siquidem oriundus sum, seu, domo sum Sulmonensis. Peligni diuidebantur in 3. regiones, in

C Corfinienses, Superæquanos, Sulmonenses. Iure itaque domesticam regionem vocauit, quia ibi natus. 2. Amor.

Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris,
Parua, sed irriguis ora salubris aquis.

NON POTVIT NOST. LEN. ESSE MALIS] non potuit humanius me miserum habere.

QVEM VIX INCOLVMI, SALVOQVE DAR.] Alia laus eorum, à munificentia in remissione pensionis. Quantum fælici cuipiam nunquam impertiretis honorem.

IS DATVS A VOB. E. MIHI NVP.] quod magnum est beneuolentiæ singularis argumentum.

HONOS] sic lego, concinnius quàm *honor.*

D Scriptura vetus est labos, vapos, clamos, amos, odos, &c. Sic Valesij, Fusij pro Valerij. Furij. Ex illis prioribus præter honos, arbos, cætera ferè exoleuerunt.

SOLVS ADHVC EGO. S. VEST. IMMVN. IN ORIS] Ante me peregrino, & aduenæ nulli concessa est à vobis immunitas. Eleg. 9.

Nec mihi credideris, extant decreta, quibus nos
Laudat, & immunes publica cera facit.

EXCEPTIS SI QVI. M. LEG. HAB.] Exceptis iis peregrinis, qui immunitatem, legum Romanatum beneficio consecuti sunt.

TEMP. SACRATA. M. S. VEL. CORONA] spectat hoc etiam ad laudem munificentiæ, & liberalitatis Tomitarum, quod corona eum, vt sum-

mum poëtam, induerunt. Vide dicta in eleg.6. lib.1.Trist.& Ciofani Obseruat.in eandem.*Sacrata*.quia poëtæ sacri, Apollini puta, & Musis, eorúmque studium sacrum.

PVBLICVS INVITO. Q.FAVOR IMPOS.] Publicus consensus ad me honorandum. Sed cur inuito? Quia tempori non conueniebat. Eleg.6. lib.1.Trist.

Si quis habes nostri similes in imagine vultus,
Deme meis ederas Bacchica serta comis.
Ista decent lætos fælicia signa poëtas:
Temporibus non est apta corona meis.

QVAM GRATA. E. LATONÆ DEL. TELLVS]Insula Delos. Figmentum hoc est. Cum Latonam Iuno ex Ioue grauidam sensisset, illam cælo depulit, iussitque Pythonem draconem illam persequi. Deinde coacta est terra vniuersa iurare (præter Delum) parienti locum non daturam. Delus enim, vt instabilis, per illud tempus sub vndis forte delitebat, quæ sub tempus partus iussa est à Neptuno consistere. & parienti se præbere. Lucian. dialogo Iridis.& Neptuni. Pe- A perit autem ibi Apollinem, & Dianam, vnde Callimachus ἀπόλλωνος κουροτρόφον terram Apollinis altricem nominat. & de eadem, ἐν φοῖβον ἀοιδάων μεδέοντα λοῦσέ τε, καὶ ἐσπείρωσε Phœbum cantus præsidem abluit, & fasciis inuoluit. Lege in eandem hymnum quartum.

TAM MIHI CHARA TOMVS] Quis hoc credat, qui libros hosce. & de Tristibus legerit? quà de ipsis incolis, inquam, loquitur.

TEMPVS AD HOC]laus à constantia in benefacto.

PLACIDÆ SPE M.P.HAB.PACIS,&c.]Repetit duo incommoda, hostiles incursus, & frigora, propter quæ sibi graue sit illic exulare.

A GELIDO.A.&c.]parte cæli summè frigida. Ego vero Ouidium etiam his duobus malis absentibus in patriam multò libentius rediturum fuisse opinor, & Pelignorum suorum, quam Tomitarum humanitate perfrui.

(:)



ELEGIA DECIMAQVINTA.

Ad Sex. Pompeium.

MERITOR. AGNITIO, ET MEMORIA PERENNIS.

ARGVMENTVM.

ET Cæsaribus vitam se, & illi salutem in acceptis referre, cuius extent in se merita innumera. Se totum esse ipsius. Optat, vt possit sibi, quà de commodiore exilio, gratum facere, monetque, vt super ea re Cæsares appellet. Nec diffidere id facturum: volentem nihilominus incitare. Nolle quidem semper idem rogitare: sed cupiditati suę non posse imperare. Quod si etiam in illa barbaria sibi moriendum sit, semper tamen eius beneficiorum memoriam conseruaturum, eaque palam inter Getas prædicaturum: & totum orbem ex scriptis suis fortasse cogniturum, se Sex. Pompeio multis nominibus fuisse obstrictissimum.

Si quis adhuc vsquam nostri non immemor extat,
Quid ue relegatus Naso, requirat, agam,

Cæsari-

Cæsaribus vitam, Sexto debere salutem
Nesciat: à superis hic mihi primus erit.
Tempora nam miseræ complectar vt omnia vitæ,
A meritis eius pars mihi nulla vacat:
Quæ numero tot sunt, quot in horto fertilis arui
Punica sub lento cortice grana rubent:
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.
Confiteor, testere licet, signate Quirites:
Nil opus est legum viribus, ipse loquor.
Inter opes, & rem paruam, me pone paternas:
Pars ego sum census quantulacunq; tui.
Quàm tua Trinacria est, regnataq; terra Philippo,
Quàm domus Augusto continuata foro:
Quàm tua rus oculis domini Campania gratum,
Quæ relicta tibi Sexte, vel empta tenes:
Tam tuus en ego sum: cuius te munere tristi
Non potes in Ponto dicere habere nihil.
Atq; vtinam possis, & detur amicius aruum,
Remq; tuam ponas in meliore loco.
Quod quoniam in Diis est, tenta lenire precando
Numina, perpetua quæ pietate colis.
Erroris nam tu, vix est discernere, nostri
Sis argumentum maius, an auxilium.
Nec dubitans oro, sed flumine sæpe secundo
Augetur remis cursus euntis aquæ.
Et pudet, & metuo semperq; eademq; precari,
Ne subeant animo tædia iusta tuo.
Verùm quid faciam? RES IMMODERATA CVPIDO EST:
Da veniam vitio mitis amice meo.
Scribere sæpe aliud cupiens, delabor eodem,
Ipsa locum per se littera nostra rogat.
Seu tamen effectus habitura est gratia, seu me
Dura iubet gelido Parca sub axe mori:
Semper inoblita repetam tua munera mente:
Et mea me tellus audiet esse tuum.
Audiet, & cælo posita est quæcunq; sub vllo,
Transit nostra feros si modò Musa Getas.
Teq; meæ causam seruatoremq; salutis,
Meq; tuum libra norit & ære magis.

COMMENTARIVS.

SI QVIS ADHVC VSQVAM N. NON. IMMEM.] Eleg.10.lib.3.Trist, *Si quis adhuc istic meminit Nasonis adempti.*

QVIDVE RELEG. NASO REQ. AGAM.] Eleg.1.lib.1. *Si quis qui quid agam forte requiret erit.* Relegatum ab exule distinguit alibi. *Ipse relegati non exulis vtitur in me Nomine*, in edicto suo videlicet contra me Augustus, vt est 2. Trist. *Quippe relegatus, non exul dicor in ille.*

SEXTO DEBERE SALVTEM] Tamen & huic vitam se debere confitetur eleg. 1.

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.

Sed vitam aliter Cæsaribus, aliter huic debet. Illis, quia non est occidi iussus: huic, quia ab eo sota, sustentata, atque etiam defensa fuit. Vide eleg.1. & 5.

A SVPERIS HIC. M. PRIM. ERIT] Hunc colam secundùm deos, Cæsares intellige. Non enim Cæsaribus præferet, vt à Ioue, & superis secundum colat.

TEMP. NAM MIS. C. VT. O VITÆ] Non omnes gradus, & tempora vitæ, sed omne tempus miseræ vitæ, quam exul vixi.

A MERITIS EIVS. P. MIHI. N. VACAT] perpetuò, ac semper de me optimè est meritus. Nunquam intermisit afficere me beneficiis.

QVÆ NVM. TOT SVNT, QVOT, &c.] Antiquum obtinet, & exprimenda infiniti numeri varietate lasciuit. Nec quisquam ideo melius facit.

QVOT PVNICA SVB LENT. CORT. GRANA] quot sunt grana in malo punico. Reuocant mihi grana ista in memoriam, quod scriptum reliquit in apophthegmatis Plutarchus. Darius rex Persarum aperto grandi malo punico, interrogatus, cuius rei tantam sibi optaret multitudinem, quanta esset granorum eius mali, respondit Zopyrorum, qui erat amicus regis, & vir bonus, qui se ipsum naribus, & auribus mutilauerat, vt ea fraude Babyloniis, ad quos simulate transfugerat, deceptis, vrbem in potestatem regis adduceret, quod factum est.

AFRICA QVOT SEGETES] Africa frumento abundantissima. Horat. Ode 1.lib.1.

Illum si proprie condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis.

Et sat.3.lib.2. *Frumenti quantum metit Africa.*

QVOT TMOLIA TERRA RACEM.] Lydia. Tmolus enim mons Lydiæ. Vineta Tmoli & Virgil.2. Georg. nominat.

QVOT SICYON BACCAS] Vrbs Achaiæ est, oliuarum prouentu nobilis. In ea vrbe elegantes & delicati calcei. & mulieribus quam viris aptiores conficiebantur. Vnde Hesychius *σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα*. Meminit Cic.1.de Orat. Vide prouerb. calcei Sicyonij.

QVOT PARIT HYBLA FAVOS] propter apum copiam, quas thymi illic affatim prouenientis copia pascit.

TESTERE LICET] Conde testamentum, & de me statue tanquam de re, & peculio tuo.

SIGNATE QVIRITES] Cum tabulas, testationesue consignare permittebant, vel rogabant, his vtebantur verbis ad amicos, & nonnunquam Iureconsultos, quos adhibebant: signa, signate, signent licet. Id confirmatur hoc versu Ouidij, & illis lib.3.eleg.2.

Sint hi contenti venia, signentque, licebit
Purgari factum me quoque teste suum.

Martial. lib.9.

Zenus seruulus est mihi paternus.
Signa, cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meum anulus lagenam.

Brissonius Formular.lib.6.

NIL OPEST. LEG. VIRIB. IPSE LOQ.] Quod legibus debebam, ipse me debere confiteor vltro, & sine testibus.

INTER OPES ET ME. R. P. PONE PATER.] Numera me quoque, licet rem exiguam, in patrimonio tuo.

PARS EGO SVM CENS. QVANT. TVI] Potes me quoque, vt alias res tuas, in censum deferre, etsi præ aliis diuitiis tuis ego pæne nihil sum. Eleg.1. sic se illius esse dicit, vt opus est artificis sui. Et eleg.5. vt meritis eius gratiam referat, iurat, se in omne tempus illi in mancipio fore.

QVAM TVA TRINACRIA EST] Siciliæ, & Macedoniæ patronus fuit hic Pompeius. Trinacria à tribus promontoriis dicta. Pachino, Peloro, Lilybæo, vt aliâs dictum. Rus aliquod, seu oppidum Siciliæ intellige.

REGNATAQVE TERRA PHILIPPO] Macedoniæ rex Philippus, Alex. M. pater. Virgil. 3. AEneid. de Thracia *acri quondam regnata Lycurgo.* Horat. Ode 6. lib. 2. *& regnata petam Laconi Rura Phalanto.* Similiter hîc Pompeium possessiones in Macedonia habuisse puta.

QVAM DOM. AVG. CONTIN. FORO] Domus Pompeij, adhærens foro Augusti. Eleg.5. ad elegos.

Protinus inde domus vobis Pompeia petatur,
Non est Augusto iunctior vlla foro.

QVAM TVA RVS OCVL. D. CAMP. GRAT.] Tua Campania rus gratum oculis. Campaniæ laudes exsequitur Florus lib.1.cap.16. Plin.cap.5. lib.3. Solin.cap.8. Strabo lib.5. Eutrop.lib.1.ca.2.

Silius lib. 8. Leander in descriptione Italiæ, Andreas Sehottus in Itinerario.

QVÆQVE RELICTA TIBI] bona relicta à patre, vt hæredi.

TAM TVVS EN EGO SVM] Profitetur se illius peculiarem, & proprium modis omnibus, quibus aliquid alienius esse potest.

MVNERE TRISTI] Exul semet alicui totum donans, triste munus donat.

NON POTES IN PONT. D. HAB. NIHIL] *Hoc aliquid nihil est*, ait Terentius And. Tamen voluntas, & pius affectus, & amor, & meritorum perpetua recordatio haud nihil sunt. Nec enim omnia commodis, & solatiis nostris metienda sunt.

ATQVE VTINAM POSSIS] subaudi efficere, consequi.

VT DETVR AMICIVS ARVVM] tutius, securius à prædonibus, & hostium violentia.

REMQVE TVAM. P. IN. M. LOCO] in exilio mitiore, seu Romæ propinquiore, in quo tanto magis tibi elaborandum, quod pro re tua elaborabis.

QVONIAM IN DIIS EST] in deorum, in Cæsarum manu est. Homer. *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται* in genibus deorum situm est.

TENTA LENIRE PRECANDO NVM.] Deos istos lenibus precibus aggredere.

PERPET. QVÆ. P. COLIS] quibus es addictissimus semper.

ERRORIS. N. TV VIX. E. DECER. &c.] Contendit, eum meritò caussam suam agere debere, cum ipse in errore illo cantatissimo vel suasor, vel adiutor fuerit. Quomodo ergo error, si quidem acta consilio res est?

NEC DVBITANS ORO] de fide, & voluntate tua. Quid ergo?

SED FLVM. S. SECVND. &c.] adinuo cursum nanis remigio, vt celerius labatur. Allegoria.

ET PVDET, ET METVO, SEMPERQVE, &c.] exilium remissius; nihil enim frequentius orat.

NE SVBEANT. A. TÆD. IVSTA TVO] vt subierunt illorum animis, de quibus eleg. 9. lib. 3. *Quod sit in his eadem sententia, Bruto, libello, &c.*

RES IMMODERATA CVPIDO] Cupiditas difficile frænatur, cuius natura, modum non tenere.

DA VEN. VITIO MEO] Quidquid immoderatum est, vitiosum est. Ergo & cupiditas, cui & proinde venia meritò petitur.

SCRIBERE SÆPE ALIVD CVP. &c.] calamus aberrat à mente, & per se exilij mutationem rogat.

SEV TAMEN EFFECT. HABIT. E. GRATIA] seu quid impetrabis gratia, qua vales apud Cæsares.

SEV ME DVRA IVBET GEL. &c.] seu fatale mihi est, in hac ora frigidissima finire spiritum.

SEMPER INOBLIT. REPET. T. CARM. M.] Eleg. 5. *Nam prius vmbrosa carituros arbore montes, &c.*

ET MEA ME TELL. AVD. E. TVVM] præ me feram, & dicam, & testabor hic apud barbaros, me tuum esse, obligatum scilicet tibi meritis maximis, & innumerabilibus.

CÆLO POSITA QVÆCVNQVE SVB VLLO] Virgil. 1. AEneid. *Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris iactemur.*

TRANSIT NOST. FER. SI. M. MVSA GET.] *si modo trans ego tellurem, trans altas audior vndas*, vt est eleg. 9. lib. 4. Trist.

TEQVE MEÆ CAVSS. SERVAT. SALVT.] eo modo, quo dictum est eleg. 1. & 5.

MEQVE TVVM LIB. NORIT, ET ÆRE MIN.] Mendum est, nisi pro *minus* legas *magis*. Sententia videtur hæc. Faxo, vt quæcunque tellus sub cælo vllo posita, seruatorem meum cognoscat, & me tuum magis, quam si per æs, & libram emptus à te sim. De hoc genere venditionis, seu mancipationis dictum supra.





ELEGIA DECIMASEXTA.

In inuidum.

POETAS POST MORTEM MAGIS VIVERE.

ARGVMENTVM.

INuidum hunc frustra oblatrare versibus suis. Mortem nihil obesse ingeniis, quorum gloria post fata demum crescat. Plurimos sui temporis poëtas cum eorum monumētis recenset, quæ illis vita defectis vulgo lectitentur. Esse quosdam iuuenes ingenio excellentes, qui, quoniam adhuc nihil ediderunt, non sibi nominandos, præter vnum Cottam & oratoria, & poëtica facultate, & tam materna, quam paterna nobilitate illustrem. Se quoque haud indignum, qui cum aliis legatur. Ne exuli maledicere perseueret. Omnia se præter vitam amisisse, vt mala sua sentire posset, eumq́ue vulnerare corpus mortuum, & in quo plagis nouus non sit relictus locus.

Inuide, quid laceras Nasonis carmina rapti?
NON SOLET INGENIIS SVMMA NOCERE DIES.
FAMAQVE POST CINERES MAIOR VENIT: *& mihi nomen*
Tunc quoque, cum viuis annumerarer, erat.
Cùm foret & Marsus, magniq́; Rabirius oris,
Iliacusq́; Macer, sidereusq́; Pedo.
Et, qui Iunonem læsisset in Hercule, Carus,
Iunonis si iam non gener ille foret.
Quique dedit Latio carmen regale Seuerus,
Et cum subtili Priscus vterq; Numa.
Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.
Et qui Penelopæ rescribere iussit Vlyssem,
Errantem sæuo per duo lustra mari.
Quique suam Trœzen, imperfectumq́; dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus:

Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium ducit in arua senem.
Quique canit domito Camerinus ab Hectore Troiam,
Quique sua nomen Phyllide Thuscus habet.
Veliuolique maris vates, cui credere posses
Carmina caeruleos composuisse deos:
Quique acies Libycas, Romanaque praelia dixit:
Et Marius scripti dexter in omne genus.
Trinacriusque suae Perseidos auctor & actor,
Tantalidae reducis, Tyndaridosque Lupus.
Et qui Maeoniden Phaeacida vertit, & vna
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.
Musaque Turani tragicis innixa cothurnis,
Et tua cum socco Musa Melisse leuis.
Cùm Varius, Gracchusque darent fera dicta tyranni,
Callimachi Proculus molle teneret iter:
Tityrus antiquas & erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret.
Naiadas à Satyris caneret Fontanus amatas:
Clauderet imparibus verba Capella modis:
Cumque forent alij, quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora est, carmina vulgus habet:
Essent & iuuenes, quorum, quòd inedita causa est,
Appellandorum nil mihi iuris adest:
Te tamen in turba non ausim, Cotta, silere,
Pieridum numen, praesidiumque fori.
Maternos Cottas cui, Messallasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.
Dicere si fas est, claro mea nomine Musa,
Atque inter tantos, quae legeretur, erat.
Ergo summotum patria proscindere liuor
Desine, neu cineres sparge cruente meos.
Omnia perdidimus: tantummodò vita relicta est,
Praebeat vt sensum materiamque malis.
Quid iuuat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis iam noua plaga locum.



COMMENTARIVS.

*VID LACER. NAS. CARM. RAPTI?*] Rapi dicuntur qui moriuu-tur, immaturè præſertim. Vide in eleg. 10. lib. 1. Comment. *Quæ mihi de Celſo tua venit epiſtola rapto* Mortuus eſt Ouid. [illegible]. Tranſtulit ad exilium ſuum vocem hanc etiam Seneca, ſcribens ad Heluiam matrem ſic. Intra viceſimum diem, quam filium meum in manibus, & in oculis meis mortuum funerauetas, raptum me audiſti. *Laçeras* quoque tranſlatum à canibus, & beſtiis crudelioribus, tantùm mordete nou contentis. Cic. in Bruto. Obtrectatio inuidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſque. Philipp. 1. verborum coutumeliis aliquem lacerare. Paſsi ſunt boni poetæ etiam viui Zoilos ſnos, vt Virgil. Mæuium. & Bauium. Terentius L. Lauinium.

NON SOLET INGEN.S. NOCERE DIES] Dies extremus. vltimus, ſummus pro die mortis, vſitata ſunt. Martial. lib. 10. *Summum nec metuas diem, nec optes.* 1. Philipp. cuius diem ſupremum malim, quam L. Cinnæ dominatum. Metamorph. 3. *Sed ſcilicet vltima ſemper Exſpectanda dies homini eſt.* Præſtantibus igitur ingeniis omnium minimè nocet ſuprema dies, iuxta illud Propertij, *Ingenio ſtat ſine morte decus.* De ſemetipſo 1. Amor. eleg. 15.

Ergo etiam cum me ſupremus adusſerit ignis
Viuam: parsq́ mei magna ſuperſtes erit.

Tota deniq; elegia eſt de æterna poëtarum ſama, recenſenturq́; nobiliſsimi quique nominatim.

FAMAQVE POST CINERES MAIOR VEN.] Propert. eleg. 1. lib. 3.

At mihi quod viuo detraxerit inuida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honor, &c.
Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas,
Maius ab exequiis nomen in ora venit.

Miratur Martialis, viuis ſcilicet non contingere ſamam, lib. 5.

Eſſe quid hoc dicam, quod viuis fama negatur?
Et ſua quod rarus tempora lector habet?
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos ſemper vt iſta nouis.

Extremum diſtichon.

Vos tamen ô noſtri ne feſtinate libelli.
Si poſt fata venit gloria, non pereo.

Tamen viuo ſibi eam contigiſſe glotiam, quam pauci poſt obitum adipiſcuutur, ita exultat.

Cui lector ſtudioſe quod dediſti
Viuenti decus, atq́ ſentienti,
Rari poſt cineres habent poëtæ.

Bene de Pompeio Saturnino cauſidico Plin. ep. 16. lib. 1. neque enim debet operibus eius obeſſe quod viuit. An ſi inter eos, quos nunquam vidimus floruiſſet, non ſolum libros eius, verum etiam imagines conquiteremus, eiuſdem nunc honos præſentis, & gratia quaſi ſatietate langueſcet? At hoc prauum, malignum eſt, non admitari hominem admitatione digniſsimum, quia videre, alloqui, audire, complecti: nec laudare tantum, verum etiam amare contigit. Idem lib. 6. ep. 21. Sum ex iis qui miret antiquos, non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa, & effœta eſt natura, vt nihil iam laudabile pariat, &c. Ariſtides orat. de Rhetor. Qui pulcherrime decertarit, hic coronandus, & primo victor proclamandus, tametſi poſtremus in arenam deſcenderit.

ET MIHI NOMEN TVM QVOQVE, &c.] Quid? annon viuit nunc? non viuit quo ipſe vult modo; ſed mortuus eſt quodammodo. Eleg. 10. lib. 4. Triſt.

Vtq́ ego maiores, ſic me coluere minores.
Notaq́ non tardè facta Thalia mea eſt.
Nam tulerint magnos cum ſæcula noſtra poëtas,
Non fuit ingenio fama maligna meo.

CVM FORET ET MARSVS] Inter egregios poëtas habebar, & tam probabantur verſus mei quam illorum. Catalogus hic poëtarum perſimilis eſt illi, quem habuimus in extremo ſecundo Triſt. niſi quod illic enumerantur poëtæ, qui minus pudica ſcripſerunt, nec pœnam incurrerunt: hic poëtæ ſimpliciter, & ſui ſæculi, inter quos ſuum quoque nomen claruiſſe affirmat. In vtroque admirabilis eſt Ouidij memoria, qui non ſolum tot nominum, ſed etiam tam variorum argumentorum meminiſſe potuerit. Domitius Marſus laudem meruit ex epigrammatis. Scripſit item Herculis expeditionem contra Amazonas, appellauitq́; opus Amazonidem. Cæteta Crinitus lib. 3. de poëtis latinis cap. 48. & Gyrald. dial. 10. de hiſt. Poët.

MAGNIQVE RABIRIVS ORIS] C. Rabirius à Quintiliano inter Epicos ponitur. Seneca de eodem. Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam exclamare, cum fortunam ſuam ad alios tranſeuntem videt. *Hoc habui quodcunque dedi.* Cum magni oris eum vocat Ouid. granditatem eius, heroicoq́ue carmini aptam, ac propriam grauitatem commendat. Alius Rabirius fuit ſatyrographus: aut forſitan idẽ, quid enim vetat? Vide Crinit. cap. 53. Gyrald. dialog. 4. Permirum eſt, Velleium lib. 2. Rabirium adiungere Virgilio, appellareq́ue ambos principes carminum, quomodo ex veteri editione liquere autumat Lipſius. Aut hoc amicitiæ dedit: aut alia de cauſſa nimia magnifice de illo prædicare voluit. Quintilian. tantum non indignum cognitione cenſet.

ILIA-

ILIACVSQVE MACER] AEmilius Macer cum Ouidio Asiam, & Siciliam lustrauit. Eleg. 10. lib. 3. ad eundem.

Te duce magnificas Asiæ perspeximus vrbes,
Trinacris est oculis te duce visa meis.

Scripsit de bello Troiano, seu potius belli Troiani Paralipomena, testante hoc idem Ouidio eadem elegia.

Tu canis æterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.

Et lib. 2. Amor. eleg 18.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen,
Primaq; iuratis induis arma viris,
Nos, Macer, ignaua Veneris cessamus in vmbra.

Scripsit item de auibus, serpentibus, & herbis, quod narrat lib. 4. Trist. eleg. 10.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; necet serpens, quæ iuuet herba Macer.

Commendatur à Fabio. Crinit. cap. 52. Gyrald. dialog. 4. Cur autem *Iliacus*, patet ex iam dictis, de historia belli Troiani videlicet.

SIDEREVSQVE PEDO] C. Pedo Albinouanus. Laudatur eleg. 10. ad ipsum scripta. De Theseo fecit poëma. Crinit. 64. Verisimile est de astris quoque scripsisse, & ideo sidereum nominari. Gyrald. dial. 4. sic appellatum credit, quia sublimis, & altiloquus fuerit, quod non placet.

ET QVI IVNON. &c. CARVS] De hoc nihil Crinitus. Apparet poëma fecisse de Hercule, in quo Iunonem illi, vt ex Alcmena pellice sua narto, semper infestam perstrinxerit. Magister fuit C. & Drusi Cæsarum. Vide eleg. 13.

IVNON. SI NON IAM G. ILLE F.] Placata est illi iam in cælum translato; nec recusauit Heben filiam suam eidem vxorem dare. De his nuptiis Homer. Odyss. 11. & in hymnis. Poëta vetus apud Hephestion. de Hercule. χαῖρ ἄναξ ὑπέρ ζα θέας μάκαρ ἧκε. Catull. ad Mallium.

Pluribus vt cæli tereretur ianua diuis,
Hebe nec longa virginitate foret.

QVIQVE DED. LAT. CAR. REG. SEVER] Cornelius Seuerus poëta Epicus, diu versatus in declamationibus cum Asinio Pollione, Pompeio Silone, & aliis. Quintillan. meliorem versificatorem, quam poëtam fuisse habitum tradit. Fidem tamen meretur Ouid. eius carmen regale vocans. Inter alia opus reliquit de bello Siculo, quod morte impeditus non absoluit. Extant illius carmina, quo necem M. Tullij eleganter defleuit. Eius item est poëma de AEtna, quo laudem non vulgarem est consecutus. Plura Crinit. cap. 57.

ET CVM SVBTILI PRICVS. VT. NVMA] De duobus Priscis, & Numa nihil à Crinito. Gyrald. dial. 4. notat, malè à Grammaticis hîc intelligi opus confectum de Numa II. Romanorum rege.

QVIQVE VEL IMPARIB. NVM. MONTANE] Iulius Montanus ingenium suum prius declamando exercuit. Ab vrbanitate, & lepore

A commendatus fuit. Scripsit versus elegiacos, & hexametros, vt hîc testatur Ouidius. Reprehensę sunt eius repetitiones. Aliquot hexametri illius de ortu solis referuntur à Crinito cap. 49. Vide Gyrald. dial. 4. verba Senecæ de eodem ex epistola recitantem. Lipsius Comment. in 4. Annal. Taciti hunc esse illum autumat, de quo Tacitus. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenij viro cognitio, &c. quem inter oratores insignes nominat Seneca Declamator lib. 5. Controuers. 7. & præfat. lib. 9.

VEL ÆQVIS] quia omnes totidem constant pedibus, sex nimirum.

GEMINO CARMINE] elegiacus poëta es, & heroicus.

B *ET QVI PENELOPRE. IVSSIT VLYSS*] Claudius Sabinus primùm caussas declamauit. Scripsit de bello Troiano, & epistolas aliquot. Immatura ætate decessit. Crinit. cap. 62. Prima epistola inter heroidum epistolas, quarum auctor (etsi non omnium) Ouidius, est Penelopes ad Vlyssem. Cui respondet Vlysses. *Pertulit ad miserum tandem tua casus Vlyssem. &c.* Quæ, sicut Demophoontis ad Phyllidem, Paridis ad OEnonem ad quendam Aulum Sabinum refertur. In cuius nomine an erretur, & num hæc Vlyssea epistola germana veteris illius Clodij Sabini sit, alij viderint.

ERRANTEM SÆVO. P. DVO LVST. M.] Annis decem nauigauit, vel potius variis casibus
C iactatus est terra marique, antequam domum in Ithacam reueniret.

QVIQVE SVAM TROEZEN] Oppidum est Peloponnesi, Thesei patria. Trœzenij Atheniensium socij. Cic. 3. Off. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerunt, vt vrbe relicta, coniugibusque & liberis Trœzene depositis, naues conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent. AEmilius Probus, seu Cornelius Nepos in Themistocle. Tali consilio probato addunt ad superiores totidem naues triremes, suaque omnia quæ moueri poterant, partim Salaminem, partim Trœzenem asportant: arcem sacerdotibus, paucisque maioribus natu, ac sacra procuranda tra-
D dunt, reliquum oppidum relinquunt. Opus inscripsit hic poëta Trœzenia. Alij legunt, *Quique suam Trisenen*, vt sit amasiæ nomen.

IMPERFECTVMQVE DIER. OPVS RELIQ.] annalium, vel dierum, quales descripsit Hesiodus.

INGENIIQVE SVI. D. COGNOM. LARGVS] ingenio, seu vena, & nomine largus. Et de hoc tacet Crinitus.

GALLICA QVI PHRYG. D. IN ARVA SEN.] De Antenore accipiunt, qui Troia veniens, apud Euganeos Patauium condidit. Gallica arua sunt Galliæ Cisalpinæ arua, quæ hodie Lombardia, seu Insubria.

QVIQVE CANIT DOMIT. CAMERIN &c.] Etiam hic, vt Macer, conſcripſit, quæ poſt interſectum Hectorem ſecnta ſuut, de vrbe capta uimirum, & diſceſſu Græcorum, *παραλειπόμενα*.

QVIQVE SVA NOM. PHYLLID. &c.] Qui habet nomen, & laudem à ſua Phyllide poëmate, ſeu amica illa fuerit, ſeu regina Thraciæ, cuins eſt epiſtola ad Demophoontem.

VELIVOLIQVE MARIS VATES] Nihil de hoc proditum. Hoc epitheton mari dederunt ante Virgil. Accius, Ennius, Lucretius: quorum medius & naues veliuolas appellauit. Sed naues veliuolæ, quia velis tanquam alis volant: mare autem veliuolum, quia per id velis volatur.

CVI CRED. POSS. CARM. CÆRVL. &c.] Adeo bene tractat argumentum de mari, vt ipſi dij marini ſcripſiſſe videantur. Cærulei dij, à colore maris.

QVIQVE ACIES LIBYCAS, ROMAN. &c.] Qui perſecutus eſt bellum Punicum. An primũ, an ſecundum, an tertium?

ET MARIVS SCRIPTI DEXTER, &c.] In omne genus & ſolutæ, & ligatæ ſcriptionis, an in omne genus poëticæ ſcriptionis?

TRINACRIVSQVE SVÆ PERSEID. &c.] Lupus poëta Siculus ſcripſit, & docuit ſabulam de Perſeo.

TANTALIDÆ RED. TYNDAR. &c.] Scripſit & reditum è bello Troiano Menelai, Tantali abnepotis. Tantalus quippe pater Pelopis, Pelops Atrei, Atreus Agamemnonis, & Menelai. Helena filia Ledæ, & Tyndari, vt putabatur: re autem vera Iouis. Reditum, inquam, Menelai cum vxore Helena, vrbe expugnata, & diruta.

ET QVI MÆONIDÆ PHÆACIDA VERTIT] Fortaſsis Tuticanum intelligit, de quo eleg. 12.

Dignum Mæoniis Phæacida condere chartis
Cum te Pierides perdocuere deæ.

PINDARICÆ FID. TV. Q. RVFE LYRÆ] Horat. de ſe Ode 3. lib. 4. *Quod monſtror digito prætereuntium Romanæ fidicen lyræ.* Rufus poëta fuit lyricus. Et quia excellit inter lyricos Pindarus, vocat fidicinem Pindaricæ lyræ. Aut ideo Pindaricę lyræ, quod Pindarũ æmularetur, genere verſus ſcilicet, grauitate, ac ſententiarũ pondere. Quem tamen idem Horatius teſtificatur eſſe inimitabilem, eiuſdem lib. Ode 2. Aut idem dicitur fidicen Pindaricæ lyræ, vt vult Gyrald. quia Pindarum in latinum conuertit.

MVSAQVE TVRANI TRAG. &c.] Tragicus poëta fuit. Cothurnorum vſus in tragœdia, ſicut ſoccorum in comœdia. Horat. ad Piſones.

Indignatur enim priuatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Idem de iambo loquens. *Hunc ſocci cepere pedem, grandeſq́; cothurni.*

ET TVA CVM SOCCO MVSA MELISSE] C. Meliſſus poëta Comicus, quomodo Mæcenati muneri datus, quam ei gratus fuerit, & alia demum, Gyrald. dial. 8. Muſa cum ſocco eſt comœdia. Immò abſolute ſoccus, ſicut tragœdia Cothurnus. Horat. ad Piſon. de pede iambo. *Hunc ſocci cepere pedem, grandeſq́; Cothurni.* 2. Triſt.

MVSA LEVIS] Contrà. *Omne genus ſcripti grauitate tragœdia vincit.*

CVM VARVS, GRACHVSQVE. D. F. D. TYRANNI] Num loquitur de L. Varo, qui cum Photio Tucca Auguſti iuſſu AEneid. Virgilij, poſt eius mortem emendauit, & ab eo inter hæredes ſcriptus eſt? Varius fuit poëta, ipſo Virgilio antiquior.

CALLIMACHI PROCVL. M. TITER] Callimachum elegiographum imitatur Proculus. *Molle iter*, quia leues elegi, & faciles.

TITYRVS ANTIQ. ET ERAT. Q. PAS. HERB.] Aliquem bucolicum poëtam intelligamus, ante quem Virgilius herbas ſuis capellis, & ouibus depaſtus erat.

APTAQVE VEN. GRATIVS. AR. DARET] Extant Gratij de venatione, vt item Nemeſiani. Confert hos duos inter ſe Scalig. Hypercrit. cap. 7.

NAIADAS A SATYR. CAN. FONTANVS. A.] Fluuiorum præſides Nymphæ dictæ ſunt Naiades, quia fluuij continenter fluerent: *νάειν* enim eſt fluere. Sed hîc pro terreſtribus nymphis accipiendæ, quando eas à Satyris, quæ ſunt ruſtica, & ſylueſtria numina, amari affirmat; pro dryadibus, napæis, aut oreadibus videlicet. Sic Virgil. eclog. 2.

———*tibi lilia plenis*
Ecce ferunt nymphæ calathis. Tibi candida Naïs
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florem iungit bene olentis anethi.

CLAVD. IMPARIB. V. CAPELL. MOD.] Cic. pro Archia vocat alternos verſus longos. Horat. ad Piſon. impariter iunctos.

QVORVM MIHI. C. REF. NOM. &c.] Nominare omnes, nimis longum ſit.

CARMINA VVLGVS HAB.] eorum ſcripta vulgi manibus teruntur.

QVOD INEDITA CAVSSA EST] quorum nomina prodere, quia ipſorum libri nondum ſunt euulgati.

NIL MIHI IVRIS ADEST] non mihi fas eſt, ne adulari videar, & ſine argumento contendere.

IN TVRBA] multos alios adhuc ſupereſſe ſignificat, carminibus deditos, quos nominare poſſet. Vnde ætatem illam Romæ magnum poëtarum prouentum attuliſſe perſpicimus.

TE COTTA] vt inter eos facilè præcipuum. Hunc illum eſſe Cottam opinor, ad quem eſt eleg. 5. lib. 3. vbi vt præclarus actor, & bonus poëta laudatur.

Legimus, ô iuuenis patrij non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diſerta foro.

Et infra.

Dic tamen, ô iuuenis, studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei, &c.

PIERIDVM LVMEN] Musarum, & poëseos quoddam sidus, & maximum ornamentum. De claris viris μεταφορικῶς, vt hîc. Cic. pro Milone. Delegit ex iudicibus ipsa lumina. Et de Prouin. Consular. Intueor coram hæc lumina, atque ornamenta reipub.

PRÆSID.FORI] Qui in reis defendendis valeat plurimum. Horat. Ode 1. lib. 2. de Asinio Pollione. *Insigne mæstis præsidium reis.*

MATERNOS COTTAS CVI, MESSAL.&c.] cui maxima, & antiquissima nobilitas geminata, & duplicata dedit Cottas, & Messallas, illos auos maternos, hos paternos. Qui ab vtrisque auis es nobilissimus.

DICERE SI FAS EST] Absit verbo inuidia. Quod aliorum pace dixerim. Eleg. 8. *Dij quoq, carminibus, si fas est dicere, fiunt.* Cic. 5. Tuscul. si hoc dictu fas est.

CLARO MEA NOM. MVSA] carmen meum non contemnendum erat.

ATQVE INTER TANT. QVÆ LEGERETVR] quod inter tam eximios poëtas vulgus legeret. Immo inter illos legi supra ostensum est ex eius verbis. Loquitur autem de libris Trist. & Ponticis tanquam de libris iam mortui, vt illorum mortuorum.

ERGO SVMMOTVM PATRIA] ad vltimas oras relegatum.

PROSCIND. LIVOR DESINE] Tu, liuide, mordere, & rodere desine. Mortuis non est maledicendum. Sueton. Aug. cap. 13. hunc fœdissimo conuitio coram proscidерunt.

NEV CINERES SPARG. CRVENTE MEOS] quia raptus, ademptus, mortuus sum: hoc est, pro mortuo habendus sum. Iam vero cineres

A mortuorum sunt sacrosancti, & sepulchra inuiolabilia. Dido lib. 4. Aeneid.

Non ego cum Danaïs Troianam exscindere gentem
Aulide iuraui, classémue ad Pergama misi,
Nec patris Anchisæ cineres, manesue reuelli.

Vbi vide, si placet, quid attulerim. Est igitur hominum immanissimorum, reliquias, & cineres eorum, quos viuentes oderunt, dispergere, & iis sepulturam inuidere. Sulla, vt est apud Valer. Max. 5. lib. 9. cap. 2. 5. millia Prænestinorum interficienda, protinusque per agros dispergenda curauit. Odium suum in cælites etiam declararunt hoc signo, qui cineres, & ossa eorum in flumina abiecerunt.

OMNIA PERDIDIMVS] Tamen in Trist. lib. ait. Cæsarem nihil sibi præter patriàm ademisse. Sed in hoc illi sunt omnia.

PRÆBEAT VT SENSVM, MATER. MALIS] Vita relicta est mihi non ad gaudium, sed
B ad sensum malorum. Mortuus enim verè, & anima cassus non sentirem, quæ sentio. Ergo vita magis est oneri, quam voluptati, & mors in optatis potius.

QVID IVVAT EXT. FERRVM, &c.] Tu obtrectationibus tuis, dum me contumeliis laceras, quasi cadauer vulneribus configis. Omnino hoc carmen olet, quod narrat Homerus Iliad. χ Græcos Hectorem ab Achille interemptum circumstetisse, exanimi insultasse, & certatim ei vulnera infixisse. Item prouerbia, ingulare mortuos, luctari cum laruis.

NON HAB. IN NOB. I. N. P. LOCVM.] Ego acceptis à fortuna tot vulneribus iam antea plenus sum. Quare quam sis crudelis, considera.



FINIS LIBRORVM DE PONTO.

Laus DEO immortali sempiterna.



P. OVIDII NASONIS HORTVLI,

IN QVIBVS SENTENTIAE, ET PROVERBIA, EX EIVS QVOT MONIMENTIS EXCERPTA, ET IN LOCOS COMMVNES DIGESTA.

IN EADEM COMMENTARIVS.

STVDIO, ET OPERA IACOBI PONTANI DE SOCIETATE IESV.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

SENTENTIA Latinis ſcriptoribus eſt conſilium, argumẽtum, iudicium, opinio, decretum, ſuffragium, voluntas. Item quod Gręcis ἔννοια, quaſi ἐν τῷ νῷ quod in mente eſt, mens, ſenſus, ſiue ſenſa, cogitatum, barbaris conceptus. Hæc eius eſt vis in definitione rhetoricæ, cum, quid ſit bene dicere, explicatur: nempe, optimis verbis, ſententiisque lectiſſimis dicere. Et alibi ſæpenumero eadem illi notio. Eſt præterea, quam Græci γνώμην appellant: quo genere oratio ſiue libera, ſiue pedibus aſtricta tanquam luminibus, & gemmis diſtinguitur, & illuſtratur. IamQ Cornif ad Herennium lib. 4. eam definit in hunc modum. Eſt oratio ſumpta de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breuiter oſtendit. Vt Cic. 1. Off. Docti non ſolum viui, ac præſentes, ſtudioſos diſcendi erudiunt, atq; docent: ſed hoc idem etiam poſt mortem monimentis litterarum aſsequuntur. Et 2. de Orat. Omnis noſtra cura debet in hoc verſari ſemper, ſi poſſumus, vt boni aliquid efficiamus. Sin minus, vt certè nihil mali. Sententiarum iſtiuſmodi alia eſt ſimplex, vt quas nunc exempli cauſsa attulimus: alia ſubiectam continet rationem, qualis hæc 2. Off. Quis eſt, qui inopis, & optimi viri cauſsæ non anteponat in opera danda gratiam fortunati, & potentis? A quo enim expectatur, & celerius remuneratio fore videtur, in eum fere eſt voluntas noſtra propenſior. Rurſum, eſt quæ dupliciter effertur, & plerumque cum contrario, aut diſſimili, idque nihilominus bifariam; vel cum adiuncta ratione, vel abſque ratione. Poſterioris formæ exemplum hoc eſto. Non peccare, ſupra conditionem hominis eſt: at non grauiter peccare, paratam habet veniam. *Fatuus inriſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Eccleſ. 21. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Terent. Prioris hoc apud Cornif Qui adoleſcentum peccatis ignoſci putant oportere, falluntur: propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant: vt quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ętate maturiſſima velint comparare. Vt igitur paucis quæ dicta ſunt amplectamur, Sentẽtia eſt vel ſimplex, vel duplex, & vtrumque genus bipartitum, propter ratio-

nem additam, vel omissam scilicet. Vnde quadripartita species existit. Vide etiam de generibus sententiarum Quintil. lib. 8. cap. 5. & Aphthonij Progymnasmata. Similitudinem, quam Cornificius in exornationibus numerat, iis inquam, quæ à dicendi doctoribus τῆς διανοίας σχήματα nuncupantur, & eius quatuor modos recenset, atque ita definit; est oratio traducẽs ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile; quoniam crebrò gnomica est, ad primum genus reuocare licebit. Verbigratia. Quemadmodum lumen coruscum perstringit oculos: ita immodica fęlicitas hebetat mentem. Nonnunquam adiungi rationem nihil impedit. Similitudinis ideo hîc quoque memini, quoniam in ea perquam creber, & exercitatus est Ouidius: cuius γνῶμαι ad quam speciem ex dictis accommodandæ videantur, tu videbis. Quanquam te in hoc nimium diligentem, & curiosum esse non postulo, attendentem potius quid bene iubeat, aut vetet, commendet, aut vituperet, quàm quo sub genere, & quibus verbis id faciat. Interim nolim ignores, nos quædam illius ad ἐρωτικὰ arctata, aut alioqui ad rem vnam aliquam, & certam prolata, ad multo plura, quia id commodè poteramus, extendisse: quod & alij in talibus Florilegiis ante me fecerunt.

Veteres complectendis, tradendisq; religionis, ac morum præceptis, breuibus quibusdam dictis, & velut oraculis apud Hebræos, Græcos, Latinos valde delectatos palàm est. Penes omnes enim huiusmodi libelli reperiuntur. Et extiterunt postea viri virtutis amantes, qui ex sacris, non sacris, theologis, philosophis, oratoribus, poëtis, historicis tales quasi gemmulas, stellulas, flosculos collegerunt: quò expeditius, & compendiosius, & συνοπτικῶς quodammodo quid in toto vitæ decursu expetendum nobis, ac fugiendum esset intueri, ac discere valeremus. Vtriusque ordinis auctores, & gnomologos, puta, & gnomolegulos recensere operosum iudico. Ex poëtis sanè quidem sententiarum plus, quam ex quauis alia auctorum classe congestum arbitror: quæ propter numeros citius etiam multo memoria comprehenduntur, & iucundius vsurpantur. Græcos prætereo, Latinos vt multitudine carminum, sic sententiarum varietate, & copia citra dubitationem omnibus antecellit Ouidius: vt hinc quoq; eius ingenij præstantiam deprehendas. Non enim bardorum, ac stipitum est sententias loqui. Quare dum in eius libris magna ex parte Commentariis declarandis occuparemur, & tantas opes cuiusque modi eruditionis admiraremur, gnomas per omnia eiusdem volumina suauiter spirantes, in vnum opusculum, distributè, atque ordine quodam conferendi, & seorsum exponendi desiderio exarsimus. Sunt illæ quidem collectæ quondam in Florilegiis, Viridariis, Polyantheis, &c. verùm minore fortasse quam poterat cura, ac

diligen-

diligentia, nec tanto numero, nec ordinatè satis, & cum aliis cæterorũ poëtarum, quin & non poëtarum confusæ, ac permistæ, & propriis demum explicationibus destitutæ. Nunc in suo velut, ac proprio, & separato domicilio locatæ, & quasi per hortulos, & areolas odoramenta, & flosculi consiti nitebunt, & oculos prætereuntium aduertent magis; cum præsertim hoc Commentarij ornamentum, & adiumentum illis ab industria nostra accesserit. Collegi insuper, & cum sententiis copulaui prouerbiales poëtæ nostri versiculos, quibus abundat, quantumque ingenio præstiterit, peræquè vt illis aliis demonstrat. Etsi enim frequentissimè allegoria constant prouerbia, tamen & hæc sæpe γνωμικῶς, & illæ non rarò παροιμιακῶς efferuntur: vt difficile genus diiudices. Fatetur Parœmiographus ea esse in adagiis optima, quæ pariter & translationis figmento delectent, & sententiæ vtilitate prosint. Quo respicientes Græci, ita parœmiam definiuerunt: ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ ἐπικρύψει μετρίᾳ πολὺ τὸ χρήσιμον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, est sermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadam obscuritate multam in se vtilitatem continens. Donatus item, & Diomedes sic describunt, vt in omni prouerbio quoddam inuolucrum, & γνωμικὸν requirant. Quod tamen necesse non est, cum quam plurima sine horum altero inueniantur, id quod in medium adductis exemplis Erasmus confirmat: ac proinde melius, & ad totum genus, naturamque rei accommodatius sic definit. Est celebre dictum, scita quapiam nouitate insigne. Vt finem denique huic præfationi imponam, quantum tibi Naso ob amatorias leuitates, & ineptias antea displicuit: tantum nunc tot vtilissimis, salubetrimisque præceptionibus, consiliis, admonitionibus in fasciculos quodammodo collectis, & sub vnum velut obtutum propositis tibi placeat oro, quæsoq́;. Cuius si alibi despexisti, odistiq́; (nec immeritò) lasciuiam, ne hîc contemne grauitatem, & sapientiam, quam vniuersæ iuuentuti potissimùm, ceu speculum aliquod, & amussim porrectam, & oblatam volumus: tibique persuasissimum habeto, vnum hunc poëtam & obesse, & prodesse summopere, atque Achillæo more vti lædere, ita & sanare nosse. Vale, & fruere.



LOCORVM INDEX.

A.

I. Agricultura.

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est. 2.P.el.7.

VNo quodam nomine, & quidem vnius speciei, siue partis totum genus rusticationis includimus, quando cum M. Tullio 1. Off. agricultura omnium rerum, vnde aliquid exquiritur, non modò nihil melius, nihil vberius, liberoque homine dignius, verum etiam (quod rem propositam attingit proximè) nihil dulcius esse dicimus, id est, nullas reperiri oblectationes, & voluptates in vlla occupatione, studioque tantas, vt possint cum rusticantium oblectamentis, & iucunditatibus comparari. Partes agriculturæ Virgilio sunt quatuor, quarum prima in cultu aruorum, ad educendam segetem, & colligendam messem: altera in cura hortorum: tertia in tractatione pecoris: postrema in apum procuratione consumitur. Varroni tres, agricultura propriè dicta, pecuaria, villaticæ pastiones. Columellæ sex, agricultura, vineatica, pecuaria, pastio villatica, res hortensis, res arboraria. Cic. in Catone, quo loco agricolarum gaudia demonstrat, etiam quæ dicta sunt agriculturæ adiungit. Postquam enim de vitibus disseruit; nec verò segetibus solùm, inquit, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt: sed pomariis etiam, & hortis: tum pecudum pastu, & apum examinibus, tum florum omnium varietate. Nec consitiones modò delectant; sed etiam insitiones, quibus nihil inuenit agricola sollertius. Lege quæ sequuntur, ex quibus & quam latè pateat agricultura, & quantam vim delectationum habeat, cum illustribus exemplis perspicies.

Rura quoque oblectant animos, studiumq; colendi.
Qualibet huic cura cedere cura potest. 1.Rem.

Tria dicit. Agros, vineas, hortos, &c. ipso aspectu nos recreare, ipso labore culturæ, & perceptione fructuum delectare; & hunc laborem, hanc curam, hanc vitam denique magnitudine, & varietate delectationis omnia reliqua superare. Concinit Xenophon in Oeconom. κάλλιστον, καὶ ἄριστον, καὶ ἥδιστον γεωργία. Agricultura negotium pulcherrimum, & optimum, & suauissimum. Huc faciunt illæ laudes vitæ rusticæ Ode 2. Epod. & ep. 10. lib. 1. In tali negotio exultat & Tibull. lib. 1. eleg. 1. & diuites finit habere diuitias suas.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli.
Et paulò pòst:
Ipse seram teneras maturo tempore vites,
Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Et rursus, infrà:
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boues.
Non agnámue sinu pigeat, fœtumúe capellæ
Desertum oblita matre referre domum, &c.

Optat mirum in modum in exilio, & inter Scythas Ouid. noster, 1.P. eleg. 9. posse ad dolorem, & tristitiam leniendam rusticis delectamentis vacare, quibus vel Romæ vacauerit, cum herbulas ab se satas de fontana irrigaret, & poma sereret, si per hostium assiduas incursiones liceret.

Ipse ego pendentes (liceat modo) rupe capellas
Ipse velim baculo pascere nixus oues.
Ipse ego ne solitæ insistant pectora curæ
Ducam ruricolas sub iuga panda boues.
Et discam Getici quæ norunt verba iuuenci,
Assuetas illis adiiciamq; minas.
Ipse manu capulum pressi moderator aratri
Experiar mota spargere semen humo.

quam si amicus esse videatur. Talem amicum maximum vlcus vocat in Antigone Sophocles. Sed illi ipsis etiam feris, & venenatis bestiis immaniores reperiuntur, quando illæ aut clamore, aut sibilo, aut aliquo demum signo hominem præmonent, quò sibi caueant. Salomon Prouerb.25. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo. & cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci.* De sinceritate sua, & constantia in colendo amico citra fucum, cum detestatione simulantium se amicos, adscribam epigramma incerti. 1. Anthol. tit. 80. εἰς φίλους.

> *Τοιοῦτος εἰμι φίλος, καὶ τὸν φίλον ὡς φίλον οἶδα.*
> *Τοὺς δὲ κακοὺς δόλιους πάντας ἀποστρέφομαι.*
> *Οὐδένα θωπεύω προσυποκρινόμενος ὃν δ' ἄρα τιμῶ,*
> *Τοῦτον ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους ἀγαπῶ.*

Vide tit. Inconstantia.

IV. Amor honestus, seu indifferens.

Sentit amans sua damna ferè, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ prosequiturque suæ. 1. T. 1.

Queritur illa elegia, se à scribendis carminibus temperare non posse, cum tamen ea sibi nocuerint, propter Artem amandi puta. Caussam confert in amorem, ob quem vsurpantur, & grata sunt etiam quæ officiunt.

> *Nos quoque delectant, quamuis nocuere libelli,*
> *Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.*

Delectantur aliqui cibis quibusdam, quamuis eosdem experti sint parum salubres. Vinum obest podagricis, tamen non omnes eo abstinent: sunt enim φίλοινοι. Huc referas & illud Horatij de mercatore, cum similibus sexcentis.

> *Luctantem Icariis fluctibus Africum*
> *Mercator metuens, otium & oppidi*
> *Laudat rura sui: mox reficit rates*
> *Quassas, indocilis pauperiem pati.*

Ille autem prosequitur materiam culpæ suæ, qui in eo non cessat, in quo propter detrimentum aliquod inde vel sæpius iam acceptum iure culpandus fuit. Vide tit. Studium cuique, & voluptas sua.

Res est solliciti plena timoris amor. ep. 1.

Verba Penelopes, vbi indicat quam sollicita semper, & anxia fuerit pro Vlysse suo. Sic Deianira coniux ad Herculem suum,

> *Auceps infælix incerta murmura famæ,*
> *Speque timor dubia, spesque timore cadit.*

Ideo nihil est sollicitius amantibus, quoniam amare est bene velle illi quem ames. Qui cuipiam bene vult, & eo melius, quo amat ardentius, sequitur vt eidem malum quam maximè nolit, & vt bono gaudet eius quem amat, sic malo eiusdem contra doleat. Quod præsens creat dolorem, seu ægritudinem, eius futuri opinio parit metum. Quare autem magnum, & assiduum, ex dictis liquidum euasisse autumo. Fas erit axioma hoc etiam ad amorem non legitimum trahere. Nimis enim manifestum est, turpiter amantes in quotidianis curis, sollicitudinibus, timoribusque versari. Quare & sollicitos vocauit tales amores Virgil. eclog. 10. *Incipe, sollicitos Galli dicamus amores.* Et Theocrito Idyll 10. amor est *πολυφρόντιστος* curarum refertus. Quibus adde Hesiodium istuc ex Theogon. *καὶ Δεῖμον φόβον, καὶ Δεῖμον ἔτικτε.* Venus metum, & terrorem peperit.

Vt ameris amabilis esto. 2. Art.

Cogitandum nobis seriò, quæ res amorem efficiant, & in eas studiosè danda opera. Sed cum omnia circumspexeris, nihil inuenies quod homines ad amandum magis alliciat, quam virtus. Cic. in Lælio. conciliatrix amicitiæ est virtutis opinio. Et 1. de nat. deor. virtute nihil est amabilius. In Christiano autem sicut summa virtus est erga Deum pietas, ita summè diligenda est Christianis, siquidem ipsi Deum diligunt. Ponit in alio quodam amore hæc verba Ouid. sed quo minus vtamur iis latius, nihil impedit: & hac de re in præfatione lectorem monuimus.

V. Amor lasciuus.

Quid deceat, non videt vllus amans. ep 4.

Si viderent amantes, immò amentes isti quid deceret, non amarent: nam sic amare, & castra sequi Cupidinis, nunquam pro decoro habitum est, ne apud ethnicos quidem. Quò itaque se quispiam

in hoc

in hoc cœno amplius volutat, eò minus videt, quam se animal nobilissimum turpificet. Veruntamen multa sunt in hac miserrima seruitute, quæ singula dedecent. Ea præter Plautum, & Terentium qui scriptis suis prodiderint, quis nescit? Ex iis vnus,

Durius in terris nihil est quod viuat amante:
Nec (modò si sapias) quod minus esse velis.

Et hunc improbum, & illum castum, ac legitimum amorem disertè Max. Tyrius Platonicus Philosophus dissertat. 10. describit.

Credula res amor est. ep. 6.

Inconstantia, leuitas, periurium, perfidia decora sunt amantium. Hinc tot suspiciones, timores, angores, iurgia, & in vigilantibus etiam somnia. Virgil. Pharmaceutria. *Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* A quo dicto non abit Pub. Syrus. *Amans quod suspicatur, vigilans somniat.* Ac minus forent miseri, si suspicarentur tantùm. Sed quia credunt facilè, inde mala grauia sæpius consequuntur. *Riualem possum non ego ferre Iouem.* ait ille, qui à Cynthia sua vapulauit liberaliter: quæ similiter vel Iunonem *συνευνέτιν* ferre non poterat.

Vtile propositum est sæuas extinguere flammas,
Nec seruum vitiis pectus habere suum. 1. Rem.

Laudandus, qui faces Cupidineas sentiens, eas quamprimum connititur extinguere: sin minus, at aliquando tamen, ne omnem vitam sub hac tyrannide velit consumere. Imitatores nimium anxios, & superstitiosos seruum pecus nominat Horatius. Quanto rectius sic audiat, qui velut sub pedea subiecta ratione, pecudis instar obscœnas delectationes venatur, & vnius impuræ muliercula dominatum perpeti, ac sustinere æquo animo potest?

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras. 1. Rem.

Nemo non videt, hæc ad alia multa transferri posse. Sed quoniam hi versus in remediis huius de quo agimus impuri amoris, à poëta afferuntur, eos præterire noluimus, suo loco iterandos. Idem planè & præcedentibus, & sequentibus præcipitur, vt scilicet amori ianuam claudamus statim: nam si semel ingressus fuerit, difficillimè, quin fortasse nunquam exturbatum iri. Tenere me nequeo, quin aliquot disticha *ἐμφαντικά*, & *πιθανά* adiungam.

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi:
Et tum incipiens ire resistat equus.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Flumina magna vides paruis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Simillima horum lego ep 16.

Dum nouus est, cœpto potius pugnemus amori.
Flamma recens parua sparsa resedit aqua.

Principia sunt oculi, quos si à vanitate, & à curiosis aspectibus formarum auertentes coërcuerimus, salua res: nec medicina opus, quoniam morbi occasio tollitur. Intuitus cogitationes, hæ simulacra, ista potiundi desiderium gignunt. Propert. eleg. 32. lib. 3.

Qui videt, is peccat: qui non te viderit ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Cum his magna deinde in animo lucta, & certamen lubricum. Idem consilium Lucretij lib. 4. de principiis fugiendis videlicet.

Nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Memorabile exemplum, & dictum Cyri regis, qui ab Araspe centurione inuitatus ad spectandam Pantheæ captiuæ mirificam pulchritudinem, recusauit, adiiciens, ob hanc ipsam sibi non videndam illam mulierem. Plutarch. & Xenophon.

Intrat amor mentes vsu, dediscitur vsu. 2. Rem.

Clauus clauo pellendus, & malo nodo malus quærendus cuneus: hoc est, curæ amatoriæ aliis, & melioribus, quanquàm molestis curis, & cogitationibus obruendæ, ac sepeliendæ, castis potissimùm: ita enim, secundùm axioma medicorum, contraria contrariis curabuntur: & consuetudo vitiosa, atque

pestifera,

pestifera, alia consuetudine honesta, ac salutari deuincetur: nec erit quidquam pudicæ mentis conscientia dulcius. Vsus magister optimus in te qualibet.

Vt pane extinctum cinerem si sulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris quidquid renouabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit. 2.Rem.

Paruæ admodum amoris, & libidinis reliquiæ, nisi tanquam scintillæ adhuc sub ciuere viuenti, materiam, alimentumque detrahis, & omnes omnino occasiones, quæ multæ sunt, & eo libro recensentur, & à nemine nostrûm, quamuis adolescente, nesciuntur, diligenter vitas, in maiùs paulatim excrescent, iterumque magno incendio ardebis in medullis. Reliqua vitia pugnando, hoc quam longissimè fugiendo, & pugna detrectanda expugnandum est. Nec minus gloriosa censeri debet in hoc per fugam, quàm in cæteris per obluctationem, & certamen comparata victoria.

Supera Deus hic bene notus in ora est. 10.Met.

Amor legitimus Orpheum vxoris Eurydices repetendæ ad inferos descendere compellit. Hanc igitur aduentui, & petitioni suæ caussam prætexit. Et eò facilius se impetraturum confidit, si etiam in illis locis amori locus sit, quod dubitat. Sic enim inferus, quanto ipse in malo versetur, de se coniectam facere posse. Certè in terris hunc Deum valde cognosci, & celebrari à mortalibus innumeris, si vnquam aliâs, hoc sæculo verissimum reperitur, in quod præter reliqua omnia scelera, & flagitia omnis etiam impuritas erupit. Et potest hodie illud ex 1. Am. eleg. 1. cantari, dictum ad Cupidinem. *Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna.*

Vsque adeo dulce puella malum est. 2.Amor.

Quod scriptum habemus apud Ecclesiasten cap. 7. quam bene συμφωνεῖ? *Et inueni mulierem amariorem morte. Quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius. & qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Dulcedo illa breuis, & sensus spurcæ voluptatis humana altitudine indignus, præcurrentes, & subsequentes curæ, dolores, pœnitudines, suspiciones, miseriæ, quæ fodicant, pungunt, vellicant animum. Hæc est illa γλυκύπικρία, seu dulcia Catulli amarities. Amorem & Plato γλυκύπικρον appellauit. Et Musæus ἡδὺ καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων. Iam, inquit, suaue acerbum amorum stimulum persensit. Hæc illa amara curarum Horatij. Huc spectat illud fel Plauti, Cistellar.

Namque ecastor amor & melle, & felle est fœcundissimus,
Gustu dat dulce, amarum ad satietatem vsque oggerit.

Huc rursum illud Catulli de Venere. *Spinosas Erycina serens in pectore curas.* Huc demum apophthegma Demosthenis de se, & Laide. οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, non emo mille drachmis (quantum illa poscebat) culus me mox pœniteat. Gell. lib. 1. cap. 8.

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem. 1.Rem.

Hospes iste, & mater eius oderunt villas, & casas tenuiorum, atque pauperum: siquidem illic deliciarum nihil sperant, quibus foueantur, recreentur, & pascantur. Non ibi epularum exquisitarum varietas, non vina exotica, non vnguenta acerrima suauitate condita, non dulces cantus, non fragrantes coronæ, non festiuæ choreæ, non lectuli molles, non omnis generis lautitiæ, delitiæ, & elegantiæ, nihil auri & argenti, omnia lignea, fictilia, scortea, sordida, squalida, puluerulenta, fœda, deformia. Illa alia, eorumque gemina, in vrbibus, in palatiis, in arcibus apud diuites, opulentos, nobiles cernuntur. Proinde isti hospites crebrius, & libentius istuc diuertunt, vbi iucundè, molliter, & amanter habentur, & lautissimè pascuntur.

Turpe senex miles, turpe senilis amor. 1.Amor.9.

Legebantur apud Romanos in militiam non minores annis 17. nec maiores 46. quod circa, aut supra ætatem illam militiæ rudimentis, & exercitationibus, ac laboribus vel immaturi, vel ob vires deficientes parum habiles, & idonei censerentur. Ferebant, vt ait Cic. 2. Tuscul. plus dimidiati mensis cibaria: ferebant si quid ad vsum vellent: ferebant vallum. Nam scutum, galeam, gladium in onere non plus numerabant, quam humeros, lacertos, manus. Quid, ô quid simile nostri? Igitur longo iám fractus membra labore, & senio confectus, quomodo hæc, & plura his onera militaria sustinebit? Turpe ergo senex miles, & inutilis. Solent autem poëtæ studia illa amatoria vocare militiam, 1. Amor. 9.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido:
Attice crede mihi militat omnis amans.

Ad hanc, perinde vt ad illam Conquisitores isti, & Magistri obscœnitatis senes adscribere nolunt; de quo plura dicere nihil attinet: tantum hoc tenendum, quod scripsit M. Tull. 1. Off. libidinem cum omni ætati turpem, tum senectuti fœdissimam esse. Summæ enim cuiusdam intemperantiæ signum, vbi tantum frigus, ibi adhuc incendia vigere. Apud Plaut. Mercat. cum Demipho senex Lysimacho item

seni

ſeui confeſſus eſſet amorem ſuum, interrogat ille admirans, *Tun' capite cano amas, senex nequissime?* Reſpondet ſtultus: *seu canum, seu istuc rutilum, seu atrum est, amo.*

Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quaq; venit multas accipit amnis aquas. 3. Art.

Etſi hæc ad conſuetudinem in re non bona capiendam à poëta in contextu dicuntur: nihil tamen obſtat, quin eodem ſenſu, quo illa ſuperiora à nobis celebrentur *Principiis obsta, &c.* & generatim in quauis re, cuius initia mala, incrementa peiora, finis peſsimus.

Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur
Maieſtas, & amor. 2. Met.

Maieſtas eſt quiddam illuſtre, excelſum, glorioſum, ſuſpiciendum: amor obſcurum, humile, infame, deſpicabile. Quo pacto igitur tam diſparia benè iungantur? Sed obſcœnæ cupiditatis tanta eſt tyrannis aliquando in maieſtate conſpicuis, tantaque in iiſdem ad reſiſtendum vel infirmitas, vel negligentia, vel ſocordia, vt qui populis, & gentibus imperitant, turpiſsimæ voluptati indignam ſeruire ſeruitutem non erubeſcant. Verumenimuero hi Iouem opt. max. diuûm patrem, atque hominum regem auctorem, & ducem ſuum proferre poſſunt, cuius ſtupris, & adulteriis poëtarum libri ſcatent.

Heu mihi, quod nullis amor eſt medicabilis herbis. 1. Met. & ep. 3.

Amorem eſſe morbum inſanabilem, contendit elegia 1. lib. 2. poëta Vmber. Et quo credamus, ſuum exemplum proponit vir egregius.

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem. &c.

Difficile ad frugem reuocari huic palæſtræ ſemel conſecratos planum eſt. Nam præter alia multa incommoda frequentatæ Veneris, etiam cæcari animum, amittique omne iudicium, & neque ipſam gehennam amplius timeri manifeſtius eſt, quam vt probandum videatur.

VI. Animi cura.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua:
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hac corpore maius habet. 1. Rem.

Præcepta ſua ad effugiendam amorum peſtem eſſe duriuſcula non negat. Sed cum corporis ſeruandi, & valetudinis tuendæ complura, quamuis ingrata, moleſta, acerba, vſtiones, ſectiones, quæ à medicis præſcribuntur, minimè recuſemus, affirmat ad animi ſanitatem retinendam (qui corpore multis partibus eſt præſtantior) nihil graue fugiendum. Hoc tetraſticho vtamur licet ad curationem animi perſuadendam in omnibus morbis eius, qui plurimi ſunt. Vitia quippe, & peccata ſunt innumera, cum quibus nobis bellum debet eſſe aſsiduum. Conſpirat cum hoc loco Horatianus, ep. 2. lib. 1. vituperans inertiam noſtram, qui ad morbos leuiores depellendos tam prompti ſimus: ad nocentiores, qui ſunt animorum, prô nefas, tardiſsimi.

———————— nam cur
Quæ lædunt oculos festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

VII. Ars, & artifices periti.

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et ſtudio mores conuenienter eunt. 3. Art.

Qui tractant artes placidas, fiunt placidi: qui duras, & agreſtes, ipſi quoque duritiam quandam, & inhumanitatem induunt. Ideo poëtæ, muſici, ſaltatores, athletæ, &c. tam ſunt tractabiles, affabiles, & comes: fabri, lignatores, foſſores, milites, lanij, agricolæ, venatores, &c. minus.

Scit bene venator ceruis vbi retia tendat,
Scit bene qua frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti frutices: qui ſuſtinet hamos
Nouit qua multo piſce natentur aqua. ibid.

A venatoribus, aucupibus, piscatoribus docet bonum, exercitatumque artificem omnes nosse vias compendij faciendi, nec facile decipi. •Vsu comperit venator vbi morentur cerui, & apri, quibus capiendis potissimùm eius labor, & industria elucet. Scit auceps quibus fruticibus, & arbustis se condant minores aues, quibus rete pandit. Non ignorat piscosa flumina piscator. Eadem tu cogita de cæteris artificibus. Transfer idem ad litterarum alumnos. Scit bene elequentiæ studiosus vbi hoc aut illud in Cicerone, & Demosthene, vnde augere, & illustrare orationem suam posit. Poëticæ candidatis notæ virtutes Homeri, & cùm vsus venerit, sciunt vbi quærant. Quod argumentum super hac, aut illa quæstione vbi lateat in D. Thoma, aut Scoto, non fugit theologum. Nec philosophum, quomodo aut æternitas animorum ex Platone, aut non dari vacuum contra Epicureos ex Aristotele concludendum sit.

VIII. Artes liberales.

Artibus ingenuis, quorum tibi maxima cura est
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit. 1. P. 7.
Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores nec sinit esse feros. 2. P. 9.

Coniunxi hæc disticha, quamuis non eodem loco posita: quando vtrique eadem subest sententia. Liberales, & ingenuæ dicuntur, quod hominem liberalem & ingenuum maximè ornent. Humaniores quare appellentur, audi si placet Hieronymum Osorium, nostri sæculi oratorem amplum, copiosum, grauem, & ornatum, lib. 1. de gloria. Multis locis vsu didici, nunquam elegantiam doctrinæ ab humanitatis laude seiunctam esse: immo semper ingenij suauitatem cum omni litterarum cultu fuisse incredibili amoris societate copulatam: sine id accidit, quia nemo fere, nisi miti, clementique natura sit, & ab omni motu feritatis alienus, potest excellentem doctrinæ formam intueri, & ad illius cupiditatem incendi: ita fit, vt paucissimi docti agrestibus institutis viuant, quia paucissimi agresti ingenio prædîti in doctrinæ studium incitantur: siue tanta vis est in optimis artibus, ac disciplinis, vt illarum ope facilè quæuis natura reddatur mitis atque mansueta, & ad omnem rationem humanitatis excolatur. Præclarè enim ille [illegible] studia in mores. Vt enim quisque liberalibus disciplinis est instructissimus, ita maximè est in omni genere lenitatis, atque comitatis excellens. Vnde non immerito nomen humanitatis ad maximarum artium facultatem traductum est. Hactenus ille. Vide Gell. lib. 13. cap. 15.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis. 1. P. 7.

In obscuritate perpetua iacuissent multi, nisi doctrina litterarum eos illustrasset suo lumine. Nomine porrò artium ingenuarum etiam reconditiora, & grauiora illa studia, & quæcunq; demum litteræ, ingenuis dignæ intelligendæ sunt. Huc transferas etiam quæ de ingenio dicentur.

IX. Assiduitas.

Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo. 4. P. 10.
Quid magis est durum saxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua. 1. Art.

Posterius distichon hemistichij prioris hexametri periphrasis est. Si omnia circumspicias, nihil inuenies tam durum, inflexibile, intractabile, asperum, quod longo vsui non cedat, & ab eo non consumatur. Lege eleg. 6. Trist. 4. *Tempore ruricola, &c.* Vbi & hic versus, ad institutum nostrum appositus. *Hoc tenuat dentem terram renouantis aratri.* In hac classe numera & istuc 1. P. eleg. 4.

Cernis vt in duris, & quid bone firmius aruis,
Fortia taurorum corpora frangat opus.

X. Astrologia.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inq; domos superas scandere cura fuit, &c. 1. Fast.

Ex laudatione astrologorum, laudes astrologiæ, & ex huius commendatione illorum decus intellige. Conspectus cæli, cælestiumque corporum contemplatio, & consideratio ad deum, & diuinam prouidentiam agnoscendam, & laudandam vehementer est vtilis, adeoque iucunda, vt nihil iucun-

dius. Ecce Dauidem, Psalm. 8. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorū tuorum: lunam, & stellas quæ tu fundasti.* Quem locum oratione altera de theologia tractans Gregorius Nazianzenus, in persona Ecclesiæ dictum accipit, quæ deuicto cacodæmone, aditum sibi ad cælum patefactum exultet, vbi plura, & varia spectacula habitura, scientiamque rerum pulcherrimarum percepturs sit. Talia multo ante scripserat 1. Tuscul. Cic. & oræ ipsæ locorum illorum, inquit, quò peruenerimus, quò faciliorem nobis cognitionem rerum cælestium, eò maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Et infra. Quamuis copiosè hæc diceremus, si res postularet, quam multa, quam varia spectacula animus in locis cælestibus esset habiturus. Demonstrat quoque iucunditatem huius scientiæ poëta, dum primos illos astrologos rebus omnibus cum voluptate coniunctis antepòsuisse narrat. De vtilitate posset etiam multis differi, sed instituta breuitas repugnat.

X I. Auaritia.

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam
Cuius non animo dulcia lucra forent. I.F.

Si etiam primo illo post homines natos sæculo (quod ob morum probitatem, & vltro se è terra promentem rerum necessariarum copiam dictum est aureum) nihilominus se lucri cupiditas, & πλεονεξία exerebat, quid de succedentibus tribus sperandum, quorum vt secundum primo, ita tertium secundo, & quartum tertio fuit deterius, ac vitiosius? Vt autem sis auarus, nihil refert, vtrum pecuniæ, cuius tunc nullus adhuc vsus, an rerum aliarum, vnde polyplusius fias, sis immoderatè cupidus. Liceret copiosè contra hoc vitium declamare, quo nullum tetrius, ac scelestius. Senecæ ad Heluiam cap. 13. vehementissima generis humani pestis. Duo exempla memorabo tibi ex Athenæi lib. 4. de duobus auaris. Quidam sub exitum vitæ non paucos nummos aureos deuorauit. Alius insutis tunicæ eam induit, præcepitque familiaribus, vt se ita sepelirent, nec corpus pollinctura vngi, & curari, vel cremari sinerent. Max. Tyrius differt. 10 regem quendam Persarum sepulchrum persodisse narrat, in quo aurum cum mortuo conditum audierat. Auri quidem nihil inuenit; sed inscriptionem huiusmodi ex persona defuncti. Male sit tibi mortalium auarissime, qui auri caussa mortuum tangere ausus es. Cum temulentia, seu ebrietate auaritiam confert epist. 412. lib. 3. Isidorus Pelusiota.

Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi,
Vix vltra quo iam progrediatur habet. Ibid.

Longè alia est ratio virtutum, quæ in posteris sensim deminuuntur, cum flagitia, & improbitates augeantur, & cumulentur. Vt reliquas mittamus, tot viæ seu iure, seu iniuria faciendi lucri, & aceruandæ pecuniæ antiquis ignotæ fuerunt. Adeo, quanto rerum minus (sit de priscis Romanis Liuius) tanto minus cupiditatis erat. *Amor habendi*, inquit, quasi definiens auaritiam, quæ est immensa habendi libido, siue cumulandarum diuitiarum infinita, & insatiabilis fames.

Effodiuntur opes irritamenta malorum. I. Meta.

Per opes intellige aurum, & argentum, quæ sunt in opibus potissima, & per quæ parantur opes. Quis enim si auro, argentoq; abundet, non facilè domos, agros, villas, & alia quam plurima inueniat? Effodiuntur & gemmæ, & metalla: sed hæc non tam irritamenta, & incitamenta sunt ad malum, & scelera, quàm pecunia, quæ ex auro, argentoque cuditur. Lectu vtilia de fodinis argenti, auri, aliarumq; rerum Lipsius Admirand. lib. 2. cap 5. vbi & ex Cassiodoro. Intrant, inquit, homines caligines profundas, viuunt sine superis, exulant à sole: & dum sub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt.

X I I. Audacia.

Audentes deus ipse iuuat. I O. Met.

Deus neminem improbè facientem iuuat. Est autem genus improbitatis audacia, & in vitiis numeratur: siquidem extremum est fortitudinis, vt timiditas. Extrema esse vitiosa, vt virtutem in medio sitam, omnes sciunt. Quid aliud est audacia, nisi confidentia, temeritas, importunitas, & impudentia? Et homines confidentes, temerarios, importunos, impudentes deus iuuat? caue istuc dixeris. Nonius distinguit, & audentiam ait esse fortitudinis, audaciam temeritatis. Virgil. 6. *audentior ibo in casus omnes.* Vt breuiter respondeam, poëtæ sunt verborum liberiores, quibus interdum audacia est fortitudo, & magnanimitas. Ergo impigros, animosos, non cunctantes, ac tergiuersantes in rebus egregiis, & ad laudem, vtilitatemque seu propriam, seu communem spectantibus, hos dignatur ope sua deus. Virgil. 10. dixit. *Audentes fortuna iuuat.* vbi lege Symb. nostras. Melius tamen vterque *audentes*, quā *audaces*, quod verbum sæpius in reprehensione est.

In audaces non est audacia tuta. Ibid.

Clarum eſt, hoc loco vitium potius, quam virtutem audaciæ, & audacium vocabulo ſignificari. Reſiſtere igitur talibus, & quidem audacter, eſt ignem gladio fodere, quod vetat Pythagoras; & iuxta parœmiam, cornutam petere beſtiam.

XIII. Auxilium mutuum.

Non ſatis vna tenet ceratas anchora puppes. 2.Rem.

Quorſum hoc dicat Naſo, nihil moror. Nobis videtur verſus aliò accommodari ſcitè poſſe, quemadmodum eius & prouerbia, & aliæ item γνῶμαι in ſenſus diuerſos nō ineptè ſæpius accipi queunt. Nemo noſtrum per omnia ἀνενδεὴς, ac nullius egens. Omnes aliquando alienis aut viribus, aut conſiliis, aut quibuſcunque demum auxiliis, præſidiis, & ſubſidiis indigemus. Lege lib.1. Antholog. tit.4. εἰς ἀναπήρους in mutilos cum 3. ſequentibus, eiuſdem ſententiæ & argumenti, de tradendis operis mutuis. Solus deus ἀνυπερκὼν, qui dat omnibus, & accipit à nemine. Et idcirco non dat omnia omnibus, vt dandis, accipiendiſque beneficiis neceſſariis charitas inter nos, & beneuolentia conſeruetur. Huc pertinent adagia. Multæ manus reddunt onus leuius. Manus manum fricat, & ſimilia. Item quod legitur apud Ariſtotelem Ethicor. Nicomach. lib.8. σύν τε δύ' ἐρχομένω· καὶ γὰρ νοῆσαι καὶ πρᾶξαι δυνατώτεροι. id eſt, duo ſimul ambulantes: etenim ad cognoſcendum & faciendum plus poſſunt.

XIV. Auxilium, & præſidium.

Tu citius venias portus, & aura tuis. ep.1.

Nihil quidem gnomicum hîc, ſed prouerbiale tamen: qualia me cum gnomicis coniuncturum (ſiquidem & ipſa vt plurimum gnomica ſunt) in præfatione ſum pollicitus. De eo igitur certè hoc vſurpes, in quo rerum tuarum fiduciam maximam collocare, & cuius ope, fide, auxilio re in quauis tempeſtate ſecurum fore confidas. Præſidium, columen, tutela, & propemodum quidquid tale dici poteſt, minus ſunt ἐμφατικά.

Firma valent per ſe, nullumq; Machaona quærunt;
Ad medicam dubius confugit æger opem. 3.P.4.

Non eſt opus bene habentibus medico, Saluatoris eſt, Lucæ 4. ἀλληγορικῶς valebunt in quemcunq; per ſe minus in aliquo ſtatu, cauſſa, & negotio peritum, exercitatum, fælicem, promptum, valentem. Eruditus valet per ſe: indoctior Machaonem quærit. Diues valet per ſe: tenuior Machaonem quærit. Sapiens valet per ſe: minus ſapiens (non enim dicam ſtultus) nec ita prouidus, Machaonem quærit. In ſexcentis præterea alij firmi ſunt, & per ſe valent; qui ſi verè id ſunt, quod vocantur, & Chriſtiani præſertim, ſeſe Machaonas præſtare debent, vt vel non rogati, quod maioris eſt virtutis, & deo gratius, naturæ conſortibus ſuccurrere velint. Certè homines hominum cauſſa natos, dixerunt ſcriptores grauiſsimi. Eſt etiam in ferendo auxilio mira iucunditas, & initur inde gratia ſumma. Proinde 2.P.eleg.9. rectè.

Conueniens homini eſt hominem ſeruare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis. 2.P.9.

Lapſos cape aliquo malo irretitos, & eo non mediocri. Lapſos à fortuna ſecunda in aduerſam. Cum nihil in terris ſit deo rege ſimilius, nulla tamen re propius, quam beneficentia, ac bene merendi ſtudio de omnibus reges ſimilitudinem diuinam conſequuntur. Deus eſt beneficus in iuſtos, & iniuſtos, ſuper quos pluit, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, vt eſt Matth.5. & paſcit gratos & ingratos, quia neminem timet, & bonorum noſtrorum non eget, & eſt ipſa bonitas: boni autem natura, ſeſe communicare. At rex ſatis magnam adipiſcetur laudem, ſi ſuccurrat lapſis, hoc eſt, ſi miſeris, & afflictis, & ſupplicibus auxilium & clementiam ſuam quàm latè regnat, deeſſe non patiatur. Quid tam porrò regium eſt, ait M.Tull.1. de Orat. tam liberale, tam munificū, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate?

Nam quid erit quare ſolito dignemur honore
Numina, ſi demas velle iuuare deos? Ibid.

Vſqueadeo creditum eſt à veteribus, proprium eſſe deorum ſeruare, & benefacere, & prodeſſe, vt nihil aliud exiſtimauerint τὸ eſſe deum. Quapropter qui ad vitæ vſum, commoditatemque inueniſſent, & attuliſſent quippiam, eos pro diis colebant. Inde Bacchi, Mineruæ, Neptuni, Hercules, & alij quam plurimi conſecrati. Ob eaſdem cauſſas etiam belluis diuini honores habiti: quinimmo & res anima carentes, apud Ægyptios inprimis, omnium mortalium ſuperſtitioſiſsimos. Atq; hinc etiam deos nobis fuiſſe vt dicamus, quorum in nos præclara merita experti ſumus, in lingua latina vſita-

tum est:quemadmodum & in sacris litteris homines propter dignitatem, & auctoritatem, vt reges, iudices,prophetæ dij nominantur. Vide prouerb.homo homini deus.

XV. Aurum.

Ferroq; nocentius aurum. 1.Meta.

Quoniam nihil auro potentius, eique peruia sunt omnia, inde fit, vt cum nocere posit, mille modis,& latisimè posit,cum videlicet eius & male dandi,& improbe accipiendi cupiditates hominum accesserint. Ferro corpora sola violantur: auro animæ,vt ita dicam,interficiuntur:cuius amore fides,religio,pudicitia,virtus.propinquitas, amicitia. existimatio, auctoritas, patria produntur,& omnia diuina,humanaque iura conculcantur. Multa multis suasit perperam,vt est in Captiuis.

Aurea nunc verè sunt sæcula,plurimus auro
Venit honos:auro conciliatur amor. 2.Art.

Festiuè ludit in voce. Hoc sæculo, inquit, in honore maximo est aurum, vt sit præteritum pro præsenti à venio ἐναλλαγμένως,vt illud 2.AEneid.*Quanquam animus meminisse horret,luctuq; refugit.* Quis ergo hoc sæculum esse aureum, & pretiosum negauerit? Aut,venditur plurimus honos auro,id est,honores sunt venales auro:vt sit *venit* à verbo veneo,venire vendi,quod quidam διφθόγγως scribunt. Præter honores igitur etiam amor auro conciliatur: vt ab hoc quoque Venus aurea, & puer eius aureus dici queat.De ipsis autem honoribus venalibus 3.Amor.eleg.7.

Curia pauperibus clausa est:dat census honores,
Inde grauis index,inde seuerus eques.

Iugurthæ verbum est,vrbem Romanam venalem fore,si emptorem reperiret.

C.

XVI. Calamitas.

Fælix qui patitur quæ numerare potest. 5.T.1.

Se innumeralibus obiectum fuisse malis & in hac, & in aliis præterea elegiis lamentatur: præsertim 4.Trist.lib.1.

Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Paruaq; quot siccus corpora puluis habet. &c.

Et alibi.

Quot frutices syluæ,quot flauas Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet.
Tot mala pertulimus.

Vtatur itaque hoc versiculo παροιμιακῶς. qui non quidem infinitis (nam istuc ὑπερβολικώτερον est, nec fieri potest) sed plurimis malis. miseriisque se afflictum vult ostendere. Nullus miser est fælix. Si tamen cum miseriore,aut miserrimo conferatur,præ eo fælix haberi potest. Vtatur & his,

Scire meos casus si quis desiderat omnes,
Plus,quam quod fieri res sinit ipsa,petit.

XVII. Caluitium.

Turpe pecus mutilum:turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex,& sine crine caput. 3.Art.

In homine idem ait esse Aristot.5.de generat. animal.caluescere, quod in auibus deplumescere, in arboribus defrondescere.Id fit,cum extincto humore pilorum nutricio caput depilatur. Fuit caluities probrosa apud omnes ætates, & gentes semper; testes huius etiam sacræ litteræ locis aliquot. Lege cap.11.lib.de coma apud Adrian.Iun.In caluis irridendis creber est Martialis. Sed vbi in mulierculam anum, & caluam iocatur, trimam esse, si tot annos habeat quot capillos. puto illum mentiri voluisse,vt falsus esset, qui illi scopus scoporum est. Quis credat tale caluitium cum tribus duntaxat capillis reperiri,aut aliquando repertum esse? Hæc,& eiusdem generis multa in eo haud sciu an satis per ὑπερβολὴν excusari queant.

XVIII. Carmina.

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.
Carminibus metus omnis abest. I.T.I.

Cur nequeat fæliciter carmina condere, caussam profert in illa elegia: quia nec animus omni cura, & tristitia vacuus, nec quies, & secessus, nec securitas sibi detur: quæ tria bonis, & laudabilibus versiculis componendis pernecessaria sunt. Alibi ait, *Carmina lætum sunt opus, & pacem mětu habere volunt.* Atqui lætitia nulla, vbi nubila, & mœror. Sunt & qui secessum studiosis in nemora, & syluas suadeant, qualem inprimis amare poëtas, indicat Horat. Ode 1. lib. 1.

Me doctarum ederæ præmia frontium
Diis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumq́ leues cum satyris chori
Secernunt populo. &c.

Quid autem animo sereno tam contrarium, quam metus, & metus mortis? Cætera in Commentariis.

Exorant magnos carmina sæpe deos. 2. T.

Etsi deus mentem magis quam vocem precantis respicit, nihilominus etiam vocibus, & canticis, & hymnis, & cymbalis, & organis, & citharis laudari, ac celebrari non recusat, atque vt id faciamus, Psalmographus nõn semel hortatur. Est porrò ad pietatem nescio quis maior, & dulcior sensus in precibus, quæ poëticis numeris deuinciuntur. Quare & S. Ecclesia iis plurimum in sacris obeundis vti consueuit, etiamsi ad vnguem omnia in illis secundùm leges metricas, & bonæ latinitatis non secuentur. Sensa ipsa, rudioribus licet comprehensa sermonibus, & numeris claudicantibus, vt pia, & sancta nisi nobis placeant, verendum, ne ipsi nobis nimium placeamus. Nasonis voci consentanea sunt illa Horatij epist. 1. lib. 2.

Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit, &c.

Carmine fit viuax virtus, expersq́ sepulchri
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum, lapidemq́ vetustas,
Nullaq́ res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti,
Et quisquis contra vel simul arma tulit.
Quis Thebas, septemq́ duces sine carmine nosset,
Et quidquid post hæc, quidquid & ante fuit? 4. P. 8.

Horum versuum hæc, & plena ponderis est sententia. Poëtas virtuti æternam suis scriptis conciliare memoriam: temporisque longinquitatem conficientem, & consumentem cætera omnia, quamuis durissima, aduersus eorum monimenta nihil posse, sine quibus bella nobilissima, (quale Thebanum, & Troianum) & inclytorũ heroum facta eximia perpetua obliuione sepulta iacuissent. Vt summatim dicamus, carminibus debetur præter hæc plurium, & magnarum rerum notitia, vetustissimarum, & recentium. Lege quæ sequuntur in elegia. Huc adiunge ex 1. Amor. 10. *Carmina quam tribuent, fama perennis erit.* Et 15. *Carmina morte carent.* Et 3. Amor. 8. *Effugiunt auidos carmina sola rogos.* Ibid. *Durat opus vatum.* Vide præterea Horat. Ode 8. lib. 4.

Dij quoq́ carminibus, si fas est dicere, fiunt,
Tantaq́ maiestas ore canentis eget. Ibid.

Num potest magis laudari carmen? Si parum est, quod edacitati temporis resistit, immortaleque cum auctoribus suis, tum illis quos prædicandos susceperit, nomen dat, accipe quod maius est: omnibus, deos facit. Essene? hoc non concedat Iupiter, cuius munere Hercules, Quirinus, & alij vtriusque sexus plurimi cælum ascenderunt. Videri ergo. Hoc concedat: nam & ipse diuinitatem suam poëtis potissimùm debet, qui ipsum gentibus tam augustum, & tremendum fecerunt. Quanquam dum eius libidines ab iisdem liberrimè iactatas, ac toto orbe diuulgatas considero, nescio honoratiorem, an despectiorem effecerint. Nec insulsè diceret, si quis poëtas vt deos, ita & diabolos facere posse diceret. Cognata sunt his Horatiana illa. Ode 8. lib. 4.

Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cælo Musa beat. Sic Iouis interest
Optatis epulis impiger Hercules.

Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber, vota bonos ducit ad exitus.

Sunt mihi pro magno fœlicia carmina censu. 2. Amor. 17.

Non multos poëtas fuisse diuites: quosdam, & præcipuè Virgilium, & Oppianum, illum ab Augusto, hunc ab Antonino Impp. vt alios ab aliis Principibus ditatos legimus. Homerus nullas reliquit opes, vt de eo noster ait, 4. Trist. 10. Plautus ob paupertatem moluit in pistrino. Terentius fuit seruus, deinde libertus, de cuius censu nihil lego. Dum nobilioribus inseruire studet, ad summam inopiam redactum scribit Crinitus. Martialis de rusculo suo suburbano, & domicilio in vrbe, vtique donatis, gloriatur ille quidem aduersus inuidum; viatico interim eguisse cum abiret in Hispaniam, quo eum adiuuit Plin. iunior, constat. Domi Crœsum fuisse putem? Nec nobilem, nec diuitem se significat Propertius eleg. 24. & 34. lib. 2. Vocat item tenues lares suos eleg. 1. lib. 4. Taceo alios. Veruntamen fœlicibus carminibus suis, à præstantibus profectis ingeniis sese potentibus mirè commendarunt omnes, quorum benignitate vixerunt. Et liceret nominare multos eruditos, quibus pro censu ingenium fuit: per illud siquidem ad magnos census peruenerunt.

XIX. Castitas.

Siqua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quæ, quia non licuit non facit, illa facit.
Vt iam seruaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, vlla potest. 3. Am.

Vxores ob metum maritorum, à quibus diligentissimè custodiuntur, tantummodo castas, negat esse castas: & laudem castitatis tribuit illis, quæ pudicitiam sponte, ac liberè, & nullius mali metu (possent enim impune peccare) tuentur, atque conseruant. Paria Seneca lib. 4. de benef. cap. 15. aliter paulò secundum versum legens. Non dicam pudicam, quæ amatorem vt incenderet repulit: quæ aut legem, aut virum timuit, vt ait Ouid. *Quæ, quia non licuit, non dedit, illa dedit* (dare siquidem dicuntur, quæ sui copiam faciunt, Græcis *χαρίζειν.*) Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, & non sibi. Et quid prodest, inquit Ouid. si tu mulieris tuæ animo impudicæ corpus pudicum serues, si illa cogitatione, & voluntate sit adultera? castitas virtus est mentis, quę corpore per vim compresso manet tamen intégra, & fit bis tanto insignior. Itaque dicebat patri, & amicis Lucretia apud Liuium lib. 1. cæterùm, corpus est tantùm violatum, animus insons. Et illi mox, mentem peccare, non corpus: & vnde consilium abfuerit, culpam abesse. Quò minus ergo mentem polluat, quam in sua potestate habet, fœmina custodiri profectò nulla potest. Hæc quoque ad nondum nuptas aptè retuleris, siue illæ nupturæ aliquando sint, siue non sint, quia virginitatem suam deo consecrarunt videlicet. Et corpore, & spiritu virginem castam, & sanctam se exhibere Christo, hoc verbum non omnes capiunt. Et obiiciunt quidam, defuturos homines, si omnes fœminæ sint virgines. Bellè, & acutè, ô deus: quid enim aliud respondere contrà possumus istis omnium gentium, humanique generis conseruatoribus?

XX. Casus.

Sunt quæ non possunt aliquo cogente iuberi,
Sæpe tamen casu facta iuuare solent.

Casus, vt definit Aristoteles 2. physicor. cap. 6. est caussa per accidens in iis, quæ alicuius gratia fiunt, patetque latius quam fortuna. Quod enim à fortuna est, casu est: quod vero casu, non omne à fortuna. Minus enim latè funditur. & in iis duntaxat posita est, quæ ex proposito, & consultò geruntur. Vnde perspicitur, casum tam in brutis, quam in hominibus reperiri: fortunam tantùm in hominibus, in quos cadit imprudentia. Nullus porro casus, aut euentus deo fortuitus est, qui omnium caussarum effectus præuidet. Lege Viperan. de prouidentia lib. 2. cap. 14. quod est de fortuna, & casu. Casus igitur, seu quæ casu accidunt, quia nobis improuisa sunt, nec prouideri possunt, ideo nec iuberi. Sed cum euenerint, & prosunt sæpe. & delectant etiam aliquando. Casuum exempla multa sunt in Terentij. & Plauti comœdiis, vt cum Sosia in Amphitruone domum rediens, inuenit alium Sosiam ante ædes, à quo vapulat. Et in Captiuis senex inter duos seruos emit olim amissum filium. Romæ leo Androdum seruum in theatro spectante populo ad se laniandum emissus, bene meritum de se in Africa agnoscit. Gell. lib. 5. cap. 14. Coruus pauperis sutoris prætereuntem Augustum salutans, & ab eo

vicis-

vicissim audiens, satis domi salutatorum talium habeo, subiecit, opera, & impensa periit. Macrob. lib. 2. cap. 4.

Casus vbiq; valet, semper tibi pendeat hamus,
Quo minime reris gurgite piscis erit. 3. Art.

Casus, & fortuna in nobis dominatur, ait Ser. Sulpitius ad Cic. ep. 12. lib. 4. Quare nihil nimis fidendum, nec facilè desperandum: sed comparandus animus ad vtramque fortem, seu vtriusque generis euentus placidè, ac modestè ferendos: neque inde consilia, & facta æstimanda. Bonis & malis, prudentibus & stolidis, doctis & indoctis conditio communis est: nec vllo in sæculo extitisse reor, quem casus, aut fortuna illæsum præterierint. Quod ait de hamo Ouid. ad exspectationem secundorum ista allegoria pertinet.

XXI. Cautela post damnum.

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Vnguibus, accipiter, saucia facta tuis.
Nec procul à stabulis audet discedere, si qua
Excussa est auidi dentibus agna lupi. 1. T. 1.

Senariolus est in monostichis.

ὁ δὴ μετάνοια γίγνετ' ἀνθρώποις κρίσις.

Tum iudicant homines, vbi iam pœnitet.

Oportebat autem, si quidem prudentiæ, & prouidentiæ satis affuisset, ante iudicare, quam committere, cuius pœniteret. Sed quoniam hoc paucorum, immo potius nullius est hominis (quis enim non aliquando fallitur, & prudens imprudens damnum accipit?) secunda velut post naufragium tabula est, cauere. Hoc, vt alia multa, aues, & pecudes exemplo suo nos docent. Columba semel vnguibus elapsa accipitris, simul aduolantis alarum stridorem sentit, perterrita fugit: & ouis liberata lupi faucibus, à grege, & stabulo de cætero non discedit. Huc refer adagium, *παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος* post tristia, & acerba prudentior. En tibi ex nostro in eandem sententiam. 2. P. 7. *Tranquillas etiam naufragus horret aquas.* Ibidem, cum aliis cognati sensus.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat, &c.

XXII. Clementia.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit. 3. T. 5.

Hoc pronuntiatum ipsemet statim exemplis adiunctis commodissimè illustrat. Primùm quidem animalium, & à contrariis, leonis, vrsi, lupi, &c.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Deinde hominum.

Maius apud Troiam forti quid habemus Achille?
Dardanij lacrymas non tulit ille senis.
Quæ ducis Emathij fuerit clementia, Porus,
Præclaraq; docent funeris exequiæ.

Nullam hac ex omnibus virtutibus homini aptiorem confirmat Seneca lib. 1. de Clementia cap. 1. cum sit nulla humanior. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quam regem, aut Principem decere. Et cap. 10. Augustum laudans. Bonum Principem Augustum, & bene illi conuenisse Parentis nomen, fatemur: ob nullam aliam caussam, quam quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores Principibus solent esse, quam iniuriæ, nulla crudelitate exsequebatur: quod probrosis in se dictis arrisit: quod dare illum pœnas apparebat cum exigeret, &c. Memorabile & illud Adriani Imp. qui Augustus renuntiatus, adeo in inimicos non sæuiit, vt etiam contemneret. Nam cuidam hosti capitali factus obuius, dixit, euasisti: satis habens ostendere homini, se posse, si vellet, pœnas sumere. Leoni tantùm ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: & vbi sæuit, in viros prius quam in fœminas fremit: in infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum peruenire ad eos precum, &c. Plin. lib. 8. cap. 16. Ignobiles autem feræ, vt lupi, vrsi, tigrides, &c. parcere nesciunt, & mori cogunt in quos

inciderint. De humanitate, & clementia Achillis in Priamum Hom. in Iliad. de Alexandri Magni in Porum Indiæ regem & vxorem Darij, Plutarchus, Arrianus, & Curtius.

XXIII. Coniugium.

Dos est vxoria lites. 2. Art.

Testimonium peti potest ex Casina Plauti, vbi Stalino herus ad Olympionem villicum.

S. *Quid istuc est? qui cum litigas Olympio?*
O. *Cum eadem, qua tu semper.* S. *Cum vxóre tua mea?*
O. *Quam tu mihi vxorem? quasi venator tu quidem es,*
Dies atq́; noctes cum cane ætatem exigis.

Præterea in Menæchmis nupta patrem senem aduocat, cui de marito conqueratur. Locus sanè periucundus.

S. *Salua sis, saluéne? sed cur arcessi iubes?*
Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus distitit?
Nescio quid vos velitati estis inter vos duos.
Loquere, vter meruistis culpam, paucis, non longos logos.
M. *Nusquam equidem quicquam deliqui, hoc primum te absoluo pater.*
Verùm viuere hîc non possum, neq́; durare vllo modo.
Proin tu me hinc abducas. S. *quid istuc autem est?* M. *ludibrio*
Habeor. S. *vnde?* M. *ab illo cui me mandauisti, meo viro.*
S. *Ecce autem litigium. Quoties edixi tandem tibi,*
Vt caueres, neuter ad me iretis cum querimonia?
M. *Qui ego istuc, mi pater, cauere possum?* S. *me ne interrogas?*
Nisi non vis. quoties monstraui tibi, viro vt morem geras?
Quid ille faciat, ne id obserues, quò eat, quid rerum gerat, &c.

De litigiosa muliere sua argutè, & vrbanè queritur Palladas Antholog. cap. 17. εἰς χαμμωνιούς, principium est, μῆνιν τ' οὐλομένην γαμετὴν, &c. Sed hic morbus earum est præcipuè, quæ bene dotatæ domum ductæ sunt: superbiunt enim intolerabiliter, & viros sub imperium suum redigere, secus quam natura comparatum, & legibus præceptum est, conantur. Plaut. Milite.

Licuit vxorem dotatam genere summo ducere,
Sed nolo mihi oblatratricem in ædes intromittere.

Quàm porrò molestum sit tale matrimonium, etiam sancta scriptura non tacet. Vt prætercam locos alios. Prouerb. cap. 21. *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda.* Et Ecclesiast. cap. 25. *dolor cordis, & luctus mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans.* Contrà, de placida, & tranquilla, cap. eodem. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Simonides, vt est apud Clemêt. Alexand. lib. 6. Stromat. γυναικὸς δ' οὐδὲν χρῆμα ἀνὴρ ληΐζεται ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον κακῆς. Vxore autem bona vir rem nullam possidet meliorem, neque mala deteriorem. Quod antea & Hesiodus dixerat. Veruntamen, vt est in monostichis,

γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Difficile nanciscaris vxorem bonam.

Vrbanè Lacon quidam interrogatus cur tam paruam vxorem duxisset, quia ex malis, inquit, minimum eligendum. Plutarch. de amore fraterno. Lege 1. Antholog. tit. 15. εἰς γάμον in nuptias. Et de curis, si lubet, ac sollicitudinibus coniugatorum S. Chrysost. tractatu panegyr. 8. qui est in S. Theclam.

XXIV. Conscientia.

Conscia mens vt cuiq́; sua est, ita concipit intra
Pectora pro merito spemque, metumq́; suo. 1. F.

Audi, si lubet, vitiorum hostem acerrimum, insectatoremque disertissimum Senecam, epist. 105. Securitatis magna portio est, nihil iniquè facere. Confusam vitam, & perturbatam impotêtes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. Trepidant enim cùm fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat pœnas quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. Putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi: & inter somnos monetur, & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. Huc mirè conuenit à Cicerone dictum in Miloniana, quod recitaui in Comment. Ne igitur contemnamus hunc testem, quo nullus formidabilior. Ti-

meamus

meamus semper hunc indicem, quo nullus grauior, & incorruptior. Nullis quæstionibus melius, ac citius maleficij confessio elicitur. Nullus carnifex atrocius in reos vindicat. Hæ illæ poëtarum furiæ, gestantes pro crinibus angues, & armatæ flagris, quibus noxios dies, noctesque vlciscuntur. *At verò secura mens iuge conuiuium*, vt est Prouerb. 15. Hoc insuper illud oblectamentum, & gaudium, de quo Ecclesiast. cap. 30. *Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium.*

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu? 2. Meta.

Cum pudoris sedes sit facies, cui item sacra frons, qui frontem, & faciem perfricant, conantur pudorem abstergere, habenturque impudentes, & inuerecundi. Sunt autem pudori res flagitiosæ, & turpes. Nec solum rubore, verum etiam pallore vultus crimina produntur: sed plerunque grauiora illa, vt homicidium, proditio, peculatus, &c. Sed reperiuntur quidam adeo obfirmati, & aduersus vel pudorem, vel pallorem communiti, vt solis tormentis, & vix etiam tormentis, ab iis veritas extorqueatur. Quanquam neutrum certum, & indubitabile signum, qualia Græci τεκμήρια vocant. Nam & casti falsò obiecta libidine, ac præsertim adolescentes, erubescunt, & propter sceleris huius, aut illius intentati grauitatem expallescunt, qui abhorrent ab eo plurimùm, quique, vt inquit Horatius, peius letho flagitium timent.

Estque pati pœnam quam meruisse minus. 1. P. 1.

Quantopere naturâ diligamus, quod cum virtute, & ex virtute geritur: oderimus autem quod cum vitio, & ex vitio, vel hinc noscere queas, quod in supplicio amplius conscientia delicti, quam ipsum supplicium excruciat. Quis, quæso, fur, aut latro cum ducitur, non lætissimo animo ad crucem, & rotam iret, si fieri posset, vt non peccasset, & in caussa honesta, cum sana conscientia moreretur? Sed de hoc intimo cruciamento non cogitamus, cum vel voluptate, vel dolore, vel aliqua demum cupiditate impellente, quippiam morte expiandum designamus. Quin lætamur etiam, quod miratur Seneca epist. 97. Omnium, inquit, aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, ostenduntque deerrantem: vitæ peccata delectant. Sic ille. Sed minimè diu, nisi quis conscientiam penitus oppresserit, & illos mille testes ad vnum è pectore profligarit, quod est perdifficile.

Æquo animo pœnam qui meruere ferunt. 2. Am. 7.

Pœna commerita ob id fertur sedato animo, quia commerita, & agnoscitur iustitiam seruãdam in vita, cuius munus punire sontes, alioqui omnia pessum itura. Hinc illæ querelæ. Quid feci? quid merui? Qui autem nolentes, & repugnantes patiuntur quod merentur, significant se ægre ferre, quod diutius pro arbitratu male faciendi libertatem perdiderint, & ob id pœnis etiam grauioribus digni sunt: sicut leuioribus, qui se eas commeruisse dolentes confitentur.

XXV. Consolatio.

Temporis officium solatia dicere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
At cum longa dies sedauit vulnera mentis,
Intempestiuè qui monet, ille nouat. 4. P. 11.

Habent hoc commune solatium omnes, qui in aliquo dolore versantur, ob quemcunque casum aduersum, se tempore labente remissius dolituros, atque etiam diuturnitate ipsa mali sensum amissuros. Quamobrem qui quempiam afflictum, & sub malis gementem consolari aggreditur, id maturè faciat oportet: ne vulneri iam sanato adhibere medelam videatur, quod ipsa commemoratione potius renouabitur, & recrudescet. In omni re momentum non paruum habet opportunitas, & tempus commodum, quod obseruare necesse est, Græci καιρὸν appellant. Nisi faxis, ex honesto turpe, ex lucro damnum, ex beneficio maleficium efficies, & rerum naturam peruertes. Inde prouerbium, γνῶθι καιρόν, nosce tempus. Ennius apud M. Tull. 2. de off. *Benefacta male locata malefacta arbitror.* Et in monostichis ὁ μέγα τὸ μικρὸν τῷ ἐν καιρῷ δοθέν;
Pusilla res vel maxima est loco data.

Seneca tamen Consolat. ad Heluiam cap. 1. sentit aliter, cum inquit. Dolori tuo, dum recens sæuiret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, & accenderent. Nam in morbis quoque nihil est perniciosius, quam immatura medicina. Sed erit vera vtriusque sententia, si intelligamus, neque nimis recenti dolori faciendam medicinam, ne ipsis remediis irritetur: neque iam veterascenti, ne renouetur, vt ibidem annotauit Lipsius.

XXVI. Consuetudo.

Quod male fers, assuesce, feres bene: multa vetustas
Lenit. 2. Art.

Haud scio propriè magis asuetudinem, an consuetudinem vocaremus duritiam illam, & patientiam in rebus malis. Nam & ipse poëta *asuesce* maluit, quam *consuesce*. Et a. Art. *nihil asuetudine maius*, Virgil. tamen de stirpibus 2. Georg. *adeo à teneris consuescere multum est*. Et in eodem de viribus,

Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Asuescant, summosque sequi tabulata per vlmos.

Vtamur sanè pro eodem, teneamusque omnia dura molliri, grauiora reddi leniora, & acerba suauiora assiduitate, & consuetudine. Immo enimuero tempore procedente, & capta consuetudine, non modò difficilia, sed etiam quæ impossibilia initio videbantur reddi facillima dictum est à Polybio. Cogita, inquit Seneca de Tranquillit. animi cap. 10. compeditos primò ægre ferre onera, & impedimenta crurum: deinde, vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facilè. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod cum sciret quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret, si rerum aduersarum eandem vim assiduitas haberet, quam primus ictus. Fit leue quod bene fertur onus, vt dixit 1. Amor. 2. magna vis est vetustatis. Vide tit. Tempus, &c.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus & asueta ponere in arte iuuat. 1. P. 6.

Diuersa sunt hominum studia, exercitationes, actiones, quia non vnius generis propensiones, ac naturarum inclinationes, & cuique suum velle. Ita fit, vt cum vita humana multimodis rebus egeat, ei omni ex parte succurratur. Et laudandi, qui etiam ad infima opificia discenda feruntur, in quibus æquè, vt alij in ciuilioribus, acquiescunt, quæ interdum, quam illa, lucrosiora sentiuntur. Hoc nisi & in studiis artium honestarum fieret, in vnoquoque ordine viros tam excellentes non reperiremus. Nunc quod alios rhetores, alios grammaticos, alios philosophos, alios mathematicos nominamus, inde est, quia quarum disciplinarum duce natura, & ingenio cupidiores erant, in iis plurimum temporis consumere voluerunt. Prouerbium Græcorum ait esse 1. Tuscul. Cicero, quam quisque norit artem, in ea se exerceat. Quo admonemur, vt quæ non didicimus, ea ne vsurpemus; sed scientibus relinquamus, nostra autem actitemus. Hoc nonnihil mutatum ex Euripide in aliam sententiam adduxit Plato, nempe, suo quemque vitæ instituto, studioque, in quo clarus sit, impensius affici, & delectari, quod in eo se laudem maiorem assecuturum confidat. Plura parœmiographus. Hoc distichon repetemus num. XCI. nihil quippe absurdi, idem alio atque alio respectu bis ponere. Hîc consuetudinem, ibi voluptatem intuemur.

———paupertatemque ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam. 8. Meta.

Cum Iupiter, & Mercurius humana specie operti Phrygiam peragrantes à nemine hospitio exciperentur, ad extremū eos Philemon, & Baucis coniuges rustici, & à re familiari admodum tenues, hilariter exceperunt, &, vt potuerunt, benignè, ac studiose tractarunt. Hos ait Poëta æqua mente ferendo paupertatem suam sibi tolerabilem, ac leuem effecisse, sic, vt nec de fortuna quiritarentur, nec de re augenda essent solliciti. Huc item licet trahamus illam generalem Horatij sententiam de patiendis incommodis, Ode 24. lib. 1.

Durum, sed leuius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Licebit præterea dictum illud, M. Tullij, nisi fallor, nihil est tam facile, quod non fiat difficile, si inuitus facias. *ἀντιστρόφως*, seu per commutationem sic efferre. Nihil est tam difficile, quod non fiat facile, si libenter facias. Haud alienum his epigramma Palladæ, lib. 1. tit. 13. *εἰς βίον ἀνθρώπινον* in vitam humanam, cuius hæc interpretatio. Si te fatum, & fortuna fert, tu quoque fer ipsam, & te ferri sinas. Si indignaris, & calcitras; & tibi exhibes negotium: & nihilominus fortuna te regit vel nolentem. Seneca. *Volentem fata ducunt, nolentem trahunt*. Sed græca ipsa cape sis.

εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ᾽ ἀγανακτεῖς
καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

XXVII. Contagio.

Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent. 2. Rem.

De fugienda consuetudine, & familiaritate hominum nequam *ἀλληγορικῶς* hoc carmen vsurpabimus. Vt nobilissima, sic tenerrima pars corporis oculus, occulta quadam vi naturæ, intuendo affe-

ctos alterius oculos, facile ipsa quoque afficitur. Speculum à muliere τὰ ἐμμήνια patiente, aspectu infici notum est. Adhæc corpus à corpore, quamuis non tacto, labem, & morbum contrahere, per halitum, & expirationem eodem morbo laborantium, ex leprosis, & pestilentia comprehensis manifestum fit. Cum hoc Ouidiano manda memoriæ & illud: oscitante vno, deinde oscitat & alter. Profertur & Euripidis senarius.

τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.
Viuit suorum moribus sodalium.

Seneca lib. 3. de Ira, cap. 8. Sumuntur à conuersantibus mores: & vt quædam in contactos corporis vitia transeunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit: impudicorũ cœtus fortem quoque, & siliceum virũ emolliit: auaritia in proximos virus suum transtulit.

Feruida vicino flamma calore nocet. 1. Am. 2.

Etiam hæc allegoria quid moneat obscurum non est. Bene compta, & ornata, &, quo solo ornata est satis, formosa mulier ignis est; ad eum propius ne accedamus, hoc est, oculos in ea ne defigamus, alioqui calescemus plus satis. *Edet molles flamma medullas, & tacitum viuet sub pectore vulnus.* Sunt quæ transitione animis item, & multo grauius quàm corporibus nocent.

XXVIII. Curæ.

Senescunt tempore curæ. 1. Rem.

Omnia recentia quodammodo viridiora, vegetiora, validiora, veterascentia aridiora, infirmiora, & imbecilliora fiunt. Non mirum igitur, si hæc eadem curis contingunt, quæ longinquitate retunduntur, minusque sollicitant, & animos vellicant. Queritur 4. T. eleg. 6. de tempore, quod cum omnia soleat atterere, & labefacere, non possit tamen eius curas in exilio attenuare. Id ipsum legimus de aliis. Sed quid plerumque sæpius fiat, spectandum est.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ. 3. Meta.

Curam aiunt dictam quod cor vrat. Cura animi est, inquit Cornel. Fronto, quæ anxium facit hominem, & tam honestæ, quam inhonestæ rei est. Et curam quidem Donatus in conseruatione bonorum: sollicitudinem in metu malorum constituit. Sæpe coniunguntur. Terent. Phorm. *Quanta me cura, & sollicitudine afficit gnatus?* Cic. ep. 15. lib. 15. magna cura, & sollicitudine Atticum, & me liberaris. Curæ itaque seu laudabiles, seu vituperabiles, si assiduæ, & vehementes, ac mordaces fuerint, maciem creant. Ideo qui ad lætitiam, & voluptates cohortantur, iidem à curis, & sollicitudinibus dehortantur. Hinc iocus Plauti in Aulular. de agno macilento. Cum dixisset Megadorus, se ad parandum conuiuium nuptiale etiam agnum misisse, subiicit statim Euclio sponsæ pater,

——— quo quidem agno sat scio
Magis curiosam nusquam esse vllam belluam.
ME. *Volo ex te ego scire qui sit agnus curio.*
EV. *Quo ossa atq; pellis totus est, ita cura macet.*
Quin exta inspicere in sole etiam viuo licet,
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

XXIX. Custodia.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.
Casus inest illis, hîc erit artis opus. 2. Art.

Eadem mente Demosthenes 1. Olynth. τὸ φυλάξασθαι τἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον difficilius est seruare acquisita, quam acquirere. Caussam addit Poëta. Quoniam vt acquiras, sæpe casus adiuuat, qui in manu nostra non est: vt autem tuearis, & conserues quæ comparasti, cura, prouidentia, consilio opus habes. An verò dubitandum est, Alexand. Mag. non minorem fuisse laudem assecuturum, si, quem fortitudine, & armis subegerat orbem, pari sapientia rexisset, tantumque imperium conseruasset?

D.

XXX. Desperata.

Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis. 1. P. 4.

De rebus perditis omnino, & quibus subueniri nulla quasi machinatione potest. Delinimenta magis, quam remedia podagricis admouentur, quos, velint nolint, satis habere oportet, si ratius ac-

cedit podagra,& minus vexat. De eius curatione,cum distinctione,pauca annotaui in Comment.& eò existimo spectare,quod Galen.de se ipso affirmat.mulros podagricos,& aliis morbis obnoxios secta vena vere ineunte curauisse. Ibidem quæ essent istæ formidatæ aquæ exposui: ne quis hydropem intelligat,cum etiam hydropicos in desperatis numerare soleamus.

XXXI. Deus.

Misericors, & clemens.

Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpe Iouem vidi cum iam sua mittere vellet
Fulmina,thure dato sustinuisse manum. 3.F.

Quæ diuinæ naturæ, solique, ac vni Deo, quem nos Christiani piè sanctèque colimus, conueniunt, superstitiosa antiquitas Ioui, & diis suis immortalibus scilicet nefariè tribuebat. Nobis autem, vt inquit Clem. Alexand lib.5: Stromat.qui & poëtarum versibus,& iis quæ soluta scripta sunt oratione, canitur Iupiter. in deum refert cogitationem. Ergo inprimis clementes etiam, ac misericordes fingebat,qui sceleribus humanis irritati,precibus.& sacrificiis,quamuis minimè sumptuosis,ad impertiendam veniam facilè mouerentur. Et Iouem ipsum vel thusculo placatum, armatam fulmine dexteram suspendere.& ignoscere.Sic item noster 3.Fast.*ne nimium terrere,piabile fulmen Est ait.& sæuis flectitur ira Iouis.* Atque hoc vnum est, quod in deo imitari possumus, misereri, & condonare offensas. Quin iubemur imitari, adeo, vt non simus ipsi misericordiam in cælo consecuturi, si eam fratribus nostris in terris non præstiterimus. Nemo autem è sacris scriptoribus diuinam clementiam, & misericordiam Dauide in psalmis & sæpius,& insignius decantauit.

Crede mihi,miseris cælestia numina parcunt,
Nec semper læsos, & sine fine premunt. 3.P.6.

Audacter peccantes,& cælestis iustitiæ immemores punit Deus.Veruntamen sæpe minus quam pro multitudine,& grauitate criminum, & in medio pœnarum vltro modum facit. Multa & in sacris libris,& in histotiis Ecclesiasticis exempla. Vnius meminisse iuuat. Cum peccatum Dauidis in populo recensendo per superbiam commissum puniens,triduo sæuiente pestilentia(quam pœnam rex elegerat) septuaginta hominum millia toto regno extinxisset, omniaq; luctu, & lacrymis redundarent, & angelus domini manum suam super Hierusalem eius disperdendæ extendisset, misertus est dominus super afflictione, & ait angelo percutienti populum, sufficit: nunc contine manum tuam. 2.Reg. cap.24. Cum igitur Dei in nos ob commeritam noxiam animaduersionem senserimus,illis nos Prophetarum oraculis ad bene sperandum exsuscitemus. *Cum iratus fueris.* inquit Abacuc cap. 3. *misericordiæ recordaberis.* Et Dauid,vide quam copiosè,& disertè? Psalm. 76.*Nunquid in æternum proiiciet Deus: aut non apponet,vt complacitior sit adhuc? Aut in fine misericordiam suam abscindet.à generatione in generationem?* Aut obliuiscetur misereri Deus:aut continebit in ira sua misericordias suas?

Si,quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit. 2.T.

Nulli Cyclopes fabricandis illi fulminibus sufficient,toties in dies,& toto mundo peccatur. Sed iuxta vocem Apostoli ad Rom.diuitiæ bonitatis,& patientiæ, & longanimitatis dei, ad pœnitentiam nos adducentis non sunt contemnendæ. Ad hoc exemplum vide quomodo Principem formet Seneca lib.1.de Clementia cap.20. & 21. Nunc illum hortamur, vt manifestè læsus animum in potestate habeat:& pœnam,si tutò poterit,donet: sin minus,temperet: longeque sit in suis, quam alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est magni animi,qui de alieno liberalis est;sed ille,qui quod alteri donat,sibi detrahit: ita clementem vocabo,non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur,non prosilit: qui intelligit magni animi esse,iniurias in summa potentia pati; nec quidquam esse gloriosius,principe impunè læso. Vltio duas res præstare solet:aut solatium affert ei qui accepit iniuriam;aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quàm vt tali solatio egeat,manifestiorque vis,quam vt alieno malo opinionem sibi virium quærat.

Patitur se laudari à quouis.

Iupiter ingeniis præbet sua numina vatum,
Seq; celebrari quolibet ore sinit. 4.T.4

Alexander Mag. edixit, ne quis alius, præter Apellem, ipſum pingeret: nec præter Pyrgotelem ſculperet (in gemma puta) nemo præter Lyſippum ex ære duceret. Plin. lib. 7. cap. 37. Cicer. ep. 12. lib. 5. Horat. ep. 1. lib. 2. Plutarch. de fort. Alexand. Ex quibus, excepto Plin. nullus mentionem habet Pyrgotelis. Cur hic rex non nominauit etiam, à quo ſolo laudaretur? voluit vtique laudari ab omnibus. At Deus & pingi, & fingi, & commendari ſe patitur à quocunque: non quia honoris eget: ſed vt ſe honorantes honoret. Quod vt certatim, & omni ſtudio faciamus, monet nos Eccleſ. cap. 43. *Glorificantes Dominum quantumcunque poteritis, ſupervalebit enim adhuc. & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude, &c.*

Ira eius.

Plus valet humanis viribus ira Dei. 5.T.13.

Deus eſt ἀπαθὴς, omni affectu ſolutus, & liber: affici enim eſt mutari, Deus eſt immutabilis, & ſemper idem. *Ego Dom. & non mutor*, ait apud Prophetam quendam. At nos, quoniam ab eo effici videmus, qualia ſolent qui affectionibus tenentur, & pœnas infligi ab eo improbis, & præmia, honoresq; tribui bonis, & deiici de gradu ſuperbos, & ſubleuari oppreſſos, idem intellige de cæteris, ideirco Deum odiſſe, & amare, & miſereri, &c. aſſerimus, & quæ hominum ſunt, de illo prædicamus: ipſeque viciſsim vt homo nobiſcum loquitur: vſque adeo, vt etiam ſe videre, audire, odorari dicat, ad captum videlicet noſtrum ſe demittens. De ira Dei nobilem Commentarium reliquit Lactant. modo ne affectus virtutis, id eſt, iram in malos, charitatem in bonos, miſerationem in afflictos, tanquam diuina poteſtate dignos, & proprios, & iuſtos, & veros ei dediſſet. Eos enim pariter cum vitioſis, libidine, timore, auaritia, mœrore, inuidia remouere ab eo debuit. In eo capite, puta 15. eiuſdem libri ſic ſcribit. Nam ſi nihil eſt tam conueniens Deo, quam beneficentia, nihil autem tam alienum, quam vt ſit ingratus: neceſſe eſt vt officiis optimorum, ſanctèque viuentium præſtet aliquid, ac vicem reddat, ne ſubeat ingrati culpam, quæ eſt etiam homini criminoſa. Contrà autem ſunt alij facinoroſi, & nefarij, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, peierent, nec conſanguineis, nec parentibus parcant, leges, & ipſum etiam Deum negligant. Habet igitur ira in Deo materiam. Non eſt enim fas, eum cum talia fieri videat, non moueri, & inſurgere ad vltionem ſceleratorum, & peſtiferos, nocentesque delere, vt bonis omnibus conſulat. Hactenus ille. Hanc iram Dei pro calamitatis, ſeu mali inuecti, aut inuehendi magnitudine ſcriptura frequenter furorem, & iram furoris, & indignationis nuncupat. Plus enim certè eſt furere, quam iraſci, & concitatius quiddam furor quàm ira. Deuterou. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitq; terram cum germine ſuo & montium fundamenta comburet.* Iam Deo nullas vires humanas, nec vniuerſas res conditas ſimul poſſe reſiſtere, & ratio docet, & ſanctæ litteræ clamant, & experientia ipſa confirmat.

Iuſtitia, & prouidentia.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis. 13.Met.

Qui onerantur iniuriis, qui à potentioribus circumueniuntur, qui defenſorem, & patronum in cauſſa quamuis iuſta non inueniunt, conſolentur ſe hoc verſu. Deus videt, & audit omnia, & ille iudex, & arbiter eſt omnium quæ dicuntur, aguntur, cogitantur à mortalibus. Ille idem cuique quod meretur perſoluet. Homines aliquando vel gratia, vel muneribus, vel amicitia, vel timore, vel alia demum de cauſſa à iuſtitia tranſuerſi aguntur: Deus nunquam; cuius iuſtitia manet in ſæculum ſæculi, voces ſunt Dauidicæ. Ediſcat adoleſcens venuſtum hoc diſtichon ex lib. 1. Anthol. tit. 6. εἰς ἀνταπόδοσιν in retributionem. Promiſsione cæleſtis vindictæ ad iniuriarum tolerantiam hortatur.

Τλῆθι, λέων, ἅπαντα παθὼν τετληότι θυμῷ.
Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἄδικον νόον ἐκ ἀπατήσει.

Dij pia facta vident. 2.F.

Nihil clauſum, nihil opertum, nihil abſconditum Deo; & pia, & impia facta non eum latent. *Et pater tuus*, inquit Chriſtus apud Matthæum cap. 6. *qui videt in abſcondito, reddet tibi. Quanquam non ſunt Deo oculi carnei: nec ſicut videt homo, & ipſe videbit.* vt habet Iob. cap. 10. Hominibus aliquando videntur bona, pia, ſancta, quæ Deo non placent. Nam nos videmus quæ parent, *Deus autem intuetur cor*, vt dictum legimus à Samuele 1. Reg. 17.

Bonitas.

Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei. 1.Pont.2.

Augustus est ille Deus, in cuius bonitate spem istam magnam, sed heu frustra, reponit. Neque enim ab illo saltem exilij locum mitiorem impetrare potuit, quamuis toties flagitasset, eumque diis adscripsisset, & Ioui æquasset. Porrò impedimentum nullum, de hominibus per assentationem interdum dicta gloriosiua, ad Deum caput, & fontem, & mare bonorum omnium accommodare. *Nemo bonus nisi vnus Deus*. Marci 10. Deus itaque qui bonorum nostrorum non eger, vt est apud Danidem, propter seipsum in non merentes, & ingratos etiam beneficus est. Qui si vellet benefacta nostra cum malefactis comparare, plus pœnarum quam donorum in nos iure conferret.

Potentia, & voluntas.

——immensa est, finemq; potentia cæli
Non habet, & quicquid superi voluere, peractum est. 8.Met.

Cæli potentiam vocat cælites potentes, quam ait nullis terminis circumscribi, & quidquid illi volunt, mox, sine procrastinatione fieri. Idcirco peractum est dixit, vsus præterito, vt hoc ipsum indicaret. Possem è diuinis libris adducere multa, quibus de Deo nostro hæc verisimè affirmari demonstrarem. Sed quoniam obuia sunt, tacebo. Satia est & esse, & credi, & appellari omnipotentem: quod epitheton poëtæ tam falsò Ioui, quam diuinitatem, & regnum inter deos tribuerunt. Accense his ex 3.Trist. eleg.8.

Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit vt inferius, suppositumq; Deo.

D.

XXXII. Discordia.

Tanta est discordia fratrum. 1.Met.

Vim proverbij continet hoc ἐπιφώνημα, de luctu ventorum. Ei exponendo occasionem dabunt inter eos natæ dissensiones, lites, odia, inimicitiæ, pugnæ, qui plurimum inter se diligere debuerunt ob commune vinculum aut ciuitatis, aut religionis, aut familiaritatis, aut sanguinis, &c. Ecce, cum Saluator dixerit apud Matthæum cap.23. de omnibus in se credentibus, eos esse inter se fratres, quantæ inter hos fratres per tot hæresiarchas concitatę sunt toto orbe terrarum discordiæ? quas nullę conciones, nulla miracula, nulla volumina redigere in antiquam concordiam queunt.

XXXIII. Dolor recens, aut affectus vehementior.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet. 1.Rem.

Et monentes, & consolantes cauere debent, ne vulnus quod sanare student, maius faciant, si nimirum eo nimium recenti manua admoneant. Ideo subiicit Naso.

Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
Iam sinit, & veris vocibus aptus erit.

Agens de dolore matris suæ Heluiæ consolando Seneca, expectabam dum ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se, ac tractari pateretur. Cæterùm quomodo vulnera recentiora sanatu faciliora sunt: vbi corrupta in malum vlcus verterunt difficilius curantur: ita dolor, aut affectus inueteratus non molli, sed duriore admonitione non tam curandus, quam frangendus est. Vide eundem philosophum Consolat. ad Martiam cap.1. in fine.

E.

XXXIV. Euentus.

Exitus acta probat; careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putat. ep.2.

Quam

Quam quisque prudenter, vtiliter, fæliciterque consuluerit sibi, ac rebus suis, euenta loquuntur. Quæ cum in arbitrio nostro minimè sint, & omnia prouidere, atque explorata habere mens humana non possit, non semper ex euentu sinistro consilium, siue factum condemnandum, neq; semper ex euentu prospero commendandum est. Præter opinionem enim, & culpam in vtramque partem multa accidunt. Sed mos est hominum ex euentis iudicium facere, quod queritur M. Tullius ep. 7. ad Lentulum lib. 1. his verbis (agebatur autem de restitutione regis Aegypti Ptolemæi in regnum, quem honorem etiam qui Lentulo inuidebant.) Sed hæc sententia sic & illi, & nobis probabatur, vt ex euentu homines de tuo consilio existimaturos videremus. Si cecidisset vt volumus, & optamus; omnes te & sapienter, & fortiter: sin aliquid esset offensum: eosdem illos & cupide, & temere fecisse dicturos.

XXXV. Exercitatio, & vsus.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager
Tempore qui longo steterit male curret, & inter
Carceribus missos vltimus ibit equos.
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit
Si qua diu solitis cymba vacauit aquis. 5.T.13.

Amico hortanti, vt tristitiam scribendis carminibus leuiret, inter alia rescribit, ab ingenio se minus bene valere, quod in illa calamitate, & mœrore continuo cum non exerceretur, quædam velut rubigo ferri nitorem obduxerit, & obstupefecerit. Sic alibi. *Ingenium fregere meum mala.* Hoc autem cessantibus diutius ingeniis solere contingere, tribus perquam appositis similitudinibus pro notissima omnibus vbertate sua & probat, & illustrat; quarum prima ab agro inarato, altera ab equo cursore, postrema à naue diu in portu, seu nauali retenta ducitur. Omnibus his intermissio, & quies nocet: ita etiam ingenio. Quanquam illa quies eius ingenij non ab inertia, sed à miseria qua inuoluebatur, profecta est.

Æra nitent vsu, vestis bona quærit haberi;
Canescunt turpi tecta relicta situ. 1. Am. 8.

Quò magis exercetur instrumentum aliquod ferreum, eò euadit nitidius. Finis, & scopus vestis non est, vt in arca blattis, & tineis depascenda seruetur, & veterascat; sed vt geratur, & corpus operiat atque ornet. Domus quæ non habitatur, situ, & squalore horret. Hæc tria simul, aut vnum quodque separatim vim habet adagij, & vsu terendum mouet, quod nos terendum putabimus, siue illud animatum, siue inanimum, ne inutile fit, immò ne dispereat.

Solus & artifices qui facit vsus, adest. 2. Art.

Sunt quæ solo vsu discuntur, vt linguæ barbaræ, & quædam artificia. Sunt quæ præceptis quidem discuntur: sed citra vsum non perdiscuntur, & sine multo vsu artificem laudabilem non faciunt. Siquidem in vniuersis pænè rebus bene exercitatos, & tritos inexercitatis longè anteponimus. Deniq; tantùm valet vsus, vt eum omnium magistrorum præcepta superare scripserit M. Tull. 1. de Orat. Non itaque inscitè Ouid. vsum creare artifices.

XXXVI. Ex malo bonum.

Sæpe creat molles aspera spina rosas. 2. P. 2.

E squilla (quod est herba genus apud Plinium) non nasci rosam, neque hyacinthum, nec ex ancilla ingenuum, dixit Theognis. Quo prouerbio significant eruditi, ex probis probos, ex improbis improbos nasci liberos. Possumus idem ad alia conuertere, vt ad magistros, pædagogos, duces, à quibus, (si mali sint, & indocti, atque imperiti) non prodeunt boni discipuli, ac milites. His etiam annumeranda illa Euangelica μήτι συλλέγουσιν..., *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Matt. 7. Veruntamen cum historiæ testentur, nonnunquam bonos, & probabiles filios extitisse de parentibus non bonis, & illaudatis, & de spinis videamus rosas erumpere, & incommoda sæpe, quanquam per accidens, vt philosophi loquuntur, commoda generent, quorsum hoc Ouidianum tendat, facilè quiuis animaduerterit.

F.

XXXVII. Fama.

Ipsa quid in cælo rerum, pelagóque geratur,
Et tellure videt, totumq́ inquirit in orbem. 12.Met.

Vide ibidem totam eius descriptionem, diserram, & illustrem. De eadem 9.Metam. *fama loquax, quæ veris addere falsa Gaudet. & è minimo sua per mendacia crescit.* Habes & aliam breuiorem 4. Aeneid. Rumor cum fama sæpe confunditur. Inde Propertius eleg.18. lib.2. de velocitate. & latissimè vagante fama. *Et terram rumor transilit. & maria.* Plaut. apud Festum. *nullam rem citiorem esse apud homines, quàm famam reor.* Famam, seu existimationem bonam de nobis, præstare diuitiis, ait 2. de Orat. Cic. Bonum nomen vocat Scriptura sancta, & similiter diuitiis multis anteponendum censet. Prouerb.22. Agesilaus Lacedæmon. rex interrogatus, quo pacto quis bene audire apud homines posset, respondit; si loquatur quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima. At Socrates idem percunctanti; si talis esse studeat, qualis haberi vult. Famam popularem negligendam suadet Horat. ep.16. lib.1. quia viri boni existimatio ex recta conscientia, non ex opinione vulgi, quo nihil inconstantius, pendere debet. De Claudia Vestali, quam mundior cultus in suspicionem stupri apud populum vocarat, 4.Fast.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Sed famæ inuigilare iuuat. Quis nosset Homerum
Ilias æternum si latuisset opus? 3.Art.

Pub. Syrus. *Honestus rumor alterum est patrimonium.* Aeternum opus Ilias, id est, æternùm, ac semper mansurum, aut æternitate dignum, Homeri nomen apud omnes gentes nobilitauit. Ipsum Homerum vocat æternum Tibull. ub immortale eius carmen. Semper florentem Lucretius. Idem de Latino Homero, & de quibus suis primi ordinis scriptoribus affirmemus licet, quos ipsorum scripta multo quam vita paucis nota, & res gestæ (si fortè quippiam ad memoriam insigne gesserunt) notiores posteritati effecerunt. Inuigilandum famæ, nec cum vita dimittendam propagationem nominis nostri, aut eam silentio pecorum instar transeundam in procemio Coniurat. iudicauit Sallustius. Nos vt secundùm virtutem, & diuinas leges viuamus, & quantum possumus, vt multis opera nostra, ac labore prosimus, contendamus. De fama Deus viderit, cui soli omnis honos, & gloria debetur. Memorabile ἀξίωμα. Plinius ep. 8. lib.1. sequi enim gloria, non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est.

Et memorem famam qui bene gessit habet. 2.F.

Memorem famam dixit, sicut Virgil.1. Aeneid. memorem Iunonis iram. Gloria vmbra virtutis est, inquit Seneca epist.79. etiam inuitos comitabitur. Sed quemadmodum vmbra aliquando antecedit, aliquando sequitur: ita gloria aliquando ante nos est, visendamq́; se præbet: aliquando in auerso est, maiorque quo serior, vbi inuidia secessit.

XXXVIII. Fastidium ex crebritate.

Scilicet & veteres fugiunt iuga sæpe iuuenci,
Et domitus fræno sæpe repugnat equus. 4.T.6.

Nihil singulare videri oportere, si ipse iam bienuium in exilio degens, ei tolerãdo asuescere nondum potuerit: cum etiam boues, qui pluribus annis traxerunt iugum, sæpe tamen calcitrent, & repugnent iugo, & caballi frænis asueti, sæpe nihilominus eadem ægrius accipiant. Prouerbiale distichon de iis, qui in laboribus, & negotiis sibi consuetis molestiam interdum, & fastidium sentiunt.

XXXIX. Forma, & facies.

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugáque in antiqua fronte senilis erit.
Iniicietq́ manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente venit. 3.T.7.

Quæ obrepit non intellecta senectus, vt ait Iuuenal. Sat.9. seu tacito pede venit (quod noster ali-

cubi de mortis accessu) quid mirum si vultus elegantiam vitiet, ac rugis deformet, cum nil nisi flos quidam sit pulchritudo: florem autem sub frigora prima demittere caput, & marcescere cernamus? Et quid senectus nisi ætatis nostræ hyems? Hyeme autem squalent, & marcent, & lugent quodammodo omnia. Coloris illa suauitas in pallorem, frontis nitidissimę lęuor in sulcos, læti illi oculorum honores in lippitudinem, illa totius faciei serenitas in atram nubem commutatur. Adnectam versus, eiusdem cum propositis argumenti. 2. Art.

Forma bonum fragile est. quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent.
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam venient cani, formose, capilli,
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Et lib. 3.

Quam cito (me miserum) laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit ore color?

Libello de medicamine faciei, si modo est γνήσιον.

———— formam populabitur ætas,
Et placidus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit quo vos speculum vidisse pigebit:
Et veniet rugis altera caussa dolor.

Sint procul à nobis iuuenes, vt fæmina, compti.
Fine coli modico forma virilis amat. ep. 4.

Mulierum est proprium, sese comere, & ornare miris modis, si ornamenta modò suppetant, & velle pulchras, ac decentes conspici, quamuis hoc ipso quod natura, & citra fucum pulchra sit, satis vnaquæque ornata videatur. Expressit hoc ingenium, immodicumque studium in ditioribus, & bene dotatis Plautus Aulular. At verò in Pœnulo quam facetè?

Negotij sibi qui volet vim parare,
Nauem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent, forte si occeperis exornare.
Neque vnquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis vlla ornandi satis satietas est.
Nam nos vsq; ab aurora, ad hoc quod diei est,
Postquam aurora illuxit, nunquam cessauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi, &c.

Ab huiusmodi industria viros, (si quidem viri magis quam fæminæ, id est, fæminea præditi mollitie sunt) abesse quam longissimè conuenit, moderata contentos munditia, suaque ornamenta in prudentia, & consilio constituta arbitrantes. Inde 1. Art. *Forma viros neglecta decet.* Corporis cultus affectatior Demostheni, & Hortensio oratoribus infamiæ fuit. Gellius lib. 1. cap. 5. Ridiculum, quod posterior etiam diem dixit ei, qui forte obuius factus, togam homini belle compositam in angiportu quodam disturbauerat. Sed de vtriusque mollitie, & exquisita nimium munditia, & elegantia fusius Pet. Crinit. lib. 6. cap. 9. Quanto magis cincinnuli, vnguenta, & pigmenta, & olfactoriola virum dedecent? Medos in hac leuitate notat Xenophon lib. 1. de vita, & disciplina Cyri. Et cum videret illum (Astyagem regem auum Cyrus puer, ex Mandane filia nepos) oculorum pigmentis, ac fuco, appositaque coma ornatum, vt Medica consuetudo ferebat (hæc enim omnia Medorum sunt, purpureæ tunicæ, pallia, torques, armillæ, &c.) cum his, inquã, rebus ornatum videret, intuens eum, ô mater, inquit, vt pulcher meus auus? Omitto illa dedecora humani generis, Sardanapalos, Heliogabalos, Nerones, qui se omninò in fæminas mutare conati sunt.

Laudaret faciem liuor quoque. 10. Met.

De Adonide dictum ὑπερβολικῶς, cuius formæ sunt. Ne Momus quidem reprehendat. Ne Pitho quidem ipsa persuaserit. Hanc arcem ne Mars quidem ipse expugnarit, &c. Vide prouerb. Momo satisfacere.

Dat facies animos, facie violenta Corinna est. 2. Am. 17.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam. 1. F.

Duorum versuum non eodem loco positorum similis est sententia, fœminas de forma sibi nimium placere, & putare se quantiuis esse. Id ex eo nascitur, quod sciunt quantum illa naturæ blandia-

tur, prorsus vt nihil magis. Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν nominabat, regnum sine satellitio, quod formosi citra vim imperent, & obtineant quod volunt. Laërtius. Copiosius hoc differit in laudatione Helenes Isocrates. Adde verbum Tertulliani. Decor naturaliter est inuitator libidinis. Cui consonat Theophrastus, qui tacitam fraudem appellauit, quia sine verbis persuadet ac decipit.

Delectant etiam castas præconia formæ,
Virginibus curæ, grataque forma sua est. 1.Art.

Non solum meritoriæ forma sua, qua cupiunt, & inficiunt infælices animas, sed etiam nuptæ, item adhuc intactæ se formosas esse natas non dolent. Illud enim quamuis apud scriptorum neminem legerint, norunt omnes, natura hominibus insitum esse amorem pulchrorum, & formosis primo aspectu nos conciliari. Est insuper ideo grata virginibus sua forma, quod iam se dotem satis magnam habere, & maritos non difficulter adepturos confidunt. Nam vt scripsit Afranius.

Formosa virgo est, dotis dimidium vocant
Isti, qui dotes negligunt vxorias.

Præcipuè autem forma virginitati perpetuę honori est, quoniam cum re αὐτουργῷ, & sine opera illarum existente, voluntaria, & quidē pulcherrima, & sanè difficillima virtus coniungitur. Quo mihi aptum videtur quod lego apud Isocratem, in Encomio illius, qua tota Græcia formosiorem non vidit. τοὺς δ' ἂν τὴν αὐτῶν ὥραν διαφυλάξωσιν, ἄβατον τοῖς πονηροῖς ὥσπερ ἱερὸν ποιήσαντες· τούτους εἰς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τιμῶμεν ὥσπερ τοὺς ὅλην τὴν πόλιν ἀγαθόν τι δράσαντας. Qui vero ita suam formam custodiunt, vt tanquam in templum nullus improbis pateat aditus: eos reliqua ætate, perinde ac si toti ciuitati benefecissent, honoramus.

Fœdera seruasset, si non formosa fuisset. 2.F.

Tutissimæ sunt deformes: & impatientioris libidinis argumentum habetur cum talibus Venerem exercere. Illis aliis ad pudicitiam tuendam plerumq; non tam prodest, quam obest præclara species: insidiatores enim parat, qui thesaurum illum vel prece, vel pretio, vel vi etiam auferre molintur. Quibus omnibus constanter, & vsque ad mortem repugnare, etsi naturæ puellari perdifficile apparet, inuentæ sunt tamen, quæ de his omnibus triumpharunt, Christianæ potissimùm, & quidem magno numero.

Forma Dei munus. 3.Art.

Hoc non aliunde melius, & euidentius probatur, quam quod sanctæ litteræ, quibus nihil grauius, tot fæminas, Saras, Rebeccas, Rachaëles, Iudithas, Estheras, Abigail, Susannas, filias Iobi à singulari pulchritudine commendant, quasi monentes, à Deo illis donatum hoc donum. Viros quoque, vt Mosen, Iosephum, Danidem, Absalonem, Adoniam, Danielem, & socios. Quamuis ergo semet non commendaret forma, nihilominus cum ex ore hominis non Christiani audimus formam Dei munus esse, eam contemnere minimè debemus. Verumenimuero tantam habet illecebram, vt verēdum hoc non sit, ne in viris quidem religiosis admodum, ac spiritualibus, qui non omnes adhuc naturæ tuniculas exuere, ac se nudare penitus queunt, quandiu in isto tabernaculo commorantur. A sapientibus pulchritudo futuræ virtutis quoddam indicium, & tanquam præludium existimatur. Max. Tyrius dissertat. 9. Sicut enim solis exortum præcedit fulgor quidam in summitate montium, quo vehementer delectantur oculi, quòd aliud expectent: ita animæ splendorem splendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur philosophi, quia aliud mox venturum vident.

XL. Fortuna.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modò læta manet, modò vultus sumit acerbos,
Et tantum constans in leuitate sua est. 5.T.9.

Putarunt antiqui, sed insipienter omnino, res humanas à diuina, & communi vi quadam, vaga, & volubili, nullo ordine, nullaq; ratione, sed temerè, & inconsultò administrari. Quam diuinam vim vagam, atque volubilem ideo appellauēre fortunam, quia repentina quadam voluntate, & fortuitò, nullam habens neque personarum, neque locorum, neque temporum rationem bonas, malasque res quibusuis hominibus inserat. Vnde illi cornucopiæ, & gubernaculum affingunt, quod opes distribuat, & humana gubernet. Hanc deam poëtæ omnipotentem appellarunt; oratores in omni re dominari dixerunt, &c. Hæc Ioan. Viperan. de Prouidentia lib. 2. cap. 14. quæ ego huic loco illustrando peropportuna ratus sum. De inconstantia fortunæ notanda item illa Senecæ, Quæst. natural. lib. 3. in præfat. Quanto satius quid faciendum sit, quam quid factum sit quærere: ac docere eos, qui permisere sua fortunę, nihil stabile ab ea datum esse, eius omnia fluere aura mobilius? Nescit enim quiescere: gaudet

lætis tristia substituere, & vtraque miscere. Itaq; in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerum.

Nempe dat, & quodcunque libet fortuna rapitque,
Irus & est subitò qui modo Crœsus erat. 3.T.7.

Ad facultates rerum, & copias hoc distichon spectat, quas dare fortunam, & auferre, & è locuplete mox mendicum ait reddere. Seneca ad Heluium cap.5. Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem agere: omnia illa, quæ in me indulgentissimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam eo loco posui, vnde posset ea sine motu meo repetere, &c. Potest nihilominus ad statum quoque, & conditionem referri, cum quis de summo gradu, ac fastigio ad vltimum deprimitur, & fit quod in Captiuis ait Pseudophilocrates;

Sed viden? fortuna humana fingit, artatq; vt lubet.
Me, qui liber fueram, seruum fecit, è summo infimum.
Qui imperare insueueram, nunc alterius imperio obsequor.

Menander.

Ἄνθρωπος ὢν μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης.
Natus homo sortis esto communis memor.

———sed scilicet vltima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremáque funera debet. Met.3.

Beati hoc loco sunt, quibus ad vitam commodissimè in omni rerum affluentia traducendam nihil deest: & ita sonat bene beateque viuere Latinis auctoribus, honestè scilicet, & fælicitatibus circumfluentem viuere. Iam enim vita, quam longa est, fortunæ ludibriis exposita, ab eaque conditione liber sit nemo, testenturque historiæ, etiam principes, & reges ante diem supremum redactos ad miseriam, quis non intelligit, quam prudenter, & verè hoc à poëta proferatur? Nota sunt exempla Dionysij Iunioris, Pompeij, Cæsaris, Mithridatis, Xerxis, &c. Baiazetus rex Turcarum, & Valerianus Imp. Roman. Tamberlani Scytharum, & Sapori Persarum regibus equum conscensuris dorsa proscabello præbere coacti sunt. Potest hoc quoq; in virtute, & sanctimonia contingere, vt quis transuersim abeat, quamuis diu sanctè vixerit. Quocirca & Ecclesiasticus cap.11. ante mortem vetat laudare quenquam.

Nil adeo fortuna grauis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum. 4.P.4.

Aduersa fortuna non vsque eò sæuit, nec ita est pertinax, vt ab se afflictis nullum solatium, nec minimum respirandi tempus concedat. Ipse poëta, cum se grauissimè dirissimo exilio punitum toties prædicet, fatetur tamen, se oblectari nonnunquam & versiculorum scriptionibus, vt calamitatum suarum tantisper obliuiscatur, & amicorum ad se litteris; quibuscum ipse vicissim rescribens loquebatur. Vident interdum, audiunt, sentiunt, & recogitant miseri, vnde aliquantum, & aliquanto spatio leuentur. Alioqui durare qui possent?

XLI. Fragilitas humana.

———video meliora, probóque,
Deteriora sequor. Met.7.

Sic inter cætera Medea, deliberans de cæde duorum liberûm, quos Iasoni marito genuerat, quòd ille aliam superinduxerat, Creusam nempe Creontis Corinthiorum regis filiam. Sunt autem de lucta rationis, & affectus. Illa sursum tendit; hic deorsum vergit. Illa tota pura, & lucida: hic sordibus, & tenebris obsitus. Illa videt, & probat virtutem: hic illicit ad vitium. Illa imperare vult: hic parere detrectat, adeoque contumax, & rebellis frequenter est, vt dominam, & reginam suam ancillari cogat, & aliâs huc, aliâs illuc secum abripiat. Tanta est naturæ nostræ imbecillitas: cui, nisi diuina ope succurritur, actum est de salute. Dixit Apostolus in eandem sententiam cum Nasone ad Rom. cap.7. *Non enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.*

G.

XLII. Garrulitas.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit. 2.Am.2.

Tantalum apud inferos alij metu saxi, eius capiti semper impendentis, alij fame, & siti collo tenus summersum cruciari scripserunt. De caussa æquè dissentiunt. Noster ob incontinentem linguam (quia videlicet cum esset deorum conuictor, eorum arcanos sermones hominibus euulgarit) sempiterna siti, & esurie, dum aqua, & poma ori captantis imminentia semper refugiunt, damnatum ait, vt in eo membro pœnas exsolueret, quo peccarat. Vide Natal. lib. 6. cap. 18. Ex aureo Plutarchi Commentario de garrulitate vnam duntaxat sententiam huc adscribam. Nullus sermo dictus ita proficit, vt multi taciti. Quod enim tacitum est, aliquando dici potest: at non taceri quod dictum est. Nam effusum est, & ad multos transiit. Quare puto, quòd dicendi quidem magistros habeamus homines, tacendi autem deos, silentium in initiis, mysteriisque per manus quasi accipientes. Vitium hoc ἀθυρογλωττία, & ἀθύρωτον, ἢ ἀπύλωτον στόμα dicitur, id est, lingua sine ostio, & os sine foribus, semper apertum ac patens, videlicet ad fabulandum.

XLIII. Generosa indoles.

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus. 2.P.11.

Ab animante generoso ostendit quid faciat generosus animus. Cum per se ad gloriosos labores feratur, cohortatione ad eosdem capessendos fit alacrior. In bestiis etsi veræ virtutes non insunt, quoniam ratione destituuntur, sine qua constare illæ nequeunt, sic enim definitur virtus: est habitus, quo libera voluntas ad agendum rectæ rationi conuenienter incitatur: tamen virtutum quædam similitudines insunt: ac proinde illarum exempla hominibus, in quos vera cadit virtus, à scriptoribus sæpissimè proponuntur. Huiusmodi plena sunt hieroglyphica Pierij, & historiæ animalium apud Plinium, & Aristotelem.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit
Cum quos prætereat, quosq; sequatur habet. 3.Art.

Carcer pro carceribus. Sunt verò carceres vnde erumpunt quadrigæ, seu vnde currus effunduntur in ludis curulibus, & equestribus. Virgil. 5. Aeneid. *ruuntq; effusi carcere currus.* Numero singulari carcer quasi arcer, ab arcendo, vnde prohibemur exire, & locus in quo seruantur noxij: inde enim seris, & claustris obiectis exire vtiq; prohibentur. Aemulatio nobilem equum in cursu accendit, cum se alios præteriisse, alios adhuc prætereundos sibi conspicit. Ita nos litteris consecrati, reputantes quibus superiores euasimus, ea victoria pro calcari ad æquandos, aut superandos quibus adhuc inferiores sumus, vti debemus. Tale certamẽ gloriæ ex re militari extollit in veteribus Romanis Sallustius in Coniurat. cum sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properaret: & eas diuitias, eam bonam famam, magnamq́ue nobilitatem putaret.

Quod licet, & facile est, quisquis cupit. 2.Amor.19.

Quæ facilia, & in medio posita sunt, laudem habent exiguam, tametsi vituperatione carent. Hoc menti generosæ satis non est, quæ ad ardua, vbi sita laus, enititur, & laboribus alitur. Propertius lib. 4. eleg. 11.

Magnum iter ascendo: sed dat mihi gloria vires.
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Non placere, & ingrata sibi præmia profitetur, quæ citra laborem magnum pariuntur: quæ quis, vt Græci loquuntur, ἀνιδρωτὶ, ἀκονιτὶ sine sudore, ac puluere consequitur.

Qui monet vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo. 5.T.15.

Volunt, iuxta prouerbium, currentes incitare, qui ad aliquid sponte sua paratos, ac promptos verbis extimulant. Et quò admonitio, seu extimulatio illa iucundius accipiatur, hoc ipsum se velle, currentes inquam incitare, solent addere, qui hortantur. Ita hortando laudant, & quæ fiunt approbant. Plin. Caninio. Scio te stimulis non egere: me tamen tui charitas euocat, vt currentem quoque instigem. Plerumq; item has voces interiicimus, quod facis, sicut facis: ad molliendam cohortationem idoneas scilicet. Crassus 1. de Orat. ad Sulpitium, & Cottam eloquentiæ candidatos, immo oratores non mediocres; siquidem tantam iam erant facultatem adepti, vt non æqualibus suis solum anteponerentur, sed maioribus natu compararentur. Quamobrem pergite, vt facitis, adolescentes, atq; in id studium in quo estis, incumbite: vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & reip. emolumẽto esse possitis.

XLIV. Gloria.

Ardua per præceps gloria vadit iter. 4.T.3.

Præceps

Præceps iter pro arduo, & accliui, vt opinor, posuit, vnde nimirum præcipitium est, nisi caues. Aliter adeptionem gloriæ facilem intelligemus, cum tamen difficilis sit. Præterea cur aliquem ad gloriam eniti, & contendere dicimus, si iter ad illam decliue, ac pronum est? Quod si virtus habitat in arduo, & gloria eius est comes, an non cum ipsa ascendit potius quam descendit? Gloriam, ait Seneca ep.102. multorum iudiciis constare, claritatem, bonorum. Esse videlicet laudem bono à bonis redditam. E græco κλέος deducunt, quasi cleoria. Sed vt quædam non vera virtus, sic quædam falsa gloria, cuius vmbras consectari, leuitatis est.

Excitat auditor studium, laudatáque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet. 4.P.2.

Ad oratores, & poëtas potissimùm referendum, qui olim suis recitationibus plausum audientium aucupabantur, de quo in Commentariis multa satis. Quod ait habere immensum calcar, id explicabitur hoc M. Tullij testimonio ex 2. Tuscul. Natura nihil præstantius habet, nihil quod magis expetat quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. 3.P.9. *Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem.* Quam sententiam inuenies à me expositam in calce libri huius.

Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fæcunda facit pectora laudis amor. 5.T.13.

Generatim ad recte facta inuitamentum magnum honos. Plutarchus de tranquillitat. animi, ex Pindaro. Negotiis multis, curisque implicaris? ne aqua quidem calida vsqueadeo mollia membra souet, vt honores & gloria cum potestate iuncta suauem laborem faciunt, & languorem facile exsudabilem. Idem alit artes, & vt noster ait 5.T. eleg.1. *Ingeniis stimulos addere fama solet.* Cic.5. Philip. Nihil est vera gloria dulcius. Præ qua vitam quoq; & fortunas omnes quidam paruipenderunt, vt Curtij, Decij, &c.

XLV. Gratus.

Sed qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum. 4.P.8.

Duo sunt genera grati hominis. Dicitur gratus, qui aliquid pro eo quod acceperat reddit. Hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra cõscientiam clausus est. Qui, etiamsi vltra facere nihil potest, amat, debet, referre gratiam cupit. Quidquid vltra desideras, non ipsi deest. Seneca de Benef. lib.4. cap.21. Idem lib.3. cap.2. Ad reddendam gratiam & virtute opus est, & tempore, & facultate, & aspirante fortuna. Qui meminit, sine impendio gratus est. Ex his patet probè dixisse Ouid. abunde gratum esse, qui dedit quantum maximum potuit, etiamsi parum dederit. Virtus enim gratitudinis ex animo potissimùm spectatur. Cic.2. Off. Commodè quicunque dixit, pecuniam qui habeat non reddidisse, & qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat, retulisse. Exempla gratorum recenset Aelian. lib.4. cap.5. Vide & Valer. lib.5. cap.2.

H.

XLVI. Homerus.

Aspice Mæoniden, à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Non sit finis, si Homerum ex Græcis, & Latinis auctoribus suis exornare laudibus velim. Panca ad propositam sententiam illustrandam producam. Aelian. Ὅμηρον τὰ πρῶτα πάσης ποιητικῆς δίδομεν, Homerum totius poëseos principem statuimus. Luciano est μέγας ἀληθείας ὑποφήτης, καὶ ἄριστος ποιητῶν magnus veritatis interpres, & poëtarum præstantissimus. Platoni in Phædone θεῖος ποιητής, in Alcibiade 2. θειότατος ποιητής, diuinus, diuinissimus poëta. Valer. Max. vates maximus, ingeniique cælestis. Theocritus γλυκερὸν στόμα Calliopes dulce os appellat. Omitto Ennium, qui Homeri animam in suum corpus immigrasse, & hinc se poëtam factum dictitabat. Item Lucretium, qui lib.3. poëtas Heliconiadum comites vocans, Homerum eorum sceptra potitum affirmat. Et Manil. lib.2. qui posteritatem poëtarum ex eo ceu latissimo amne tenues deduxisse riuos ait. Hieronymi Vidæ poëtæ non ignobilis versiculos ex 1. poëticorum tibi recito.

Haud multus labor, auctores tibi prodere Graios,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus.
Hunc omnes alij obseruant, hinc pectore numen

Concipiunt

Haud scio propriè magis asuetudinem, an consuetudinem vocaremus duritiam illam, & patientiam in rebus malis. Nam & ipse poëta *asuesce* malult, quam *consuesce*. Et 2. Art. *nihil asuetudine maius*. Virgil. tamen de stirpibus 2. Georg. *adeo à teneris consuescere multum est*. Et in eodem de vitibus,

Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Asuescant, summosque sequi tabulata per vlmos.

Vtamur sanè pro eodem, teneamus que omnia dura molliri, grauiora reddi leniora, & acerba suauiora assiduitate, & consuetudine. Immo enimuero tempore procedente, & capta consuetudine, non modò difficilia, sed etiam quæ impossibilia initio videbantur reddi facillima dictum est à Polybio. Cogita, inquit Seneca de Tranquillit. animi cap. 10. compeditos primò ægre ferre onera, & impedimenta crurum: deinde, vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facilè. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod cum sciret quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret, si rerum aduersarum eandem vim assiduitas haberet, quam primus ictus. Fit leue quod bene fertur onus, vt dixit 1. Amor. 2. magna vis est vetustatis. Vide tit. Tempus, &c.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus & asueta ponere in arte iuuat. 1. P. 6.

Diuersa sunt hominum studia, exercitationes, actiones, quia non vnius generis propensiones, ac naturarum inclinationes, & cuique suum velle. Ita fit, vt cum vita humana multimodis rebus egeat, ei omni ex parte succurratur. Et laudandi, qui etiam ad infima opificia discenda feruntur, in quibus æquè, vt alij in ciuilioribus, acquiescunt, quæ interdum, quam illa, lucrosiora sentiuntur. Hoc nisi & in studiis artium honestarum fieret, in vnoquoque ordine viros tam excellentes non reperiremus. Nunc quod alios rhetores, alios grammaticos, alios philosophos, alios mathematicos nominamus, inde est, quia quarum disciplinarum duce natura, & ingenio cupidiores erant, in iis plurimum temporis consumere voluerunt. Prouerbium Græcorum ait esse 1. Tuscul. Cicero, quam quisque nouit artem, in ea se exerceat. Quo admonemur, vt quæ non didicimus, ea ne vsurpemus; sed scientibus relinquamus, nostra autem actitemus. Hoc nonnihil mutatum ex Euripide in aliam sententiam adduxit Plato, nempe, suo quemque vitæ instituto, studioque, in quo clarus sit, impensius affici, & delectari, quod in eo se laudem maiorem assecuturum confidat. Plura parœmiographus. Hoc distichon repetemus num. X C I. nihil quippe absurdi, idem alio atque alio respectu bis ponere. Hic consuetudinem, ibi voluptatem intuemur.

———paupertatemque ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam. 8 Meta.

Cum Iupiter, & Mercurius humana specie operti Phrygiam peragrantes à nemine hospitio exciperentur, ad extremũ eos Philemon, & Baucis coniuges rustici, & à re familiari admodum tenues, hilariter exceperunt, &, vt potuerunt, benignè, ac studiose tractarunt. Hos ait Poëta æqua mente ferendo paupertatem suam sibi tolerabilem, ac leuem effecisse, sic, vt nec de fortuna quiritarentur, nec de re augenda essent solliciti. Huc item licet trahamus illam generalem Horatij sententiam de patiendis incommodis, Ode 24. lib. 1.

Durum, sed leuius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Licebit præterea dictum illud, M. Tullij, nisi fallor, nihil est tam facile, quod non fiat difficile, si inuitus facias. *ἀντιστρόφως*, seu per commutationem sic efferre. Nihil est tam difficile, quod non fiat facile, si libenter facias. Haud alienum his epigramma Palladę, lib. 1. tit. 13. *εἰς βίον ἀνθρώπινον* in vitam humanam, cuius hæc interpretatio. Si te fatum, & fortuna fert, tu quoque fer ipsam, & te ferri sinas. Si indignaris, & calcitras; & tibi exhibes negotium: & nihilominus fortuna te regit vel nolentem. Seneca. *Volentem fata ducunt, nolentem trahunt*. Sed græca ipsa cape sis.

εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ᾽ ἀγανακτεῖς
καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

XXVII. Contagio.

Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent. 2. Rem.

De fugienda consuetudine, & familiaritate hominum nequam *ἀλληγορικῶς* hoc carmen vsurpabimus. Vt nobilissima, sic tenerrima pars corporis oculus, occulta quadam vi naturæ, intuendo affe-

ctos alterius oculos, facile ipsa quoque afficitur. Speculum à muliere τὰ ἐμμηνία patiente, aspectu infici notum est. Adhæc corpus à corpore, quamuis non tacto, labem, & morbum contrahere, per halitum, & expirationem eodem morbo laborantium, ex leprosis, & pestilentia comprehensis manifestum fit. Cum hoc Ouidiano manda memoriæ & illud: oscitante vno, deinde oscitat & alter. Profertur & Euripidis senarius.

τοιοῦτος ἔστιν, οἵσπερ ἥδεται ξυνών.

Viuit suorum moribus sodalium.

Seneca lib. 3. de Ira, cap. 8. Sumuntur à conuersantibus mores: & vt quædam in contactos corporis vitia transeunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit: impudicorũ cœtus fortem quoque, & silicenm virũ emolliit: auaritia in proximos virus suum transtulit.

Feruida vicino flamma calore nocet. 1. Am. 2.

Etiam hæc allegoria quid moneat obscurum non est. Bene compta, & ornata, &, quo solo ornata est satis, formosa mulier ignis est; ad eum propius ne accedamus, hoc est, oculos in ea ne defigamus: alioqui calescemus plus satis. *Edit molles flamma medullas, & tacitum viuit sub pectore vulnus.* Sunt quæ transitione animis item, & multo grauius quàm corporibus nocent.

XXVIII. Curæ.

Senescunt tempore curæ. 1. Rem.

Omnia recentia quodammodo viridiora, vegetiora, validiora, veterascentia aridiora, infirmiora, & imbecilliora fiunt. Non mirum igitur, si hæc eadem curis contingunt, quæ longinquitate retunduntur, minusque sollicitant, & animos vellicant. Queritur 4. T. eleg. 6. de tempore, quod cum omnia soleat atterere, & labefacere, non possit tamen eius curas in exilio attenuare. Idipsum legimus de aliis. Sed quid plerumque sæpius fiat, spectandum est.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ. 3. Meta.

Curam aiunt dictam quod cor vrat. Cura animi est, inquit Cornel. Fronto, quæ anxium facit hominem, & tam honestæ, quam inhonestæ rei est. Et curam quidem Donatus in conseruatione bonorum: sollicitudinem in metu malorum constituit. Sæpe coniunguntur. Terent. Phorm. *Quanta me cura, & sollicitudine afficit gnatus?* Cic. ep. 15. lib. 15. magna cura, & sollicitudine Atticum, & me liberaris. Curæ itaque seu laudabiles, seu vituperabiles, si assiduæ, & vehementes, ac mordaces fuerint, maciem creant. Ideo qui ad lætitiam, & voluptates cohortantur, iidem à curis, & sollicitudinibus dehortantur. Hinc iocus Plauti in Aulular. de agno macilento. Cum dixisset Megadorus, se ad parandum conuiuium nuptiale etiam agnum misisse, subiicit statim Euclio sponsæ pater,

——— *quo quidem agno sat scio*
Magis curiosam nusquam esse vllam belluam.
ME. *Volo ex te ego scire qui sit agnus curio.*
EV. *Quia ossa atq; pellis totus est, ita cura macet.*
Quin exta inspicere in sole etiam viuo licet,
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

XXIX. Custodia.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.
Casus inest illis, hic erit artis opus. 2. Art.

Eadem mente Demosthenes 1. Olynth. τὸ φυλάξαι τἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον: difficilius est seruare acquisita, quam acquirere. Caussam addit Poëta. Quoniam vt acquiras, sæpe casus adiuuat, qui in manu nostra non est: vt autem tuearis, & conserues quæ comparasti, cura, prouidentia, consilio opus habes. An verò dubitandum est, Alexand. Mag. non minorem fuisse laudem assecuturum, si, quem fortitudine, & armis subegerat orbem, pari sapientia rexisset, tantumque imperium conseruasset?

D.

XXX. Desperata.

Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis. 1. P. 4.

De rebus perditis omnino, & quibus subueniri nulla quasi machinatione potest. Delinimenta magis, quam remedia podagricis admouentur, quos, velint nolint, satis habere oportet, si rarius ac-

cedit podagra, & minus vexat. De eius curatione, cum distinctione, pauca annotaui in Comment. & eò existimo spectare, quod Galen. de se ipso affirmat. multos podagricos, & aliis morbis obnoxios secta vena vere ineunte curauisse. Ibidem quæ essent istæ formidatæ aquæ exposui: ne quis hydropem intelligat, cum etiam hydropicos in desperatis numerare soleamus.

XXXI. Deus.

Misericors, & clemens.

Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpe Iouem vidi cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum. 3.F.

Quæ diuinæ naturæ, soliqúe, ac vni Deo, quem nos Christiani piè sanctéque colimus, conueniunt, superstitiosa antiquitas Ioui, & diis suis immortalibus scilicet nefariè tribuebat. Nobis autem, vt inquit Clem. Alexand lib. 5: Stromat. qui & poëtarum versibus, & iis quæ soluta scripta sunt oratione, canitur Iupiter, in deum refert cogitationem. Ergo inprimis clementes etiam, ac misericordes fingebat, qui sceleribus humanis irritati, precibus, & sacrificiis, quamuis minimè sumptuosis, ad impertiendam veniam facilè mouerentur. Et Iouem ipsum vel thusculo placatum, armatam fulmine dexteram suspendere, & ignoscere. Sic item noster 3. Fast. *ne nimium terrere, piabile fulmen Est ait, & sæui flectitur ira Iouis.* Atque hoc vnum est, quod in deo imitari possumus, misereri, & condonare offensas. Quin iubemur imitari, adeo, vt non simus ipsi misericordiam in cælo consecuturi, si eam fratribus nostris in terris non præstiterimus. Nemo autem è sacris scriptoribus diuinam clementiam, & misericordiam Dauide in psalmis & sæpius, & insignius decantauit.

Crede mihi, miseris cælestia numina parcunt,
Nec semper læsos, & sine fine premunt. 3.P.6.

Audacter peccantes, & cælestis iustitiæ immemores punit Deus. Veruntamen sæpe minus quam pro multitudine, & grauitate criminum, & in medio pœnarum vltro modum facit. Multa & in sacris libris, & in historiis Ecclesiasticis exempla. Vnius meminisse iuuat. Cum peccatum Dauidis in populo recensendo per superbiam commissum puniens, triduo sæuiente pestilentia (quam pœnam rex elegerat) septuaginta hominum millia toto regno extinxisset, omniaq; luctu, & lacrymis redundarent, & angelus domini manum suam super Hierusalem eius disperdendæ extendisset, misertus est dominus super afflictione, & ait angelo percutienti populum, sufficit: nunc contine manum tuam. 2. Reg. cap. 24. Cum igitur Dei in nos ob commeritam noxiam animaduersionem senserimus, illis nos Prophetarum oraculis ad bene sperandum exsuscitemus. *Cum iratus fueris,* inquit Abacuc cap. 3. *misericordia recordaberis.* Et Dauid, vide quam copiosè, & disertè? Psalm. 76. *Nunquid in æternum proiiciet Deus: aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in fine misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem?* Aut obliuiscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas?

Si, quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit. 2.T.

Nulli Cyclopes fabricandis illi fulminibus sufficient, toties in dies, & toto mundo peccatur. Sed iuxta vocem Apostoli ad Rom. diuitiæ bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis dei, ad pœnitentiam nos adducentis non sunt contemnendæ. Ad hoc exemplum vide quomodo Principem formet Seneca lib. 1. de Clementia cap. 20. & 21. Nunc illum hortamur, vt manifestè læsus animum in potestate habeat: & pœnam, si tutò poterit, donet: sin minus, temperet: longeque sit in suis, quam alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est; sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati; nec quidquam esse gloriosius, principe impunè læso. Vltio duas res præstare solet: aut solatium affert ei qui accepit iniuriam; aut in reliquam securitatem. Principis maior est fortuna, quàm vt tali solatio egeat, manifestiorque vis, quam vt alieno malo opinionem sibi virium quærat.

Patitur se laudari à quouis.

Iupiter ingeniis præbet sua numina vatum,
Seque celebrari quolibet ore sinit. 4.T.4.

Alexand.

Alexander Mag. edixit, ne quis alius, præter Apellem, ipsum pingeret: nec præter Pyrgotelem sculperet (in gemma puta) nemo præter Lysippum ex ære duceret. Plin. lib. 7. cap. 37. Cicer. ep. 12. lib. 5. Horat. ep. 1. lib. 2. Plutarch. de fort. Alexand. Ex quibus, excepto Plin. nullus mentionem habet Pyrgotelis. Cur hic rex non nominauit etiam, à quo solo laudaretur? voluit vtique laudari ab omnibus. At Deus & pingi, & fingi, & commendari se patitur à quocunque: non quia honoris eget: sed vt se honorantes honoret. Quod vt certatim, & omni studio faciamus, monet nos Eccles. cap. 43. *Glorificantes Dominum quantumcunque poteritis, superualebit enim adhuc. & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude, &c.*

Ira eius.

Plus valet humanis viribus ira Dei. 5.T.13.

Deus est ἀπαθὴς, omni affectu solutus, & liber: affici enim est mutari, Deus est immutabilis, & semper idem. *Ego Deus, & non mutor*, ait apud Prophetam quendam. At nos, quoniam ab eo effici videmus, qualia solent qui affectionibus tenentur, & pœnas infligi ab eo improbis, & præmia, honoresque tribui bonis, & deiici de gradu superbos, & subleuari oppressos, idem intellige de cæteris, idcirco Deum odisse, & amare, & misereri, &c. asserimus, & quæ hominum sunt, de illo prædicamus: ipseque vicissim vt homo nobiscum loquitur: vsque adeo, vt etiam se videre, audire, odorari dicat, ad captum videlicet nostrum se demittens. De ira Dei nobilem Commentarium reliquit Lactant. modo ne affectus virtutis, id est, iram in malos, charitatem in bonos, miserationem in afflictos, tanquam diuina potestate dignos, & proprios, & iustos, & veros ei dedisset. Eos enim pariter cum vitiosis, libidine, timore, auaritia, mœrore, inuidia remouere ab eo debuit. In eo capite, puta 15. eiusdem libri sic scribit. Nam si nihil est tam conueniens Deo, quam beneficentia, nihil autem tam alienum, quam vt sit ingratus: necesse est vt officiis optimorum, sancteque viuentium præstet aliquid, ac vicem reddat, ne subeat ingrati culpam, quæ est etiam homini criminosa. Contrà autem sunt alij facinorosi, & nefarij, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, peierent, nec consanguineis, nec parentibus parcant, leges, & ipsum etiam Deum negligant. Habet igitur ira in Deo materiam. Non est enim fas, eum cum talia fieri videat, non moueri, & insurgere ad vltionem sceleratorum, & pestiferos, nocentesque delere, vt bonis omnibus consulat. Hactenus ille. Hanc iram Dei pro calamitatis, seu mali inuecti, aut inuehendi magnitudine scriptura frequentet furorem, & iram furoris, & indignationis nuncupat. Plus enim certè est furere, quam irasci, & concitatius quiddam furor quàm ira. Deuteron. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo. & montium fundamenta comburet.* Iam Deo nullas vires humanas, nec vniuersas res conditas simul posse resistere, & ratio docet, & sanctæ litteræ clamant, & experientia ipsa confirmat.

Iustitia, & prouidentia.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis. 13. Met.

Qui onerantur iniuriis, qui à potentioribus circumueniuntur, qui defensorem, & patronum in caussa quamuis iusta non inueniunt, consolentur se hoc versu. Deus videt, & audit omnia, & ille iudex, & arbiter est omnium quæ dicuntur, aguntur, cogitantur à mortalibus. Ille idem enique quod meretur persoluet. Homines aliquando vel gratia, vel muneribus, vel amicitia, vel timore, vel alia demum de caussa à iustitia transuersi aguntur: Deus nunquam; cuius iustitia manet in sæculum sæculi, voces sunt Dauidicæ. Ediscat adolescens venustum hoc distichon ex lib. 1. Anthol. tit. 6. εἰς ἀνταπόδοσιν in retributionem. Promissione cælestis vindictæ ad iniuriarum tolerantiam hortatur.

Τλῆθι, φίλον, ἅπαντα παθὼν τετληότι θυμῷ.
Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἄδικον τίνει εἰς ἀποτίσιν.

Dij pia facta vident. 2. F.

Nihil clausum, nihil opertum, nihil absconditum Deo; & pia, & impia facta non eum latent. *Et pater tuus*, inquit Christus apud Matthæum cap. 6. *qui videt in abscondito, reddet tibi. Quanquam non sunt Deo oculi carnei: nec sicut videt homo, & ipse videbit*, vt habet Iob. cap. 10. Hominibus aliquando videntur bona, pia, sancta, quæ Deo non placent. Nam nos videmus quæ parent, *Deus autem intuetur cor*, vt dictum legimus à Samuele 1. Reg. 17.

Bonitas.

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei. 1. Pont. 2.

Augustus est ille Deus, in cuius bonitate spem istam magnam, sed heu frustra, reponit. Neque enim ab illo saltem exilij locum mitiorem impetrare potuit, quamuis toties flagitasset, eumque diis adscripsisset, & Ioui æquasset. Porrò impedimentum nullum, de hominibus per assentationem interdum dicta gloriosius, ad Deum caput, & fontem, & mare bonorum omnium accommodare. *Nemo bonus nisi vnus Deus.* Marci 10. Deus itaque qui bonorum nostrorum non eget, vt est apud Danidem, propter seipsum in non merentes, & ingratos etiam beneficus est. Qui si vellet benefacta nostra cum malefactis comparare, plus pœnarum quam donorum in nos iure conferret.

Potentia, & voluntas.

——immensa est, finemq; potentia cœli
Non habet, & quicquid superi voluere, peractum est. 8.Met.

Cœli potentiam vocat cœlites potentes, quam ait nullis terminis circumscribi, & quidquid illi volunt, mox, sine procrastinatione fieri. Idcirco peractum est dixit, vsus præterito, vt hoc ipsum indicaret. Possem è diuinis libris adducere multa, quibus de Deo nostro hæc verissimè affirmari demonstrarem. Sed quoniam obuia sunt, tacebo. Satis est & esse, & credi, & appellari omnipotentem: quod epitheton poëtæ tam falsò Ioui, quam diuinitatem, & regnum inter deos tribuerunt. Accense his ex 3. Trist. eleg. 8.

Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit vt inferius, suppositumq; Deo.

D.

XXXII. Discordia.

Tanta est discordia fratrum. 1.Met.

Vim prouerbij continet hoc ἀπόφθεγμα, de Inventorum. Ei exponendo occasionem dabunt inter eos natæ dissensiones, lites, odia, inimicitiæ, pugnæ, qui plurimum inter se diligere debuerunt, ob commune vinculum aut ciuitatis, aut religionis, aut familiaritatis, aut sanguinis, &c. Ecce, cum Saluator dixerit apud Matthæum cap. 23. de omnibus in se credentibus, eos esse inter se fratres, quanta inter hos fratres per tot hæresiarchas concitatę sunt toto orbe terrarum discordiæ? quas nullę conciones, nulla miracula, nulla volumina redigere in antiquam concordiam queunt.

XXXIII. Dolor recens, aut affectus vehementior.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet. 1.Rem.

Et monentes, & consolantes cauere debent, ne vulnus quod sanare student, maius faciant, si nimirum eo nimium recenti manus admoueant. Ideo subiicit Naso.

Aggrediar melius tum, cum sua vulnera tangi
Iam finit, & veris vocibus aptus erit.

Agens de dolore matris suæ Helniæ consolando Seneca, expectabam dum ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se, ac tractari pateretur. Cæterùm quomodo vulnera recentiora sanatu faciliora sunt: vbi corrupta in malum vlcus verterunt difficilius curantur: ira, dolor, aut affectus inueteratus non molli, sed duriore admonitione non tam curandus, quam frangendus est. Vide eundem philosophum Consolat. ad Martiam cap. 1. in fine.

E.

XXXIV. Euentus.

Exitus acta probat; careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putat. ep.2.

Quam quisque prudenter, viriliter, fæliciterque consuluerit sibi, ac rebus suis, euenta loquuntur. Quæ cum in arbitrio nostro minimè sint, & omnia prouidere, atque explorata habere mens humana non posit, non semper ex euentu sinistro consilium, siue factum condemnandum, neq; semper ex euentu prospero commendandum est: Præter opinionem enim, & culpam in vtramque partem multa accidunt. Sed mos est hominum ex euentis iudicium facere, quod queritur M. Tullius ep. 7. ad Lentulum lib. 1. his verbis (agebatur autem de restitutione regis Aegypti Ptolemæi in regnum, quem honorem erant qui Lentulo inuidebant.) Sed hæc sententia sic & illi, & nobis probabatur, vt ex euentu homines de tuo consilio existimaturos videremus. Si cecidisset vt volumus, & optamus; omnes te & sapienter, & fortiter: sin aliquid esset offensum: eosdem illos & cupide, & temere fecisse dicturos.

XXXV. Exercitatio, & vsus.

Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.
Tempore qui longo steterit male curret, & inter
Carceribus missos vltimus ibit equos.
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit
Si qua diu solitis cymba vacauit aquis. 5.T.13.

Amico hortanti, vt tristitiam scribendis carminibus leniret, inter alia rescribit, ab ingenio se minus bene valere, quod in illa calamitate, & mœrore continuo cum non exerceretur, quædam velut rubigo ferri nitorem obduxerit, & obstupefecerit. Sic alibi. *Ingenium fregere meum mala.* Hoc autem cessantibus diutius ingeniis solere contingere, tribus perquam appositis similitudinibus pro notissima omnibus vbertate sua & probat, & illustrat; quarum prima ab agro inarato, altera ab equo cursore, postrema à naue diu in portu, seu nauali retenta ducitur. Omnibus his intermissio, & quies nocet: ita etiam ingenio. Quanquam illa quies eius ingenij non ab inertia, sed à miseria qua inuoluebatur, profecta est.

Æra nitent vsu, vestis bona quærit haberi;
Canescunt turpi tecta relicta situ. 1.Am.8.

Quò magis exercetur instrumentum aliquod ferreum, eò euadit nitidius. Finis, & scopus vestis non est, vt in arca blattis, & tineis depascenda seruetur, & veterascat; sed vt geratur, & corpus operiat atque ornet. Domus quæ non habitatur, situ, & squalore horret. Hæc tria simul, aut vnum quodque separatim vim habet adagij, & vsu terendum monet, quod nos terendum putabimus, siue illud animatum, siue inanimum, ne inutile sit, immò ne dispereat.

Solus & artifices qui facit vsus, adest. 2.Art.

Sunt quæ solo vsu discuntur, vt linguæ barbaræ, & quædam artificia. Sunt quę præceptis quidem discuntur: sed citra vsum non perdiscuntur, & sine multo vsu artificem laudabilem non faciunt. Siquidem in vniuersis pænè rebus bene exercitatos, & tritos inexercitatis longè anteponimus. Deniq; tantùm valet vsus, vt eum omnium magistrorum præcepta superare scripserit M. Tull. 1. de Orat. Non itaque inscitè Ouid. vsum create artifices.

XXXVI. Ex malo bonum.

Sæpe creat molles aspera spina rosas. 2.P.2.

E squilla (quod est herbæ genus apud Plinium) non nasci rosam, neque hyacinthum, nec ex ancilla ingenuum, dixit Theognis. Quo prouerbio significant eruditi, ex probis probos, ex improbis improbos nasci liberos. Possumus idem ad alia conuertere, vt ad magistros, pædagogos, duces, à quibus, (si mali sint, & indocti, atque imperiti) non prodeunt boni discipuli, ac milites. His etiam annumeranda illa Euangelica *παροιμιώδη, nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Matt. 7. Veruntamen cum historiæ testentur, nonnunquam bonos, & probabiles filios extitisse de parentibus non bonis, & illaudatis, & de spinis videamus rosas erumpere, & incommoda sæpe, quanquam per accidens, vt philosophi loquuntur, commoda generent, quorsum hoc Ouidianum tendat, facilè quiuis animaduerterit.

F.

XXXVII. Fama.

Ipsa quid in cælo rerum, pelagóque geratur,
Et tellure videt, totumq́ inquirit in orbem. 12.Met.

Vide ibidem totam eius descriptionem, disertam, & illustrem. De eadem 9.Metam. *fama loquax, quæ veris addere falsa Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.* Habes & aliam breuiorem 4. Aeneid. Rumor cum fama sæpe confunditur. Inde Propertius eleg.18. lib.2. de velocitate, & latissimè vagante fama. *Et terram rumor transilit, & maria.* Plaut. apud Festum. *nullam rem citiorem esse apud homines, quàm famam reor.* Famam, seu existimationem bonam de nobis, præstare diuitiis, ait 2. de Orat. Cic. Bonum nomen vocat Scriptura sancta, & similiter diuitiis multis anteponendum censet. Prouerb.22. Agesilaus Lacedæmon. rex interrogatus, quo pacto quis bene audire apud homines posset, respondit; si loquatur quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima. At Socrates idem percunctanti; si talis esse studeat, qualis haberi vult. Famam popularem negligendam suadet Horat. ep.16. lib.1. quia viri boni existimatio ex recta conscientia, non ex opinione vulgi, quo nihil inconstantius, pendere debet. De Claudia Vestali, quam mundior cultus in suspicionem stupri apud populum vocarat, 4.Fast.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Sed famæ inuigilare iuuat. Quis nosset Homerum
Ilias æternum si latuisset opus? 3.Art.

Pub. Syrus. *Honestus rumor alterum est patrimonium.* Aeternum opus Ilias, id est, æternùm, ac semper mansurum, aut æternitate dignum, Homeri nomen apud omnes gentes nobilitauit. Ipsum Homerum vocat æternum Tibull. ob immortale eius carmen. Semper florentem Lucretius. Idem de Latino Homero, & de quibusuis primi ordinis scriptoribus affirmemus licet, quos ipsorum scripta multo quam vita paucis nota, & res gestæ (si fortè quippiam ad memoriam insigne gesserunt) notiores posteritati effecerunt. Inuigilandum famæ, nec cum vita dimittendam propagationem nominis nostri, aut eam silentio pecorum instar transeundam in proœmio Coniurat. indicauit Sallustius. Nos vt secundùm virtutem, & diuinas leges viuamus, & quantum possumus, vt multis opera nostra, ac labore prosimus, contendamus. De fama Deus viderit, cui soli omnis honos, & gloria debetur. Memorabile ἀξίωμα. Plinius ep.8. lib.1. sequi enim gloria, non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est.

Et memorem famam qui bene gessit habet. 2.F.

Memorem famam dixit, sicut Virgil. 1. Aeneid. memorem Iunonis iram. Gloria vmbra virtutis est, inquit Seneca epist.79. etiam inuitos comitabitur. Sed quemadmodum vmbra aliquando antecedit, aliquando sequitur: ita gloria aliquando ante nos est, visendamq́; se præbet: aliquando in auerso est, maiorque quo serior, vbi inuidia secessit.

XXXVIII. Fastidium ex crebritate.

Scilicet & veteres fugiunt iuga sæpe iuuenci,
Et domitus fræno sæpe repugnat equus. 4.T.6.

Nihil singulare videri oportere, si ipse iam biennium in exilio degens, ei tolerãdo assuescere nondum potuerit: cum etiam boues, qui pluribus annis traxerunt iugum, sæpe tamen calcitrent, & repugnent iugo, & caballi frænis assueti, sæpe nihilominus eadem ægrius accipiant. Prouerbiale distichon de iis, qui in laboribus, & negotiis sibi consuetis molestiam interdum, & fastidium sentiunt.

XXXIX. Forma, & facies.

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugáque in antiqua fronte senilis erit.
Iniicietq́ manus formæ damnosa senectus,
Quæ strepitum passu non faciente venit. 3.T.7.

Quæ obrepit non intellecta senectus, vt ait Iuuenal. Sat.9. seu tacito pede venit (quod noster ali-

cubi

cubi de mortis accessu) quid mirum si vultus elegantiam vitiet, ac rugis desormet, cum nil nisi flos quidam sit pulchritudo: florem autem sub frigora prima demittere caput, & marcescere cernamus? Et quid senectus nisi ætatis nostræ hyems? Hyeme autem squalent, & marcent, & lugent quodammodo omnia. Coloris illa suauitas in pallorem, frontis nitidissimę ięnor in sulcos, læti illi oculorum honores in lippitudinem, illa totius faciei serenitas in atram nubem commutatur. Adnectam versus, eiusdem cum propositis argumenti. 2. Art.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam venient cani, formose, capilli,
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Et lib. 3.

Quam cito (me miserum) laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit ore color?

Libello de medicamine faciei, si modo est γνήσιον.

————formam populabitur ætas,
Et placidus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit quo vos speculum vidisse pigebit:
Et veniet rugis altera caussa dolor.

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti.
Fine coli modico forma virilis amat. ep. 4.

Mulierum est proprium, sese comere, & ornare miris modis, si ornamenta modò suppetant, & velle pulchras, ac decentes conspici, quamuis hoc ipso quod natura, & citra fucum pulchra sit, satis vnaquæque ornata videatur. Expressit hoc ingenium, immodicumque studium in ditioribus, & bene dotatis Plautus Aulular. At verò in Pœnulo quam facetè?

Negotij sibi qui volet vim parare,
Nauem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent, forte si occeperis exornare.
Neque vnquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis vlla ornandi satis satietas est.
Nam nos vsq; ab aurora, ad hoc quod diei est,
Postquam aurora illuxit, nunquam cessauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi, &c.

Ab huiusmodi industria viros, (si quidem viri magis quam fœminæ, id est, fœminea præditi mollitie sunt) abesse quam longissimè conuenit, moderata contentos munditia, suaque ornamenta in prudentia, & consilio constituta arbitrantes. Inde 1. Art. *Forma viros neglecta decet.* Corporis cultus affectatior Demostheni, & Hortensio oratoribus infamiæ fuit. Gellius lib. 1. cap. 5. Ridiculum, quod posterior etiam diem dixit ei, qui forte obuius factus, togam homini belle compositam in angiportu quodam disturbauerat. Sed de vtriusque mollitie, & exquisita nimium munditia, & elegantia fusius Pet. Crinit. lib. 6. cap. 9. Quanto magis cincinnuli, vnguenta, & pigmenta, & olfactoriola virum dedecent? Medos in hac leuitate notat Xenophon lib. 1. de vita, & disciplina Cyri. Et cum videret illum (Astyagem regem auum Cyrus puer, ex Mandane filia nepos) oculorum pigmentis, ac fuco, appositaque coma ornatum, vt Medica consuetudo ferebat (hæc enim omnia Medorum sunt, purpureæ tunicæ, pallia, torques, armillæ, &c.) cum his, inquã, rebus ornatum videret, intuens eum, ô mater, inquit, vt pulchér meus auus? Omitto illa dedecora humani generis, Sardanapalos, Heliogabalos, Nerones, qui se omniño in fœminas mutare conati sunt.

Laudaret faciem liuor quoque. 10. Met.

De Adonide dictum ὑπερβολικῶς, cuius formæ sunt. Ne Momus quidem reprehendat. Ne Pitho quidem ipsa persuaserit. Hanc arcem ne Mars quidem ipse expugnarit, &c. Vide prouerb. Momo satisfacere.

Dat facies animos, facie violenta Corinna est. 2. Am. 17.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam. 1. F.

Duorum versuum non eodem loco positorum similis est sententia, fœminas de forma sibi nimium placere, & putare se quantiuis esse. Id ex eo nascitur, quod sciunt quantum illa naturæ blandia-

tur, prorsus vt nihil magis. Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν nominabat, regnum sine satellitio, quod formosi citra vim imperent, & obtineant quod volunt. Laërtius. Copiosius hoc differit in laudatione Helenes Isocrates. Adde verbum Tertulliani. Decor naturaliter est inuitator libidinis. Cui consonat Theophrastus, qui tacitam fraudem appellauit, quia sine verbis persuadet ac decipit.

Delectant etiam castas praeconia formæ,
Virginibus curæ, gratáque forma sua est. 1. Art.

Non solum meritoriæ forma sua, qua cupiunt, & irretiunt infælices animas, sed etiam nuptæ, item adhuc intactæ se formosas esse natas non dolent. Illud enim quamuis apud scriptorum neminem legerint, norunt omnes, natura hominibus insitum esse amorem pulchrorum, & formosis primo aspectu nos conciliari. Est insuper ideo grata virginibus sua forma, quod iam se dotem satis magnam habere, & maritos non difficulter adepturos confidunt. Nam vt scripsit Afranius.

Formosa virgo est, dotis dimidium vocant
Isti, qui dotes negligunt vxorias.

Præcipuè autem forma virginitati perpetuę honori est, quoniam cum re ἀντιφωνῶ & sine opera illarum existente, voluntaria, & quidē pulcherrima, & sanè difficillima virtus coniungitur. Quo mihi aptum videtur quod lego apud Isocratem, In Encomio illius, qua tota Græcis formosiorem non vidit. ἴσως δ' ἂν τὴν αὐτῶν ἀρχὴν διαφυλάξαιεν, ἄβατον τοῖς πονηροῖς ὥσπερ ἱερὸν ποιοῦντες· τούτους δὲ τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τιμῶμεν ὥσπερ τοὺς ἄλλην τὴν πόλιν ἀγαθόν τι δράσαντας. Qui vero ita suam formam custodiunt, vt tanquam in templum nullus improbis pateat aditus: eos reliqua ætate, perinde ac si toti ciuitati benefecissent, honoramus.

Fœdera seruasset, si non formosa fuisset. 2. F.

Tutissimæ sunt deformes: & impatientioris libidinis argumentum habetur cum talibus Venerem exercere. Illis aliis ad pudicitiam tuendam plerumq; non tam prodest, quam obest præclara species: insidiatores enim parat, qui thesaurum illum vel prece, vel pretio, vel vi etiam auferre moliuntur. Quibus omnibus constanter, & vsque ad mortem repugnare, etsi naturæ puellari perdifficile apparet, inuentæ sunt tamen, quæ de his omnibus triumpharunt, Christianæ potissimùm, & quidem magno numero.

Forma Dei munus. 3. Art.

Hoc non aliunde melius, & euidentius probatur, quam quod sanctæ litteræ, quibus nihil grauius, tot fœminas, Saras, Rebeccas, Rachaëles, Iudithas, Estheras, Abigail, Susannas, filias Iobi à singulari pulchritudine commendant, quasi monentes, à Deo illis donatum hoc donum. Viros quoque, vt Mosen, Iosephum, Dauidem, Absalonem, Adoniam, Danielem, & socios. Quamuis ergo semper non commendaret forma, nihilominus cum ex ore hominis non Christiani audimus formam Dei munus esse, eam contemnere minimè debemus. Verumenimuero tantam habet illecebram, vt verēdum hoc non sit, ne in viris quidem religiosis admodum, ac spiritualibus, qui non omnes adhuc naturæ tuniculas exuere, ac se nudare penitus queunt, quandiu in isto tabernaculo commorantur. A sapientibus pulchritudo futuræ virtutis quoddam indicium, & tanquam præludium existimatur. Max. Tyrius differtat. 9. Sicut enim solis exortum præcedit fulgor quidam in summitate montium, quo vehementer delectantur oculi, quòd aliud expectent: ita animæ splendorem splendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur philosophi, quia aliud mox venturum vident.

XL. Fortuna.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modò læta manet, modò vultus sumit acerbos,
Et tantum constans in leuitate sua est. 5. T. 9.

Putarunt antiqui, sed insipienter omnino, res humanas à diuina, & communi vi quadam, vaga, & volubili, nullo ordine, nullaq; ratione, sed temerè, & inconsultò administrari. Quam diuinam vim vagam, atque volubilem ideo appellauēre fortunam, quia repentina quadam voluntate, & fortuitò, nullam habens neque personarum, neque locorum, neque temporum rationem bonas, malasque res quibusuis hominibus inferat. Vnde illi cornucopiæ, & gubernaculum affingunt, quod opes distribuat, & humana gubernet. Hanc deam poëtæ omnipotentem appellarunt; oratores in omni re dominari dixerunt, &c. Hæc Ioan. Viperan. de Prouidentia lib. 2. cap. 14. quæ ego huic loco illustrando peropportuna ratus sum. De inconstantia fortunæ notanda item illa Senecæ, Quæst. natural. lib. 3. in præfat. Quanto satius quid faciendum sit, quam quid factum sit quærere: ac docere eos, qui permisere sua fortunę, nihil stabile ab ea datum esse, eius omnia fluere aura mobilius? Nescit enim quiescere: gaudet

lætis tristia substituere,& vtraque miscere. Itaq; in secundis nemo confidat,in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerum.

Nempe dat, & quodcunque libet fortuna rapitque
Irus & est subitò qui modo Crœsus erat. 3.T.7.

Ad facultates rerum, & copias hoc distichon spectat, quas dare fortunam, & auferre, & è locuplete mox mendicum ait reddere. Seneca ad Heluium cap.5. Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem agere: omnia illa, quæ in me indulgentissimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam eo loco posui, vnde posset ea sine motu meo repetere,&c. Potest nihilominus ad statum quoque, & conditionem referri, cum quis de summo gradu, ac fastigio ad vltimum deprimitur, & fit quod in Captiuis ait Pseudophilocrates;

Sed vident fortuna humana fingit, artatq; vt lubet.
Me, qui liber fueram, seruum fecit, è summo infimum.
Qui imperare insueueram, nunc alterius imperio obsequor.

Menander.

Ἀνθρωπος ὢν μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης.
Natus homo sortis esto communis memor.

———sed scilicet vltima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremáque funera debet. Met.3.

Beati hoc loco sunt, quibus ad vitam commodissimè in omni rerum affluentia traducendam nihil deest: & ita sonat bene beateque viuere Latinis auctoribus, honestè scilicet, & fælicitatibus circumfluentem viuere. Iam cum vita, quam longa est, fortunæ ludibriis exposita, ab eaque conditione liber sit nemo, testenturque historiæ, etiam principes, & reges ante diem supremum redactos ad miseriam, quis non intelligit, quam prudenter, & verè hoc à poëta proferatur? Nota sunt exempla Dionysij Iunioris, Pompeij, Cæsaris, Mithridatis, Xerxis, &c. Baiazetus rex Turcarum, & Valerianus Imp. Roman. Tamberlani Scytharum, & Sapori Persarum regibus equum conscensuris dorsa pro scabello præbere coacti sunt. Potest hoc quoq; in virtute, & sanctimonia contingere, vt quis transuersim abeat, quamuis diu sanctè vixerit. Quocirca & Ecclesiasticus cap.11. ante mortem vetat laudare quenquam.

Nihil adeo fortuna grauis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum. 4.P.4.

Aduersa fortuna non vsque eò fæuit, nec ita est pertinax, vt ab se afflictis nullum solatium, nec minimum respirandi tempus concedat. Ipse poëta, cum se grauissimè dirissimo exilio punitum toties prædicet, fatetur tamen, se oblectari nonnunquam & versiculorum scriptionibus, vt calamitatum suarum tantisper obliuiscatur, & amicorum ad se litteris; quibuscum ipse vicissim rescribens loquebatur. Vident interdum, audiunt, sentiunt, & recogitant miseri, vnde aliquantum, & aliquanto spatio leuentur. Alioqui durare qui possent?

XLI. Fragilitas humana.

———video meliora, probóque,
Deteriora sequor. Met.7.

Sic inter cætera Medea, deliberans de cæde duorum liberûm, quos Iasoni marito genuerat, quòd ille aliam superinduxerat, Creusam nempè Creontis Corinthiorum regis filiam. Sunt autem de lucta rationis, & affectu[illegible]lla sursum tendit; hic deorsum vergit. Illa tota pura, & lucida: hic sordibus, & tenebris obsitus. Ill[illegible] videt, & probat virtutem: hic illicit ad vitium. Illa imperare vult: hic parere detrectat, adeoque contumax, & rebellis frequenter est, vt dominam, & reginam suam ancillari cogat, & aliâs huc, aliâs illuc secum abripiat. Tanta est naturæ nostræ imbecillitas: cui, nisi diuina ope succurritur, actum est de salute. Dixit Apostolus in eandem sententiam cum Nasone ad Rom.cap.7. *Non enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.*

G.

XLII. Garrulitas.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit. 2.Am.2.

Præceps iter pro ardno, & accliui, vt opinor, posuit, vnde nimirum præcipitium est, nisi caues. Aliter adeptionem gloriæ facilem intelligemus, cum tamen difficilis sit. Præterea cur aliquem ad gloriam euiti, & contendere dicimus, si iter ad illam decliue, ac pronum est? Quod si virtus habitat in arduo, & gloria eius est comes, an non cum ipsa ascendit potius quam descendit? Gloriam, ait Seneca ep.102. multorum iudiciis constare, claritatem, bonorum. Esse videlicet laudem bono à bonis redditam. E græco κλέος deducunt, quasi cleoria. Sed vt quædam non vera virtus, sic quædam falsa gloria, cuius vmbras consectari, leuitatis est.

Excitat auditor studium, laudatáque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet. 4.P.2.

Ad oratores, & poëtas potissimùm referendum, qui olim suis recitationibus plausum audientium aucupabantur, de quo in Commentariis multa satis. Quod ait habere immensum calcar, id explicabitur hoc M. Tullij testimonio ex 2. Tuscul. Natura nihil præstantius habet, nihil quod magis expetat quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. 3.P.9. *Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem.* Quam sententiam inuenies à me expositam in calce libri huius.

Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor. 5.T.13.

Generatim ad recte facta inuitamentum magnum honos. Plutarchus de tranquillitat. animi, ex Pindaro. Negotiis multis, curisque implicaris? ne aqua quidem calida vsqueadeo mollia membra fouet, vt honores & gloria cum potestate iuncta suauem laborem faciunt, & languorem facile exsudabilem. Idem alit artes, & vt noster ait 5.T. eleg. 1. *Ingeniis stimulos addere fama solet.* Cic. 5. Philip. Nihil est vera gloria dulcius. Præ qua vitam quoq; & fortunas omnes quidam paruipenderunt, vt Curtij, Decij, &c.

XLV. Gratus.

Sed qui quam potuit dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum. 4.P.8.

Duo sunt genera grati hominis. Dicitur gratus, qui aliquid pro eo quod acceperat reddit. Hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra cōscientiam clausus est. Qui, etiamsi vltra facere nihil potest, amat, debet, referre gratiam cupit. Quidquid vltra desideras, non ipsi deest. Seneca de Benef. lib. 4. cap. 21. Idem lib. 3. cap. 2. Ad reddendam gratiam & virtute opus est, & tempore, & facultate, & aspirante fortuna. Qui meminit, sine impendio gratus est. Ex his patet probè dixisse Ouid. abunde gratum esse, qui dedit quantum maximum potuit, etiamsi parum dederit. Virtus enim gratitudinis ex animo potissimùm spectatur. Cic. 2. Off. Commodè quicunque dixit, pecuniam qui habeat non reddidisse, & qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat, retulisse. Exempla gratorum recenset Aelian. lib. 4. cap. 5. Vide & Valer. lib. 5. cap. 2.

H.

XLVI. Homerus.

Aspice Mæoniden, à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Non sit finis, si Homerum ex Græcis, & Latinis auctoribus suis exornare laudibus velim. Pauca ad propositam sententiam illustrandam producam. Aelian. ἡμῖν τὰ πρῶτα πάντων ποιηταῖς δίδομεν, Homerum totius poëseos principem statuimus. Luciano est μέγας ἀληθείας προφήτης, καὶ ἄριστος ποιητῶν magnus veritatis interpres, & poëtarum præstantissimus. Platoni in Phædone θεῖος ποιητὴς, in Alcibiade 2. θειότατος ποιητὴς, diuinus, diuinissimus poëta. Valer. Max. vates maximus, ingeniique cælestis. Theocritus μελιτώδες γλυκερὸν στόμα Calliopes dulce os appellat. Omitto Ennium, qui Homeri animam in suum corpus immigrasse, & hinc se poëtam factum dictitabat. Item Lucretium, qui lib. 3. poëtas Heliconiadum comites vocans, Homerum eorum sceptra potitum affirmat. Et Manil. lib. 2. qui posteritatem poëtarum ex eo ceu latissimo amne tenues deduxisse riuos ait. Hieronymi Vidæ poëtæ non ignobilis versiculos ex 1. poëticorum tibi recito.

Haud multus labor, auctores tibi prodere Graios,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus.
Hunc omnes alij obseruant, hinc pectore numen

Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.
Falices quos illa ætas, quos protulit illi
Proximæ: diuino quanto quisque ortus Homero
Vicinus magis est, tanto præstantior omnis.

XLVII. Humana, homines.

Nil homini certum est. 5.T.6.

Duplex sensus. Aut, homo nihil futurorum exploratum habet, ac pro certo cognitum. Aut, in rebus humanis nihil esse fixum ac stabile. Quod eximè declarauit Max. Tyr. dissertat. 37. Conuersionem rebus humanis, inquit, quotidie inducit Deus, nec alia, quam in diem earum est conditio. Sicut fluuiis, qui è perpetuo oriuntur fonte nomen vnum est, Sperchius videlicet, Alpheus, aut simile, noua autem semper aquarum accessio, quarum hæc transit, illa venit, oculis imponit, vt vnum idemque videatur esse flumen. Eodem modo è perenni fonte res humanæ mira quadam, perpetuaque velocitate fluunt, nascuntur, proueniunt: cursum vero earum nemo sentit, nec aliter in eo humana decipitur ratio, quam in fluuio aspectus, vt vnam eandemque esse arbitretur vitam. Res enim diuersa, res est varia, quæ à casibus, negotiisque multis, & occasionibus mutatur. Hactenus ille. Adde his ex Horat. Ode 34. lib. 1.

———valet ima summis
Mutare. & insignem attenuat Deus,
Obscura premens,

Et noster 4. P. 3.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Et infrà:
Ludit in humanis diuina potentia rebus.
Et certam præsens vix habet hora fidem.

Interrogatus Aesopus quid ageret Iupiter, respondit. τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ, excelsa deprimit, humilia extollit.

Inde genus durum sumus, experiensque laborum,
Et documenta damus qua simus origine nati. 1. Met.

Virgilius 1. Georg. inde homines tam duros, ac lapideos, laborumque patientes videri, quia ex lapidibus à Deucalione, & Pyrrha coniugibus post tergum reiectis extiterint, vt Transformat. 1. narratur. Erant & Hebræi quondam durum genus, & ad Deum rite colendum, eiusque præcepta obseruanda nimium rigidi & inflexibiles. Quare apud Ezechielem cap. 11. pollicetur, se ablaturum de carne eorum cor lapideum, & daturum eis cor carneum, *vt in præceptis meis*, inquit, *ambulent, & iudicia mea custodiant*. Lapis in prouerbiis pro bardo, stupido, indocili, & trunco. Plaut. Mercat.

Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri. Egomet credidi
Homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo.

Prô superi, quantum mortalia pectora cæca
Noctis habent? 6. Met.

Quam multa præter opinionem homini eueniunt? In nocte, & tenebris sæpius quam in luce ambulamus, quoniam non solum plura ignoramus quam scimus, verum etiam quia cogitationibus, suspicionibus, indiciis, consiliis & sententiis nostris persæpè fallimur, & videntes non videmus, & audientes non intelligimus, vt quondam Saluator dixit. Est autem quædam nox voluntaria, in qua ambulant scelerati, quorum illæ apud Sapientem voces lamentabiles cap. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus.*

Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. 1. Met.

Carmen bonis auctoribus in ore, quoties de præstantia, & dignitate hominis disputant. Inde argumentum ducunt, eum non ad terrena, sed cælestia, ac diuina perfruenda à Deo conditum. Affert Lactantius lib. 2. cap. 1. & inquit. Spectare nos cælum Deus voluit, vtique non frustra. Nam & aues, & ex mutis pæne omnia cælum vident: sed nobis propriè datum est cælum rigidis, ac stantibus intueri, vt religionem ibi quæramus, vt Deum, cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo contemplemur. Pulchre item D. Basilius ex erecto statu corporis nostri, & suspectu in cælum à voluptatibus bestiarum propriis nos dehortatur, concione in illud, Attende tibi ipsi. ὀρθιόν σε ἐποίησεν μόνον τῶν

ζώων,

ζώων, ἵν' ἐξ αὐτοῦ τοῦ σχήματος εἰδῇς, ὅτι ἐκ τῆς ἄνωθεν συγγενείας ἐστὶν ἡ ζωή σου. τὰ μὲν γὰρ τετράποδα πάντα πρὸς τὴν γῆν βλέποντα, καὶ πρὸς τὴν γαστέρα νένευκεν· ἀνθρώπῳ δὲ ἑτοίμη πρὸς οὐρανὸν ἀνάβλεψις, ὥστε μὴ σχολάζειν γαστρὶ, μηδὲ τοῖς ὑπὸ γαστέρα πάθεσιν, ἀλλ' ὅλην ἔχειν τὴν ὁρμὴν πρὸς τὴν ἄνω πορείαν. id est, te solum ex animantibus erectum finxit, vt ex ipso habitu corporis animaduerteres, tibi societatem vitæ cum cælestibus intercedere. Omnia enim quadrupedia in humum, & in ventrem prona sunt: homini tantum cæli obtuendi concessa facilitas, ne ventri, neue iis quæ sub ventre sunt vacet: sed omne desiderium suum ad superna dirigat. Plura dicentur fortassis alibi.

I.

XLVIII. Ignota.

Quod latet, ignotum est. ignoti nulla cupido. 3. Art.

Ridiculus est opifex, qui opus suum vendere cupiens, non in publico prius spectandum proponat. Quamuis enim verbis id iactet, mauult tamen quiuis emptor suis oculis, quam sermonibus alienis credere. Sic in scientiis qui placere cupiunt summatibus viris, à quibus honores, & commoditates adipiscantur, præclaris Academiarum, & eruditorum testimoniis prius se notos faciant oportet. Cur tantus amor nummi? quia norunt homines quid valeat nummus. Cur virtutis nulla cupido? quia quantum possit virtus, & quam pulchra sit, minimè norunt.

XLIX. Inconstantia.

Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum,
Et nisi sit fœlix, esse negare suum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci;
Turpe laborantem deseruisse ratem. 2. P. 6.

Possunt hæc nihilominus ad titulum III. *Amicitia falsa*, *adiungi*. Quamuis turpe sit, amicum prodere (id enim est illum in afflicta fortuna, quasi in tempestate, & in acie, seu inter inimicos oppugnantes deserere, & cum maxime amorem exercere oporteret, tum se velut ab ignoto seducere) tamen istam turpitudinem quotusquisque veretur? Verum, ac sincerum, perque omnia fidelem amicum reperire, vnum est ex difficillimis. Adde ad pentametrum posterius, quod alicubi scriptum extat in Ponticis, *media nauim Palinurus in vnda Deseris*.

Cœpisti melius quam desinis: vltima primis
Cedunt: dissimiles hic vir, & ille puer. ep. 19.

Herculem comminiscuntur poëtæ adhuc infantem, & primùm natum duos angues à Iunone eius perdendi immissos, è cunis exilientem elisisse. Noti sunt præterea ex iisdem labores, & ærumnæ, quibus eadem Iuno, ad exsaturandum odium, quod in illum, vtpote ex pellice sua Alcmena procreatum, gerebat, per Eurystheum Mycænarum regem ipsum obiecit. Harum omnium victor, muliebribus postremò deliciis eneruatus succubuit, & Omphale, atque Iole ad arbitrium seruiuit. Hanc ei mulierositatem Deianira coniux exprobrat, & vsqueadeo à semet desciuisse dolet. Principium epistolæ grauissimæ, & pulcherrimæ non grauabor attexere.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris:
Victorem victæ succubuisse queror.
Fama Pelasgiadas subitò peruenit in vrbes
Decolor, & factis inficianda tuis.
Quem nunquam Iuno, seriesque immensa laborum
Fregerit, huic Iolen imposuisse iugum.
Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana tonantis,
Lætaque sit vita labe nouerca tuæ.
Plus tibi quam Iuno nocuit Venus: illa premendo
Sustulit: hæc humili sub pede colla tenet. &c.

De tali mutatione, & discrepantia Seneca Consolat. ad Martiam cap. 22. Cogita animi mille labes. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsque in senectutem pertulerunt: sed interuersa plerumque sunt. Aut sera, eoque fœdior luxuria inuasit, & coëgit dehonestare speciosa principia: aut in popinam, ventremque præcoquis, summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent. Sunt etiam Christiani, & Religiosi, qui melius incipiunt quam desinunt. Nam *cum spiritu cœperint, carne consummantur*: sic stulti sunt, vt ait Paulus, Galat. 3.

Verba

Verba puellarum foliis leuiora caducis. 2.Am.16.

Intelligis puto de qualibus puellis loquatur, quibus scilicet omnia chariora quam pudor: quæ cum suis amatoribus militant, heu quam non bonam, & honestam, sed spurcam, & exitiosam militiam, cuius stipendia mors æterna. Harum mores cum leuitate, & inconstantia earundem disertissimus noster Plautus in Milite sic depingit.

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.
Qui arguet se, eum contrà vincat iureiurando suo.
Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsiiurium.
Domi dolos, domi delenifica dicta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala.
Domi habet hortum, & condimenta ad omnes mores maleficos.

Quanquam inconstantia in flagitiis laudanda magis quam reprehendenda est. Malè enim in malo perseueratur.

L. Ingenium.

———nil non mortale tenemus
Pectoris exceptis, ingeniique bonis. 3.T.7.

Duplex vita hominis, vna communis ei cùm brutis animalibus, quam mors dissoluit, quando animus scilicet à corpore discedit: altera perennis, & nunquam occidens, quæ nimirum in memoria viuorum viuitur, & habet celebritatem sempiternam. Atque hæc vita pectoris, ingeniique parata est bonis, virtuti, inquam, & sapientiæ: non enim sunt alia mentium, & ingeniorum bona. De hac gemina vita parens eloquentiæ orat. pro M. Marcello ad C. Iulium Cæsarem victorem. Nec vero hæc tua vita dicenda est, quæ corpore, & spiritu continetur: illa, inquam, illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tu inseruias, huic te ostentes oportet, &c. Potest igitur homo probus, & ingenio suo cæteris commodans, immortalitatem adipisci, quemadmodum quos quotidie legimus & admiramur, adepti sunt. Apponam his conueniens epigramma Martial. è lib. 10.

Marmora Messallæ findit caprificus. & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos;
At chartis nec furta nocent. & sæcula prosunt,
Solaque non norunt hæc monimenta mori.

Adi præterea meum Commentar. si placet. Adde ex Seneca Consolat. ad Polybium. Immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum colloca. Melius illum duraturo semper consecrabis ingenio, quam irrito dolore lugebis.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
Nunc est barbaries grandis, habere nihil. 3.Am.7.

Hoc sentit, fuisse tempus, cum ingenium, & liberalissima studia, ingeniorum excellentium germanæ occupationes, & alimenta, præ diuitiis in honore, & gloria essent. Nunc contra fieri penitus: haberi enim pro magna barbaria, nihil possidere, cum ingenuas artes non didicisse, & illiteratum esse sit verè magna barbaria. Paupertatem duci probro, quantumcunque ingenio, & doctrina quis præstet. Quidam legunt pentametrum sic, *At nunc barbaria est, &c.* nostra lectio concinnior est. Quam vellem istam querelam non cadere in hoc sæculum, quo nihil pretio ipso est pretiosius?

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Sapphûs est ad Phaonem. Fuerunt fœminæ duæ hoc nomine, & ambæ poëtriæ, ac Lesbiæ, vna ciuis Eresia, altera Mitylenæa. Vtrius hæc epistola sit, quærat alius. Sapphonem ob ingenij præstantiam, & carminis venustatem Musis quoque annumeratam esse, docti sciunt. De eius deformitate nihil memini legere. Notabile νόημα. Ingenium formæ damnum compensat. Natura non dat omnibus omnia, vt nos homines, non deos esse subinde meminerimus. Quantum porrò discrimen inter hæc duo bona, formam, inquam, & ingenium? Eritne qui dubitet, si altero carendum sit, vtro potius? Quid? annon Aesopus quoque, quo nil deformius, id quidquid erat damni, ingenio, & sapientia rependit? quem Samiis dixisse narrat in eius vita Planudes, non esse faciem, sed mentem cuiusque intuendam, quam natura sæpe cum despicabili forma eximium coniunxerit. Num ad externam amphoræ speciem, & elegantiam, inquit, potius, quam ad saporem quod intus est vini attenditis? In 2. de Orat. L. Aelius Lamia, patronus Aculeonis contra Crassum, cum ab eo vt deformis esset irrisus, non potui mihi, inquit, formam ipse fingere, ingenium potui.

Ingenium mala sæpe mouent. 2. Art.

Ingeniosorum inuentorum atque operum occasionem sæpius aduersi casus, & incommoda dederunt. Exemplum adducitur Dædalus, qui cum à Minoë Cretensium rege, quod Pasiphaë reginæ esset gratificatus, in vincula fuisset coniectus, inde alarum beneficio, quas sibi composuit, euasit. Quare subiicit illico poëta.

——— quis crederet vnquam
Aerias hominem carpere posse vias?
Remigium volucrum disponit in ordine pennas:
Et leue per lini vincula nectit opus.

Aliud exemplum Philomelæ, quæ casum suum telæ intexuit, & Progne sorori, reginæ Thracum misit, Metamorph. 6. vbi narrationi hic versus præponitur. *grande doloris Ingenium est, miserisque venit sollertia rebus.* Mouerunt quoque ingenium Ouidio. Vbi enim libri Tristium, & de Ponto, si eum Augustus in Scythiam non relegasset? Hemistichio Nasoniano cognatus est senarius hic ex monostichis.

πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.
Magistra multorum improba existit fames.

Et illa Persij.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter.

In quem locum lege Causabonum, docentem, quo pacto id verum sit, cum fames, egestas, & res aduersæ ingenium, & vires animi omnes potius imminuere videantur. Docet autem id ex his Manilij lib. 1.

Et labor ingenium miseris dedit: & sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

LI. Ingratus.

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas. ep. 12.

Insectatur Medea Iasonem pro ingratissimo, cuius in eum merita describuntur 7. Metamorph. Lib. 1. de pædia Cyri Xenophon Persarum instituta exponens, docet, eos crimen ingrati animi vehementer odisse, & quem cognouissent gratiam referre posse, nec referre, in eum seuerissimè animaduertere solitos, cum arbitrarentur ingratos & deos negligere, & patriam, & parentes, & amicos. Et ingratitudinem potissimùm sequi impudentiam, quæ sit dux ad omnem turpitudinem. Hæc ille. Qui autem ingrato sua merita exprobrat, ex recordatione beneficentiæ suæ, & eorum commemoratione voluptatem capit.

LII. Inuidia, & liuor.

Summa petit liuor, perflant altißima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis. 1. Rem.

Ventorum flatus in ædium fastigiis, & tritonibus, qui acroteriis earum imponi consueuerunt, maxime obseruantur ibique furunt liberius; & loca editiora fulminibus obiecta esse palam est, montium iuga præsertim, vnde Horat. Ode 10. lib. 2 *feriuntque summos fulmina montes* Et Lucret. lib. 6.

Altaque cur plerumque petit loca, plurimaque huius
Montibus in summis vestigia cernimus ignis?

Ob hanc quoque caussam suprema montium κεραύνια Græcis, κεραυνὸς enim fulmen. Quemadmodum itaque & venti, & fulmina sublimiora petunt: sic inuidia, & liuor infesta sunt rebus eminentibus. Inuidetur, ait Cic. de Orat. præstanti, florentique fortunæ. Æmilius Probus in Timotheo: est hoc commune vitium magnis liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes sit: & libenter de his detrahant, quos emergere videant altiùs: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intueantur fortunam. Hinc idem Lucret. lib. 5. eleganter.

Inuidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cunque.

Plutarch. lib. de curiositate ἐπιχαιρεκακίαν, id est, gaudium de malis aliorum, ait esse inuidiæ sororem; hæc enim est dolor de alienis bonis. Vtramque autem nasci ex affectu immani, ferinoque malitiæ. Idem libello, quo inuidiæ & odij discrimina considerat, & vtriusque naturam explanat egregiè, inuidia, inquit, in nullum meritò concipitur: neque enim prospera fortuna frui, est iniurium esse, cum tamen propter illam hominibus inuideri soleat.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinumq́; pecus grandius vber habet. 1. Art.

Ipſum verbum, vnde inuidia, & inuidentia deriuantur, ductum eſt à nimis intnendo ſortunam alterius, vt ſcilicet præpoſitio *in* non priuandi, vt ſæpè aliâs, ſed, vt non ſæpe, augendi vim habeat. Citatur ex veteri tragœdia in teſtimonium hic verſus, quem integrum profert Nonius. *Vnde, aut quis mortalis florem liberûm inuidit meûm?* Addit Cicero, 3. Tuſculan. Male latinè videtur, ſed præclarè Accius: vt enim videre, ſic inuidere florem rectius, quam flori dicitur: nos conſuetudine prohibemur: poëta ius ſuum tenuit, & dixit audacins. Quod ait Ouidius de *grandi vbere*, ſimiliter Horat. Sat. 1. lib. 1. *Quodq́; aliena capella gerat diſtentius vber Tabeſcat?*

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit,
Tunc ſuus ex merito quemq; tuetur honos. 1. Am. 4.

Mortuis deſinimus inuidere, ea nimirum quæ poſt mortem eos conſequuntur, niſi forte illos oderimus: tunc enim quaſi adhuc viuentium, honores, gloriam, monumenta pati non poſſumus, eorumque memoriam prorſus delerram cupimus. Nota mihi verbum *paſcitur*, quod reſpondet illis, rodere, mordere, quæ etiam huic peſti tribuuntur, cuius paſtum 2. Metam. vbi eam deſcribit, ait eſſe vipereas carnes, ad amarulentas. & venenatas, & cruciantes inuidorum cogitationes reſpiciens.

Scripta placent à morte ferè, quia lædere viuos
Liuor, & iniuſto carpere dente ſolet. 1. P. 4.

Fatum qnoddam ſcriptorum, & poëtarum inprimis, reprehendi viuos, laudari mortuos. Noſter eleg. 10. Triſt. lib. 4.

Tu (Muſa) mihi, quod rarum eſt viuo ſublime dediſti
Nomen, ab exſequiis quod dare fama ſolet.

Propert. eleg. 1. lib. 3. Troiam appellans.

Nec non ille tui caſus memorator Homerus
Poſteritate ſuum creſcere ſenſit opus.

Et mox ſibi quoque perenne nomen poſt obitum augurans.

Meq́; inter ſeros laudabit Roma nepotes,
Illum poſt cineres auguror eſſe diem.

Dixerat autem ſupra,

At mihi quod viuo detraxerat inuida turba,
Poſt mortem duplici fœnore reddet honos.

Ingenium magni liuor detrectat Homeri.
Quiſquis es, ex illo, Zoile, nomen habes. 1. Rem.

Zoilus quidam Sophiſta plures libros in Homerum conſcripſit, quibus eum carpſit, & dictus eſt Homeromaſtix, flagellum Homeri. Ab eo omnes eruditorum, ac nobilium auctorum reprehenſores Zoili nominantur, & maſtiges, vt Ciceromaſtix. Virgiliomaſtix, &c. Vide prouerbium Zoili. Fuerunt & noſtra ætate Homeromaſtigos, in quibus Iulius Scaliger vel præcipuus, cuius errores in magnis poëtis nimis cupidè taxandis, & emendandis adeo falſos nonnunquam, ac pueriles, vt pæne ferulam mereri videantur, à pluribus pro occaſione confutatos & vidimus iam, & adhuc videbimus. Senſus pentametri eſt. O Zoile, quiſquis es, cuiuſcunque Zoilus es, quemcunque auctorem, & ſcriptorem rrodis, ab illo primo, quem imitaris, nomen obtines. Quale corpus illi, docet AElian. lib. 11. cap. 10.

Liuor iners vitium mores non exit in altos,
Vtq́; latens ima vipera ſerpit humo. 3. P. 3.

Indicatur, inuidos nihil præclarum tentare, & poſt ſe latere, ne eos honor inueniat, quemadmodum eſt in Trinummo. Nec enim aliena præſtantia cruciarentur, ſi quicquam in ſe præſtabile cernerent, acquieſcentes nimirum in bonis ſuis, dicenteſque ſibi, quod apud Horat. ſordidus, ac diues ſibi, ſat. 1. lib. 1. *at mihi plaudo Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.* Humi ſerpunt, nihil magnificum, & ſublime, quod ipſis ſempiternæ laudi ſit, in pectore volutantes.

LIII. Ira.

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæuius angue micant. 3. Art.

Tria ſigna, ſeu tres effectus impotentius irati, tumor vultus, turgentes venæ, oculi ſcintillantes. Apud Plaut. in Caſina, & Mercat. *in fermento tota eſt, tota in fermento iacet.* metaphora à panibus fermentatis, dicta de iratis vxoribus. Ira ſibi turgere cor ait Iliad. 9. Achilles. Et Horat. Ode 13. lib. 1. *ve meum Feruens difficili bile tumet iecur.* Feruet illis & ſanguis. Perſius ſat. 3. *Nunc face ſuppoſita ferueſcit ſanguis, & ira Scintillant oculi.* Virgil. 12. de Turno.

His agitur furiis, totoq́, ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

Habitum iratorum, ſeu potius ira furentium deſcribit non ſemel Seneca. Lib. autem de ira 3. cap. 4. ſic. Nulli affectui peior vultus, aſper, acris. & nunc ſubitò retrorſum ſanguine fugato pallens, nunc in omni calore, ac ſpiritu verſo ſubrubicundus. & ſimilis cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus. Adiice dentium inter ſe arietatorum, & vt aliquem eſſe cupientium, non alium ſonum quam apris, tela ſua attritu acuentibus, &c. Quin ſtatim lib. 1. cap. 1. Flagrant, & micant oculi, &c. & eiuſdem cap. vltimo. Quamobrem mulieres iracundiores ſint viris, ægroti ſanis, ſenes ætate vigentibus, infælices fælicibus, &c. Plutarch. de cohibenda iracundia.

Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram:
Sæpe ſimultates ira morata facit. 1. Am 8.

Μῆνιν volunt eſſe iram inueteratam, quibus verbis definitur odium 4. Tuſcul. Iubet igitur non hærere diu in ira, ne in odium tranſeat, quod ſimultates nominat. Apoſtolus Chriſtianos ne totum quidem diem vnum, nedum menſes, & annos iraſci poſtulat. *Sol non occidat ſupra iracundiam veſtram.* Epheſ. 4. Pythagorei neque cognati, neque affines inter ſe, ſed eiuſdem duntaxat philoſophiæ ſectatores, ſi quando ira commoti ad mutua conuitia proceſsiſſent, ante ſolis occaſum dextris inuicem datis: exoſculatique ſe mutuò, rem componebant. Plutarch. de amore fraterno. Pub. Syrus. *Bonum apud virum citò moritur iracundia.*

Vince animos, iramq́, tuam qui cætera vincis. ep. 3.

Suadet hoc Achilli Briſeis, Agamemnoni. & Græcis ob acceptam iniuriam ſuccenſenti. Qua de cauſſa in tentorio ſedens, pugna abſtinebat. non ſine magna eorum clade. qua interim à Troianis mactabantur. Animus Latinis frequenter quiuis auerſus à recta ratione motus, ac libido. Turpe eſt viro forti vincere hoſtes foris, intus autem vinci à ſemetipſo, id eſt, à cupiditatibus ſuis, cum hæc quam illa victoria multo ſit glorioſior. Et tales victores orat. pro M. Marcello Cicero deo ſimillimos iudicat. Socrates vehementius iraſcens, remittebat vocem, & vultu arridebat. Plut. de Ira. In eodem libro. Nullus eſt animi morbus, qui magis vel habeatur odio, vel contemnatur.

Vt fragilis glacies interit ira mora. 1. Art.

Quo magis inueteraſcit ira, hoc magis rancoris, & odij naturam induit. Illa autem iuxta Senecam lib. 2. de ira cap. 3. non moueri tantùm, ſed excurrere debet. Eſt enim impetus. Nunquam autem impetus ſine aſſenſu mentis eſt: neque enim fieri poteſt, vt de vltione. & pœna agatur, animo neſciente. Putauit ſe aliquis læſum, voluit ſe vlciſci: diſuadente aliqua cauſſa ſtatim reſedit. Hanc iram non voco, ſed motum animi rationi parentem, &c. Ira eſt concitatio animi. ad vltionem voluntate, & iudicio pergentis. Sed huius maximum remedium eſt mora, vt idem ſcribit cap. 28. Nec ab illa pete, inquit. initio, vt ignoſcat: ſed vt iudicet. Deſinet, ſi exſpectat. Ne vniuerſam illam tentaueris tollere. Graues habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur. Quod Horat. dixit ep. 2. lib. 1. *Ira furor breuis eſt:* & Themiſtius ὀλιγοχρόνιος μανία breuis inſania, ad choleram quam vocamus referri poteſt.

Quamlibet infirmas adiuuat ira manus. 1. Am 7.

Sicut paruas beſtias, non ita à natura armatas irritare tutum non eſt, totis enim viribus, & omnibus vngulis ſe defendunt, & ſæpe morſibus, laniatibus, ac venenis grauiter lædunt: ſic cauendum, ne vel puerum, vel fœminam, quorum corpora imbecilliora, & animus infirmus, exaſperemus, & ad manus, ac tela ira impellente venire cogamus. Auaritia, & crudelitas Polymeſtoris Thraciæ regis apud Euripidem ſenſit quid mulierum Troianarum manus poſſent. Eius enim paruos liberos coram trucidarunt, ipſi oculos effoderunt.

LIV. Iuſtitia, & iuſta.

——neq; enim lex iuſtior vlla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.

Celebratur litteris Perillus faber, qui taurum æneum, quem ad reos incluſos ſubiecto igni torquendos Phalaridi Agrigentinorum tyranno obtulerat, ipſe primus experiri coactus eſt. Theſeus

Herculis exemplo terras obiens, nocentes quos superasset, eadem pœna multabat, quam illi per sæuitiam in alios exercuissent. Vide prouerb. Termeria mala. His affinis est historia quoque de Eutropio eunucho Arcadij Imperat. quam refert Ecclesiasticus auctor Socrates, lib. 6. cap. 5. Nam cum legem ferendam suasisset, ne cui noxio perfugium ad templum prodesset, ipse mer offenso Augusto eodem confugiens extractus, & capite plexus est. Docuit hanc iustitiam lepidissimo apologo de lupo, & vulpe apud leonem ægrotantem etiam AEsopus. Recitat parœmiographus in Malum consilium consultori pessimum.

———sed cedit viribus aquum,
Victaq; pugnaci iura sub ense iacent. 1.T.8.

Hoc fit plerumque, cum gratiosi, & diultes, & potentes litem habent, & controuersantur cum tenuioribus. Timent iniqui iudices; aut pecunia se corrumpi sinunt. Tyranni quoque leges aspernantur, & quod libet, hoc sibi licere voluut, parere nolentibus, aut contradicentibus vltima minitantes.

L.

LV. Laborandum.

Dum vires, animiq; sinunt tolerate labores,
Iam veniet tacito curua senecta pede. 3.Art.

Et rursum.

Ventura memores iam nunc estote senecta.
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

Laborem commendauimus in Symb. nostris ad 1. Georg. psg. 267. Horat. sat. 9. lib. 1. nil *sine magno Vita labore dedit mortalibus.* Vide ibid. Lambin. Apostolus ad Thessal. 2. cap. 3. nolenem operari, vetat manducare. Laborandum porrò dum vires sunt integræ, dum viridis ætas, & viuida virtus animi, vt suppetat infirmæ senectuti vnde se susteutet. Nam iuxta adagium, optimum obsonium senectuti labor. Et consilium Hesiodi est.

οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.
Non æstas semper fuerit, componite nidos.

LVI. Labor inanis.

Quid facis OEnone, quid arena semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras. ep.5.

Ad inutilem operam significandam pæne sexcenta sunt prouerbia. Flagellare mortuum, lapidem decoquere, in cælum iaculari, æthiopem lauare, asinum tondere, &c. Vide Chiliad. Plaut. Asinar.

Iubeas vna opera me piscari in aëre,
Venari autem iaculo apros in medio mari.

Curando fieri quadam maiora videmus
Vulnera, qua melius non tetigisse fuit. 3.P.7.

Hoc interdum vulneribus contingit natura sua, vt scilicet melius, & facilius curentur, dum non curantur: interdum ex chirurgorum imperitia. In morbis quoque circumspiciendum, cui medico fidamus. Studium enim faciendi quæstus hoc sæculo multos gignit medicos. Generatim porrò desperatis aut vulneribus, aut morbis non est facienda medicina, ne & labor, & impensa pereant.

LVII. Lacrymæ.

———est quadam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturq; dolor. 4.T.3.

Lacrymas præ gaudio manantes habere voluptatem, quis non videt? Sed ex dolore profectas habere tamen aliquid iucunditatis, ipsumque dolorem alleuare, & consolari, mirum videri queat. Ego hac de re in Commentario, & caussas idoneas protuli. Hic vnam duntaxat sententiam confirma-

tionis ergô ex Stobæi Collectaneis, sermon. 123. addam. ἔνι δ' ἀνθρώποις καὶ θρήνων χάρις, καὶ ταύτην ἡδονὴν ἡμῖν παραμυθίας ἡ φύσις ἐν ταῖς τύχαις, etiam in lamentis dulce quiddam homines reperiunt, & hoc nobis in rebus aduersis solatium natura dedit.

Et lacrymæ prosunt, lacrymis adamanta mouebis. 1. Art.

Plurimum posse lacrymas vel solas, vel cum precibus coniunctas quis nescit? Ad vxorem 3. P. e-leg. 1. vbi eam hortatur ad Cæsarem, & Liuiam Augustos pro se deprecandos.

Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fiant.
Has petes, aut nulla parte mouere deos.

Nullæ autem lacrymæ, quam peccata sua deflentium, & misericordiam implorantium deo gratiores, quales Magdalenæ, & Dauidis.

Neue puellarum lacrymis moueare, caueto.
Vt flerent, oculos erudiere suos. 2. Rem.

De lacrymis muliercularum profligatæ pudicitiæ loquitur, quas inuitas, & coactas vocant ipse, & Propertius, quibus illæ stultis amatoribus quod volunt persuadent, & eorum crumenas emungũt. His illecebris, vt pallore simulato, se circumuentum dolet lib. 1. eleg. 15.

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum inuitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes,
O nullis tutum credere blanditiis.

De iisdem noster 3. Art.

Quò non ars penetrat? discunt lacrymare decenter,
Quoq; volunt plorant tempore, quoue modo.

Terent. Eunuch.

Hæc verba mehercule vna falsa lacrymula,
Quam oculos terendo vix vi expresserit, restinguet.

Et quoniam incidit opportunitas, visum est non alienum proposito nostro, monere seriò studiosos litterarum adolescentes, *vt custodiant se à muliere extranea, præparata ad capiendas animas, quæ verba sua dulcia facit. & procaci vultu blanditur, donec te irretiat multis sermonibus. & sequaris eam quasi bos ductus ad victimam, aut quasi auis festines ad laqueum. Via inferi domus eius, penetrantes ad interiora mortis.* Hæc & plura Sapientiss. regum in Prouerb. cap. 7. quæ tibi quam commendatissima, & notissima esse velim. Habeto item antè oculos aliorum Sapientum dicta, & consilia, quibus te aduersus hasce blandissimas Sirenas, & insidiosissimos impetus communias: ipsorum quoque poëtarum, qui tametsi sæpe ad libidinem duces, iidem nihilominus non rarò vicissim ad castimoniam magistri sunt, & à motibus illaudatis ac petulantibus deterrent. Ex his vnus,

Durius in terris nihil est quod viuat amante,
Nec, modò si sapias, quod minus esse velis.

Quod cum ille ipsemet esse semper voluerit, sequitur eum non sapuisse, hoc est stultum fuisse. Ex ore ipsius seruum nequam iudicamus.

M.

LVIII. Mala bonis mista.

Terra salutiferas herbas, eademq; nocentes
Nutrit: & vrtica proxima sæpe rosa est. 1. Rem.

A rebus vulgatissimis, & pæne quotidie in sensus incurrentibus noster vates persæpe vtilem ad mores doctrinam petit: & est hoc allegoricum, ac parœmiacum, quod apertius 6. Fast. *Scilicet interdum miscentur tristia lætis.* Geminum his illud Horatianum Ode 16. lib. 2. *nihil est ab omni parte beatum.* Quo spectant & illa, quæ præter alia à Parœmiographo adducuntur: Vbi mel, ibi fel, vbi vber, ibi tuber.

εὕροιτο δ' ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, ὦ Δημέα,
ἀγαθὸν, ἐν ᾧ τι μὴ πρόσεστι καὶ κακόν.
Bonum inuenire, Demea, nullum potes,
Admixta cui non aliqua portio mali.

His adiungo ex Amphitruone, vbi sic Alcmena.

Satin' parua res est voluptatum in vita,
Atq; in ætate agunda,
Præ quam quod molestum est? ita quodq; comparatum

Est in aetate hominum.
Ita diis placitum, voluptati vt maeror comes consequatur.
Quin incommodi plus, maliq; illico assit, boni si obtigit quid.
Extremo huic respondet ille in 3. Artis. *Pluraq; sunt semper deteriora bonis.*

LIX. Malum proprium.

Diruta sunt aliis, vni mihi Pergama restant. ep. I.

Probatissima, & fidelissima Penelope scribit Vlyssi suo, eiusque aduentum, Troia iam pridem capta, & vastata, ducibusque caeteris domum ad suos reuersis, cupidissimè desiderat, queriturque sibi videri Troiam adhuc restare incolumem, quando perinde vt in illa decennali obsidione carere marito cogatur. Verùm illam absentiam cum reprehendere non potuerit, (necessitatis enim fuit, & suscepta pro repub.) hanc, vt aequo diuturniorem, modestè accusat, & lentum vocat, hoc est, frigentem, & remissum in amore coniugali.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysse,
Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.

Sed ad rem, qui reliquis emergentibus manet in infortunio, & miseria, poterit idem dicere quod Penelope, prouerbiali specie. *Diruta sunt aliis, &c.*

LX. Mens.

Illa per immensas spatiatur libera terras,
In caelum celeri peruenit illa fuga. 4. T. 2.

Regnum totius animi à natura tributum menti, ait Cicero Tuscul. 3. Ea siue naturam, siue deum nihil homini dedisse praestabilius, in Catone. Cogitatione quiduis posse depingere, 1. de nat. deor. Nihil esse celerius, in Orat. perf. Alia quae praeclara de mente ex eodem, & aliis possent afferri, praetermitto. Mens itaque momento temporis peruagatur omnia, & nullo loco excluditur, qua se, quamuis in exilio sit, & infinitis paene terrarum, aquarumque spatiis disiunctus, tamen Romam ad triumphum Germanici videndum aditurum in eadem elegia affirmat. Mentem eum oculo, seu visu doctè comparat Philo de opificio Dei, pag. 7. De eius mobilitate, celerrimoque per omnia discursu Seneca ad Heluiam cap. 6.

LXI. Miseri.

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliumq; fugit. I. P. 12.

Non ipsa miseria, sed aegritudo ob miseriam, principem illam animi partem, mentem, inquam, in qua inest prudentia, & perspiciendi vis, mirè hebetat, intelligentiae quoque lumen obfuscat, & memoriam vitiat. De corpore nihil dico, cui etiam minimè prodest. Cum re igitur (pone quempiam ob res amissas calamitosum factum, & ideo esse dies ac noctes in acerbo dolore) fugit sensus, id est, iudicium, & intelligentia, & consilium, vt miseri qua fortuna, iactura tantarum rerum sibi duplicent miseriam, ac paenè stupidi euadant. De tali dolore locutus est Alexides Comicus. τῶν μετρίων αἱ μείζονες λῦπαι ποιοῦσι τὸ φρονεῖν μετάτοπον, id est, qui modum superat dolor, mentem suo loco dimouet.

LXII. Modestia in secundis.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati. 2. Art.

Virgil. lib. 10. narrans Turnum caede, & baltheo insigni Paliantis exultasse, propter quem baltheum tamen postea periturus erat, subiungit.

Nescia mens hominum fati, sortisq; futurae,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Cum aduersae, & secundae res leniter, & compositè nobis ferendae sint, tamen non tam illae animos deprimunt, ac deiiciunt, quam hae eosdem efferunt, & extollunt, vt nonnullos propter summam faelicitatem suam maiores existimari, & cum diis numerari voluisse legamus. Ascendissent vltra, si quidquā

diis maius vidissent. Itaque consueuit deus, quibus prosperitates donat, etiam aliquid incommodorum semper admiscere, vt eos in officio contineat, dum animos eorum quasi altius euolare cupientes, pondus quoddam, & cum gaudio confusa molestia deorsum retrahit. Magnopere mihi Philippi Macedonis, prudentissimi regis moderatio in secundis semper placuit. Cui cum eodem die tres lætissimi nuntij venissent, cælo manus tendens exclamauit, ô Iupiter, pauxillum mali in tantis bonis. AEmilius Probus in Conone. Accidit huic quod cæteris mortalibus, vt inconsideratior in secunda, quam in aduersa esset fortuna. Horat. Ode 27. lib. 3. *bene ferre magnam Disce fortunam.* In quem locum quid ex Diodoro, & Thucydide afferat Lamb. lege si placet.

LXIII. Modus in labore, & actionibus.

Quod caret alterna requie, durabile non est.
Hæc requies vires, fessaq; membra leuat. ep. 4.
Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis:
Immodicus contra carpit vtrumq; labor. 1. P. 5.

His quatuor versibus præcipitur laborum, negotiorumque interuallum, quo & corpus, & animus, vbi se interposita quiete necessaria refecerint, ac recrearint, ad reliquum exequendum, ac transigendum vires instauratas afferant. Hoc per ceruum currentem, & retro spectantem significarunt ἱερογλυφικῶς AEgyptij. Solet quippe in cursu consistere dum insectator appropinquet. Tum rursus fugit. Ne bestias quidem, quarum opera in oneribus portandis, aut in vellatura, aut alia demum ratione vtimur, nimium, & sine intermissione vrgeri videmus; abiungimus enim, & interiugimus, & eas quiete alterna, ac pabulo reficimus, ne deficiant. Cur ergo nobismetipsis negemus, quod illis cōcedimus? Est & animis, atque ingeniis sua lassitudo, & senectus quædam, cui mediocritate, & vicissitudine otij, ac laboris consulendum est, ne fatiscant. Valet huc similitudo de arcu, quem, *si unquam cesses tendere, mollis erit*, vt est in eadem epistola. Item illa de flumine, & torrente 2. Remed. qua declaratur, seruare modum, plus posse ad diuturnitatem,

Flumine perpetuo torrens solet altius ire:
Sed tamen hæc breuis est, illa perennis aqua.

Denique *apprime in vita esse vtile arbitror, vt ne quid nimis*, ait in And. Terent.

Da requiem, requietus ager bene credita reddit,
Terraq; cælestes arida sorbet aquas. 2. Art.

Quomodo terris, sic ingeniis sua cultura est. Et vt illæ nisi colantur, fructum non ferunt: sic neque animi, quorum cultus doctrina liberalis. Quocirca agellos nostros discamus colere, & cum arescere cœperint, aquis eruditionum irrigare; sic enim vberes fructus capiemus. Ad vitandam contentionis, laborumque assiduitatem in quauis re faciunt & hæc similia, ex 1. de Ponto eleg. 5.

Quæ nunquam vacuo solita est cessare nouali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet ad circi si quis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equus.
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.

Nutritur vento, vento restinguitur ignis,
Lenis alit flammas, grandior aura necat. 2. Rem.

Tametsi poëta hæc ibidem in alia re protulit, docens nimirum hac comparatione, quemadmodum ardor ille libidinis poculis largioribus restingui possit, qui moderatis nutritur, nihilominus eadem ad mensuram labori adhibendam transferri commodè queunt: quibus noua explanatione haud est opus.

LXIV. Mora.

Nam mora dat vires; teneras mora percoquit vuas;
Et validas segetes quæ fuit herba, facit.

Quæ præbet latas arbor spaciantibus vmbras,
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis. 2.Rem.

Prodest,& obest mora. In malis semper obest, quæ tempore validiora,& superatu difficiliora euadunt; quale inprimis est libido, cuius scintillæ nisi extinguantur, in flammas excrescunt,& inde incendium sæuit in præcordiis. Moram dare vires, cernis in vuis, in segetibus, in arboribus. Idem cogita contingere in prauis cogitationibus, perturbationibus, & improbis affectibus, qui paularim roborantur, vt euelli,& eradicari amplius non possint. Huc belle accommodat Pierius Hieroglyph.lib. 13. in Vulpe, quod est in Canticis. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Quare obtemperandum consilio, quod mox sequitur,

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie cras minus aptus erit.

Arbores latè vmbras præbentes, sunt quæ circumquaque ramos diffundunt, & in ambitum patent, vnde & patulæ dicuntur: quæ non sunt cuneatæ.

Differ, habent parua commoda magna moræ. 3.F.

Maximis commoditatibus nonnunquam paruæ procrastinationes compensantur. Contrarium illud Lucani lib.1. *Tolle moras, semper nocuit differre paratis.* Verumenimuero certum quippiam præscribi non potest. Prudentia,& experientia vtrique moderabuntur. Exempla item in vtramque partem historiæ suppeditant. *Mora omnis odio est*, inquit Pub.Syrus: *sed facit sapientiam.* Tanta commoda habuerunt moræ Q. Fabij Maximi, vt is vnus homo Romanis rem per eas restituerit.

Morsq; minus pœnæ, quam mora mortis habet. ep.10.

De calamitosissimis, & qui quotidie pæne moriuntur, nec tamen mori possunt, & inuocant mortem,& mors fugit ab eis. Item de iis, qui diuturnis,& atrocibus pœnis excruciantur. Item de iis, qui nimium diu mortem sibi destinatam exspectare compelluntur.

Optima vindicta proxima quæq; dies. 2.Rem.

Quò citius, eò salutarius praui mores corriguntur; amicitiæ turpes dissoluuntur, iniustè ablata restituuntur, scelerati à magistratibus puniuntur, innocentes conseruantur, leges defenduntur, seditiosi vrbibus pelluntur, &c. & alia huius generis quam plurima.

LXV. Morbus corporis,& animi.

Non est in medico semper releuetur vt æger:
Interdum docta plus valet arte malum.
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera mentis ope. 1.P.4.

Longè optabilius esse nobis debet corpore, quam animo ægrotare, Illius enim morbi facilius, huius difficillimè depelluntur. Et illi plerumque tam graues non sunt: hi pæne semper grauissimi, ac nocentissimi. Et corporum quidem curandorum, inquit M.Tullius 3.Tuscul. quæsita est ars eius atque vtilitas, deorum immortalium inuentioni consecrata: animi autem medicina nec tam desiderata est antequam inuenta, nec tam culta posteaquam cognita est, nec tam multis grata,& probata, pluribus etiam suspecta,& inuisa. Mox subtexit caussam, ex qua videre possis, cur tam difficilis sit animi sanatio. An quod corporis grauitatem,& dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit, vt animus de seipso tum iudicet, cum idipsum quod iudicat, ægrotet. Morbos animi Ouid. vocat vulnera mentis. Vt enim vulneribus corporis, sic affectibus,& vitiis mentis integritas conscinditur,& dilaceratur. Inter eos,& affectus Seneca hoc discrimen constituit ep. 75. Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti,& concitati: qui frequentes, neglectique fecêre morbum: sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tussim facit: assidua,& vetus phtisin. Morbi sunt inueterata vitia,& dura, vt auaritia, vt ambitio nimia: postquam hæc animum implicuerunt, & perpetua eius esse mala cœperunt. Cicero hoc nomine crebrius affectus ipsos afficit,& morbos nominat. Vt absoluam, sicut morbi quidam corporum, ita quidam animorum (de quibus accipiendus est Ouid. nam de omnibus verum non est) omni auxilio, non ex natura sua, sed ægrotantium vitio,& pertinacia ma-

iores sunt. AEgrotantes corpore cum ægrotantibus animo disertè componit initio orat. 2. de curand. Græcor. affect. Theodoret. Sed multo copiosius & eruditius differt. Max. 41. Tyrius.

Non eadem ratio est sentire, & tollere morbum.
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum. 3. P. 9.

Respondens Bruto, qui ad eum scripserat, esse Romæ, quibus non placeret, illum eadem semper scribere, purgat se, & ait, hoc minimum esse de peccatis suis in hisce libris, quæ quidem ipsemet videat, nec probet. Cur verò, cum in scribendo videat se delinquere, adhuc tamen peccet, eius rei rationes profert. Ac inprimis, aliud esse sentire erratum, aliud tollere: illud vt in morbo, facile esse cuiuis: hoc artis opus, & industriæ, à quibus impediatur. Lege epistolam, &, si lubet, Commentarium nostrum.

LXVI. Mors.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus. 3. Am. 8.

Et infrà.

Viue pius, moriere tamen: cole sacra, colentem
Mors tamen à templis in caua busta trahet.

Menander.

ἀθανασία δ' οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἂν συναγάγῃς
τὰ Ταντάλου τάλαντα λεγόμενα,
ἀλλ' ἀποθανῇ, καὶ ταῦτα καταλείψεις τισί.
Haud vlla ad immortalitatem tibi via,
Non si tot illa Tantali talenta sint:
Sed coget alijs cuncta mors relinquere.

Grauiter item, & eleganter Orpheus 10. Metamorph. ad Plutonem, & Proserpinam apud inferos, Eurydicen vxorem, quæ serpentis morsu interierat, sibi ad tempus rediuiuam restitui petens, sic canit.

Omnia debentur vobis: paulumq; morati,
Serius, aut citius sedem properamus ad vnam.
Tendimus huc omnes: hæc est domus vltima, vosq;
Humani generis longissima regna tenetis.

Omnibus propemodum poëtis sententia hęc de communi necessitate moriendi communis est. Longus ero nimis, si vel plurium carmina adscripsero. Vide Propert. lib. 3. eleg. 18. Horat. Ode 4. lib. 1. Et 3. & 14. 18. lib. 2. Stat. 8. Thebaid. ad mortem. *Ne propera. venienius enim quo limine cuncti. Qua licet ire via.* Max. Tyrius dissertat. 1. Mortem imbelles deplorant, cuius aduentum tremunt. Quisquis contra deo iungi optat, cum gaudio exspectat, forti animo excipit.

Mors certè faciet, ne sim, cum venerit, exul.
Ne non peccarim, mors quoque non faciet.

Melius aliquanto ageretur cum sceleratis, si cùm eorum vita ipse quoque fons vitæ, hoc est, anima, aut saltem scelerum conscientia aboleretur. Nunc autem, vt scriptum legimus apud Isaiam cap. 66. *vermis eorum non morietur.*

LXVII. Munera.

Ipse licet venias Musis comitatus, Homere:
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.
Munera, crede mihi, placant hominesque, deosque,
Placatur donis Iupiter ipse datis. 2. Art.

Munera

Munera quærunt, quas appellat in Menæchmis Plautus illecebras argentarias, quarum oculatæ sunt manus, eredunt enim qnod vident, vt est in Asinar. quæque à merendo nomen habent. Appositè his de suo scorto Propert. lib. 2. eleg. 16.

Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores,
Semper amatorum ponderat illa sinum.

Gestabant enim antiqui crumenam è collo pendentem, quam in sinum demittebāt. Hæ nihili faciunt qui nihil dant, quicunque, & qualescunque sint. Est autem munerum tanta vis, vt diuûm, hominumque gratiam concilient.

——acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.

Charorum chara munera, quamuis non pretiosa. Sudarium ab amicissimis donatum Catullo, furatus erat in conuiuio Asinius, asuetus furtis huiuscemodi. Ei trecentos hendecasyllabos minatur, nisi remittat. Et addit.

Quod me non monet æstimatione;
Verùm est μνημόσυνον mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius. hoc amem necesse est
Vt Veraniolum meum, & Fabullum.

Chara item quæ à potentibus donantur: testes videlicet eorum erga nos animi. Charissima autem iure, quæ à viris sanctis donantur, quorum gratiam, & fauorem omnibus thesauris anteponendum censeo. Sunt enim amici dei, *qui voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Psalm. 144.

N.

LXVIII. Nobilitas vera.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. 13. Meta.

Vlysis sunt, in illa nobili, & à doctis meritò decantata oratione, qua in competitione armorum Achillis Aiaci Telamonio, de sua etiam nobilitate glorianti, vt qui esset Iouis pronepos, respondens introducitur. Est epistola Senecæ, num. 44. qua ostendit, veram nobilitatem in sola virtute constitutam. Pauca saltuatim decerpam. Omnes, si ad primam originem reuocentur, à diis sunt. Non omnes curia admittit; castra quoque, quos ad periculum, & ad laborem recipiunt, fastidiose legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. His consentientia Lucanus ad Pisones.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus est in origine sola.

Et Iuuenal. sat. 8.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Si modo non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit. 1. P. 10.

Quatuor rebus homines magni, & illustres fiunt. Diuitiis, quæ plerumque non iustis vndiquaque rationibus conquiruntur, si non fallitur sapientia Platonis, cuius est: diues aut iniquus, aut iniqui hæres. *Dat census honores*, dixit 1. Fast. Nobilitate, hoc est, claritudine familiæ. Hæc duo extra hominem, & aliena sunt. Probitate, quo nomine virtutem capio generatim. Ingenio & doctrina. Hæc duo posteriora in nobis sunt, & propria sunt, quæ verè nobiles, & omni honore dignos efficiunt.

LXIX. Nouitas.

Est quoq; cunctarum nouitas gratissima rerum. 3.P.4.

In cantilenis comperimus hoc verissimum esse. Recentiores enim gratiores. In vestibus quoque. In ludis. In spectaculis, & omnino in iis, quæ ad voluptatem efficiendam valent. In aliis prætereà mille. In multis nihilominus gratior est antiquitas, quoniam etsi noua iucundiora, vetusta tamen sæpe meliora, vtiliora, salubriora. Vt vinum vetus, amici, & nummi, & libri veteres, auctorum inquam veterum.

LXX. Nuptiæ pares.

Si qua voles aptè nubere, nube pari. ep.9.

Querimoniam texit Deianira de suo inæquali cum Hercule coniugio, ex quo plus sollicitudinis, & molestiæ, quam voluptatis perciperet, cum ille abesset perpetuò, in monstris profligandis summo cum periculo occupatus. Quia videlicet se Iouis filium huiusmodi certaminibus probare debebat. Sed cum Deianira de viro, multo plures conqueruntur de vxoribus se nobilioribus, & ditioribus, quarum arrogantiam, & superbiam ægerrimè patiuntur. Laert. in Pittaco narrat, quendam iuuenem Atarniten ex eo quæsisse, cum à duabus expeteretur, quarum vna sibi & facultatibus, & genere par, altera vtroque superior esset, vtra sibi ducenda foret. Tum senem sublato scipione ostendisse in triuio pueros trochum agitantes, & ex iis quæsitum misisse, eorumque consilium sequi iussisse. A quibus audiuit, æqualem tibi ducito. Quod & fecit. Hanc historiolam venusto epigrammate complexus est Callimachus.

O.

LXXI. Obsequium, & indulgentia.

Desine (crede mihi) vitia irritare vetando:
Obsequio vinces aptius ipse tuo. 3. Am.4.

Ea est nequitia humani ingenij, vt quod adamauit seu bonum seu malum, seu turpe seu honestum, seu salutiferum seu noxium, id tanto magis persequatur, eoque frui, & id obtinere cupiat, quo magis ab eo arcetur, ac prohibetur. Contra, si minus ei resistatur, & potestas adipiscendi, retinendique fiat, impetus languescat, illudque vel dimittat, vel eo moderatissime vtatur. Quare non falsò ibidem scribitur,

Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Vidi ego nuper equum contra sua fræna tenacem
Ore reluctanti fulminis ire modo.
Constitit, vt primùm concessas sensit habenas,
Frænaq; in effusa laxa iacere iuba.
Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.
Sic interdictis imminet æger aquis.

Videndum tamen moderatoribus, ac præsidibus, quatenus hanc libertatem, & in quibus indulgeant subiectis: ne per obsequium nec illos à vitiis abducant, sed inducant amplius, & in ipsos pars sceleris redundet, atque in eandem infamiam accedant. Franciscus Xauerius societatis nostræ clarissimum lumen, vt scriptum extat in Commentario rerum Indicarum Ioan. Petri Maffæi mira comitate, & artificio cuidam opulento paulatim, quot habebat, octo concubinas detraxit. Quas si ei simul & semel omnes adimere studuisset, nihil egisset. Lenitatem autem, & indulgentiam Simonis in filium Pamphilum, & Mitionis in AEschinum, quem à fratre Demea adoptauerat, nullo modo parentes Christiani imitabuntur, nec audient dicentem,

Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum
Scortari, neq; potare, non est: neq; fores
Effringere.

Vide in Miscel. infra. *Cui peccare licet peccat minus, &c.*

Dextera præcipue capit indulgentia mentes,
Asperitas odium, sæuaq́, bella mouet.
Odimus accipitrem, quia viuit semper in armis,
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo,
Quasq́, colat turres Chaonis ales habet. 2. Art.

Obsequium amicos parat. quod tamen dexterum esse oportet. Nemo enim ingenuus velit sibi alium obsequi. & gratificari, & indulgere in omnibus, & citra modum. Sæpe siquidem pars beneficij est, si bellè neges quod petitur, vt ait Pub. Syrus. Laudabilis igitur, & amicitiæ conciliatrix atque confirmatrix prudens, & beneuola indulgentia: reprehendēdus sūt rigor, & ad vnguem omnia exigendi pertinacia: quæ nec de pœnis detrahit; nec ad beneficium addit: & gratis nihil facit: & aliorum sese odiis obiicere nihil metuit. similis accipitribus, & lupis, immitibus feris, non blandis auibus, vt sunt columbæ, quarum copia in Chaonia, & hirundines à quibus cum nemo offendatur, nemo ipsis tendit insidias. Subtexam qui paulo infrà sequuntur versiculos de efficacitate obsequij, quæ omnia, vt plurima hactenus, ex illa ματωστιχίᾳ allata, ad res honestas verissimè accommodari possunt. Sunt enim γνώμαις, & philosophorum axiomatis similia, & (quod huic poëtæ proprium, ac peculiare est) inductionibus, exemplisque illustrantur.

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus:
Frangis, si vires experiare tuas.
Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis
Flumina, si contrà, quàm rapit vnda nates.
Obsequium tigresq́, domat, tumidosq́, leones:
Rustica paulatim taurus aratra subit.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis. 2. Art.

Quanto rectius, & grauius hoc in irascentibus, quàm in turpissimè amantibus dicetur? Furentem, & insanum etsi possis vincere contra furendo, & insaniendo, tamen ea victoria non plus laudabitur, quam si taurus taurum vicisset in pugna. qualem Maro in 12. descripsit.

Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, &c.
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaq́, obnixi infurgunt, & sanguine largo
Colla, armosq́, lauant.

Non abest ab iratis contemptus plerumque eorum quibus irascuntur, & amor atque admiratio sui. Vtrumque superborum est: superbi autem subiectione, & summissione facilè placantur. Quamobrem feruidius iratum alia via, quam te summittendo, & mollia duris opponendo non superabis. Hoc remedium præscribit & Salomon Prouerb. 15. *responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Nec in iris tantùm, sed in quauis lite, & controuersia si nec fortunæ, nec existimatio, nec salus, nec aliud quippiam maioris momenti agatur, laudi datur, studio pacis cedere. *Pax optima rerum. Pacifici filij dei vocabuntur.* Matth. 5.

LXXII. Occasio, seu opportunitas.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesq́, vetando,
Temporibus si non aggrediare suis. 1. Rem.

Nosce tempus, vnum est è dictis 7. Sapientum. Temporis, siue opportunitatis in rebus omnibus haud leue momentum. Hesiod. *καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. Optimum erit si quis tempus spectauerit aptum.* Medicina sanat, si suo tempore adhibeatur: si alieno, morbum auget, aut certe nihil conducit. Vinum febri ardentibus dandum non est. Vitia non quouis tempore insectanda, & corrigenda. Vt si in media compotatione inter sodales combibones, velis obiurgare ebriosum, & asotum. Irridebit te, & tanto magis potabit. Quomodo opportunitatis captator per echinū ἱερογλυφικοῖς significetur, Pierius lib. 8.

Quid iuuat admonitu tepidam recalescere mentem?
Alter, si poßis orbis, habendus erit. 1.Rem.

Quam bene vidit hic Præceptor amandi, quid dedoceret amores, & quibus tanquam herbis, medicamentisque valentissimis posset hoc teterrimum genus pestilentiæ curari, ac tolli funditus ex animis? Inter alia quæ proponit remedia, occasionem fugere præcipit, & omnia, quibus adhuc tepida mens (nam calor iste, si semel increuerit, tarde refrigescit) recalescere, & pristinas concipere flammulas queat. Hæc qualia sint, tute cogita. Adeo autem fugere, vt ad extremos Indos, si detur, abire velis. *Qui amat periculum, in illo peribit*, scriptum ab Eccles. cap.3. Et à S. Cypriano in eandem sententiam; nemo diu tutus, qui periculo est proximus. Proinde ad confirmandum quod dixerat mox adnectit appositas similitudines tres, quarum vltima à tauro & equo in iuuencam, & equam insanientibus ducitur, conuenienter profectò. Nam hic appetitus nobis cum bestiis communis, si rationis imperio non regatur, plane bestialis, & homo bestiæ similis efficitur. *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*, inquit Propheta Hieremias cap.5. sed versus accipe.

Non facile esuriens posita retinebere mensa:
Et multum saliens incitat vnda sitim.
Nec facile est taurum visa retinere iuuenca:
Fortis equum visa semper adhinnit equa.

LXXIII. Otium.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaque iacent, & sine luce faces. 1.Rem.

Inter multa mala quæ docuit otiositas, etiam Cupidini seruire docuit, quam si tollas, eius sagittæ non lædunt, & faces non vrunt, & Venus inuenusta est.

Hæc vt ames faciunt: hæc, quæ fecere tuentur:
Hæc sunt iucundi caussa, cibusq; mali.
Quam platanus vino gaudet, quam populus vnda,
Et quam limosa canna palustris humo,
Tam Venus otia amat. Finem qui quæris amori,
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Seneca epist.56. nihil tam certum est, quam otij vitia negotio discuti.

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter.
In promptu caussa est, desidiosus erat. ibid.

Ægisthus Agamemnonis patruelis, ipso apud Troiam morante, cum Clytæmnestra eius vxore consueuit, qua adiuuante reducem postea obtruncauit. Seneca Agamem. Vides quam caussam, quod principium huius flagitiosi commercij poëta statuat. Nostri scriptores Dauidem quoque occasione otij in adulterium incidisse testificantur.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant, ni moueantur, aquæ. 1.P.6.

Eapropter medici exercitationes suadent. Finis enim exercitationis est bona corporis constitutio, bonusque habitus. Eius commoda Galen. lib.2. de tuenda valetudine sic explicat. Quoniam exercitatio vehementior motus est, necesse est tria hęc ab eo perfici in corpore exercitando: membrorum duritiem ex mutuo ipsorum attritu: genuini caloris augmentum: spiritus citatiorem motum: sequi vero hæc reliqua omnia priuatim cõmoda, quæ corpus exercitiis accepta refert. Vtiq; ex membrorum duritia tum vt minus labore afficiantur: tum ad labores robur. Ex calore tum deducendorum in corpus validum attractum: tum immutationem magis expeditam: tum nutritionem magis fœlicem: tum vt singulæ corporis partes sint (vt ita dicam) perfusæ. Cuius affectus beneficio & solida mollescere, & humida tenuari, & exiguos corporeę molis meatus laxiores fieri accidit. At ex spiritus valentiore impetu, & purgari hos omnes meatus necesse est, & excrementa expelli. Ita Galenus. At quies si immodica fuerit, corpus frigidius reddit, excrementa dissolui prohibet, genuinum calorem pæne præfocat, atque extinguit, & vt infelicius concoctiones, nutritio, distributioque cibi procedant efficit, torpidumque corpus, & ad labores subeundos ineptum reddit. Ad incommoda otij, & cessationis insinuanda referamus & illam allegoriam 5. T. eleg.13.

Fertilis assidue si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

P.

LXXIV. Parua.

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum,
A cane non magno sæpe tenetur aper. 2.Rem.

Blandiri naturę nostrę res paruas potius quam grandiusculas, argumenti satis, quod cum blandiri, & delicias facere, & nobis quippiam charius esse indicare volumus, verbis diminutiuis quæ appellantur, vti solemus. Veruntamen in paruis quoque sæpius vim, robur, vires, celeritatem, potestatem, & multa denique maiora quam in grandioribus animaduertimus: quod ibi virtus collecta, hic dispersa est. In venenatis præsentius venenum minutiorum, & reptilium, quam quadrupedum est.

LXXV. Patria.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Detinet, immemores nec sinit esse sui. 1.P.4.

Probat hoc pronuntiatum exemplo hominum, & animalium. Est ergo à natura nobis impressus, & insculptus amor, ac desiderium natalis loci. Quanta sit bonorum, legitimorumq; ciuium erga patriam charitas, ex eo claret, quod nothi, ac spurij, & aduenæ exilium non curant: nec enim patriam nouerunt vllam, putantque illic se bene, beateque victuros, vbicunque res necessarias inuenerint. At illi alij cum lacrymis non exeunt, sed extruduntur, & tam ægre, quam filij charissimam sibi matrem relinquunt, etiamsi paruam, sterilem, ac nullo præconio dignam habeant. Legum latores atrocissimis sceleribus puniendis exilij pœnam irrogarunt, tanquam iustissimam, & acerbissimam. Etiam in prælio Imperatores vehementius exhortari milites ad fortiter dimicandum non possunt, quam si dicant, pro patria, pro aris, & focis prælio decertandum. Plura multo Lucian. libello, quem patriæ encomium inscripsit. Homer. Odyss. 9.

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων.
Vt nihil est patria propriisue parentibus vlli
Dulcius.

Vide & prouerb. Patriæ fumus igni alieno luculentior.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor:
Vt volucri, vacuo quidquid in orbe patet. 1.F.

Oratio est Carmentæ ad Euandrum filium dolentem, ac flentem exilium suum. Ex Arcadia namque in Italiam profugiebat. Non omnibus (inquit Seneca in Consolat. ad Heluiam, cap. 6.) eadem caussa relinquendi, quærendiq; patriam fuit. Alios excidia vrbium suarum, hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis expulerunt: alios domestica seditio submouit: alios nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas vires emisit: alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus: aut aliquis intoleranda infelicis soli vitia eiecerunt: quosdam fertilis oræ, & in maius laudatæ fama corrupit: alios alia caussa exciuit domibus suis. Hæc Seneca. Teucer in quapiam veteri tragœdia, teste Cic. 5. Tuscul. sic loqui introducebatur: patria est, vbicunque bene est. Quam sententiam quare, & quomodo reprehenderit orator prudentissimus & acutissimus Lysias, vide Muret. lib. 2. cap. 3. Cui Teucero consonat versiculus.

Τοῖς γὰρ καλῶς πράττουσι πᾶσα γῆ πατρίς.
Solum omne patria prospere quicunque agit.

Bonum ac sapientem, vbicunque terrarum degat, felicem aiunt esse, vtpote qui in semetipso felix ac beatus sit, & à fortuna non pendeat.

Et pius est patriæ facta referre labor. 2.T.

Qui patriam suam scriptis ad posteros celebrarunt, eamque immortalem fecerunt, sanctissimæ parenti satis magnas gratias retulerunt, suamque erga illam pietatem abunde declararunt. Celebrat suam Bilbilim Martial. lib. 1. epigram. 50. Laudandi similiter, qui eam ædificiis, & prærogatiuis amplificarunt, & exornarunt.

LXXVI. Pax.

Candida pax homines, trux decet ira feras. 3.Art.

Lactantius lib. 6. cap. 10. exponens rationem, cur Deus hominem nudum, & absque vllis natu-

ralibus munimentis, fragilemque condiderit; vt eum, inquit, ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilium. Summum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: quod qui diſruperit, nefarius, & parricida exiſtimandus eſt. Nam ſi ab vno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus: & ideo maximum ſcelus putandum eſt, odiſſe hominem vel nocentem. Propterea Deus præcepit inimicitias per nos nunquam faciendas, ſemper eſſe tollẽdas: ſcilicet vt eos qui ſunt nobis inimici, neceſsitudinis admonitos mitigemus. Item, ſi ab vno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud quam fratres ſumus? Et quidem coniunctiores qui animis, quam qui corporibus. Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qui hominibus nocent, qui contra ius humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant, &c. Cognatum dictis, atque adeo ſententiæ Ouidianæ, quod legimus 1. Off. duo eſſe genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet priore.

Sub iuga bos veniat, ſub terras ſemen aratas.
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres. 1.F.

Ex belli incommodis hoc etiam, nec minimum eſt, quod propter hoſtium incurſiones, & populationes tutò terram colere non licet. Aguntur enim prædæ; quin & ſegetes incenduntur, & arbores, ac vineta ſucciduntur. Ceres itaque pacem deſiderat. De iſtoc incommodo ſæpius in Triſtibus, & de Ponto conqueritur. Venuſte dictum *pacis alumna*, quam ſcilicet pax alit, quæ tempore pacis viget, quæ ſine pace nulla eſt. Sic in Bruto eloquentiam bene conſtitutæ ciuitatis quaſi alumnam quandam vocauit, & 1. Philipp. ſemet pacis quaſi alumnum. Et 1. de Diuinat. ranas *aquæ dulcis alumnas.*

LXXVII. Pœna merita, immerita.

Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt.
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit. ep. 5.

Pœnam, & Beneficium deos ſtatuit Democritus, auctor Plinius lib. 2. cap. 7. Diſputari poteſt, vtra pœna ſit toleratu moleſtior, ac difficilior, quæ indignè, hoc eſt, ſine cauſſa, an quæ dignè, & ex merito, propter facinus improbum ſcilicet, imponitur. Noſter, vt hîc, ita 1. de Ponto eleg. 1. meritam cenſet eſſe grauiorem. *Eſtque pati pœnam quam meruiſſe minus.* Nam conſcientia tortor, & carnifex eſt acerrimus: cum innocentiæ ſolatium pœnæ ſenſum valde imminuat. Vide Commentar. Vide ſupra titul. 24. Conſcientia.

LXXVIII. Poëtæ.

At ſacri vates, & diuûm cura vocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putent. 3. Am. 8.

Poëtæ primùm ſacri, quoniam in tutela Apollinis, Bacchi, & Muſarum, quarum ſacerdotes. Tiboll. lib 3. eleg. 4.

Salue cura Deûm. caſto nam ritè poëta
Phœbusque. & Bacchus, Pieridesque fauent.

Sacra autem eorum carmina, quibus diis ſuis ſacrificant. 4. Triſt. eleg. 10.

At mihi iam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.

Et 3. Triſt. eleg. 2.

Nec vos Pierides, nec ſtirps Latonia veſtro
Docta ſacerdoti turba tuliſtis opem.

Propert. lib. 3. eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Pluribus teſtimoniis ſuperſedebo. Quod ait, eſſe à quibus etiam dij habeantur, ſic intelligendum, eſſe quibus eorum carmina propemodum tanquam dij venerationi ſint, qui ea tantum non adorent. Propert. lib. 3. eleg. 9.

Hæc curent pueri, relegant hæc ſcripta puellæ,
Meque Deum clament, & mihi ſacra ferant.

Inde & Homerus, & alij ſæpe diuini appellantur, propter ἐνθουσιασμὸν, & afflatum illum cœleſtem.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit. 3. Art.

Eiusdem notæ.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus ille sacra semina mentis habet. 6.F.

Hinc clarius vides, cur se sacros appellent. Quomodo enim non sacri, quorum pectora incolit Deus, & spiritus sedibus æthereis veniens? Plato in Ione nihil aliud poëtas esse ait, quam deorum interpretes, dum numine quodam corripiuntur, à quocunque tandem corripiantur. Et Cic.1. Tuscul. non putat poëtam graue, plenumque carmen sine cælesti aliquo mentis instinctu posse fundere. Et Ennius sanctos appellauit poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Pro Archia. Nobis notandum, quod ait Philo, lib. Quis rerum diuinarum hęres. Nec malus propriè correptus diuino furore dicitur, sed in solum sapientem hoc competit; quandoquidem is solus est instrumentum Dei resonans, ab eo contactum, & pulsatum inuisibiliter.

Cura ducum fuerant olim, regumq́; poëtæ
Præmiaque antiqui magna tulère chori.
Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen,
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.

Amplissimus hic locus de poëtis à principibus, regibus, imperatoribus honoratis, muneribusque, & honoribus affectis. Augustos, Tiberios, Germanicos, Nerones, Domitianos, Adrianos, Alexandros, Numerianos, Gratianos, Aegyptiorum quoque, & Macedonum reges pro exemplis adducere in medium liceret. Gentes integræ tanquam de cælo delapsos suspexerunt. Ennij statuam Scipio Africanus sepulchro suo imponi iussit, Maronem, & Horatium Augustus in fratrum loco duxit. Priori pro paucis versibus sexti Aeneid. in fine Octauia Augusti soror coronatorum 5000. donauit. Pyrrhon Aeliensis pro quodam poëmate ab Alexandro Magno 10000. aureorum nummûm accepit. Oppianus ab Antonino 20000. Quanquam vero quædam de his, & quæ omisi, post Ouidij tempora contigerunt, eius nihilominus pronuntiatum de regum, ac principum fauore, & liberalitate in poëtas & verissimum, & quoddam futuri præsagium est. Qui poëtæ regibus familiares, Pausanias in Atticis, à principio, pag.2. num.20.

Quid petitur sacris nisi tantum fama poëtis?
Hoc votum nostri summa laboris habet. ibid.

Quam sint cupidi immortalis gloriæ poëtæ, nouit, qui eorum scripta voluitauit. Quam etiam sibi non dubitant promittere. Verùm si hic eorum scopus est, quid ergo vult Horat. ad Pison.

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ?

Longus mihi sermo nasceretur, si, quàm multa vtilia, & iucunda in eorum libris, recensere velim. Sed huius ipsius scopi scopus est illis decus, & fama sempiterna. Loquor de ethnicis; nostrarum enim actionum omnium scopus, & finis debet esse Deus, à quo, & propter quem procreati sumus, cui viuimus, & morimur.

Nec tamen vt testes mos est laudare poëtas. 1.Am.11.

Et rursum;

Crescit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

Historicorum est, nihil falsum, ac fictum, sed vera tantum, & explorata ad posteros litteris transmittere. 2. de Orat. Qui secus faciunt, historici munere legitimo non funguntur; sed poëtas imitantur, quibus narrare verisimilia, & vera etiam fictis exornare, & amplificare conceditur. Hanc eorum licentiam, quod ad nomina quidem attinet, obseruat Seneca 1. de Benef. cap.4. Quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia est: & cuicunque nomen non potest reddere, imponit: ita poëtæ non putant ad rem pertinere, verum dicere: sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quæque vocari iubent, quod bellè facit ad versum. Nec illis fraudi est, si aliud quid in censum detulerint: proximus enim poëta suum illa ferre nomen iubet. Hoc vt scias ita esse, ecce Thalia, de qua cum maximè agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa. At vero de eorum libertate in tractandis rebus sunt ista apud Plinium ep.33. lib.9. in qua mira memorat de delphino Hipponensi, hortans Caninium, vt eam historiam versibus poëtico more ornandam sumat. Principium est epistolæ. Incidi in materiam veram, sed simillimam fictæ, dignamque isto lætissimo, altissimo, planeque poëtico ingenio. Incidi autem, dum super cœnam varia miracula hinc inde referuntur. Magna auctoris fides. Tametsi quid poëtæ cum fide? Is tamen auctor, cui bene, vel historiam scripturus, credidisses. Clausula

epistolæ hæc est. Hæc tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? Quanquam non est opus affingas aliquid, aut adstruas. Sufficit ne ea quæ sunt vera minuantur. Cernis, lector, quam scitè historicam fidem à poëtica secernat? Prætcrea Lactant. Firmianus lib. 1. cap. 11. docens quo pacto poëtæ fabulas de Danaë, & imbre aureo in eius gremium delapso, de Ganymede ab aquila rapto, Io in vaccam mutata, de Europa à tauro auecta tractauerint, & quod initium verum habuerint: non ergo res ipsas gestas finxerunt poëtæ, inquit, (quod si facerent, essent vanissimi) sed rebus gestis addiderunt quendam colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, sed ornare cupientes. Hinc homines decipiuntur maximè: quod dum hæc omnia ficta esse à poëtis arbitrantur, colunt quod ignorant. Nesciunt enim qui sit poëticæ licentiæ modus, quousque progredi fingendo liceat: cum officium poëtæ sit in eo, vt ea quę gesta sunt verè, in alias species obliquia figurationibus cum decore aliquo conuersa traducat. Quod adiicit Lactantius, totum autem quod referas fingere, id est, ineptum esse, & mendacem potius quam poëtam; istuc, inquam, admitti pro vero neutiquam potest, cum notum sit, si non tota volumina, totos tamen libros, & comœdias veterum omnes fictas esse. Tuetur enim poëta nomen suum, si, quæ potuerint fieri, ita vt fieri debuerunt, ac potuerunt, &, si bonus vir est, ad finem vitæ vtilem scribenda suscipiat. Omnino Plutarchi locus de figmentis poëticis, seu natura poëseos diligenter notandus est, lib. de audiendis poëtis. Sicut in picturis color plus afficit quam lineæ, propter similitudinem corporis, & fallendi aptitudinem: ita in poëmatibus mendacium probabilitate temperatum magis percellit, & gratius est apparatu carminis, & dictionis fabula, & figmento carentis. Itaque Socrates quibusdam somniis ad scribendum carmen compulsus, cum ipse, vt qui per omnem vitam pro veritate decertasset, facultate probabilia mendacia fabricandi destitueretur, Aesopi fabellas argumentum sibi delegit: poësin non putans eam, à qua abesset mendacium. Etenim sacrificia quædam nouimus choris, & tibiis carentia: poësin fabularum, & figmentorum expertem non nouimus. Nam Empedoclis, & Parmenidis versus, theriaca Nicandri, ac sententiæ Theognidis, orationes sunt, vt pedestria incessus humilitatem effugerent, granditatem, & mensuram à poëtica pro vehiculo mutuatæ. Hæc paulò fusius explicata, poëticæ studiosis ad cognoscendum iucunda, & vtilia fore ratus sum. De hàc libertate poëtarum, & cautione simul adhibenda Horat. ad Pisones.

——— ——— pictoribus. atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim:
Sed non vt placidis coëant immitia, non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

LXXIX. Potentum consuetudo vitanda.

Vsibus edocto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longe nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimum obesse solent.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataque plus paruis vela timoris habent.
Aspicis vt summa cortex leuis innatat vnda,
Cum graue nexa simul retia mergat onus. 3.T.3.

Plus credendum est vsui, quam præceptis, quanquam præcepta sæpe ex vsu, sine quo nihil valent. Præcipit ergo illa elegia Ouid. quod vsu ipsemet didicerat, faciendum esse: fugiendam nimirum illustrium, ac potentum familiaritatem, & amicitiam: nec veretur caussam exilij sui primam huic malo adscribere. Tutius nauigatur velis minoribus, quæ non ita ludibrio ventorum sunt exposita. Tutius etiam natatur sine onere. Potentes isti non potentes, & ignobiliores pro pilis habent, eosque pro libidine sua huc illuc iactant; & miserrimum est ab eo lædi, de quo non possis tutò queri. Huic adhortationi Ouidianæ meo iudicio egreglè conueniunt, quæ Euclio pauperior Megadoro diuiti, eius filiam sibi vxorem poscenti respondet. Similia quippe in aulis Principum, & ab opulentis, ac beatia pati contingit conditione inferiores, & hanc adulationis, & subiectionis, atque ministeriorum suorum mercedem miselli reportant.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem diuitem,
Factiosum, me item esse hominem pauperum pauperrimum.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bouem esse, & me esse asellum. Vbi tecum coniunctus siem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto.
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem,
Et te vtar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid diuortij fuat.
Asini me mordicibus scindant, boues incursent cornibus,
Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boues transcendere.

Et in Pœnulo.

Verùm ita sunt omnes isti nostri diuites,
Si quid benefacias, leuior pluma est gratia:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

LXXX. Probi.

Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
Vir fuit, aut illa reuerentior vlla deorum. 1. Met.

De Deucalione, & Pyrrha coniugibus, à quibus secundùm fabulas reparatum est genus humanum. His carminibus ad laudandos coniuges pios, ac sanctos vtemur, quales olim Abraham & Sara, Raguel & Anna, Zacharias & Elizabeth. Nomine æqui, & iusti, aut iustitiæ, etiam scriptoribus non sacris sæpenumero virtutum cumulus, & omnis perfectio, atque integritas exprimitur.

LXXXI. Pudicitia.

Lis est cum forma magna pudicitia. ep. 5.

Vulgò parum pudicæ habentur, quæ sunt formosæ. Propert. lib. 2. eleg. 32. *Semper formosis fabula pœna fuit.* Similiter Ouidio Iuuenal. *rara est adeo concordia formæ, Atque pudicitiæ.* Caussa huius litis, & discordiæ inuestigetur. An quia præcellentes forma nescio quomodo ad res Veneris procliuiores, cui procliuitati (quæ nostra imbecillitas est) laboriosè resistitur? An quia plures insidiatores, & tanquam venatores patiuntur, quorum rendiculas, & retia ægre effugiunt? *Et magno cum periculo custoditur, quod multis placet,* vt ait P. Syrus. Sententia quidem poëtæ reprehendi falsitatis non potest, quæcunque tandem caussa sit. Nec dubium, quin & Christianæ virgines, si quas pulchritudo nobilitat, hanc concertationem experiantur: quarum pudicitiam Deus, sine quo nemo potest esse continens (modò quod in se est ne omittant) tuetur atque conseruat. Approbat eandem gnomen Augustin. Inter omnia certamina Christianorum, inquit, duriora sunt prælia castitatis. Nam ibi continua pugna, & rarior victoria; rara enim concordia formæ atque pudicitiæ. *Rara auis in terris nigroq; simillima cygno.* Pertinet autem pudicitia ad vtrumque sexum, & ad nuptas etiam, de qua Valer. lib. 6. cap. 5.

——nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia: deperit illa semel.

Virtutes omnes semel amissæ redacquiri possunt, quo nihil certius: sola virginitas æternùm perit, si periit. Frequenter enim vocabulo pudicitiæ virginitatem, hoc est, illibatum illum, & intactum florem corporis exprimimus. Distinguit D. Augustinus contra Iulianum lib. 4. Pudicitia est animæ, virginitas corporis. Denique illa integra in anima permanente, potest ista de corpore tibi violenter auferri. Et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciua voluntate corrumpi.

R.

LXXXII. Recentiora meliora.

Fortior in fulua nouus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer est melior nitidis gladiator arenis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.

Fert

Fert bene præcipites nauis modo facta procellas,
Quamlibet exiguo soluitur imbre vetus. 4.T.6.

Mote suo, inductione per similitudines, quæ est via docendi commodissima, & inprimis perspicua, ostendit, noua, & recentia magis expetenda in rebus, & vetustis, ac tritis anteponenda: in illis enim vites adhuc integræ, & vigor viuidus: in his marcidæ, & exsuccæ. In omnibus itaque videmus semper non trita tritis, confecta confectis, vetusta antiquis, sed solida, plena, noua suffici. *Suo sanguine*, aduersarij, nam is est telorum sanguis, quo tingi debent. In vltimo versu imbris nomine aquam, non imbrem de cælo cadentem accipe. Quam enim ille solueret nauim? Vide Commentar. De luctâ, & gladiatoribus, si legere est animus, in promptu sunt Hieron. Mercurial. de arte gymnastica, & Lipsius.

S.

LXXXIII. Sæculum impium, seu tempora scelerata.

Victa iacet pietas.
Fugere pudor, verumque, fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque, dolique.
Qua terra patet fera regnat Erinnys.
In facinus iurasse putes. 1. Met.

Sumpsimus hæc ex descriptione sæculi ferrei 1. Transformat. quibus etiam hæc nostra infælicissima tempora depinguntur. Quando æquè iacuit victa pietas, dominata contra magis est impietas? Quot Mezentij, qui diuûm nulli parcunt? Opportunè subit locus Sallustij ex Coniurat. de rep. Rom. quomodo paulatim immutata, & ex optima pessima, & flagitiosissima facta sit narrantis. Sic enim inter alia. Namque auaritia fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subuertit, pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falsos fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere: amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare: magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc & talia in sæculum nostrum conueniunt.

LXXXIV. Sęculum fęlix, seu beata tempora.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibunt,
Flauáque de viridi stillabunt ilice mella. ibid.

Et hæc inde prompta sunt, ex descriptione, inquam, fælicis, & aurei sæculi, valebuntque ad significandum prouerbiali figura tranquillissimum, ac beatissimum ciuitatis, reipub. imperij statum, qui omnium mentes, perinde vt gustatum lac, mel, nectar res dulcissimæ delectet.

LXXXV. Senectus.

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq; suo pretio ruga senilis erat. 1. F.

Cani, & rugæ indices longæ ætatis, seu extremæ ætatis, quæ cæteris gradibus, vt hyems autumno, æstati, ac veri respondet. Quò alludit Philto senex in Trinum.

Sua senectuti acriorem hyemem parat,
Cum illam importunam tempestatem conciet.

De honorata senectute, ex infinitis age pauca dicamus. Romulus ei proximum à diis locum tribuit. Nam cum in anno ordinando primum mensem Marti, alterum Veneri, vt generis principibus, & auctoribus dicasset, & ab iisdem appellasset, tertium à maioribus, Maium nempe, nuncupauit. Quo die Senatus habebatur, adolescetes Romani aliquem ex senatoribus consanguineum, aut propinquum, aut paternû amicum ad curiam deducebant, & senatu dimisso domum reducebant. Solon Atheniensis lege cauit, ne quis iuuenis, quamuis prudens videretur, magistratum gereret. Assurgebatur etiam senibus prætereuntibus. Testatur id noster. *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum, Si iuuenis vetulo non*

assurrexerat. Cuius rei præceptum habemus in Leuitico cap.19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Detestandi sunt igitur irrisores, & contemptores senum, tanquam fatuorum, & inutilium, & reducendum in memoriam, quid pueris Helisæum subsannantibus euenerit. 4.Reg.2.

——sed iam fœlicior ætas
Terga dedit, tremulóque gradu venit ægra senectus. 14.Met.

Alia multa senectutis mala hoc vno, quod tremulo passu incedit, complectitur. Dicitur enim prouerbio, senectus ipsa morbus. Imminuuntur enim vires, & ægrescit valetudo, &, vt Iuuenalis ait, *circumsilit agmine facto Morborum omne genus.* Hinc versiculus.

Φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.
Metue senectam, non enim sola aduenit.

Antiphanes Comicus dixit esse *βωμὸν καὶ ἐργαστήριον τῶν κακῶν* aram, & officinam malorum omnium, quomodo alius *λιμένα τῶν κακῶν* portum malorum. Quo fit, vt cum diu viuere omnes optent, senescere tamen, & sentire illa mala minimè velint. Festiua descriptio senectutis cum vitiis eius est in Menæchmis. Eam tibi dum recito, ausculta sodes. Loquitur senex.

Vt ætas mea est, & vt huic vsus facto est,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quam facile fit mihi, haud sum falsus.
Nam pernicitas deserit, consitus sum
Senectute, onustum gero corpus, vires
Reliquere. Vt ætas mala mala merx est ergo:
Nam res plurimas pessumas, cum aduenit, affert.
Quas si autumem omnes, nimis longus sermo fit.

——non omnia grandior ætas
Quæ fugiamus habet. 6.Met.

Etsi malis multis cumulatur senectus, iudicanturque miseri senes, habet tamen ætas illa nec pauca, nec modica bona, quibus glorietur, & commendetur. Habet inquam non fugienda modo, sed optanda, & complectenda quoque, Senecam audiamus, epistola 12. Complectamur illam (senectutem) & amemus: plena est voluptatis, si illa scias vti. Gratissima sunt poma cum fugiunt: pueritiæ maximus in exitu decor est: deditos vino potatio extrema delectat, illa quę mergit, quæ ebrietati summam manum imponit. Quod in se iucundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt. Iucundissima est ætas deuexa iam, non tamen præceps: & illam quoque in extrema tegula stantem, iudico habere suas voluptates: aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullius egere. Quam dulce est, cupiditates fugasse, ac reliquisse? &c. Democritus senectutem prudentiæ, & temperantiæ florem appellabat. Nec tam est iuxta finem vitæ, quam iuxta principium bene viuendi. Solis namque senibus concessum est (quod & Seneca tetigit) bene, & tranquille viuere, omni perturbatione vacantibus. Consilium senum est proprium, vt vires iuuenum. Athenis ex legibus Solonis in consultatione natu maximus dicebat primus sententiam: sunt enim illi plurimarum rerum vsu periti. Nestor apud Homerum quanquam armis tractandis ob affectam ætatem haud idoneus, prudentia, & consilio est vtilissimus, vt Agamemno summus exercitus Imp. non decem Aiaces, aut Diomedes, aut Idomeneos, sed decem Nestoras sibi ad Troiam expugnandam exoptet. a. Iliad.

LXXXVI. Silentium.

Eximia est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis est culpa tacenda loqui. 2.Art.

Non de quouis silentio capiendum hoc, sed de illo, quod commissa sibi arcana, aut quod alioqui arcanum, & tacitum esse oportet, fideliter, ac prudenter celat, nec vel verbis, vel signo aliquo prodit, & effutit. Sunt, qui cum arcani quippiam alteri crediderint, eum rogant, & iurare cogunt, nemini dicturum. Atqui hoc ipso, se quippiam reprehensione dignum fecisse monent. Nam cur ab alio silentij fidem postulant, quam ipsimet sibi præstare noluerunt? Hinc Seneca, *alium silere quod voles, primus sile.* Apud Lacedæmonas ad conuiuia venientibus, natu maximus singulis fores ostendebat cum his verbis, per has nullus egrediatur sermo. Admonebat, ne quis, quod in conuiuio dictum esset inconsideratius, aut liberius, ad aures aliorum efferret. Cum nescio quis Demostheni oris graueolentiam obiiceret; quia, respondit, multa secreta in eo computruerunt. Hiero autem aiebat, arcana enuntiantes iniuriam facere illis etiam, quibus enuntiarent. Consueuimus enim odisse non eos solùm qui enuntiarunt; sed etiam quibus enuntiata sunt.

Quis minor eſt autem, quam tacuiſſe labor? 2.Am.2.

Cum rectè loqui, & lingua non offendere laborioſum ſit, mirum eſt vel hinc hominibus non reddi facile ſilentium. Porrò ſilentium laudamus non illud, quod eſt mutorum ſimile. Nam nihil, aut nunquam loqui, laude caret, nec inde magis ſapientem quam ſtultum cognoſcas: ſed quod parcè, & rarò loquitur, & garrulitati è diametro opponitur; quod omni ſtatui, ætati, ſexui decorum eſt. Hoc à doctis, à ſanctis viris laudatum, & cultum eſt. Huic qui ſtudent, ſecum habitant, omnibus cari ſunt, perturbant neminem. Socrates diſcipulos admonebat, vt tria in omni vita præcipua haberent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua ſilentium. Et præceptum Iſocratis ad Demonicum eſt, duo loquendi tempora conſtituenda: alterum de rebus nobis planè cognitis: alterum de iis quæ neceſſario ſunt dicenda. In his ſolis, inquit, ſilentium antecellit oratio: in aliis verò tacere ſatius eſt, quam loqui.

LXXXVII. Similitudo ingeniorum, ac ſtudiorum.

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia iunctis,
Et ſeruat ſtudij fœdera quiſque ſui. 2.P.5.

Mirificè gaudet natura humana ingenij, ſtudiorum, morum, artium, laborum, ætatis, ſexus, fortunæ, & cuiuſuis demum rei ſocietate, & ea plerumque amorem gignit; ſiquidem ſimilitudo mater eſt amicitiæ. Illuſtrat rem Ouidius exemplis agricolarum, militum, nautarum. Hi omnes ob ſtudij communionem inter ſe diligunt. Profert Plutarchus libello de diſcrimine adulatoris, & amici hoſce verſus, inſtituto perquam congruentes

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή,
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.
Seni ſenilis lingua iucundiſsima eſt,
Puero᷈q; puer, & mulier apta fæmina.
Ægrotus itidem ægroto, & in malis ſitus
Exercito malis placet, atque congruit.

Plura vide in Commentario noſtro. Quadrabit huc & illud Horatianum ep.18.lib.1.

Oderunt hilarem triſtes, triſtemq; iocoſi.
Sedatum celeres, agilem, gnauumq; remiſſi.

LXXXVIII. Somnus.

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt. 2.Am.9.

Somni regiam, & naturam pingit magis, quam deſcribit noſter Metamorph.11. Somnum altiſſimum ſuauiſsimum eſſe norunt omnes, & teſtatur id Homerus, qui etiam morti ſimilem, & fratrem mortis, & mortem ſomnum ferream appellat, vt obſeruauit Plutarch. in Conſolat. ad Apollon. Quod ait in pentametro de longa quiete mortuorum, non eſt inane. Corpora enim in ſepulchris requieſcere credebant. Cic. ex antiquo poëta 1.Tuſcul.

Neque ſepulchrum, quod recipiat, habeat, portum corporis,
Vbi remiſſa vita corpus requieſcat à malis.

Inde ſepulchra non ſolum monumenta, memoriæ, conditoria, ſed & requietoria in priſtis inſcriptionibus. Et inde mortuis bene precantes placidam quietem optabant. De quo dictum aliàs. Nos Chriſtiani idem cum facimus, longe aliam, & myſticam quietem precamur.

LXXXIX. Speculum.

Scilicet à ſpeculi ſumuntur imagine faſtus. 2.Am.17.

Magnus ſpeculi vſus apud fæminas, eas præſertim, quæ ſe ſtudent videri mundiores, comptiores, pulchriores, in quo plurimum laborabant, & laborant, quæ vetitis amoribus ſeruiunt. Hinc illa ancilla blandiens dominæ ſuæ petenti ſpeculum, in Moſtellaria.

Mulier quæ ſe, ſuamq; ætatem ſpernit, ſpeculo ei vſus eſt,
Quid opus eſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculum es maximum?

Conſilium

Consilium formæ non inscitè vocauit Martialis lib.9. quod ab eo eius componendæ, & excolendæ quasi consilium petitur. De vsu naturali, & vtilitate speculi Seneca natural. Quæst.lib.1.cap.17. ita disserit. Quid sibi rerum natura voluit, quod cum vera corpora dedisset, etiam simulacra eorum aspici voluit? Non in hoc scilicet, vt ad speculum barbã, faciemq; velleremus, aut vt faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ concessit, &c. Infrà. Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta. Primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset: Iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus, aut læue saxum imaginem reddit, &c. deinceps docet quantum in speculis sumptu, & luxuria processum sit.

XC. Spes, & fiducia.

Non omnes Fabios abstulit vna dies. 1.P.2.

Historia Fabiorum, qui bello aduersus Veientes, quod sibi solis magnanimi viri pro republica depoposcerant, interierunt, nota est etiam ex 2.Fast. concluditur narratio his versibus ibidem.

Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit vna dies.
Vt tamen Herculeæ superessent semina gentis:
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis
Vnus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet vt posses olim tu, Maxime, nasci:
Cui res cunctando restituenda foret.

Lege insuper Liuium lib.2. Vsus carminis erit prouerbialis, cum volemus significare, superesse adhuc hominem, quo spes nostræ nitantur, & qui perdita instaurare queat.

XCI. Studium, & voluptas cuique sua.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.
Saucius eiurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus vndis,
Et ducit remos qua modo nauit aqua. 1.P.6.

Quamobrem non desinat carmina componere, cum iis sibimet plagam grandem dederit, rationem reddit, & se his similitudinibus contra calumniatorem defendit. Addit præterea, non habere se aliud quod agat, & otium ducere instar mortis. Cicero 5. de finibus, suo quisque studio maximè ducitur. Et Plaut. Sticho. *Sum rex regina placet, sua cuique sponso sponsa.* Tolle hanc delectationem cuiusque in arte, ac studio suo, perire necesse erit humanum genus. Dio Chrysost. orat.3. de regno, neminem ait adeo mollem, ac voluptuosum esse, quin delectetur sua propria actione, quamuis laboriosa. Minimè contristatur nauclerus laboribus in mari, minimè agricola operibus in agro, minimè venator in venatione. Tu adde similia, immo accipe similia ex dissertat.19. Max.Tyrij: Crotoniata oleastrum amat olympicum, naualí prælio Atheniensis delectatur, Spartiata pedestri, venatione Cres, Sybarita luxu, Thebanus tibiis afficitur, Ionicus choris. Mercator aurum, vinosus vinum, elegantiores homines amores, qui cantu delectatur cantum, dicendi studium orator sequitur.

XCII. Tempus fluit.

Labitur occultè, fallitq́; volatilis ætas.
Et nihil est annis velocius. 10.Met.

Gaudebat quidem sapiens ille, se quotidie discentem aliquid senem fieri: sed se quotidie vno die euadere seniorem, hoc non sentiebat. Occultè crescit æuum nostrum, & effluxisse tempus deprehendimus, sicut in sole vmbram processisse: fluxum eius non animaduertimus. Partes temporis pro conuersione cæli, ac solis in annos, menses, dies, horas, momenta diuiduntur. Definitur à physicis

numerus motus per prius, & posterius, habetque differentias tres, præteritum, instans, seu momentum, seu punctum temporis, & futurum. De quo Pythagoras 15. Metamorph. sic loquens fingitur.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest: sed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturq; eadem, veniensque vrgetq; priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur,
Et noua sunt semper: nam quod fuit ante relictum est,
Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur.

Similitudine fluminis vtitur & 3. Art. *Eunt anni more fluentis aquæ.* Quod ait ætatem occulte labi, esse volatilem, eodem sensu dixit 6. Fast. aliis verbis.

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Sic alibi. *Et celer admissis labitur annus equis.*

Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit. 3. Art.

Aetas hæc est iuuentus. Et quoniam ætas, seu tempus labitur celeriter, & annis nihil est velocius, nec tam bona sequuntur quam præcesserunt (senectus enim deterior ætas dicitur, lætitiis, iocis, & lusibus inepta, aduersis multis obnoxia) ideo monet opportunitatem non negligendam. Itaque potest hoc consilium in sententiam honestam, nec Christiano homini interdictam accipi. Potest etiam in voluptuariam, vt non aliud velit, quam illud. Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos repleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, &c.*

XCIII. Tempus mollit, maturat, auget, vincit, frangit, consumit omnia.

Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati frena docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur annulus vsu:
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua. 1. Art.

Et 4. Trist. eleg. 6.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæq; sui iussis obtemperat Inda magistri
Bellua, seruitium tempore victa subit.
Tempus vt extentis tumeat facit vua racemis,
Vixq; merum capiant grana quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et, ne sint tristi poma sapore facit.
Hoc tenuat dentem terram findentis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.

Hoc etiam sæuas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mœstáque corda leuat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas.

Ad vim temporis declarandam, noli plura requirere, & mirare poëtæ copiam quà rerum, etiat quà verborum. Nam etsi eandem sententiam in aliis versibus repetit, vt de tauris aratoribus, & equi fræna accipientibus, idtamen & aliis verbis, vt semper, & vberius facit. Quod in Arte dixerat duobu versibus, in Tristibus extulit quaternis. Ibi, *Interit assidua vomer aduncus humo.* Hic, *Hoc tenuat dentem terram findentis aratri.* Quod in posterioribus paucis, *Hoc rigidos silices, hoc adamanta domat.* Id in prioribus tot disticho. *Quid magis est durum, &c.* In carminibus nihil est obscurum. *Per tempora labitur annus,* dixit Ti bull. & Horat. *Si mihi tarda fluunt, ingratáq; tempora.* ep. 1. lib. 1.

Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,
Grandibus accedunt tempore damna malis. 5.T.2

Mala parua, & mediocria temporis processu minus ac minus angunt, & contristant: magna, & ingentia magis atque magis. Amisit quispiam charam vxorem, dolet: sed eius dolori medebitur tem pus, ipsum mitigabit, & fugabit; præsertim si aliam breui duxerit. Malum est quidem; sed quanto ma ius, acerbum pati exilium, & tale omnino, quale suum cum graphicè describere solet Naso? Hunc do lorem, & animi ægritudinem longa dies etiam auget cum & corpus vexetur assiduisimè tot incom modis, vt apud Scyllam, & Charybdim, atque adeo apud inferos, quàm eo loci esse malit, quod affir mat 5. Trist. eleg. 3.

XCIV. Terra.

Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Conuenit: hæc oleis; hîc bene farra virent. 1.Art

Virgil. 1. Georg.

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi, &c.

Et rursum 2. *Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.* Locum Maronis haud dubium quin aspexerint Pli nius lib. 18. cap. 18. vocans oraculum, & Columella præfat. Qui se in hac scientia perfectum volet pro fiteri, explanatum habeat quid cuique plagæ conueniat, quid repugnet, &c. Ad eundem locum in Symbolis meis hæc monebam eos qui præsunt, ne eadem ab vnoquoque requirenda putarent: neue idem cuilibet onus imponerent. Et magistros litterarum, ne similibus exercitationibus dissimilia in genia excolerent, ne actum agere viderentur.

Magna parens terra est. 1.Met.

Terra verè parens, & magna parens nostra est, siue amplitudinem, siue beneficentiam illius spe ctemus. An non de limo terræ formati sumus? an non ab illa alimur, & sustentamur? an non mortui denique eius gremio suscipimur, & fouemur? Plura Deo volente alibi. De eius auctricatu venustè in 15. Metam.

Prodiga diuitias, alimentaq; mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde, & sanguine præbet.

XCV. Timor.

Vires subtrahit ipse timor. ep. 14.

Sic 6. Fast. *Abstulerat vires corporis ipse timor.* De timore repentino hæc dicuntur, quo animus, etiam sapientis, rei alicuius horribilis repentino obiectu percellitur; & gelidus p[illegible] ossa tremor currit, to tumque corpus languescit, deartuatur, ac deficit, & vox faucibus hæret, & [illegible]ore, ac sanguine in inti ma refugientibus, interdum aluus soluitur. Iuuenal. *Soluunt tibi cornua ventrem Cum litui audita.* De illo altero, puta vt est habitus, seu ex habitu nonnunquam proficiscitur, disputant philosophi. Cic. 4. Tu scul. Metum ponit genus, cui pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorem, exanimationem, conturbationem, formidinem tanquam species subiicit.

XCVI. Vetita.

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata. 3. Am. 4.

Nihil hoc aliud sibi vult, quam quod est lib. 2. eleg. 18. *Quod licet ingratum est. quod non licet, acrius vrit.* Et quod ait Greg. Nazianzen. orat. de reditu suo, τὸ ἕτοιμον εἰς ἐξουσίαν, ἀργὸν εἰς ἐπιθυμίαν, latinè, quanquam non pari lepore, quod in promptu est ad fouendum, segnius expetitur. Quæ enim non licent, illa intelliguntur vetita, quamuis scripta lex non extet: multa siquidem more, & consuetudine vim legis obtinent: & quæ vetita, illa vtique non licent. Sed cur magis expetuntur, quæ vetantur, cum ob id quæ vetita sunt, meliora non fiat, vt proinde magis rum expeti debeant. Equidem caussam aliam non cerno, quam peruersitatem naturæ nostræ, quæ sibi placita, & iucunda prohiberi, ferre non potest, & immodestius illa appetendo, consectandoque se quodammodo de prohibente vlciscitur. Nonnunquam etiam sibi voluptatibus suis ex odio, inuidia, aut simili de caussa interdici suspicatur, & ob id ad rei adeptionem vehementius exardescit. Adiice his ex eadem elegia quarta, & hoc distichon.

Quidquid seruatur, cupimus magis, ipsaq; furem
Cura vocat: pauci quod sinit alter, amant.

Iuuat inconcessa voluptas. Ibid.

Simile admodum Hebræi, *furtiuæ aquæ dulciores.* Est apud Salomonem prouerb. 9. Cur magis inconcessa, quam concessa? quoniam vt supra dicebatur, quod licet ingratum est: & cum omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium sit finitimum, vt ait M. Tull. 3. de Orat. illud quod in nouis voluptatibus quæritur, noua scilicet, & maior delectatio, quam in consuetis, errore quodam mentis amplius situm in inconcessis existimatur. Sic Græci venustè, γλυκὺ ὀπώρας φύλακος ἐκλελοιπότος, dulce pomum custode absente. Deianira apud Senecam in Hercule OEtæo conquerens de Hercule suo. *Illicita amantur, excidit quidquid licet.*

XCVII. Vicissitudo rerum.

Nube solet pulsa candidus ire dies. 2. T.

Ex imitatione Tibulli fortasse. Ille enim lib. 3. eleg. 6. *Venit post multas vna serena dies.* A mutatione itaque cæli, & tempestatum, poëtæ commutationem rerum, ac præcipuè aduersarum in secundas, & harum in aduersas ponere nobis ante oculos consueuerunt: nulla enim ad hoc similitudo conuenientior. Plin. Panegyr. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina deus, & plerumque bonorum, malorumque caussæ sub diuersa specie latent. Sic Neptunus siue Consus 1. Fast. Romulum consolans.

Nec fera tempestas toto tamen errat in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Huc item redigere possis quæ leguntur 4. de P. eleg. 4.

Nulla dies adeo est Australibus humida nimbis,
Non intermissis vt fluat imber aquis.
Nec sterilis locus vllus ita est, vt non sit in illo
Mista ferè duris vtilis herba rubis.

XCVIII. Vindicta, seu defensio sui.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaq; in armatos sumere iura sinunt. 3. Art.

Vulgaris versiculus. *Pellere vim vi iura sinunt, & vulnere vulnus.* Iura sinunt, quia natura ipsa hoc suadet, quæ custodiam, & defensionem, & conseruationem sui ex omni parte omnibus animantibus insevit. Cic. 1. Off. Principiò generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitam, corpusq; tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur, omniaque quæcunque ad viuendum sint necessaria, inquirat, & paret: vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. Christianæ tamen leges iubent malum pro malo non reddere, (nisi fortè in discrimen apertum vitæ inciderimus, tum enim omnis honesta ratio est tuendæ, expediendæq; salutis, vt Orator etiam dixit) sed in bono malum vincere. Quibus, vt alia item multa locis multis consentientia laudat Seneca lib. 2. de Ira cap. 32. Magni animi est iniurias despicere. Vltionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altius sibi demisere, dum vindicant: ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ, latratus minorum canum securus exaudit. Pittacus cum iniurium punire posset, dimisit, adiiciens, præstat ignoscere quam vlcisci. Illud siquidem mansueti, hoc ferini cuiusdam ingenij est.

Minuit vindicta dolorem. 1. Am. 7.

Capiunt quoddam solatium doloris sui, qui ob acceptum ab altero detrimentum, & iniuriam, aut par, aut prope par, aut saltem quippiam mali possunt remetiri, & se quoquo modo vlcisci. Pub. Syrus. *Laesi doloris remedium inimici dolor.* Obiicit hoc apud Senecam iratus, & se vlcisci cupiens. At enim habet aliquam voluptatem inquit, & dulce est dolorem reddere. Vide quid respondeat philosophus cap. 32. Nobile, & imitatione dignissimum exemplum Aristidis, qui cum iniustè damnatus abiret in exilium, sublatis manibus precatus est deos, sic prosperarent res Atheniensium, vt illis Aristides nunquam in mentem veniret.

XCIX. Vinum.

Vina parant animos Veneri. 2. Rem.

Quid aliud Apostolus ad Ephes. 5? *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Euripides.

οἴνου δ' μὴ παρόντος οὐκ ἔστιν κύπρις.

Adesse Cypris non potest, vinum vnde abest.

Et Terent. quomodo sine Cerere, hoc est, exquisitioribus epulis: sic sine Baccho, hoc est, liberaliore potu vini frigere Venerem ait. Quamobrem qui se sacris illius deae addixerunt, ne his fomentis, & irritamentis destituantur prouidere solent. In 1. Artis, vbi de vino agitur.

Illic saepe animos iuuenum rapuere puellae,
Et Venus in vinis ignis in igne fuit.

Argutè, ignis in igne. Nam vinum calefacit, & ardor ille Venereus à poëtis vocatur ignis, depascens scilicet omnem animi pulcritudinem, & illius ignis qui nullis saeculis extinguetur, quoddam procemium, seu initiamentum.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus: tunc pauper cornua sumit:
Tunc dolor, & cura, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes aeuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente deo. 1. Art.

Effectus vini sunt audacia, curarum depulsio, hilaritas, proteruia, futilitas, seu tacendorum stulta enuntiatio. Animi numero multitudinis sunt spiritus, ferocitas, & superbia. Eos vinum excitat, quod nemo nostrum non animaduertit saepius. Inde & feruores illi ad quoduis audendum, ac patrandum, & omnis timoris vacuitas. Curas sibi mero consopiri, & inde se furere, cachinnari, cantare, & saltare fatetur Anacreon. De curis Horat. epist. 5. lib. 1. *Sollicitis animis onus eximit.* Et Ode 7. lib. 1. *nunc vino pellite curas.* Et ode 18. eiusdem. *neque mordaces Diffugiunt aliter sollicitudines.* De pauperum cornibus, vbi temulenti fuerint, Ode 21. lib. 3. Ibidem, quod ad postremos versus attinet,

Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo.

Vide adagium, In vino veritas. Xenophon in Conuiuio: Vinum animos rigans, tristitias ac dolores vt mandragoras sopit, & hilaritatem sicut oleum flammam excitat. Ibidem comparatio cum plantis, quae vehementi, & multo imbre deprimuntur, modico eriguntur, & crescunt.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Illa pudore vacat: Liber, amorque metu. 1. Am. 6.

Clauus, & gubernaculum quo vtuntur, & sese regunt, sibique moderantur sobrij, est ratio, quae immodica vini potatione obruitur. Idcirco dicitur vinum carere clauo. Vnde efficitur, vt ebrius nihil prouidè, & consultò vel faciat, vel dicat. Isocrat. ad Demon. Cum enim vino mens corrupta fuerit, idem ei quod curribus vsu venit, è quibus aurigae sunt excussi. Nam vt hi temere feruntur, carentes gubernatoribus: sic animus in multa delicta impellitur, mente submersa. De nocte & amore, quae perinde duces ad impudentiam, & audaciam sunt, nihil hoc loco dicendum.

C. Virtus.

Sed tendit in ardua virtus. 2.P.2.

Vitium in procliui est, contrà virtus in arduo. Ad illud delabimur: ad hanc ascendimus: illi frænis, huic calcaribus opus est. Ac proinde improbum esse quam probum, multo est facilius. Solet cum hac de re sermo est, de difficultate, inquam, quæ suscipienda in comparanda virtute, laudari illud Hesiodi. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν deos virtuti sudores, & labores proposuisse, eoque longam, & arduam viam perducere. Greg. Nazianzen. in Apologet. Res quædam ad imitandum prona, & expedita est improbitas, nec quicquam tam facile, quam malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat. Rara autem, & ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multa sint, quæ nos ad eam trahant, & inuitent. Ad hunc ascensum altum, atque iter arduum accommodat Seneca lib. de prouidentia versus Ouidij ex 2. Metamorph. vbi Phœbus Phaëthonti aurigaturo præcepta dat.

Ardua prima via est, & qua vix mane recentes
Enituntur equi: medio est altissima cælo.

Etiam de vita beata cap. 20. cum Hesiodo sentit. Idem tamen 2. de ira cap. 13. hanc ipsam Hesiodi sententiam reprehendens, virtutem facilem, contra verò vitium laboriosum esse contendit. Sic enim ait. Sanabilibus ægrotamus malis: ipsaque nos in rectum genitos natura, si emendari velimus, iuuat. Nec, vt quibusdam dictum est, arduum in virtutes, & asperum iter est: plano adeuntur. Non vanæ vobis auctor rei venio. Facilis ad beatam vitam via: inite modo bonis auspiciis, ipsisque diis bene iuuantibus. Multo difficilius est facere ista quæ facitis. Quid enim quiete otiosius animi? quid ira laboriosius? quid clementia remissius? quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium deniq; virtutũ tutela facilior est: vitia magno coluntur. Quid ergo? an more oratorum idem modò probat, modò improbat? Vide H. Steph. de Criticis pag. 264. Appone etiam huic titulo istunc versum, *Esse bonum facile est, vbi quod vetat esse remotum est.*

Inuia virtuti nulla est via. Metam.

Haud satis memini, quoto libro Metamorph. istanc gnomen legerim si modo ibi legi. Perrumpit, ac peruincit omnia virtus, quia generosa, imperterrita, & inuicta est. De illa vere Cic pro Sextio, in tempestate sæua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis sordibus vnquam obsolescit.

Et mala sunt vicina bonis: errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit. 1.Rem.

AEquè in tota vita nostra, vt in carmine componendo, verum est, quod ad Pisones ait Horat. *Decipimur specie recti.* In vitiis autem, & virtutibus discernendis, & illis reiiciendis, his amplectendis, parum sæpe videmus. Iuuenal. sat. 14. *Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra*, vt quidam dixit. Auaritia videri vult parsimonia, crudelitas iustitia, inuidia zelus, profusio liberalitas, crudelitas seueritas, segnitia facilitas, temeritas fortitudo, superstitio pietas, calliditas prudentia, pertinacia constantia, &c. Fabius lib. 2. cap. 12. Est virtutum vitiorumque vicinia quædam, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur. Hinc non rarò crimen pro vitio tulit virtus, id est, nomẽ suum vitio commodare, & quod illi debebatur dedecus, ipsa subire coacta est.

Est virtus placitis abstinuisse bonis. ep.16.

Huc mihi peridonium videtur quod est in Trinummo. vbi Philto senex filium adolescentem salutariter admonet. Nam inter cætera sic ait.

Si animus hominem perculit, actum est, animo seruiuit, non sibi.
Si ipse animum perculit, dum viuit victor victorum cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.
Nimio satius est vt opus est te ita esse, quam vt animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.

Vides quam pulchre, & latè explicet Comicus, quod noster tribus verbis complexus est. Perpetuum bellum indicendum cupiditatibus, si velimus in numerum bonorum adscribi, & audire quid virtus exigat, non quid voluptas suadeat, quæ longè alia via incedit.

* * *

CI. Virtus in aduersis.

Quæ latet, inq; bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq; malis. 4.T.3.

Hoc exemplo Hectoris probat. qui in illa decennali obsidione Ilij, per publica mala ad gloriam sibi iter fecit. Et Tiphys rectoris primæ nauis, Argus inquam, cui negotium fuit cum fluctibus, & ibi eius peritia, virtusque perspecta est. Et Phœbi, cuius nulla apparebit medendi scientia, si nulli sint morbi. Huc repone quæ sunt eleg. 6. lib. 5. cum exemplis Penelopes, Euadnes, Alcestidis, Laodamiæ, quæ singulæ in maritorum calamitatibus eximia constantiæ, & amoris coniugalis documenta præbuerunt.

Scilicet aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope felix, sed sine laude foret, &c.

CII. Vita priuata, & obscura.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.
Viue sine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige, & amicitias tu tibi iunge pares. 3.T.4.

Potentum, illustrium, opulentorum, ac diuitum vita angoribus scatet, curis, negotiis, periculis, timoribus, &c. abundat: mediocrium, ac priuatorum ab his omnibus libera est, & eo quod habet quietè, ac securè perfruitur. Et dum eminere non laborat, infestam tantummodo eminentibus inuidiam effugit. In amicitiis quoque imparibus non inuenitur illa, quam summa studiorum, voluntatumque consensio gignit voluptas: & potentioribus præstanda sunt quæ nolles. Indigna digna habenda sunt, quæ illi faciunt. Cum autem tria sint vitæ genera Plutarcho de educand. lib. & Senecæ de otio sapientis, actiua, contemplatiua, voluptaria, & extrema sit bestiarum potius, videndum, ad vtrũ genus priorum hæc vita priuata, & obscura magis pertineat: magis, inquam, nam & contemplatio sine actione sterilis, & actio absque contemplatione impolita, & cæcutiens est, &c.

CIII. Voluntas bona, & pia.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos. 3.P.4.

Si pro facto reputatur voluntas, vbi deest facultas in malis, cur non idem fiat in bonis? Si putatur læsisse qui voluit lædere, at non potuit: cur non eo loco nobis sit, qui prodesse voluit, nec potuit, quo is qui re ipsa profuit? quandoquidem, vt ait Seneca, voluntas apud nos ponit officium, & omnia voluntate pensantur? Præterea, cum deus ipse voluntate sit contentus, & hostiam paruam à paupere æque libenter accipiat, vt magnam à diuite, cur homines contenti non simus? Augustin. Nihil omnino tam facile est bonæ voluntati, quam ipsa sibi, & hoc sufficit deo. Itaq; & illa 4. de Ponto, eleg. 8. rectè, atque etiam Christianè dicta sunt.

Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec quæ de parua pauper diis libat acerra,
Thura minus grandi quam data lance, valent.
Agnaq; tam lactens, quam gramine pasta Falisco
Victima Tarpeios inficit icta focos.

Adde his Plin. in præfat. Verùm & diis lacte rustici, multæque gentes supplicant: & mola tantùm salsa litant, qui thura non habent: nec vlli fuit vitio deos colere quoquo modo posset.

Parua petunt manes, pietas pro diuite grata est
Munere. 3.F.

Hoc versu nostri homines ad impertiendam egentibus eleemosynam, & preces, pro defunctorum animis expiandis deo adhibendas non inscitè vtentur.

CIV. Vſus.

Seris venit vſus ab annis. 6. Metam.

Vſus, & conſuetudo ſæpe pro eodem dicuntur: vt cum dicimus, vſum, ſeu conſuetudinem eſſe alteram naturam. Nunc autem de vſu eo loquimur, qui aliâs experientia nominatur. Experientiam verò plurium annorum eſſe oportere in actionibus humanis, & euentis, vt inde de vnaquaque re iudicium certum fiat, & in alteram partem ſententia pronuntietur, quis tam hebes, vt non intelligat? Hoc eſt, cur ſenes iuuenibus prudentiores ſtatuimus, quoniam longa ætas multa illos fecit experiri. Vſus denique ſapientes reddit, iuxta illud poëtæ antiqui,

Vſus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophian Graij me vocant, vos Sapientiam.

CV. Vſus ex integro iucundior.

Nam quanquam ſapor eſt ablata dulcis in vnda,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aqua.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de cælata ſumere lance iuuat. 3. P. 5.

Et epiſt. 4.

Eſt aliquid plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere vngue roſam.

Aquam, pomum, roſam ſumpſit, vt probaret multa ex locis ſuis naturalibus deprompta, maiorem creare voluptatem, quam cum iam aliò & aliò ducta, portata, vecta, aliorumq́ue manibus contacta, tractata, & verſata ſunt. Quamobrem tandem? quia hærentia adhuc, vnde enata ſunt, vigorem, colorem, odorem, ſaporem, vno verbo, bonitatem ſuam integram retinent, quam inde ablata, & auulſa ſenſim deperdunt, & marcere ſtatim incipiunt. His verſibus, vt aliis præterea multis, quanquam gnomicis, παρῳδικῶς tamen vti licere in principio monitum, in extremo rurſus te monendum cenſui.

CVI. Vultus.

Sæpe tacens odij ſemina vultus habet. 3. Art.

Sæpe tacentes ipſo vultu non odium modò, ſed alios quoque affectus ipſo vultu prodimus, iram, timorem, ægritudinem, pudorem, amorem, ſuſpicionem, lætitiam, contumaciam, religionem, &c. Ideo diligenter obſeruatur à curioſis. Cic. 2. de Orat. vultus denique perſpiciamus omnes, qui ſenſus animi plerumq; indicant. Et in orat. perſ. vultus imago eſt animi, indices oculi. Etiam *Ex tacito vultu ſcire futura licet.* vt eſt 1. Am. 11. quæ ſcilicet facturi ſimus, & quæ moliamur. Frons igitur, oculi, vultus totus ſæpe enim tacet clamat. Quanquam conamur interdum ipſo vultu diſsimulare affectiones noſtras, & contrarias ſimulare. Sed fruſtra. Hinc Tibull. eleg. 7. lib. 3.

Heu quam difficile eſt imitari gaudia falſa,
Difficile eſt triſti fingere mente iocum.

Nazarius Rhetor. Fingit quidem timor gaudium, ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium imago exſtet animorum.

CVII. Incerta, ſeu miſcella.

Tardè quæ credita lædunt Credimus. ep. 2.

De infælicibus nuntiis cape. Nam cum à malis refugiamus, & abhorreamus maximè, quoniam noſmet (vt omne animal ſemet) diligimus, quo minus mali habeamus, quandiu poſſumus, ſuſpicari, & timere, quam credere malumus. E contra, bona citò credimus, quoniam ea magnopere deſideramus: & occultè nos dignos exiſtimamus, quibus ea eueniant.

Nil prodeſt, quod non lædere poſsit idem. 2. T.

In omnibus pæne rebus vſus prodeſt, abuſus obeſt. Et nihil fermè inuenitur, quo abuti, hoc eſt, malè vti non poſsis. Eſt ergo cautionis, & arbitrij noſtri, quemadmodum vnaquaque re vtamur, hoc

est,quando,quantum,qua ratione, quo fine,qua de caussa. Ipsemet poëta longiuscula inductione dictum hoc confirmat.

——moderatius opta,

Et voti,quæso,contrahe vela tui. 1.P.4.

In optationibus primum præceptum est,ne optemus quæ fieri non possunt,id enim stultum est. Alterum,vt optemus quæ facile possunt. Nam quod valde difficulter potest,id perinde habetur,ac si non posit fieri. Tertium,vt modum in optando teneamus:qui etiam secundo,& primo continetur. Nec enim moderatè optat, qui difficillima & impoßibilia optat, & vela nimium pandit. Verumenimuero horum nullum vulgò seruatur. Vetat item Horatius Ode 16.lib.2. cum simus æui breuis. ἀκοντίζειν, & iuxta Homerum μενοινᾶν. nos multa iaculari, id est, multa nobis proponere & optare, & tanquam ad scopum iaculando petere,ac destinare.

Ostendi solem postulat ille sibi. 2.T.5.

Vel puer dicat,prouerbio,etiam illis temporibus vsitato vti voluisse. Locus erit,cum quis rem euidentißimam,ac manifestißimam sibi probari,& confirmari postulabit. Idem olet quod est 1.de finib.si ea quæ dixi sole ipso illustriora,& clariora sunt. Et similia.

Laudamus veteres,sed nostris vtimur annis. 1.F.

Vetustiora sæcula fuisse integriora, & incorruptiora, quam hæc recentiora, & propensius nunc prolabi homines in flagitia, scelera,& impietates, nemo dubitat, cui non prorsus ignota est antiquitas. Christiana potißimùm. Senecam veteres Romanorum annos commendantem vide. Consolat.ad Heluiam.cap.10. Scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat,& quæ sequuntur. Iam cum priscos mores libenter commendemus, ad eorum tamen exemplum nostros non dirigimus:& quod in maioribus nostris prædicamus,idipsum esse nos non delectat. Laudamus eorum religionem,& sanctimoniam, ipsi religionem parum colimus. Commendamus eorum abstinentiam,ipsi propemodum ex rapto viuimus. Efferimus eorum moderationem, ipsi omnes modestiæ fines egredimur. Idem de cæteris dicendum puta. Xenophon de dict.& fact. Socrat.lib.4. δίκαια μὲν γὰρ λέγοντες πολλοί, ἄδικα ποιῶν. Multi quidem iusta dicunt,sed iniusta faciunt.

Quæ minus apparent retia vitat auis. 2.Rem.

Ab occultioribus insidiis cauendum studiosius. Præstat interdum tuta timere, quam securum esse. Meminerimus item illius Virgilij. *Frigidus,ô pueri fugite hinc,latet anguis in herba.* Eclog.3.

Quid timeam incertum est,timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas. ep.1.

Penelopes sunt,de absente adhuc Vlysse suo dies, noctesque sollicitæ. vt probam, ac fidam vxorem decebat. Vsurpabunt idem de se nimium in aliqua re timidi,& solliciti:qui,si interrogentur quid timeant,non satis poßint mentem suam explicare:sed hoc tantum habeant dicere,se timere.

Rudis,indigestaq; moles. 1.Metam.

De chao dictum,quod eodem libro describitur. Schema prouerbiale in ædificium male compositum,nec proportionibus respondens: aut in quempiam vasto, & gigantæo corpore, qualis Polyphemus,& in regum historia Goliath.

Et quis ad hæc istinc crederet esse viam? 2.F.

A lasciuis ad grauium rerum tractationem se conuerterat Naso: & quo carmine vsus erat in leuibus ac nugatoriis, eodem scribere Fastos instituerat. Quis ergo inde huc eum migraturum putasset? Magnam, & in dissimilia, atque adeo à peioribus in meliora mutationem his verbis adagij vice poterimus exprimere,vt Pauli ex lupo in agnum,ex persecutore in Apostolum. Dauidis ex pastore in generum regis,& in regem. Augustin.in Psalm.36.de Cruce. Cum sub antiquis scelerati crucifigerentur,modò nullus crucifigitur:honorata est,& finita est. Finita est in pœna,manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes imperatorum.

Impia sub dulci melle venena latent. 1.Am.8.

Sub blanditiis,potißimùm amatoriis,& muliebribus, quæ sunt instar mellis dulces,latet venenum,& exitium. Recordare quod seu legisti, seu audiuisti ex Prouerb.cap.5. *Fauum distillans labia meretricis,& nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absinthium,& acuta quasi gladius biceps.* Sunt & alia verba dulcia,sub quibus latet omnis fælicitas,& salus. De his idem rex cap.16. *fauus mellis verba composita:dulcedo animæ,& sanitas ossium.* Quæ mihi videntur de quadam diuina eloquentia prolata.

In flammam flammas,in mare fundis aquas. 2.Am.2.

De labore casso,& superuacaneo,vt illud,*in syluam ne ligna feras.* Horat. sat.10.lib.1.

An nescis longas regibus esse manus? ep.16.

Herodot.lib.8. καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἡ βασιλῆός ἐστι, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης. Potestas regia supra hnmanam est, & manus eorum longissima. Si lougæ sunt regum manus, quanto longiores regum regis, & domini dominantium, qui nusquam cernitur, & vbique præsens adest, & implet omnia? *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Psalm.108. Et quoniam regum timendorum in proprios greges, vt inquit Horat. Ode 3.lib.3. reges in ipsos imperium est Iouis, bene admouentur apud Senecam Thyeste.

Ponite inflatos, tumidosque vultus.
Quidquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis dominum minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.

Ingentes animos, dignas Ioue concipit iras. 1.Metam.

Ingens animus qui ingentia aggredi, & tentare audet, quale fuit mundum vel incendio, quod prius cogitarat, vel aquis perdere, quod magis placuit. Et tanta ira tantam maiestatem visa est decere: quoniam & ipsa offensa grauissima, vt ibidem narrat. Si hæc in fabulosis rectè, & verisimiliter de ementito numine dicta videntur, quanto rectius, & verius de vno & vero deo, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt? Vere ingentes concepit animos, & iram sese dignam, cum olim quadraginta dierum noctiumque continuis imbribus genus humanum vniuersum (quia omnis caro corruperat viam suam) vsque ad 8 animas funditus deleuit. Poterit etiam hic versus de dynastis, Principibns, & regibus iactari in sermonibus.

Omnia mutantur, nihil interit. 15.Metam.

Ex concione Pythagoræ, à quo hoc argumentum tractatur, sanè copiosè. Omnium qui de natura disputarunt philosophorum communis fuit opinio, nihil ex nihilo fieri: neque quicquam in nihilum interire. Cic.2.de diuinat. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur: aut in nihilum subitò occidat. Quis hoc physicus dixit vnquam?

Hæc mea militia est, ferimus quæ possumus arma. 2 F.

Putidum est toties de prouerbiis te admouere. Tu ipse iudicato quid merè γνωμικὸν, quid παροιμιακὸν, aut ex vtroque mistum sit. Cantabit hoc quilibet de arte, & studio suo, ad quod illum natura, & ingenium inuitat, ac trahit, & in corde tinet. Non enim omnia possumus omnes.

Quæ venit ex tuto, minus est accepta voluptas. 3.Art.

In antegressis andiebamns, voluptates commendare τὸ ἀσυγχώρητον. *Iuuat inconcessa voluptas.* Sed non minns eas commendat τὸ δύσκολον difficultas. Chariora, & iucundiora omnia, quæ cum labore, ac difficultate pariuntur, & acquiruntur. Bonum & laudabile impendium labor, sine quo nihil fere egregium comparatur.

Turpius eiicitur quam non admittitur hospes. 5.T.1.

Cum vtrumque inhumanum sit, non admittere hospitem, & admissum eiicere, multo tamen hoc illo inhumanius censetur. Nam qui istuc committit, eum rectè facti pœnitet, & quia bene fecerit, seipsum damnat, quod est turpissimum. Quod si merentur hospites, eos eiici turpe non est. Est enim quod & ipsi seruare debent officium. In monostichis.

ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σιγηρόν.
ξένος ὢν, ἀπράγμων ἴσθι, καὶ σεσιγηκὼς καλῶς.
Mirum in modum decet hospitem modestia.
Non curiosus hospes hoc gratior erit.

Heu quam quod studeas ponere, ferre graue est? 2.Am.4.

Peracerbum vtique cogi sustinere, quo te liberari propter summam molestiam vehementer cupias, & frustra tamen contendas. Hoc arbitror nusquam euidentius patere, quam in coniugio discordi, rixarumque, ac zelotypiæ plenissimo: cuius nexum sola mors disrumpit.

Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris: 2.Am.6.

Mirum, quomodo vt quidque optimum, ac pulcherrimum est, ita citissimè pereat: contra, cuius nulla gratia, aut vtilitas, diu permaneat. & vigeat. Hoc in floribus, & zizaniis obseruabis, exemplo notissimo. Quare & Germani de improbis hominibus, qui plerumque diutissimè sunt superstites, cum probi non sæpe ad canitiem vsque viuant, Unkraut verdirbt nicht gern/ ἀλληγορικῶς videlicet.

Vlmus amat vitem: vitis non deserit vlmum. 2. Am. 16.

Vites dicuntur maritari, cum populis, aut vlmis tanquam pedamentis adiunguntur, quæ & ipsæ maritantur Horat. Ode 5. lib. 4. *Et vitem viduas ducit ad arbores.* Epod. 2.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Et venustissimè Catull. in carmine nuptiali.

Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat vuam, &c.
At si forte eadem est vlmo coniuncta marito. &c.

Valebit in coniunctissimam societatem, & concordissimum matrimonium versiculus propositus.

Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit. 3. Am. 4.

Verum hoc in hominibus liberaliore natura præditis. Veruntamē non in quouis peccato danda est licentia, si tamen in vllo danda est. *Dum tempus ad eam rem tulit,* inquit Simo in Andria de filio Pamphilo, *sivi animum vt expleret suum. Nunc hic dies aliam vitam, alios mores postulat.* Et tamen bonus ille adolescens à Glycerio auelli amplius non potuit. Vide titulum Obsequium, & indulgentia.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.
Ille locus casti damna pudoris habet. 1. Art.

Aduersus spectacula theatralia disserulmus nonnulla in Commentar. sub extremum secundum Tristium, & poëta ibidem satis illa damna pudoris exponit. Amatoribus eò venire, & venaturam facere, suadet idem alibi, doctor egregius.

Esse solent magno damna minora bono. 2. Rem.

Sapiens non recusat damnum minus, quò effugiat maius: scit enim semper ex duobus malis eligendum minus. Quin etiam interdum paruis malis, & incommodis perferendis ingentia bona comparantur. Christiani quidem qui relinquunt patrem, aut matrem, &c. centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. Huc etiam reuocandum illud, *Differ, habent parua commoda magna moræ.*

Inque suo noster puluere currat equus. 2. F.

Pergamus in nostro instituto. Translatio à decursionibus equestribus in ludis circensibus, aut olympicis.

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris. 7. Metam.

Extrema gaudij sæpe luctus occupat. Prouerb. 14. Noster eodem libro. *vsque adeo nulla est sincera voluptas, Sollicitumque aliquid lætis interuenit.* Lucret. lib. 4. *medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.* Exemplum habes in Daniele de rege Balthasare. Aliquando ipso nuptiarum die sponsi interierunt.

Tarda solet magnis rebus inesse fides. ep. 16.

Quoniam res magnæ, inusitatæ, admirabiles, diuinæ rarò accidunt. Quod autem rarò accidit, habet dubitationem: sicut vicissim quod sæpius, facilem adipiscitur fidem. Hoc in mysteriis, & historiis religionis Christianæ compertum est verissimum, ad quam multis, & singularibus miraculis adducere homines necesse fuit.

In caussa facili cuiuis licet esse diserto,
Et minimæ vires frangere quassa valent. 3. T. 11.

Vnumquemque in eo quod sciret, satis esse eloquentem affirmauit Socrates. vt est in 1. de Orat. At Cicero pro P. Quintio veretur, vt possit esse disertus in caussa difficili. Verba eius hæc sunt. Et ad me ventum est, qui, vt summa haberem cætera, temporis quidem certe vix satis habui, vt rem tantam, tot controuersiis implicatam possem cognoscere. Ita, quod mihi consueuit in cæteris caussis esse adiumento, id quoque in hac caussa deficit, &c. Quemadmodum igitur caussa non difficilis non eget magno, & exercitato oratore: sic res inualidæ vt frangantur, destruantur, dissipentur non magnis opus habent viribus.

Fraude perit virtus. 2. F.

Fabij trecenti à Veientibus, contra quos bellum soli concessu Patrum susceperant, circumuenti occubuerunt ad vnum omnes. Lege Liuium lib. 2. Vsurpabis, cum alicuius prudentiam alterius vafritie, & versutia, simplicitatem dolo, candorem simulatione superatum indicare voles. Item cum alicuius virtuti magicis artibus impedimentum obiectum.

Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua. 2.F.

A nauigantibus qui varia loca petunt, & à portu vno in alterum tendunt.

Nil feret ad manes diuitis vmbra suos. 5.T.15.

Philto senex in Trinum.

—— verùm nos homunculi
Salillum animæ: qui cum extemplo amisimus,
Æquo mendicus, atq; ille opulentissimus
Censetur censu ad Acherontem mortuus.
Subiicit Stasimus seruus.
Mirum ni tu illuc tecum diuitias feras.
Vbi mortuus sis, ita sis vt nomen cluet.

Non aurum, non vestes, non gemmas, non quidquid in hac vita ambitur, & laudatur, & delectat: sola opera (id est, quod quisque aut secundùm, aut contra leges diuinas gessit) morientes sequentur: vt inde vel salutem, vel exitium Christo iudice consequantur. Apocalyp.14. Psalm.48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neq; descendet cum eo gloria eius.* S.Bernard. Veræ diuitiæ non opes, sed virtutes sunt, quas conscientia secum portat, vt in perpetuum diues fiat.

Gratiaq; officio quod mora tardat, abest. 3.P.4.

Pæne totum cap.1.lib.2.de Benef.apud Senecam huc transferri ad illustrandum potest. Sic demus (beneficium) quomodo velimus accipere. Ante omnia libenter, citò, sine vlla dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est: & sic, tanquam sibi præriperet. Etiam si quid moræ interuenit, euitemus omni modo, ne deliberasse videamur. Proximus est à negante, qui dubitauit, nullamque meretur gratiam, &c. Hinc illud, bis dat qui citò dat. Vide Chiliadas.

Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu. 2.T.

Sumit & hinc comparationem, a parua, inquam, & magna naui Crassus 1.de Orat. vbi de Oratorum ius ignorantium impudentia differit. Tu mihi cum in circulo decipiare aduersarij stipulatiuncula, & cum obsignes tabellas clientis tui, quibus id sit scriptum, quo ille capiatur: ego tibi vllam caussam maiorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum nauiculam in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum nauem gubernarit. Distichon monet, vt ne nimium nobis de nobis promittamus.

Eripit interdum, modò dat medicina salutem,
Quæq; iuuet monstrat, quæq; sit herba nocens. 2.T.

Medici salutaria, & noxia corpori humano cum sciant, ægroti autem plerique nesciant, possunt hæc pro illis exhibere, pestemque, ac mortem pro salute inuehere, si volunt. Volent autem facile, si quid boni ex morte ægroti sperent. Inde Pub.Syrus, *Male secum agit æger, medicum qui heredem facit.* Imo etiam si nolunt, & artis suæ imperiti sunt. Notum est, quid vulgò dicatur de eorum cœmeteriis. Veruntamen cum salutem eripit medicina, ἀκίνδυνος medicina dicitur.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ,
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. 1.Art.

Sua cuique satis placent. Suum cuique pulchrum, & his gemina. Terent. Phorm. *Quot homines, tot sententiæ. Suus cuiq; mos.* Homer. Odyss. ξ.

ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.
Namq; aliis alia res arridentque, placentque.

Nomine figurarum capienda diuersitas facierum, vt dicat, homines tam discrepare studiis, sententiis, voluntatibus, quam facie ipsa discrepant. Quod & Persius voluit.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Qui placere vult omnibus, accommodet se ingeniis, & moribus omnium. Hoc si quis poterit, consideret tamen quid faciat, ne Deum & homines offendat.

Sic agitur censura, & sic exempla petuntur,
Cum iudex alios quod monet, ipse facit. 6.F.

Qui factis & exemplis docet, vtique dociliores discipulos habebit. Qui alios vis esse iustos, temperantes, benignos, tolerantes, liberales, pios, &c. teipsum primum talem facito, ne quod verbo ædificas, hoc factis ipsis destruas. Diogenes Antisthenem non seruantem quæ aliis præcipiebat, vocabat tubam, aliis sonantem, sibi non. Commode memoriam subit locus Senecæ de vita beata, cap. 20. Non præstant philosophi quæ loquuntur: multum tamen præstant quod loquuntur, quod honesta mente concipiunt. Nam si & paria dictis agerent, quid illis beatius? Interim non est quod contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia. Studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. Exempla in vtramque partem valent maximè, & Christianis frequenter inculcanda sunt.

Omina principiis, inquit inesse solet. 1. F.

Omina legas, non, *omnia*. Ex cuiusque rei initio, seu primordio solebant Romani omen captare, & de futuro rei inchoatæ progressu in vtramque partem diuinare. Nos Christiani quippiam incipientes (quod & illi faciebant) diuinam opem præfamur, & insuper sanctæ crucis signum effingimus. Per Christum enim filium dei in cruce suffixum omnia bona à deo sperare didicimus.

Non bene cum sociis regna, Venusq; manent. 3. Art.

Imitatus est hoc Seneca Agamem. *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.* Lucanus, nisi erro, *omnisq; potestas impatiens consortis erit.* In Venere coniugali societates sunt adulteria. In lupis, & meretricibus riualitates sæpe pugnas, & cædes generant.

Parua leues capiunt animos. 1. Art.

Officia minima recreant, & mirè deuinciunt sibi humiles, atque vt poëta vocat, leues animos, qui suam gratiam quasi obolis venalem habent. At magni, & viriles animi suam habent chariorem, & iudicio aut habere, aut agere, aut demum referre gratiam videri volunt, longè distantes à pueris, quos exigua, & ludicra plurimum capiunt. Vnde Germani, Es ist ein schlecht ding/das ein Kind erfrewet.

Pollicitis diues quilibet esse potest. 1. Art.

Vel montes aureos promittere quiuis potest, nihil facilius. Quod ait Horat. ep. 2. lib. 2. de iis, qui merces suas immodicè laudat, & nimis multa emptori promittunt, mendacij suspectos euadere, hoc generatim verum est de largis promissoribus. *Multa fidem promissa leuant, &c.* Quatenus seruanda promissa, docet Cicero 1. Off. & Seneca 4. de Benef. cap. 35.

Mediis tua pinus in vndis Nauigat. 2. Art.

De re nondum ad exitum perducta, & cuius euentus adhuc incertus. Vide Prouerb. in herba esse.

Si latet ars, prodest; affert deprensa pudorem:
Atq; adimit meritò tempus in omne fidem. 2. Art.

Artificij suspicio & orationi fidem, & oratori adimit auctoritatem, vt est 2. de Orat. Occulta, & inopinata artificia, quàm aperta, & nulli dubia, plus delectant.

Ardua molimur; sed nulla nisi ardua vincunt. 2. Art.

Moliri ardua, & aggredi difficilia ac laboriosa, idipsum virtutis est. Labor autem improbus vincit omnia: languor, & remissio nihil efficiunt. Exemplum sit in studio litterarum, vbi *omnia tenendo docilis sollertia vincit*, vt dixit Manilius lib. 1. Cupido eloquentiæ præter naturam & ingenium quamuis idoneum Crassus 1. de Oratore studium, & ardorem quendam amotis assumendum affirmat. Sine quo, inquit, cum in vita nihil quidquam egregium, tum certè hoc quod tu (Cotta) expetis, nemo vnquam assequetur.

Continua messe senescit ager. 3. Art.

Virgilij præceptum est Georg. 1.

Alternis idem tonsas cessare nouales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Transfer hoc ad animum, & intellige, etiam eius vires continuis exercitationibus delassari, ac deficere. Didymus Grammaticus cognominatus est χαλκέντερος, id est, habens intestina ærea ob assiduitatem lectionis, & scriptionis. Nam supra MMMD. libros conscripsisse fertur. Non dissimilem ob caussam Origenes dictus est Adamantius.

Omne genus scripti grauitate tragœdia vincit. 2. T.

Siue materiam, siue personas, siue genus orationis, siue affectus, siue exitum spectes, nullum poëma, immo nec scriptum vllum tragœdia grauius, & illustrius, verumq; planè, quod ait Horatius: *Effutire leues indigna tragœdia versus.* Ad Pison. Et ibid. de Aeschylo. *Et docuit magnumq; loqui, nitique cothurno.* Inde cothurnatam eloquentiam dixit S. Hieron. ad Pammachium. Luctus in ea, exilia, cædes, omnia horri-

horribilia, aut memorabilia. Personæ viri magni, principes, reges, imperatores. Verba sublimia, grandia, sonantia, minimè communia: Vnde tragicè loqui. Affectus qui πάθη appellantur, grauiores illi, & vehementiores. Finis mœstus, ac funestus. Denique quam graue poëmatia genus sit tragœdia, etiam ipsa σεμνοπρόσωπος eius festiuissima, & habitus, sicut & Elegiæ, ipso vestibulo tertij Amor. quo Xenophontem 2. ἀπομνημονευμ. Virtutem & Voluptatem cum Hercule in biuio describentem imitari voluit, vt existimo, expressius demonstrat. Versus hi sunt.

Venit & ingenti violenta Tragœdia passu,
Fronte coma torua, palla iacebat humi.
Laua manus sceptrum latè regale tenebat:
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

An hæc non est pictura loquens? De laudibus tragœdiæ Athenæus lib. 6. cap. 1.

Res immoderata cupido est. 1.P.15.

Cupido est cupiditas, quæ vox nonnunquam simpliciter, & sine attributo in vitio ponitur, pro illa culpa scilicet in cupiendo, cum aut cupimus quod non debemus, aut plusquam debemus. Vt cum Cicero ait, frangere cupiditates, domitas habere libidines. Interdum effertur cum epithetis, quibus eius vitiositas indicatur. Et enim idem 1. de Inuent. dicit, cæca, & dominatrix animi cupiditas. Et 1. de Orat. indomitæ, atque effrenatæ animi cupiditates. In bonis rebus similiter, non sine tacita quadam reprehensione. Vt enim quempiam teneri dicimus incredibili, insatiabili, immensa cupiditate discendi, pugnandi, &c. item laudis, gloriæ, &c. quidquid enim nimium est, à vitio non abest. Hæc omnia tu de verbo *cupido* æquè dicta putato.

Quod finxit, quisq; tuetur opus. 4.P.1.

Operisq; sui concepit amorem, inquit de Pygmalione quodam, qui statuam ex ebore finxerat, Metamorph. 10. Quod tu de quolibet propemodum artifice liberali dixeris. Vt nosmet, ita nostra propter nosmet (summa enim natura φίλαυτοι) aut lædi, aut reprehendi, aut paruipendi satis ægre sustinemus. Sicut contra ad aliorum opera eleuanda, & ad laudem alienam minuendam minimè tardi inuenimur.

Quam miser est, qui fert asperiora fide? 4.P.10.

Aspera perpeti miserum est. Sed incredibiliter misera, hoc demum miserrimum. Pertulerunt sancti Martyres maiora fide: nec tamen miserrimi, sed beatissimi fuerunt, propter cæleste præmium, cuius magnitudinem nec vox, nec cogitatio humana assequi potest. D. Gregorius Magnus homilia quadam. Homines quidam huius sæculi infæliciter fælices sunt: sancti autem martyres fæliciter infælices fuerunt.

Cum sua plus iusto carmina quisq; probet. 3.P.9.

Iam dictum, vnumquemque tueri opus quod finxit. Sed est nescio quomodo poëtis hoc insitum, vt nimia bene sentiant de suis fœtibus, & eos tanquam simiæ catulos suos vehementer & amplectantur, & exosculentur. Quia nimirum, vt est in eadem elegia, librorum, & carminum suorum delicta non vident. τυφλοῦται γὰρ ὁ φιλῶν περὶ τὸ φιλούμενον, vt ait Plato 5. de legib. amantium cæca iudicia. Tetigit hoc vitium Horat. ad Pisones.

Quintilio si quid recitares, corrige sodes
Hoc aiebat, & hoc, & c. Melius te posse negares,
Nullum vltra verbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine riuali teque, & tua solus amares.

Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem. 3.P.9.

Atque hinc fauorem quærunt principio poëmatum suorum, vt Ouid. in Fast. Germanici.

Annue conanti per laudes ire tuorum:
Deq; meo pauidos excute corde metus.
Da mihi te placidum: dederis in carmina vires,
Ingenium vultu statq; caditq; tuo.

Minuit laborem, quia tantum quantus est sentiri non finit, & velut in æstu ambulantes anhelantesque aurorum leni afflatu recreat. Et quemadmodum hunc minuit, eo modo quo diximus: ita diligentiam auget, cum scriptores, ac poëtæ inprimis, iis, quibus se placituros sciunt, aut confidunt, conantur placere magis, quod animi est ingenui. Petunt hunc fauorem etiam in prologia Comici. In Andria. *Fauete, adeste æquo animo, & rem cognoscite.* Et Adelph. *facito, æquanimitas Poëtæ ad scribendum augeat industriam.* Sic Plaut. Asin. Casina, Menæchmis, &c.

Res timida est omnis miser. 2.P.7.

Qui sunt qui non timent? qui vel auctoritate, vel gratia, vel pecunia, vel amicitia, vel aliis rebus valent multum, & iis fidere possunt, atque idcirco fælices sunt. Qui aliquo horum suis locis, & tem-

poribus destituuntur, quomodo non timeant? multo amplius si pluribus, aut omnibus. Miser autem omnis qui caret quo indiget. Valeant Stoicorum παράδοξα.

Quodq. parum nouit, nemo docere potest. 2.T.

Salutarem & reprehensionem, & admonitionem includunt hæc verba. An non obiurgatione multa, si minus acri pœna prosequendi, qui docere conantur quod nesciunt, & ante magistri fiunt quam discipuli? Cæcis videntes, non cæcutientes præire, & eos per vias ducere mos est. Eiusmodi doctoribus occinendum hoc Ouidianum, & iis maximè, qui diuinas scripturas imperitis interpretationibus deprauant ad suam ipsorum, & aliorum perniciem.

FINIS.

LECTORI.



Tque istæ erant, erudite, & prudens lector, quæ pro munere interpretis, & pro exiguitate mea, potissimùm ad scholasticorum vsum fructum in hosce libros afferenda in medium duxi: in quibus te nec paginarum immensitas terrebit: nec πάρεργον, & πάρεργον conquisita varietas, & copia, quod spero, offendet. Quod in interpretamentis & auctorum locis nonnunquam eadem, aut pæne eadem recurrunt, id rerum similitudo facit, quam poëta ipsemet 3. de Ponto, eleg. 9. probè excusat: nec cordatus quisquam, qui modo elegiam legerit, id ei vitio dabit. Et fortasse erit, cum in his iterationibus illud Platonicum valebit, δὶς τὰ καλά, bis quæ pulchra. Præterea nolui lectorem toties repetitum retro eum molestia mittere: quanquam id pro recepto Commentatorum more non semel seruaui. Velim tamen nonnulla, vt frustra iterata, & otiosa, quæ mox notabo, deleri. Sumpta pro mutuis, sua cuique reddidi, vbi meminisse potui. Etsi, cum iisdem auctoribus vtamur, iisdemque velut è fontibus bibamus omnes, qui hodie politiores tractamus litteras, difficile est, in tanta præsertim scribentium multitudine, non aliquando dicere, quod ab aliis ante occupatum reperiatur.

Pag. 38 a. Et Commentar. ad eleg. 14. &c. 196. b. 12. Stat. 1. Thebaid. &c. 237. c. Aliquãdo populus nomiu autur, &c. totum. 304. b. 12. Et sic procul à Ioue, &c. 332. c. 1. Olet oratio belleniss. &c. Idem fac in similibus, si qua animaduerteris. Veruntamen in ἀκρίτως.

Errata præcipua corrige hoc pacto.

Pag. 8. v. 35. quam quidam 13. 24. Ciceron. 18. 16. amantium. Ibid. 6. à fine. illi. 19. 11. quos. 30. 18. Telegonasque. 39 c. penult. deducta. 43. d. penult. bi 6. vers. 46. c. 8. lege. Et epist. 1 lib. 2. 54. 20. loca iussa. 58. b. vlt. Traianus. 64. c. SIBI. 65. b. VTRAQVE. 74. 22. discedens. 95. a. 1. SI MODO. 102. d. vlt. pro Hunc, lege Illum. 103. b. 3. Nisus. 120. b. 9. Annulus. 129. b. 4. morti. 150. a 9. CARPERE. 204. d. 9. occlament. 212. d. 4. pro Aug. lege Tiberius. 237. 229. a. 13. inhumanum. 231. b. 13. vt cum 244. a. 2 si quis aut. 252. b. 13. lege tua, pro, mea. Ibid. c. 3. Didonis. 254. b. vlt. Extat. 268. c. 14. ante eum. 285. c. 4. concoquitur. 291. d 4. labos pro labes. 295. b. vlt. Naso poëta. 298. penult. Qui cadit. 303. a. 8. suo sensit. 318. d. 5. MORIENT. 319. d 10. reconciliata. 326. a. 3. ex metu. 330. b. 5. egrediens. 364. d. 12. nucleus. 365. c. 13. Quos ego. 370. b. 6. CRVDA. 383. d. 13. natatione. 390. a. 6. captabant. 405. a. 5. scribebam. 409. d. 3. Bœotia. 410. a 6. parœmia. 426. c. 15. Helniam. 434. b penult. suam multitudinem. 436 a. 11. pro sonus lege cibus. 452. c. 5. facturos. 457. b. MORIBVND. 484. penult. indelebilia. 513. c. 8. ὁ παιδὸς φίλου. 528. 7. Et. 532. b. apud pop. Rom. 544. c. 13. quos. 558. 38. alterna. 588. d. 10. Quòd, me abiectum, fine interrogat. 607. a. RELEGATI. 674. c. 11. inconstanter. 707. a. penult. eam. 715. a. 4. mirabile. 745. b. 2. multis. 766. c. penult. Seneca pro similiter. 829. d. 12. contradit. 831. c. 6. extendantur. 832. a. 13. vocat Isocratem 911. a. 7. Alceste. 930. 12, Numa, Ibid. non neget. 962. 14. fama. 1025. 2. d secum.

IN LIBROS TRISTIVM, ET DE PONTO COMMENTARIORVM INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Monstra.

N.

O.

Q.

R.

S.

Solatium

T.

V.

Vmbi-

Errata quædam prioribus ante Indicem annotatis adiungenda.

1114.TROEZEN.1122.4.cur.1128.a.FEROX.1134.b.8.Vtinam.1140.b.9.qua.1141.a.1. Tuticanus, intellige penultima longa, & iterum Tuticanus. penultima breui, notis enim consuetis signari, vt arbitror non potuerunt. 1151.b.4.Vide.1164.16. Quaquo.1116.b.12. ideo. disiunctum lege.

